EX
LIBRIS
ENGELSBERGER

# BELGICÆ,

SIVE

Inferioris Germaniæ,

# DESCRIPTIO:

Auctore

LVDOVICO GVICCIARDINO

Nobili Florentino.

EDITIO POSTREMA,

*Additamentis novis & Statu Politico regionum & urbium aucta,*

Earundemque iconiſmis illuſtrata.

AMSTERDAMI,

Apud GVILIELMVM BLAEV.

CIↃ IↃ C XXXV.

913(4)
GVI
6

D2005/5484

# Typographus Lectori.

DAmus hic Lector benevole Guicciardini Belgicam, cum regionum oppidorumque iconibus : ſed in tres partes diſtinctam. Prior, generalem omnium Belgicæ regionum deſcriptionem complectitur. Secunda quicquid Hiſpaniarum regis paret imperio. Tertia, quod Belgicæ Fœderatæ Ordinibus. Ratio hujus diviſionis eſt, ut melius appareat magna rerum viciſſitudo, quæ poſt Guicciardini tempora hiſce regionibus accidit, tum etiam quid de nobiliſſima hac Europæ parte judicandum ſit : cujus exiguus angulus, Hollandia nimirum & Zelandia, tot jam annos tantum negotii Monarchæ potentiſſimo faceſſit. Addidimus ex probatis auctoribus, quæ ad majorem Belgicæ intelligentiam ſpectare videbantur, ſed charactere diverſo, ut confuſio vitaretur, & auctori ſua maneret integritas. Forma vero & typis minoribus,

eoque

eoque modo opus hoc excudimus, ut duobus voluminibus compingi & sic vel simul vel separatim ab itinerante aut ambulante non molestè circumferri possit. Vale, utere, laboremque nostrum benignè prosequere. Amsterdami, Kalendis Aprilis cIↃ IↃ c xxxv.

# Index Tabularum & Vrbium.

## *Partis primæ.*


Germania inferior. *pag.* 1
Gallia Belgica. 2


## *Partis ſecundæ.*


Brabantia. 91
Loven. 95
Bruſſel. 109
Antwerpen. 129
's Hertoghen-boſſche. 247
Berghen op Zoom. 257
Breda. 261
Maeſtricht. 265
Limburgum. 290
Limburgh civ. 290
Mechelen. M 19
Lutzenburgum. 291
Lutzenburgh. civ. 293
Flandria. 305
Gent. 313
Oſtende. 343
Lille v. Rijſſel. 381
Douay. 385
Doornick. 389
Arteſia. 413
Atrecht. 415
Hannonia. 427
Berghen in Henegou. 429
Namurcum. 465
Namen. 467
Leodienſis Epiſcopatus. 471


## *Partis tertiæ.*


Geldria. 3
Zutphen. 23
Hollandia. 39
Holland. Meridionalis 95
Holland. Septentrion. ibid.
Dordrecht. 97
Haerlem. 99
Delft. 103
Leyden. 107
Amſterdam. 111
Der Gou. 113
Enckhuyſen. 119
Hoorn. 121
Alckmaer. 122
Rotterdam. 129
's Graven Haghe. 135
Arx Britannica. 141
Zijpe. ibid.
Zeelandia. 163
Middelburgh. 175
Vltraiectum. 193
Wtrecht. ibid.
Tranſiſalania. 213
Friſia. 225
Leeuwarden. 249

PARS PRIMA

sive

# BELGICÆ DESCRIPTIO GENERALIS,

Auctore

LVDOVICO GVICCIARDINO
Nobili Florentino.

AMSTERDAMI,
Apud GVILIELMVM BLAEV.
CIↃ IↃ C XXXV.

22
23
24
25
26
SE
53
52
51
50
OCCIDENS
OCEANUS
GER
MANI
CUS
PARS
ANGLI
Æ
Cromere
Norwich
Iarmouth
Lestoff
Walderswick
Ipswich
Sylesewel
Sudburie
Holesey
Colches ter
Walton
Maldon
Canterbury
Sandwich
Lyd
Dover
Cales
Bologne
Monstreul
Diepe
Abbeville
Amiens
Pars
Galliæ
Miliaria Germanica communia
5
10
15
20
25
Der Schelling
t'Vlie
Texel
Huysduynen
Schagen
Alcmaer
HOLLANT
Wyck
Haerlem
Noortwyc op Zee
Hage
Leyden
Rotterdam
Briele
Sieriezee
ZEELANT
Middelburg
Oostende
Nieupoort
Duynkerck
Brugge
Slurs
Hulst
Ghendt
Grevelingen
VLAENDEREN
Iperen
S. Omar
Arien
Lille
Cortryck
Oudenarde
Dornick
ARTOIS
S. Paul
Arras
Douay
Conde
HENEGOU
Mons
Valenchiennes
Landrechis
Cambray
Pas
Bapames
Chima
Chappelle
Masieres
Bergen
BRABA
Antwerpen
Liere
Mechelen
Brussel
Hall
Loeven
Namur
Saultaur
Hoorn
Edam
Dort

T.27
28
29
30
31
Embden
Ten oort
Bremen
Oldenburg
Groningen
Leeuwarde
Harlingen
FRIES LANT
Staveren
Steenwijck
OVER
Wedde
Lange
Coevorden
Meppe
Cloppenburg
Diepholt
Campen
Lingen
Zwol
YSEL
GERMA
Holthuys
Harderwijck
Deventer
Zutphen
Amersfort
Lochem
Iberch
Herwerden
Arnhem
Groll
Doesburg
Munster
NIÆ
Cleve
Coesvelt
Rees
Wesel
Bosch
Lunen
De Peel
Gelre
Duysborg
Iserlon
PARS
Reerenunde
Dusseldorp
Werdt
Balem
Maeseyck
Heinsberg
Arschot
Coln
Maestricht
Bon
Luyck
LIMBURG
Aken
Nideck
Limburg
Arenberg
La roche
Pruime
Dielkirch
UTZEN
Buillon
BURG
Trier
Lutzenburg
Theonville
53
52
51
50
ORIENS
INFERIOR GERMANIA
RI. 27
28
29
30
31

# OMNIVM INFERIORIS GERMANIÆ REGIONVM DESCRIPTIO GENERALIS.

QVONIAM annos complures in Inferioribus hiſce Flandriæ regionibus, longè præcipuâ Galliæ Belgicæ parte, vixi, variiſque temporibus & occaſionibus plurima ibidem vidi, audivi, legi, notavi, curioſèque ac diligenter obſervavi: terram hanc tam præclaram, tantique in Europæo corpore momenti membrum eſſe comperi, ut in publicum uſum, ampliter eam ac diffuſè, & quidem eo, quo ad annum uſque milleſimum quingenteſimum & ſexageſimum exactum, reperiebatur ſtatu, formaque, deſcribere conſtituerim. atque hunc ipſum annum, gemino poſteà ſupplemento, ut in præfatione dictũ eſt, ad annum uſque ſupra ſeſqui milleſimum octogeſimum ſeptimum, proſecutus ſum. Habeo verò mihi perſuaſum, eos, qui deſcriptionem hanc noſtram bono ſtomacho ſunt lecturi, inventuros in eâ præclaras imprimis, ac cognitu conſideratuque digniſſimas res, eaſque non exteris tantum, ſed & ipſis quoque indigenis, ob Scriptorum in hoc genere defectum, non utiles minùs, quam novas. Quocirca, omni tenuitatis meæ excuſatione prætermiſſa, gratiaque divini numinis invocata, confidenter ad rem ipſam accedam; verborumque ſelectorum, ac terſi ſtili defectum, nervoſa rerum gravitate compenſare tentabo. Ac primum quidem in genere deſcribemus, tum terræ ipſius, tum indigenarum gentium qualitates, uno pariter faſce, univerſale Principis in eoſdem complexuri imperium. Hinc progrediemur ad provinciarum ejuſdem diviſionem, quarum omnium rariores & commemoratione digniores dotes ſingillatim enumerabimus. Ordientes itaque ab ipſo nomine, quo clarius intelligatur res, paullo altius eam repetemus: dicimuſque, Iulium Cæſarem, (quem quidem præſtantiſſimum ſcriptorem, quoad ejus in hoc argumento fieri poterit, ſequendum nobis ipſi proponimus) in commenta-

mentariis ſuis Galliam omnem dividere in partes tres. Belgiam ſcilicet, Celticam, & Aquitaniam. ſubjicit autem paullopoſt, contineri hanc ipſam Belgiam fluminibus Rheno, Matrona, Sequana, marique Oceano, & in ſeptemtriones & orientem ſolem ſpectare. Belgium eam nonnullis videtur dicere, qui & ipſi hac propter, ſine exactiori ulla diſquiſitione, ita nuncupant atque ſcribunt. ſed enim Cæſar peculiarem quemdam Picardiæ, veteris Belgiæ partis, locum, Latinis Bavacum, vulgariter Bavais appellatum, eo nomine afficit. quod ipſum, quo modo, quibuſque de cauſſis faciat, ſuo poſtea loco docebitur. numquam verò vel ipſe Cæſar, vel ullus omnino antiquus ſcriptor, univerſam hanc terram, vel Belgium, vel Belgicam ſubſtantive (nam quin adjectivè id alicubi fiat, non equidem eo negatum) invenietur dixiſſe. unde nos, ſingulis bene perpenſis, Belgiam eam rectè atque ordine dicimus, ac deinceps dicturi ſumus. Sciendum verò, Provincias haſce, quas Inferiores vulgò dictitant, quæque Catholici Regis imperio ſubſunt, veteris Galliæ Belgicæ propemodùm eſſe ſemiſſem: alterum ejus ſemiſſem poſſidentibus magna ex parte Gallis, in Provinciis hodie Picardiæ, Campaniæ, Normandiæque (e quibus tamen poſteriores duæ veteri Belgica non in totum continebantur) vocabulo vulgo cognitis. quod ex iſto ſemiſſe eſt reliquum, id Lotharingiæ, Cliviæ Iuliacique Ducibus; Trevirorum, Moguntiaci, & Coloniæ Archiepiſcopis; Cameracenſi, ac Leodienſi Epiſcopis; aliiſque nonnullis principibus atque dynaſtis paret. Quemadmodum verò Cæſarianis temporibus (ne de remotioribus quidquam dicam) Belgia iſta belli totius ſummam ſuſtinuit, pluresque magnos & illuſtres viros, quam reliqua omnis Gallia, dedit: ita & hodie quoque melior eſt atque celebrior totius Galliæ pars. quod ipſum tribus potiſſimum argumentis conſtat. & primum quidem ab ipſius Cæſaris auctoritate duxerim. qui cùm toto fere decennio in Gallia bellum geſſerit, penitiſſime illam cognitam atque perſpectam habuiſſe putandus eſt. accedit huc & Strabonis, & aliorum quoque tum veterum, tum recentiorum ſcriptorum auctoritas. alterum argumentum, a generoſitate & præſtantia tot illuſtrium animarum, originem ſuam ad hanc Belgiam referentium, ſumitur. tertium denique a magnitudine

GALLIÆ BELGICÆ
veteris accurata descriptio
*amico colendo d.o P Bertio I Hondius D.t*

28
30
54
52
50
48
46
Το ανατολικον ϛομα
FRISII
Tubantes
Usipites
Germaniæ magnæ pars
Hic cæsus Varus
Λυγοδεινον caput Germaniarum
Phlarditinga
Germania
Γετερα
Λεγιόνλ
Lupia fl
Γλπια
Teutaburgensis saltus
Asciburgium
Novæsium
Καϛελλον
Geiduba
UBII
Inferior
Αγριππινήνσις
Ματτιακον
Mattiū Iaci.
Βωννα
Τραιανη λεγιων
Confluentes
ΜΕΝΑΠΙΟΙ
CENTRONES
Αυγοῦϛα
Mosella flu.
Bingium
Νοιομαγος
Μοκοντιακον
EBURONES
ΤΡΗΒΙΡΟΙ
Ρουφιανα
ΜΕΔΙΟΜΑΤΡΙΚΕΣ
Βορβετομαγος
Silva Arduenna
Διονοδουρον
Nava fl.
Superior
Αργεντορατον
Νασιον
Βρευκομαγος
Ελκηβος
Τουλλον
Αργεντουαρια
ΛΕΥΚΟΙ
Vogesus mons
RARACI
Αυγοῦϛα
ΩΝΕΣ
Ιουρασσος ορος
Διδαττιον
Γισοντιον
Εκου εϛις
Ανδοματυνον
ΣΗΚΑΝΟΙ
Germania
ΕΛΟΕΤΙΟΙ
Αυαντικον
Γαννοδουρον
Lemannus Lacus
Φορος Τιβηριυ
Rhodanus
Αδουλας ορος

tudine rerum in eâ tum inventarum, tum & geſtarum. quæ omnia partim hodie quoque in oculos noſtros incurrunt, partim è Scriptoribus eſt haurire. & abunde inſuper, ſuis quæque deinceps locis, a nobis explicabuntur. Sunt, in hac veterum Belgia, trecenta fere & viginti oppida, muris ac mœnibus cincta. & inter ea complures pulcherrimæ urbes, quales, Lovanium, Bruxella, Antverpia, Buſcumducis, Gandavum, Brugæ, Ipræ, Mechlinia, Cameracum, Atrebatum, Tornacum, Montes, Trajectum ad Moſam, Luxemburgum, Valentianæ, Inſulæ, Caletum, Colonia, Ambianum, Fanum Sancti Quintini, Deodicum, Namurum, Rhemi, Treviri, Metis, Nancæum, Tullum, Virodunum, Argentina, Moguntiacum, Aquiſgranum, Colonia, Clivia, Iuliacum, Noviomagum, Vltrajectum, Amſtelrodamum, Middelburgum, Leovardia, Groninga, aliæque non paucæ, quarum uberior deinceps fiet mentio. quin Rhotomagum quoque, atque adeò melior ipſius Pariſiorum Lutetiæ pars, ea nimirum quæ cis Sequanam eſt, hac Belgia continentur. Sunt verò hæ urbes omnibus omnino dignitatum nominibus exornatæ, Imperiali nempe, atque Regia, Ducali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, necnon Marchionatuum, Comitatuum, Baroniarum, aliorumque honorum & præeminentium graduum titulis. Habet inſuper idem tractus ducenta circiter & triginta oppida, non ipſa quidem muris atque mœnibus cincta, ſed pro qualitatibus ſuis ac facultatibus, muratorum (ut ſic dicam) oppidorum privilegiis & immunitatibus, quin & dignitatibus quoque gaudentia. habet ſupra duodena pagorum millia. ſcatet undique infinito & incredibili incolarum multitudine. habet complures, eoſque celebres admodum atque auguſtos fluvios, inter alios verò Rhenum, Moſam, Sequanam, Scaldim. maximas quoque & pulcherrimas ſylvas, inter quas Ardennam, quàm latè quidem is ſaltus patet, Carbonariam, Nonnam, Fagniacenſem & Sogniacenſem. ſed nec montes omnino deſunt, variorumque metallorum, & omne genus ſaxorum, ad architecturam requiſitorum, fodinæ. Habet, inter tot Illuſtriſſimos ſuos Principes, tres Sacri Romani Imperii Septemviros Electores, Trevirenſem videlicet, Moguntinum, & Colonienſem Archiepiſcopos. quamquam & Palatinus quoque Septemvir bonam hic

ditionis ſuæ partem poſſidet. Habet ſeptem e duodecim Pares Franciæ, quos Poetæ noſtrates dictitant Palatinos, Normandum nimirum, Flandrum, Campanum, Rhemenſem, Laudunenſem, Bavacenſem, Picardum, & Noviodunenſem. Aquiſgrani denique conſecrantur & inaugurantur Imperatores Romani: Rhemis Francorum Reges. Adſcribitur quoque, ceu peculiari cuidam honori, huic eidem Belgiæ, multarum memorabilium rerum inventio, & in primis typographiæ, ſive artis illius præclaræ libros formulis excudendi, Moguntiaci, vel (ut aliqui volunt) Harlemi primùm repertæ. inventio ſanè tam divina, ut niſi majoribus noſtris ea defuiſſet, neque temporis diuturni injuria, neque inſcitia barbarorum hominum, nos innumerabili librorum, aliorumque venerandorum in omni diſciplinarum genere monumentorum numero, fuerit umquam privatura. Tribuitur quoque Belgiæ cùm artis ipſius Muſices inſtauratio, tum variorum muſicalium organorum inventio. currus inſuper illi militares, Latinis eſſeda nuncupati, quorum crebra apud Cæſarem mentio, a Belgis inventi ſunt. canente in Georgicis & Virgilio,

*Belgica vel molli melius feret eſſeda collo.*

Et alicubi Lucano,

*Et docilis rector monſtrati Belga covini.*

Videtur covinus fuiſſe currus, ejuſdem ferè cum eſſedo generis. unde ſic eam vocem linguæ Theſaurus exponit, *Covinus eſt genus vehiculi, notum non Britannis modo, ſed Belgis etiam, & Germanis.* quod ipſum clarius quoque Calepinus interpretatur, docens covinum eſſe *vehiculum Gallorum, Britannorumque, apud Belgas primum repertum.* atque ad hoc exemplum inventa poſtmodum ſunt, cum in hac ipſa Belgia, tum & aliis paſſim locis, varia curruum adfabrè ſimul & commodè exſtructorum genera. manente tamen apud iſtos prototypo. Belgia inſuper, & in ea Brugæ, olei coloribus admiſcendi rationem omnium primæ pictoribus commonſtrarunt, rem ſanè præclaram, & tabulis tantumnon in æternum conſervandis inventam. vitro præterea quo pacto colores imprimantur & incoquantur, aliaque eodem pertinentia, & ſanequam admiranda, Belgarum inventum eſt. & hinc ſplendida illa cùm in ædibus ſacris, tum & profanis ædificiis ornamenta. Inventrix eſt eadem Belgia & aulæorum,

læorum, ſive tapetes dicendi ſunt, tam pulchrorum, tamque varie picturatorum: tùm ſubſericorum quoque, quos ſaeyen / oſſetten & halfoſſetten vulgò appellant pannorum, item amphimallorum, & ne ad minutiora deſcendamus, varii generis atque uſus telarum. Quod verò familiam ducit, maximeque notatu dignum eſt, iidem Belgæ (ut qui frequentius multo quam cæteræ omnes nationes maria pervagantur) ea principes impoſuere ventis vocabula, quæ tranſalpinis, ut eas Itali vocant, nationibus, hodieque iiſdem planè vocibus atque terminationibus uſurpantur. quod vel ex ipſis vocabulis, propria meraque Belgarum lingua compoſitis, abunde probatur, quæ, ut omnibus ſatis nota, enumerare ſuperſedebimus. Nec tamen nauticæ pixidis inventionem (licet nonnullis id adſtruentibus) Belgis adſcripſerim. quoniam hujus rei, non admodum ſane antiquæ, nec Romanis veteribus cognitæ, certus tamen inventor non exſtat. tradit quidem nonnulla ſuper hoc inſtrumento doctus ille atque induſtrius ſcriptor Frater Leander Albertus Bononienſis: qui hoc ipſum inventum, & primum adeo magnetis in dirigendis navigationibus uſum, Amalpho adſcribit, nobiliſſimo regni Neapolitani ad mare inferum oppido, idque quantum equidem poſſum conjicere, nec enim ipſe ſatis ſe explicat, a quingentis, vel & paucioribus annis retro. utut ſit, ipſum inventum, ob inſignem ex eo ad totum genus humanum redundantem utilitatem ſimul & commoditatem, triumphali ſane corona dignum eſt. Equidem facilè patiar Belgas noſtros haberi horologiorum illorum, quæ tranſalpina vocamus, inventores: cum, præter alias rationes ab ipſis adferri ſolitas, magno & plane veriſimili argumento ſit, quod egregii ſint eorum ad quamcunque formam fabricandorum artifices, quodque frequentior in hac una Provincia eorum uſus ſit, quam in reliquo omni orbe. unde & hinc in omnes paſſim oras horologia illa exportantur.

Sed enim liquido conſtat, eam Belgiæ portionem, quæ ſub ditione Philippi Regis eſt, quamquè nos ſumpſimus deſcribendam, potentiorem etiam nunc, bellicoſiorem, civilioremque & nobiliorem eſſe reliqua omni Belgia. idque duabus potiſſimum de cauſſis: altera, ob tot Imperatores, Reges, Duces, & Marchiones, quin &

ipſum interdum Romanum Pontificem, alioſque cùm imaginibus tum virtutibus inclytos viros, in hiſce partibus (ut ſuis poſtea locis commemorabitur) natos: altera vero, ob tot luculentas urbes, denſiſſimoſque & incolis refertiſſimos pagos, viatoribus paſſim hic occurrentes. unde non tam amplitudine atque circuitu, quam opibus & potentia, cæteriſque qualitatibus & proprietatibus, magnis etiam regnis æquiparanda eſt. Gnarum id Carolo V Imperatori; qui propterea non animo tantum conceperat Provincias haſce in regni formam redigere, ſed idipſum quoque conceptum non ſemel in Senatu propoſuit, diſcutiendumque commiſit. ſed cum multa hic inveniret obſtacula, non ſolum (ut exiſtimant alii) propter ponderum, menſurarum, conſuetudinum, legum, ac linguæ in tam variis tamque particularibus regionibus diverſitatem: verum in primis, quod cum ſingulæ Provinciæ ſeparatim, ſuiſque prærogativis, legibus municipalibus, & antiquis privilegiis gubernentur, noluiſſent, eæ præſertim quæ majoribus gaudent immunitatibus, regioſeſe & communi jugo ſubmittere: quod tamen ad uniendum vereque conſtituendum regnum vel in primis requiritur. Diſtinebatur præterea Imperator graviſſimis per id tempus expeditionibus. quocirca rem reliquit infectam.

Portio iſta Regis Inferiorum regionum vocabulo fere innotuit: ab humili nempe atque plano earum ad Oceanum ſitu. vocatur quoque ſynecdochice, per univerſam ferme Europam, Flandria, idque ob ejus Provinciæ potentiam atque ſplendorem: non aliter quam tot illæ terræ, quas hodie Galliarum Reges in ampliſſimo illo regno ſuo poſſident, à nobiliſſima ſui parte, Francia paſſim vocantur. quamvis ſint, qui contendant, vocabulum ipſum Flandriæ, à frequenti exterorum in ea quondam Provincia mercatorum commercio, derivatum, atque inde in omnes partes diffuſum. alii rurſus, quod hæc ipſa Flandria, ſtrictius ſumta, Gallis, Anglis, Hiſpanis, atque Italis ſit vicinior, ideoque & notior ſimul & celebrior, totam Belgiam eo nomine indigetatam perhibent. Dicitur quoque Germania, ſive Allemannia inferior: ſed extra veterum tamen limitationem. qui præter Friſiam, & alia quædam paucula, omnes haſce Provin-

cias comprehendebant ſub nomine Galliæ. verum recentioribus ita viſum eſt, & ut eximius ille Coſmographus, Gemma Friſius, alicubi ſcribit, noſtro ſæculo Inferiori Allemanniæ concenſeri obtinuit, eò quod neque lingua neque legibus & inſtitutis bona iſtorum pars à cæteris Allemannis admodum differant.

Porro prætermiſſa regionum iſtarum forma, quæ cum adeo ſit exorbitans, fieri nequit, ut ullis verbis idonea aliqua ſimilitudo ipſis applicetur, progrediemur ad deſcribendum earum ſitum & limites, referemuſque nos hac in parte ad Geographicam in ipſa ſtatim operis hujus fronte collocatam delineationem. qua mediante, non iſtarum modo Provinciarum, ſed & Belgiæ totius forma, una cum terminis ſuis atque confiniis, in compendio ſpectanda proponitur: adeo quidem, ut ex hac ipſa tabula, cum ſequentibus ſtatim verbis noſtris conjuncta, ſcopum & inſtitutum noſtrum quivis intellecturus ſit. D. Michaël Aitſingerus Auſtriacus, poſt alteram operis hujus editionem, in hiſtoria ſua Belgica, judicioſe admodum & concinne (licet argumento ſuo nonnihil indulgens) leonis huic tractui formam adſignat, aptiſſima ſimul & feliciſſima quadam alluſione. quandoquidem omnes fere hujus tractus Provinciæ, earumque inſigniores urbes, leones diverſis coloribus pictos in inſigniis ſuis oſtentant. quæ quidem inſignia unanimiter ſibi adſciverunt, cum famoſiſſimi illius Godefridi Ducis Bullionenſis tempore tam frequentes in Orientem adverſus infideles expedierunt exercitus, anno (ut quidam volunt) a Chriſto nato 1096. ut alii 1178. conferentibus ſe ad tam ſanctas expeditiones ipſo Imperatore, ac Galliarum & Angliæ Regibus, & numeroſiſſimos, tantaque majeſtate & magnanimitate dignos exercitus, ſecum una ducentibus. Sed revertor ad ſitum: dicoque, ad ſeptemtrionem proprie ſpectare Hollandiam atque Friſiam, urramque Oceano terminatam. ad meridiem Luxemburgenſis ducatus eſt, Lotharingiæ confinalis: tum & Hannonia, quam Campania Picardiaque terminant. ab ortu eſt Geldria, flumini Rheno conjuncta; & Brabantia Moſæ contermina. ab occaſu, Flandria, mari Oceano, eaque Artheſiæ parte quæ Picardiam reſpicit, clauſa. Continetur vero totus hic tractus ſeſqui circiter climate, a medio nempe ſeptimo, quod

per Boryſthenem dicitur, uſque ad octavum, Ptolemæo fere inhabitabile creditum, recentioribus vero per montes Riphæos dictum, pæne completum. Longitudinem habet graduum ſeptem & ſemis, ab gradu nimirũ 22 gr. 30 m. uſque ad 30. Latitudinẽ graduũ quinque, ab initio 50 uſque ad 54 exactum. quod intervallum, computata pro climate ſemihora, horæ fere dodrantis differentiam efficit, idque in artificiali dumtaxat die, qui pro climatis ſui ratione vel augeſcere ſolet, vel minui. minimè autem, licet quidam id tradant in naturali. is enim a polo ad polum ubique ſibi æqualis eſt, & 24 horas complectitur. Non poteſt autem ob eandem formæ exorbitantiam, certum aliquod ſtatui hujus Belgiæ meditullium. nos tamen pro minus obliquo maximeque notabili loco ſumturi ſumus celeberrimam urbem Antverpiam, ſub grad. 26 minut. 42 longitud. latitud. vero 51 gr. 30 m. poſitam. unde cum altiſſime iſthic ſupra horizontem adſcendit Sol, (puta 12 Iunii) elevatur gradibus circiter ſexaginta tribus & ſemis, & horas plus minus ſedecim cum dimidia ſupra horizontem diſcoopertus eſt. quia verò, dum hemiſphærium hoc manè ingreditur, & veſpere præcedenti ſub alterum hemiſphærium occidit, diutiuſculè (ut analogicè docet ſphæra) circa horizontem moratur, fit, ut quamvis conſpici ipſe deſinat, claror tamen illius, quantus quidem epiſtolæ perlegendæ ſufficit, tanto temporis ſpatio fulgeat, ut viginti, & quod excurrit, horas dies illa dici poſſit durare. contra vero decima die Decembris, non elevatur niſi ad gradus viginti ſex cum dimidio, & horas fere ſeptem & ſemis ſupra horizontem conſpicitur. relucentè tamen & ante ejus exortum, & poſt occaſum, quia perpendiculariter valdè horizontem adſcendit, atque deſcendit, nonnullo ad aliquod tempus ſplendore, licet ipſe ex oculis evanuerit.

Atque hic quidem ſitus, ſiquis rectè perpendat, majori præcipuarum Europæ terrarum parti, ſane peroportunus eſt. nam ad ſeptemtrionem quod ſpectat, non niſi quinque vel ſex dierum itinere diſtat ab Dania, quicum plurima nobis intercedunt commercia. ad meridiem Franciæ Lotharingiæque perpetuo nexu adhæret. ad ortum terminatur Germania. ad occaſum vicinam habet Britanniam, in quam paucarum horarum ſpatio trajicitur.

tur. eadem ſere de Hibernia ratio. Norvegiæ inſuper, Sueciæ, aliiſque ad Septemtrionem Oceano adjacentibus terris, mediante navigatione, ſitus hic commodiſſimus: ſiquidem bidui intervallo ex Hollandia ſolvens navis, recto curſu, & valido vento in Norvegiam appulit. Hiſpaniæ quoque & Luſitaniæ non minus eſt opportunus. Olyſſippone namque decem, & eo minus, dierum itinere in has oras trajiciunt: ex Hiſpania vero ſex, octo, decem, duodecim, quindecimve dierum iter eſt, pro portuum, unde ſolvitur, qui plures, & varie ſparſi ſunt, ratione. Atque hinc etiam eſt, quod præter præſtantiſſimam illam noſtri Regis, qui Caroli V Imperatoris exemplo, hic ut plurimum (licet poſtea demutaverit) commoratur, duas habeamus nobis vicinas, Galliæ nimirum atque Angliæ Regum, aulas, unde commoditatis ſimul & utilitatis plurimum nobis provenit.

Ambitus Inferiorum Provinciarum, computatis & comprehenſis omnibus huc ſpectantibus, noſtro quidem calculo, quinctam Italiæ partem nonnihil excedit, eſtque mille plus minus milliarium Italicorum, vel (ſi ita quis malit) trecentarum & quadraginta leucarum Belgiæ. Sed priuſquam pergamus, annotandum eſt, quo exactius capiamur, duo potiſſimum eſſe leucarum genera: alterum Flandricarum, quarum ſingulæ terna fere Italica milliaria continent; atque his quidem utuntur ea Flandriæ pars, quam Flamingantem indigetant, tota fere Brabantia, pars Hollandiæ, Zelandiæ, diœceſis Leodienſis, & Namurenſis. In Ducatu Luxemburgenſi aliquanto majores ſunt. Geldricæ Luxemburgenſes etiam ſuperant. longiſſimæ autem ſunt in Friſia, ubi inſtar Germanicarum, quina ſingulæ vel & ſena milliaria continent, nonnumquam & excedunt. Alterum genus eſt Gallicarum, quarum ſingulas binis fere Italicis reſpondere vulgo exiſtimant. atque his utuntur in Flandria Gallicana, in Artheſia, & majori Hannoniæ parte. Monemus præterea vix facturos nos ullam deinceps milliarium mentionem, cum eorum hic non habeatur ratio: ſed nec repetituri ſumus Flandricarum Gallicarumve leucarum diſcrimen. quod ſuperfluum id & faſtidii plenum ſit. ſatis ergo habebimus indicare tot vel tot leucas, eaſque intelligi, ejus generis, quo utuntur Provinciæ, quas ordine deſcripturus ſum. quæ cujuſmodi ſint,

jam ante dictum est. Continentur hoc terræ tractu septemdecim illæ paulo post recensendæ Provinciæ. in quibus ducenta & octo numerantur oppida muris cincta: tum centum & quinquaginta circiter loca, quæ ob egregias suas qualitates habentur pro oppidis,& iisdem cum illis gaudent immunitatibus:& sexies mille trecenti,& quod excurrit pagi, turribus & campanis insignes, præter ignobiliores aliquot viculos. sunt præterea infinitæ tum Principis, tum aliorum quoque Toparcharum atque nobilium dynastiæ, civilem pariter & criminalem administrantes justitiam. Denique sexaginta sunt arces, valideque adversus hostiles insultus munita ditionis hujusce propugnacula. quorum suus cuique, regio nomine, peculiaris est Gubernator, & præsidiarius miles, qui pro temporum atque locorum ratione, vel minui vel augeri consuevit.

Aër ipsius terræ, licet crassior & humidior, est tamen (ut & Cæsar testatur) & salubris simul, & digestioni admodum proprius, ac generandis cujuscunque generis rebus vel in primis idoneus. quin videtur is, omnium sane judicio, sive id accrescenti in dies habitationum & incolarum numero, aëra (ut Venetiis fit) varie purgantium, sive remotiori alicui caussæ adscribendum sit, videtur inquam, a triginta vel quadraginta annis retro, benignior multo atque clementior factus, quam superioribus paullo temporibus esse consueverit. adeo quidem, ut nisi indigenæ in victu essent immoderatiores, ac morbis correpti curam sui negligerent, futuri sint multum longævi, & pro eo quod pauci hodie ad senectutem pertingant, pauci contra acerbo fato extinguerentur. cujus rei exemplum Brabantiæ nobis Campania suppetit, ubi agro natura sterili, parce viventes ac laboribus sese defatigantes agricolæ, diutissime vivunt.

Iucunda hic valde & peramœna est æstas. quia, ut reliquas ejus qualitates omittam, calores non nimis intensi, nec muscæ culicesve naribus multum infestæ. excipio, in Zelandia, ubi ingens earum copia. rara hic sentimus tonitrua, rara fulgura, fulmina vero longe rarissima, sed nec terræ motus hic nimis noti, quod humiditas cœli, & soli aquis vicini humilitas id videlicet non permittant.

Longior fere ac ventosior hiems est, & Borea, Hyperbo-

perborea, Euro, vel & Vulturno ſpirantibus, frigidiſſima: flantibus vero quatuor hiſce oppoſitis ventis, qui (notante & Cæſare) totum pænè anni dodrantem regnum hic poſſident, frigus in pluviam fere convertitur.

Solum ubique eſt planum, & in quo paucos admodum videas colles. montes vero etiam pauciores. niſi quod in Ducatu Luxemburgenſi, Provincia Namurenſi, & Hannoniæ aliqua parte, ſatis crebri occurrunt, ut & in tractu Leodicenſi. Eſt præterea ſolum multis in partibus ſabuloſum, ut in Flandria Flamingante quam vocant, & Brabantiæ pluribus locis. univerſim tamen (ſed pro regionis cujuſque ingenio, parcius, largius) laudabile ſimul atque fœcundum eſt, imo tritici aliarumque ſegetum alibi feraciſſimum, ut in Flandria Gallicana, Artheſia, Hannonia, Zelandia, & Leodicenſi epiſcopatu. quin & Geldria fruges ubertim gignit. Seritur vero iſtis frumentum toto fere menſe prius, quam bonæ Italiæ noſtræ parti. incipiunt enim plærique ſementem facere medio menſe Septembri, quo videlicet prius emergat granum, quam ſuperveniant grandes illi & denſiſſimi imbres, aut nonnunquam & gelu, quod præmature hic incipit, tandem admodum deſinit. ſerunt tamen & Martio menſe non exiguam tritici quantitatem. ſecale, cujus magnam hic metunt copiam, eodem fere cum tritico tempore, vel paullo ante ſolo committitur. cæteras vero fruges magna ex parte tardius aliquanto ſeminant, quam noſtrates: & avenam quidem eodem Martio, hordeum verò Aprili jam inclinante. expectantes nimirum & hic, dum tranſeant imbres, & a gelu non ſit periculum, nec propterea tamen timentes, utut tarde hæc ſeminent, ne inſano aliquo æſtu vel adurantur, vel evaneſcant. Triticum modo, ſecale, avenam, zeam, atque hordeum norunt. leguminum fere expertes, niſi quod fabas tamen habent & piſa, ac pauculas quaſdam vicias. ſaginam, milium, panicum, quod ea decutiat atque perdat ventorum vis, pæne ignorant. habent vero aliud quoddam ſeminii genus, quod boechwept ipſi indigitant, ejuſdem fere cum ſagina coloris & magnitudinis, ſed forma triangulari, & ſagina præſtantius. colligunt hoc ubertim in uſum jumentorum & gallinarum. ſed exigente neceſſitate fiunt ex eo cum panis, tum & cervifia. eſt enim ejus farina tam præſtans & candida ut cum

aliorum frumentorum farina eam sæpe commiscean[t]
Maturatur verò hic segetum omnium fructus, pro cœli. ratione, aliquanto quam in Italia tardius, idque sola caloris inopia. nec tamen nostrati præterea quidquam cedit, tritici quidem adspectu. quin alicubi etiam superat. Neque vero prætermittendum est, terram hanc nostra in genere leviorem esse & molliorem. ideoque equis fere arari, non ut apud nos bobus. nisi quod in Brabantiæ tamen Campania bobus quoque arari solemne est. quos, cum annis aliquot usi sunt, saginare, ac deinde mactare solent, & vesci.

Gignit insuper tellus varia arboreorum fructuum genera, pyra præsertim, mala, pruna, cerasa, etiam ipsi Plinio, & quidem cum laude commemorata, mora, persica tam præcocia, quam serotina, juglandes, avellanas, mespila, ac nonnullibi & castaneas. sed enim isti fructus, malis tantum & pyris, quorum innumera fere sunt genera, quæque optima sane, & vel in integrum annum adservantur, exceptis, non sunt eo planè sapore ac gustu, quo in Italia, præditi: eo quod sufficienti calore destituti, ad perfectionem illam raro pertingant. amygdala, ficus, & similes fructus hic ægrè proveniunt, calore nimirum nec ipsis, nec oleis quoque, aut Medicis, citreis, Punicis malis, aliisve nobilioribus fructibus satis propitio. qui ex Hispania tamen & Lusitania, beneficio maris ac navigationis, adfatim nobis omni propemodum tempore suppetunt. Inveniuntur præterea satis multæ in oppidis passim & pagis varii generis vites. in agris vero, ob eumdem caloris defectum, pauciſſimæ. circa Lovanium tamen, & Namurum, in agro Luxemburgensi & Leodicensi hic illic occurrunt, & quidem satis feraces, adeo ut & vinum aliquod reddant, licet exile & subausterum, ob uvam non satis percoctam. verisimile tamen est, cum isti hodie, magis quam ullo antehac tempore, in agricultura dediti, minusque sumptuum parci sint, brevi in aliis quoque situ ad hoc idoneis locis, vites & vinum enasciturum. maxime cum & Bruxellis, & Diesthemii, & in Antverpiæ quoque confiniis, laudabili satis successu nonnemo id jam tentarit: cumque in multis Germaniæ locis, & nominatim in agro Colonienſi, ubi nihilo quam in potiore Provinciarum istarum parte remissiora sunt frigora, vinum abunde proveniat. Arbo-

res

res ad materiem, puta quercus, robora, fagos, fraxinos, cerros, platanos, populos, aliasque complures, passim hic invenire est, & quidem eximiè altas crassasque, ac tam ad ædificandum, quam ad comburendum idoneas. paucæ sunt lauri, pauciores cupressi, pini & abietes prorsus nullæ. sed harum vicem maxima est cujusdam arborum generis copia, quas ipsi linden/ Latini tilias dicunt, forma & fronde ulmis adsimiles, nisi quod hæ altiores, & citius crescunt, adeo quidem ut sedecim vel octodecim annorum spatio in eam excrescant crassitudinem, quantam vir cingulo suo ægre circumdet. gignunt eædem & flosculos quosdam candidos & suavissimum odorem spirantes, absque alio prorsus fructu. lignum fabris non aspernabile. ex quo & carbones fiunt pulveri tormentario conficiendo idonei, & salignis longe præstantiores. habet vero hæc arbor inter lignum & exteriorem corticem lanitii quoddam genus, cannabi non absimile, unde restes fiunt & funes. sed enim ejus frondes, utcumque molles ac teneræ, nulli omnino animalium gratæ. Nascitur quoque in Arduennensi præsertim saltu, arborum, quas Latini taxos, Galli If nuncupant, ingens numerus. quæ & inter Namurum Hujumque satis frequentes. Similis plane est hæc arbor abieti, vel potius ex abietum genere. fiunt ex ea potissimum hastæ. & arcus non minus pulchri, quam boni. & conficitur ex ejus succo præsentaneum illud toxicum, quo Rex Cativulcus, omnibus precibus detestatus Ambiorigem & ejus consilia, desperabundus se interemit, teste in Commentariis Iulio Cæsare. Videamus vero ecquid de hisce arboribus, tilia nempe & taxo, in Georgicis canat Virgilius.

*At myrtus validis hastilibus, & bona bello*
*Cornus: Ithyræos taxi torquentur in arcus.*
*Nec tiliæ leves, aut torno rasile buxum,*
*Non formam accipiunt, ferroque cavantur acuto.*

Est hic & peculiare quoddam arboris genus, quod alibi haud facile quis reperiat. Indigenæ Abeelen plurativa voce appellant, & videtur populi albæ species. has copiosè gignit Brabantia, suntque magni in ea, & nominatim Bruxellis, ad varia utensilia usus.

Crocum, cujus quidem haberi debeat ratio, aut aromata cætera regiones istæ non gignunt, sed neque me-

dicinales quas vacant herbæ, aut earum radices ea hic pollent vi ac facultate, qua ſub temperato magis apud nos cœlo. quocirca, ſiquando iis utendum eſt, pro qualitatis ſuæ ratiane majori ſumendæ ſunt quantitate. nec ad varia tamen medicamenta variæ deſunt plantæ venenoſæ, & in tertio quoque ac quarto gradu calidæ frigidæve, cujuſmodi ſunt lycoctonum, vulgo cuculla monachi, flammula pratenſis, ſolanum lethale, cicuta, & quædam aliæ. leguntur hic itaque & legi poſſent aliæ quoque innumeræ herbarum medicinalium, tum calefacientium tum refrigerantium atque laxantium ſpecies. velut quotidiana eorum qui huic ſtudio dediti ſunt docet experientia. exemplo ſit vel hoc ipſum Antverpienſe territorium. nam extra portam Divi Iacobi, loco vulgariter Boſgerhout/ ſitus eſt nobiliſſimus ille hortus Magiſtri Petri Coudenbergii pharmacopœi, hominis docti atque induſtrii, in quo ultra complures ſimplicium ordinariorum ſpecies, quadringenta & eo plura inveniuntur exoticarum herbarum genera, quas ille ſumma diligentia nec minore impendio undecumque conquiſivit, & in hortum hunc contulit. Poſſidet quoque, altero fere a Brugis lapide, territorio Moerkerckano, Carolus Sanctomerus, pagi ipſius toparcha, nobiliſſimus ſane vir, hortum prorſus mirabilem, & in eo innumeras rariorum ſimplicium ſpecies: ut omittam ſexcentas inibi inveniendas elegantias, loco ac Domino illo dignas.

ADDITAMENTVM. [*Eſt & Lugduni in Batavis nobiliſſimus ille hortus, quem Academicum vocant, exercitio & oblectationi dicatus eorum qui operam dant Medicinæ, ac Fœderatorum Ordinum ſumtibus, omnibus quotquot haberi potuere ſimplicibus abunde inſtructus, facientibus celeberrimo illo Herbario Carolo Cluſio Atrebatenſi, & Theodoro Clutio Harlemenſi, Ordinum eorundem juſſu ad id deputatis.*]

Olera vero atque herbæ, quarum in acetariis, aliiſve menſarum deliciis uſus eſt: tum & varii generis bulbi atque radices, pulchriores hic ſunt, & fortaſſis etiam meliores, quam in Italia. ſunt & cucurbitæ, cucumeres, cardui altiles, aſparagi, & id genus hortenſia. omnigenæ inſuper roſæ, ac flores, pulchritudine ſimul & virtute præſtantes. habemus quoque ſuo nonnunquam tempore & pepones, ſive melones dicendi ſunt, mediocriter bonos. Quarum quidem herbarum atque hortenſium,

ſium, ſicut & fructuum ſupra commemoratorum maximam partem, Italis iſti nominatim ferunt acceptam, qui temporis lapſu eas huc importarunt, & una cum aliis elegantiis, quas ante non dabat tellus, enutrierunt.

Nulla hic, ſaltim in frigidioribus terræ partibus, animalia venenoſa. nullæ viperæ, aſpides, aliave ſerpentium Italiæ familiarium genera. non lacertas, non itelliones, non ſcorpios, aut id genus beſtiolas hic invenire eſt. niſi ſi æſtus forte & calores præter modum ferventes, ac plus ſolito diuturni. tunc enim caſu nonnunquam fit, ut aliquid tale compareat, at inefficax tamen ut plurimum atque innoxium. In Hollandia vero, Zelandia, aliiſque ubi uſtilis ille ceſpes effoditur partibus, & in vaſtioribus illis ſylvis, colubri quoddam genus invenitur, aſpidi non abſimile, addereu ipſi nuncupant, venenoſum admodum & malignum. bufones præterea, & lacertæ quædam aquaticæ, veneno imbutæ, non deſunt. quemadmodum nec hirudines. Ad pharmacorum vero confectionem & conſimiles uſus, adfatim huc venenorum exoticorum importatur: adeo quidem ut & theriaca, & mithridaticum, Orientis exemplo, hic confici ſoleant.

Agri & prata in majori regionum iſtarum parte proſpectu valde amœno ſunt, propter denſas & in quincuncem digeſtas arbores, & earum undique renidentes fructus: tum & pulcherrima, ac animalium gregibus refertiſſima paſcua, ipſis adeo noſtratibus, omnium fere judicio, pinguiora. quod cauſſatur (ni fallor) humoris terreni copia, ex humili terræ ſitu ſcaturiens, & ipſa paſcua majorem anni partem irrigans atque fœcundans.

Domeſtici atque cibarii pecoris omnia, bubalis tantum exceptis, genera regiones abunde ſuppeditant. boves in Friſia nominatim & in Hollandia vaſto ſunt corpore. & inveniuntur, qui communem modum in tantum excedunt, ut plus mille ſexcentas terræ ipſius libras, quarum ſingulæ conſtant ſedecim unciis, id eſt, bis mille, & quod excedit noſtrates, ſinguli ſæpe pendant. Quinimo donatus fuit Mechliniæ Comiti Hoogſtratano Friſius bos, ea magnitudine obeſitateque, ut bis mille quingentas viginti & octo Brabanticas libras penderet. cujus propterea, tanquam inuſitatæ cujuſdam rei, imago, in ipſa Comitis ejus Palatii porta, ad vivum depicta eſt,

eſt, addito donationis anno ac die, prout hodieque inibi eſt conſpicere. Verveces paſſim hic magni, & tum horum, tum illorum etiam carnes ea præſtantia, ut (excepta, quod boves attinet, Anglia, ubi fortaſſe perfectiores ſunt) ſibi, & antiquorum ſcriptorum teſtimonio, & palatorum hodiernorum guſtu, non habeant pares. vituli quoque, hœdi & agni ſatis hic ſunt laudabiles, nec tamen ad majoris Italicorum partis bonitatem accedunt. quod non alii cauſſæ ego adſcripſerim, quam quod præpropere nimis eos ablectent. Sunt vero omnia iſthæc pecorum genera, quadam cœli benignitate, adeo manſueta, ut nihil dici poſſit ſupra. ita quidem ut tauri ordinarios noſtros boves feritate vix ſuperent. ea præterea ſunt fœcunditate, ut in Hollandia maxime, Friſia, & parte aliqua Flandriæ, oves uno interdum partu ternos edant, imo quaternos fœtus: vaccæ, binos frequenter vitulos. reddentes adhæc tantam optimi caſei, ac melioris etiam butyri copiam, in Hollandia nominatim, ut vix videatur credibile. conſtat namque, unicam aliquam vaccam æſtate in ſingulos dies reddere octonos, vel & denos interdum lactis cantharos, ſive ut ipſi loquuntur menghelen / quorum ſinguli quidem quartario, ſive lagena Florentina, capaciores ſunt. adeo ut non ipſi modo Provinciæ, licet infinitam pæne lactariorum vim conſumenti, abunde proſpectum ſit: ſed magna quoque pecuniæ vis colligatur ex iis quæ in alias oras hinc exportantur. Caſei autem ovilli rarus hic uſus eſt, caprini etiam rarior. ſuperante nimirum utrumque, & bonitate ſimul & utilitate, vaccino.

Gignunt hæ regiones, & ſpeciatim Hollandia, Friſia, Geldria, Flandria, numerũ magnum equorum, vaſtitate ſimul & pulchritudine corporis, ac ſtrenuitate præſtantium, tũ ad uſus quoſcunque & prȩcipue bellicos, perquã idoneos: adeo quidẽ ut in concurſu aliquo atque impetu haſtatorũ ſuſtinendo fortaſſe non habeant pares. & ſunt tamen ut plurimum, exceptis magna ex parte Flandricis, cum tota corporis mole, tum capite maxime graves, ac duriores tractatu, & brevioris longe noſtratibus vitæ.

Lanę hic craſſiores, nec Hiſpanicis Anglicaniſve bonitate ullatenus comparandæ. in cauſſa eſt prȩter aëris craſſitudinem, nimia páſcuorum humiditas atque luxuries. unde fit, ut craſſiores, longiores & aſperiores ſint pecudum villi.

Non

Non generatur hic ullus ſal, neque alumen, aut ſulphur, præterquam in agro Leodicenſi. ſed nec alicujus momenti fodinæ ſunt, niſi ferri, plumbi, & cupri. ſed quod hac in parte natura negatum eſt, hoc largiter ſupplet incolarum induſtria. quorum virtus & vigilantia ita continuatim atque ubertim aliunde ſibi de talibus proſpicit, ut nulla plane cum harum quas dixi, tum nec aliarum rerum pænuria, quin potius ea paſſim ſit abundantia, velut infra in deſcriptione Antverpiæ latius commemorabitur, ut variæ quoque exoticæ regiones iſthinc eas quotidie fere petitum accedant.

Rubiam, ſive ut alii vocant garanzam tinctorum, tractus iſte producit, ea quidem luxurie, ut non ipſis ſolum indigenis, ſed & bonæ Europæ parti abunde ſufficiat. optimum inſuper, ſed pauciſſimum generat glaſtum; lini & cannabis maximam abundantiam.

*Præcipua tractus Flumina.*

IRrigatur hic tractus pulcherrimis ſimul & ampliſſimis fluviis. quorũ quinque præcipui, & veluti regii, in Oceanum influunt. Rhenus videlicet, Moſa, Scaldis, Agino, atque Amaſius. ſunt deinde & varii, velut minorum gentium fluvii. quorum præcipuos quoſque ordine poſtea deſcripturi ſumus. Nunc ad quinque priores.

Rhenus, omnium non Germaniæ tantum, ſed totius fere Europæ fluviorum, poſt Danubium, maximus, profluit gemino fonte ex altiſſimo illo monte, quem Ptolemæus atque alii veteres Adulam vocant, neoterici verò **der Fogelbirgh**/ licet propriè magis dicatur Mons Sancti Gothardi ab ædicula quadam, ſive ſacello, in eo exſtructo, & honori ejus Sancti dicato. Profluunt ex eodẽ hoc monte, in plura capita, ac velut membra diviſo, fluvii Rhodanus, Ticinus & Ruſſus. unde non ſine magna quadam admiratione, minori quam decem Italicorum milliarium ſpatio ſcaturire videmus quatuor auguſtiſſimos fluvios, qui inter ſe decuſſatim, & velut in modum crucis diviſi, in præcipuas quatuor mundi plagas procurrunt. Ac Rhenus quidem gemino illo alveo ad orientem ſolem contendens, quarta ſupra Curiam, urbem Epiſcopali dignitate inſignem, leuca coadunatur, atque

hic

hic unico alveo unicoque vocabulo contentus, ſtatim ſit navigabilis. Inde vero jam integer & ſuperbus, ad ſiniſtram deflectens, in arcum ſeſe contorquet, & veluti ſemilunam. atque hoc modo inter altiſſimos montes per ampliſſimam quandam vallem verſus Septemtrionem deſcendens, in vaſtum illum Conſtantienſem, ſeu Brigantinum, & hinc rurſus in Cellenſem lacum effunditur. unde convertens ſe ad occaſum, Rhenofeldiam invenit, & ſervato curſu nobilem illam Baſilæam perlabitur. hinc ad Septemtrionem rurſus convertitur, & luſtrato Briſaco curſum illum proſequitur, uſque dum Argentinam, teli dumtaxat jactu diſſitam, detegat. unde multos terrarum tractus, multa oppida prætervectus, variiſque tum majoribus tum minoribus Galliæ Germaniæque amnibus in alveum ſuum receptis, jam auguſtior atque ſuperbior, Spiram, Wormatiam, & Moguntiam pervenit. indeque ad Occaſum deflectens, Bingium prætterlabitur. unde ad Caurum converſus, relictis a tergo Confluentia, Bonna, Colonia, Lobecum Geldriæ locum allabitur. & hactenus quidem unico alveo contentus, nec in plures ramos diviſus eſt. Hinc vero in duo veluti cornua ſcinditur, unde Virgilio aliiſque ſcriptoribus dictus bicornis. quorum cornuum majus, ſeu lævum, ad Occaſum contendens, Walis deinceps, ſive ſcribente C. Tacito, Vahalis celebratur vocabulo, & Noviomagum, Tilam, Bomeliam prætervehitur, ſed Moſæ ad Herverdiam prius conjunctum. a quo tamen mox rurſus disjungitur. atque ita ſervato uterque proprio nomine, licet aliquo intervallo diviſi Loveſteinium tandem appellunt. ubi Vahalis illico nomen ſuum amittit, prout infra in deſcriptione Moſæ clarius demonſtrabitur. Cornuum Rheni minus, ſeu dextrum, ad Caurum contendit, ſervato fere Arnhemium uſque hoc curſu. ubi Druſus Nero, ævo Auguſti Cæſaris, cum vidiſſet, inter hunc locum & Iſalam flumen duas modo intereſſe Germanicas leucas, id eſt, decem vel circiter Italica milliaria, Iſthmo illo perfoſſo, laudabili, ſane ac admirabili opere, ampliſſimam illam & profundiſſimam foſſam, cui Druſianæ ab ipſo auctore nomen eſt, primis effecit, & ad Iſalam uſque perduxit, quo commodius ſcilicet Romanorum exercitus, ab uſque Rheno, per hanc ipſam foſſam, ac deinde per Iſalam flumen, in Flævum lacum, hodie

hodie dictum de Zuyderzee & in ipſum Oceanum, contra Friſios, Cheruſcos, alioſque Septemtrionales Germaniæ populos, ducerentur. unde Suetonius quoque teſtatur, hunc ipſum Druſum Oceanum ſeptemtrionalem primum Romanorum Ducum navigaſſe. Facta ergo hac foſſa, dexterum illud Rheni cornu, quamvis non ea qua olim aquarum copia, curſum ſuum ab inde Arnhemio verſus occaſum proſequitur, Vadamque & Rhenam, Geldriæ & Trajectenſis ditionis oppidula, prętervehitur. & hinc Batavodurum uſque progreſſum, jam inde ab anno Chriſti 860. vel ut alii volunt 1170. vehementiſſimis Oceani tempeſtatibus, quæ magnis arenæ montibus oſtium ejus obſtruxerant, prorupit in amnem Leccam, unde relicto veteri ſuo curſu, quo Trajectum, ut iſti aſſerunt, Woerdam & Leidam prætervehi ſolitum, amiſſo etiam proprio nomine, Lecca deinceps ab eo ipſo tempore cœpit audire. quo cognomento Batavodurum, Culemburgum, Vianam, Neoportum, & Schoonhoviam prætерlapſum, tandem ad Crimpam pagum exoneratur in Merwam. Sunt qui indigne ferant, quod Rhenus dicatur in Moſa nomen ſuum amittere. quinimo audent nonnulli adfingere ipſi adeo Plinio, aliiſque venerandis ſcriptoribus, quod in Oceanum eum perducant. cum liquido tamen conſtet, Cæſarem, Plinium, & C. Tacitum, licet ubi in genere agunt de Rheno, videantur in Oceanum eum perducere, ſpeciatim tamen de eo agentes, ſatis aperte teſtari, eum in Moſam ſe ſpargere. Cæſar lib. 4. *Moſa profluit ex monte Vogeſo, qui eſt in finibus Lingonum. & parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Walis, inſulam efficit Batavorum, neque longius ab eo millibus paſſuum lxxx in Oceanum influit.* Plinius lib. 4. cap. 15. *Ita appellantur oſtia, in quæ effuſus Rhenus, ab Septemtrione in lacus, ab Occidente in amnem Moſam ſe ſpargit.* Et Tacitus: *Nam Rhenus uno alveo contentus, aut modicas inſulas circumveniens, apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur, ſervatque vim & violentiam curſus, qua Germaniam prætervehitur, donec Oceano miſceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior affluens, verſo cognomento (Vahalim accolæ dicunt) moxque id quoque vocabulum mutat Moſa flumine; ejuſque immenſo ore eundem in Oceanum effunditur.* è quibus quidem teſtimoniis patet, antiquos, atque adeo illosipſos, qui injuria reprehenduntur, in eo convenire, quod

quod Moſa, recepta majori Rheni ipſius parte, & proprio regnans cognomine, Oceano miſceatur. quam ſententiam omnibus fere neotericis approbatam, etiam iſti inviolatè obſervant. ita patet ex ſcriptis eorum libris, ita ex tabulis geographicis, ſpeciatim vero ex eorum hominum obſervantia, qui loca ipſa controverſa proximi accolunt: adeo quidem ut propinqua iiſdem Hollandiæ pars, vulgari ipſorum idiomate, audiat hodie Maeſlandt/ idem ſonans quod terra Moſæ. Habet hactenus Rhenus duodecim permeabiles pontes, quorum primus Rineccæ, ultimus Argentinæ vicinus eſt. unde, quam diu integer is perdurat, ob immenſam videlicet latitudinem, nulli amplius in eo pontes occurrunt. Sed agamus hic tribus verbis de ponte illo ſtupendo, quem ſupra hoc tam latum, profundum, ac rapidum flumen, bis adeo exſtruendum curavit Cæſar, omnium, quorum hucuſque habeatur memoria, primus, qui id umquam aggreſſus ſit, nedum perfecerit. Dico igitur, poſt examinatam diligenter ipſius Cæſaris lib. 4 commentar. deſcriptionem, invenire me, duorum iſtorum pontium priorem quidem exſtructum fuiſſe in agro & territorio Trevirorum, prope Rheni ipſius & Moſellæ, non autem Moſæ, ut poſt docebitur, confluentem. nec enim dubitari poteſt, quin prælium illud inter Romanos & innumerabilem illum plus quam quadringentorum millium Germanorum, Vſipetum, & Tenchterorum exercitum, his quos dixi locis commiſſum ſit, cum videlicet tot illi homines, acti in fugam, perierunt in ipſo flumine, non autem, ut vel typographi vitio, vel alio quopiam errore loquitur textus, ad confluentem Rheni & Moſæ, qui multo ſane inferius, & in ipſis adeo Sicambrorum, ſeu Geldriæ finibus. cum & notum ſit, & ex ipſo palam auctore tabulaque appareat, quod Germanos illos, pluribus ante menſibus Rhenum, non procul mari, tranſgreſſos, poſt ſubactas longè latèque terras, tandem adortus ſit Cæſar in Trevirorum illo jam dicto tractu, & confiniis Rheni, è regione Vbiorum, qui (ut pridem innotuit) habitarunt vicina Coloniæ. loca. atqui omnes hi tractus, cis & trans Rhenum poſiti, longiſſime diſtant ab illius & Moſæ, ut notum eſt, confluente, juxta quem Rhenus jam in plures ramos diffuſus eſt, atque adeo nomen ſuum mutavit. Siquis autem adhuc ambigat, aut

aliquo

aliquo modo incertus sit, is legere pergat in sexto commentariorum libro, ubi asserit ipse Cæsar, pontem se paulum supra eum locum, quo antea exercitum transduxerat, exstruxisse. hinc enim clarè, & nullo prorsus scrupulo remanente cognoscet, pontes eos fuisse exstructos in propinquo confluentis Mosellæ & Rheni, quo loco hodie sita est Confluentia. atque ultra argumenta jam dicta, æquitati sane magis est consonum, ut credatur commissus in ipso textu syllabæ unius error, & Mosellam migrasse in Mosam, quam erratum in tota illa narratione, quam ita exactè, & quidem iterato gravissimus ille Scriptor proponit. Quid? quod quæstionem hanc verbis sequentibus solvit Strabo: *Post Mediomatrices & Tribocchos, Treviri juxta Rhenum habitant, apud quos Romani nunc pontem ædificant contra Germanos belligerantes.* Iam vero de pontis ipsius Cęsariani opere atque structura, præter institutum nostrum fuerit, si agamus prolixius. exstantibus maxime tot super eo scriptoribus, nec paucioribus interpretibus, a quibus forte genuinam ejus delineationem haurire sit, & ad quos ego me refero, satis videlicet habens demonstrasse, quonam proprie loco pontes illos tam novo exemplo, tamque stupenda prorsus architectura Cæsar olim exstruxerit. atque hæc de Rheno dicta sufficiant.

ADDITAMENTVM. [*Rhenus Embricam prætervectus velut in duos amnes dividitur, alter, servato Rheni vocabulo, Arnhemium recta contendit. inde Vadam, Rhenam, & Batavodurum. ubi verso cognomento Leccam accolæ dicunt, a Teutonica voce* Lecken/ *quod interpretetis perfluere, quod initio scilicet velut rivulus fuerit è Rheno derivatus, temporis autem successu mutatus in justum flumen, ipso genitore suo fere exhausto, quando is anno Christi 1360, aquarum superne defluentium alluvie, & Oceani eas repellentis violentia, coactus est ad hunc Leccam confugere, & Culemburgum, Vianam, Schoonhoviam prætorlapsus, per Merwam in Mosam sese effundere. adeo quidem ut, cum usque ad tempora Hungeri, undecimi Vltrajectensium post D. Willebrordum episcopi, Rhenus Vltrajecto transire solitus, ea qua diximus tempestate cursum suum mutasset, Vltrajectini, quo commodius ipsis adveherentur secundo Rheno è superioribus partibus necessaria, rivum coacti sint ex ipso Lecca deducere. atque hinc prima Isala, (non illius majoris, & quem supra memoravimus) sed alterius, cognomento Hollandica, unde*

*Iselsteinio*

*Iſelſteinio nomen, origo. Rheno deinceps Montfortium, Veteraquinum, & Goudam urbes praterfluente, & in Moſam iterum irruente. Licet autem Rhenus Vltrajecti deſierit fluere, ſupereſt tamen inibi alveus ejus vetus, priſco huc-uſque vocabulo nobilis. quo ipſo & Leidam uſque pertingit. qua per varias foſſas rigata, Cattovicum ſe confert, ubi oſtium ejus quondam fuiſſe exiſtimant, quod arenis obſtructum ſit.*]

Moſa profluit ex monte Vogeſo, quem Vademontium hodie nuncupant, juxta Montigniacum Regis, Gallice *Montigny le Roy*, in finibus Lingonum, non longe ab duorum nobilium fluminum Araris atque Matronæ fontibus: & arrepto verſus Septemtrionem curſu, prætervehitur Fanum Sancti Theobaldi, ubi incipit fieri navigiorum patiens. tranſit inde Virdunum. & hinc ad Caurum converſus, Muſonio pervenit Magetorriam, vulgo Maſieres. unde rurſus ad Septemtrionem deflectens, luſtrat Carolomontium, Bovinas, Dinantum, Namurum, ubi recepto Sabi, jam major, atque ſuperbior, ad Aquilonem convertitur, & Hujum ingreſſus, Leodicum & Trajectum, quod Moſæ vocant, perfluit. atque hoc modo Brabantiam a Geldria Cliviaque diſpernens, Stochemium, Maſacum, Ruræmundam, & hinc Venlonam ſe confert, ubi ad Septemtrionem converſus, ſervatoque ad tres leucas hoc curſu, rurſus ad Caurum ſe flectit, & Cuquio, Gravia, Raveſteinio, Mega luſtratis, ad Herverdiam Vahali ſe miſcet: nec amiſſo proptetea nomine, rurſus ab illo disjungitur, & ſeperatim uterque pervenit Loveſteinium. ubi facta Inſula Bommelerwerda, denuo conjunguntur, Worcomiumque & Gorichemium prætervecti, Merwæ cognomentum adſciſcunt, ac vaſto quodam & amplo ſinu feruntur Dordracum. ubi rurſus facta Inſula Iſelmunda, Moſa nomen amiſſum recipit. quo ipſo ampullans & furibundus, ea rapiditate in Oceanum influit, ut orbitam ſuam atque dulcedinem magno intervallo conſervet. quod quidem maximo nobis emolumento eſt. munit enim hoc ipſo veluti viam cum aliis piſcium generibus, tum ſturionibus maxime, ſive acipenſeres ii Latine dicendi ſunt. qui cum aquas adeo dulces, adeoque ſtomacho ſuo gratas in ipſo mari inveniant, ſuavitate illarum allecti, eouſque ſe ludibundi in fluvium penetrant, ut aquarum copia deſtituti, prædæ ſe tandem exponant, quo ſanè beneficio non fruuntur plurimi

rimi alii fluvii, qui leniter & sine ulla violentia in Oceanum influentes, cursum suum confestim abrumpunt, & salo fluctus suos contingunt. accidit hoc inter cæteros Gallico Sequanæ, Hispanorum Ibero, & Britanniæ Tamesi, aliisque compluribus licet vastis ampliſque fluminibus. è contrario Padus, Tyberis, Rhodanus, Garumna, Bætis, & alia quædam flumina, pari quo Mosa violentia prædita, eousque in mare prorumpunt, ut eumdem cum illo in Sturionibus attrahendis producant effectum, licet non ea qua ipse copia. quod videlicet non tam penitus sese mari insinuent, quodque mare nostrum mediterraneum Oceani tantum pars sit. Videntur præterea isti ab Mosa Sturiones, quos alii propter fluvii utriusque vicinitatem vocant Rhenanos, ut reipsa majores, ita & meliores nostratibus illis esse. color iis argenteus, & quam nostratibus clarior, magnitudo profecto tanta, ut inveniantur, qui ad quadringentas hic pendant libras, imo nonnumquam & superent. vidi enim ego his oculis in hoc Antverpiensi foro piscario sturionem, qui ad quadringentas viginti libras adscenderet, duodecim urbis pedes, id est, sex propemodum ulnas Florentiæ longus. porro alio quodam die vidi illorum ad septuaginta, quorum minimus esset quinquepedalis. occipiunt se sturiones isti ostendere in Hollandia, Zelandia, & versus Frisiam, initio statim Aprilis, duratque tres amplius menses piscatio, qua temporis intercapedine immensam eorum capiunt copiam; adeo ut in alias quoque complures Provincias, nominatim vero in Angliam, eos transmittant. condiuntur nonnulli & sale, quo a corruptione videlicet diutius præserventur. lapso autem illo piscandi tempore, capiuntur toto fere anno sturiunculi quidam minuti, sanequam delicati atque præstabiles. Suppeditat insuper nobis Oceanus per eundem hunc Mosam Salmones, & troctas, ex earum genere quas Itali *Salmonatas* nuncupant. quorum & ipsorum toto fere anno durat piscatio. succedunt his suo tempore & murænæ, succedunt alosæ. congri, mugiles, aranei, aliæque infinitæ excellentium piscium species, quorum nomina brevitati studens omitto. est autem notatu dignum, omnes fere hos pisces, si capiantur in ipso mari, macros plurimum esse & perquam exiles: statim vero ut aquas dulces ingressi sunt, saginari & meliores-

scere-

ſcere, idque eo magis, quo penitius ſeſe in eas ingurgitant. verbi gratia, ſalmones Coloniæ, quam Dordraci, præſtantiores ſunt. Moguntini rurſus antecellunt Colonienſibus, Baſilæenſibus cedunt. Gignit deinde hoc flumen ſua ipſius natura, inter varia piſcium præſtabilium genera, fluviatiles troctas, ſanequàm optimas, tum duûm generum murænas, alteras grandes & perexi-mias, alteras vero minutas, ſed neutiquam contemnendas.

Naſcitur Scaldis in Picardia, tractu Veromanduorum, juxta *Beaurevoir*, in vicinia Caſtelletti, ex monte, unde ſimiliter profluunt fluvii Somona & Sabis. eſtque dignum hoc ſane conſideratu, quod ampliores iſti fluvii perpetuo ferè (ut in Rheni Moſæque deſcriptione jam dictum eſt) naſcantur conjunctim, & propinquis inter ſe fontibus: cum tamen, ſecundum ſui naturam videantur potius alii ab aliis quam longiſſime diſpergendi. Scaldis itaque ſtatim a fonte ad Caurum properans, Cameracum inviſit. & hinc ad Aquilonem converſus, Valentianas præterfluit, ubi incipit fieri navigabilis. petit inde Condatum, & ſervato eodem curſu, receptoque fluvio Scarpa, alluit Fanum Sancti Amandi. unde ad Septemtrionem deflectens, Tornacum perlabitur. hinc Aldenardam, & hinc rurſus Gandavum, ubi recepto Livia ſimul & Liſa fluviis, ad Aquilonem deflectens, Teneræmundam ingreditur, & recepto hic Tenera, ſiniſtro cornu prætervehitur Rupelmundam, auctus è regione ejus municipii fluvio Rupela. unde elatior jam magiſque magnanimus, dextro cornu triumphalem illam Antverpiam leviter tangit, quam velut admirans & venerabundus, a capite uſque ad calcem, quàm longè ad ejus oram extenditur, forinſecus lambit rigatque. tandem directo ad Caurum curſu, dextra quidem Brabantiam, læva verò Flandriam prætervectus, Saſtingiam uſque, Flandriæ municipium, quatuor leucis Antverpia diſſitum, permanet indiviſus. atque hic mutato conſilio, in duos amnes dividitur. quorum alter convertitur ad Occaſum, & ſervato ad duodecim leucas curſu, mutatoque perviàm ſuo in Hontam vocabulo, inter Flandriæ Sluſam, & Walachriam Zelandiæ Inſulam, in Oceanum effunditur. alter ad Septemtrionem deflectit, & Bergozomium eminus præterlapſus, Zomam ibi torrentem

tem recipit, qui ab ea quidem parte claudit Zelandiæ terminos. atque hic iterum in duo veluti finditur cornua. alterum, cui Vosſemeyr nomen eſt, continentem radens, Tolam Zelandiæ prætervehitur, & una hinc circiter leuca in Merwam ſeſe exonerat: eodem ut paret curſu, quo juxta Cæſaris commentarios, atque ejuſipſius ſæculo, Scaldis in Moſam influxit. alterum cornu Zelandiæ inſulas variis veluti brachiis interſtinguit, & qua permanet violentius, in duas potiſſimum partes dividit, Orientalem ſcilicet, vulgo Oooſter Schelt / & Occidentalem, Weweſter Schelt/ accolis nuncupatas. inter quas, ad Oceanum ille contendens, curſum ſuum conſummat, amiſſo inter Scaldiam atque Walachriam nomine. Subit autem hoc ipſo Scaldi, cujus anfractuoſus valde meatus eſt, Gandavum uſque, id eſt, ad triginta & amplius ab oſtio ejus leucas, maris ipſius acceſſus. unde fit, ut ob Moſæ vicinitatem ſubeant una cum eo nonnunquam & acipenſeres multi ſalmones, troctæ ſalmonatæ, prægrandes murænæ, rhombi, congri, aloſæ, cuculi, araneï, paſſeres, ſoleæ non vulgares, mullī excellentiſſimi, locuſtæ ad miraculum bonæ, ſardæ, aliaque complura prẹſtantiū piſcium genera: qui inde ab ipſo mari tū ut ſuavius ſaginentur tum ut ova ſua commodius ponant ad has aquas ſe conferunt. aquas iis ſanè quā conducibiles, adeo quidē ut tribus illis partim vernis partim æſtivis menſibus, præter piſces illos majores, tanta quoque capiatur piſciculorum minutiſſimorum, & vix natorū adhuc abundantia, ut magnæ quotidie populi multitudini ſuſtentandæ ſufficiat. rem mehercule admirandam, & tantum non incredibilem. Ingrediuntur eodem flumine plurimi, & quidem valde eximii canes marini, tum & prægrandes ſimul & optimi turſiones. quæ duo piſcium genera non ſunt ex oviperis, ſed catulos ſuos pariunt vivos, & omnibus membris perfectos. canes quidem in terra, ubi tantiſper eos lactant, dum fiant grandiuſculi, id eſt, Plinio quidem auctore, uſque ad duodecimum diem. ſunt vero hi canes piloſi, ac horribili quadam voce, & calenti ſanguine prædīti, prorſus ut terreſtres, non autem aquaticæ beſtiæ. Gignit deinde hoc flumen, ſuo (ut ſic dixerim) Marte, & ſine ullo maris ſubſidio, toto fere anno durante, varia piſcium genera, inter cætera vero, eximie bonos pretioſoſque lucios:

mullos, ſeu barbos prægrandes. tum & medios, atque minutos: tincas; cyprinos, ſeu carpiones, ſanequam laudatiſſimos, ac ea nonnunquã magnitudine, ut viginti vel & triginta pendant libras: govios; varii generis paſſeres, aliaſque complures cum magnorũ tum exilium piſcium ſpecies. anguillas prẽterea decumanas, & valde eximias, ac non unius etiam generis: tum & minutiores, incredibili quadam luxurie. ut omittam tot prægrandium ſane cancrorum, locuſtarum, & cammarorum genera. ſed nec oſtrea (mari, fatendum eſt, prodeuntia) in faucibus fluvii prorſus deficiunt. quin tempus fuit, cum ubertim inibi caperentur. ſed enimvero ab annis 25 vel 30 retro, quibus aſperrima ſæpe regnarunt frigora, & continuas aliquot ſeptimanas duravit gelu, videntur ea hinc emigraſſe, vel longius ſaltim ab terra receſſiſſe, reverſura fortaſſis poſt aliquod tempus. interea vero fruemur iis, quæ ſtatis anni temporibus, id eſt, omnibus quibus R littera ineſt menſibus, ex Anglia nobis in dies advehuntur. Ita ut ſingulis recte perpenſis, Schaldis hic, beneficio atque ſubſidio maris, fluvius ſane ſit florentiſſimus, & piſcium quidem adeo dives, ac aliud quodvis Galliæ, vel & Europæ totius flumen. primus, quem ego quidem invenio fluminis hujus feciſſe mentionem, idque ſcriptis nobilitaſſe, Iulius Cæſar eſt, cui in commentariis dicitur Scaldis, quò nomine Plinio quoque & Tacito celebratur. Ptolemeo autem eſt Tabuda.

Agino, vulgo *Aa*, vel *Ha*, naſcitur prope Terrovanam, in finibus Morinorum, & arrepto in Caurum curſu, prætervehitur Fanum Sancti Audomari, unde Gravelingiam porro contendit, ubi, non procul ab eo loco, in quo magnum illud (de quo infra dicetur) inter Gallos ac Burgundos, anno Chriſti 1558 commiſſum eſt prælium, in Oceanum influit.

Amaſius, vulgo de Eems/ naſcitur in Weſtphalia, circa pagum, cui nomen eſt Viedeburgum, & in Caurum ſtatim contendens, præterlabitur Warendorpium. hinc Monaſterio urbi ſactus vicinior, Greviam, Rhenam, Elbergam, & Lingam leucæ triente ab ripa ſua diſtantem, Meppam, Heſſopium, Haram, Langium, Berſelium, Scarpenbergam, Reidam, Bachbantium, Metelinum, aliaque loca prætervectus, Iemercum tandem allabitur, locum accepta ab Comite Ludovico Naſſovio, anno 1568

1568 clade insignem. unde ad occasum conversus, magnum ex se efficit lacum, ad cujus dexteram situm est oppidum Embda, supra quod immenso ore in Oceanum Septemtrionalem effunditur.

Regiis,& velut majorũ gentium tractus nostri fluviis huc usque descriptis, ad Isalam tandem, qui & ipse pæne est inter regios, cæterosque deinde minores fluvios, ordine progressurus sum.

Nascitur ergo Isala in Westphalia & confiniis Cliviæ, juxta Rasseldiam. & ad Caurum inde contendens, prætervehitur Vlstam, Werdam, Hanoltum, Burgum, Deutecomium, Keppelam : unde Duisburgum porro allabitur. ubi nobilem illam Drusi fossam, cujus supra meminimus recipit. quæ quidem utriusque conjunctio in causa est, ut inde ab fonte huc usque celebretur veteris Isalæ cognomento. dehinc vero tot novis Rheni aquis jam auctior, ac veluti renovatus, Isalæ novi nomine passim innotuit. quo ipso ad Septemtrionem conversus Bronchorstium primum; hinc Zutphaniam prætervehitur, ubi recepto in alveum suum Berchela, Daventriam porro, Hattemium, denique Campas allabitur. atque hic magno se ore effundit in lacum Flevi, vulgo de Zuyderzee/ qui ingens Oceani septemtrionalis, inter Geldriam, Hollandiam, Frisiam, sinus est, decem & amplius leucas latus, quo omnes quotque sunt naves, Amstelredamo, aliisque Hollandiæ locis, varios versus Europæ tractus solventes, in Oceanum ipsum exeunt.

Mosella nascitur juxta flumen Rolandum, inter montes Vogesum & Novi-Castri, Basilæa haud procul. atque hinc arrepto ad Caurum cursu. Lotharingiam pæne mediam scindit, Remiremontio primum ingressus. Ciattam deinde, & Tullum urbem prætervectus, ad Aquilonem deflectit, ac Musonium prælapsus, Metim petit, inde autem intrans in terram Lucemburgensem, Theonvillam inibi lustrat. mox servato cursu, Siricum, Treviros, Bernocastrum, Trabacum, & Coanum appellit. tandem vero jam amplus ac violentior, ad Confluentiam, cui opido inde nomen est, quod illic confluant ista duo flumina, Rheno se miscet. Celebratur autem Mosella poëmate singulari ab insigni poeta Ausonio Gallo, digno sane, cujus vel ea causa legatur descriptio, quod asserat, non nisi Homerum aliquem, vel Ma-

ronem, dignè posse describere fluvii hujus laudes. Equidem, præter maximam illam voluptatem, qua me tot illæ dotes & facultates, flumini per naturam concessæ, perfundunt, quod videlicet adeo longo sinuosoque meatu tam pulchros tamque fertiles tractus intersluat, tot magnas claraſque urbes perviam alluat, tanta piscium, locustarum, cammarorumque excellentium copia scateat: præter has (inquam) dotes, animadverto, hunc ipsum scriptorem prolixam in primis densissimarum illarum & compositissimarum vitium vinearumque, tam grato & jucundo adspectu, in amœnissimis ejus ac viridantibus ripis, viatoribus occurrentium, facere mentionem. unde colligitur, jam inde ab eo tempore, & Valentiniani Augusti imperio, id est, plus mille ducentis annis, maximam eo tractu fuisse vitium copiam. quod digniſſimum sane notatu est. Hunc ipsum Mosellam, imperante apud Romanos Nerone, Lucius Vetus, teste lib. 13 annalium Tacito, parabat cum Arari flumine, facta inter utrumque fossa, decem circiter leucas longa, connectere: quo videlicet copiæ Romanorum per mare mediterraneum, dein Rhodano & Arare subvectæ, per eam fossam, mox fluvio Mosella, in Rhenum, exin Oceanum decurrerent, sublatisque itinerum difficultatibus, navigabilia inter se occidentis septemtrionisque littora fierent. sed enim Ælius Gracilis, sola motus invidia (quæ pestis omne sæpenumero bonum abrumpit) variis consiliis tam honestos conatus prohibuit.

Lisa nascitur in Artheſia, ad Lisburgum pagum, cui nomen suum impertit, haud procul ab Terovana. & Ariam opidum prætervectus, Armenterium, Virovicum, Menemium alluit. hinc Cortracum fere medium scindit, & Deinsam præterlapsus, Gandavum decurrit, ubi in Scaldim effunditur, vario & ipse laudabilium piscium genere nobilis.

Sabis nascitur in Hannonia, ad Novionum pagum, & ad Aquilonē decurrens, Landrecium, Sassenium, & Barlemontium lustrat. hinc Maubugium perfluens, servato quem instituerat cursu, Merviam & Cassellam pervenit. tandem vero Namurum interfluens, in ejus exitu se in Mosam exonerat, variis etiam ipse & laudatis piscibus scatens.

Dilia

Dilia naſcitur in Brabantia, ad pagum ſibi cognominem, & in Septemtrionem decurrens, Wavriam pervenit, ac tertia inde leuca Lovanium. unde ſervato ad totidem leucas curſu, flumen Demeram recipit, mox ad occaſum converſus, pluribus velut ramis Mechliniam perfluit, & prima hinc leuca, invento ad Rumpſtum, nobilem pagum, Netha, uterque, neſcio ſanè quo fato aut caſu, nomen ſuum Rupelæ cognomento, ob loci forte illius nobilitatem ſimul & antiquitatem, permutat. qui ipſe Rupela jam aquis auctior, duas modo vel circiter leucas progreſſus, è regione Rupelmundæ, cui arci nomen ſuum impertit, in Scaldim effunditur.

Sinna, ſecundum nonnullos, nomen ſortitus eſt à Senonibus, Angliæ olim populis, quo tempore Galliam divexaturi, hac videlicet tranſierunt. magis tamen rationi videtur conſonum, ſi dicamus, Sinnam ſumſiſſe nomen a Sogniaco, vulgo Sogni, Hannoiæ opido, juxta quod ipſe naſcitur, & arrepto ad Boream curſu, Hallas præterfluit, unde Bruxellam delatus, eamque varie pervagatus, Vilvordiam properat, altera illinc leuca diſſitam. mox ad Caurum deflectens, ad dextram relinquit Mechliniam, & paululum ſupra eam urbem in Diliam influit.

Deſa naſcitur prope opidulum Peram, in terra Leodicenſi, & ad ſeptemtrionem converſus, Eindoviam perfluit. hinc ſervato eodem curſu, Buſcumducis ingreditur, & altera ab hoc leuca in Moſam effunditur:

Demera naſcitur prope Tungros, in eadem Leodicenſi terra, & ad occaſum arrepto curſu. Bilſam ingreditur. mox tertia inde leuca Haſſelam perfluit, & quarta illinc leuca Dieſthemium. unde Sichemium porro & Areſchotum pervagatus, Diliæ ſeſe commiſcet.

Nitha naſcitur prope Rhetium pagum, & ad Africum ſtatim decurrens, Herentalium perfluit. unde ſervato curſu, in toparchia Grobbendoncana, Adam torrentem in alveum ſuum recipit. hinc Liram progreſſus, Duſſliam properat. inde rurſus Walhemium. tandem ad Rumpſtum pagum in Diliam influit, qui Rupelæ illic cognomentum, ut jam dixi, adſciſcit.

Rura, vel ſecundum Trithemium, Rora, nomen ducit ab Rorico, Clodovæi Galliæ Regis filio, caſu in eo ſubmerſo. naſcitur autem prope Bulingiam, pagum ter-

ræ Iuliacenſis, & ad Caurum deflectens, Duram, inde urbem ipſam Iuliacum prætervectus, Ruremundæ, cui & nomen ſuum impertit, in Moſam aquas ſuas exonerat.

Berchela naſcitur in Weſtphalia, non procul Coeſfeldia, & Statlonium, Vredam, Lochemium præterlapſus, in exitu urbis Sutphaniæ, Iſalæ ſeſe commiſcet.

Nirſius naſcitur circa Fanum Sancti Antonii in terra Iuliacenſi, & ad Caurum fluens, Wachtendoncam allabitur: hinc Geldriam oppidum, & mox Goccham ſe confert. tandem paulum ſupra Genapum in Moſam effunditur.

Vidrus, Belgice nominatur de Vecht/ idque, ſcribente Trithemio, ab quodam Vechtano, qui Odemari Francorum Regis temporibus, caſu in eo ſubmerſus eſt, erat autem is ipſe Vechtanus in flagranti admodum apud Regem gratia, e Druidum numero, ac propheta ſimul et ſacerdos, ob multijugem, qua præditus erat ſcientiam, & variarum linguarum cognitionem clariſſimus. Vidrus autem naſcitur in Weſtphalia, & interfluit Comitatum Benthemienſem; Hardembergam, Ommam, inde vero Haſſelium alluens. tandem ad Gelmudam in lacum Flevi aquas ſuas exonerat.

Scarpa duplicem habet in Artheſia fontem; quorum major ex monte Sancti Eligii, alter ex loco illi finitimo profluit. quibus mox concurrentibus, Atrebatum jam integer pervenit. hinc ad Boream verſus Duacum, mox Laleinium & Marcenas interfluit. unde Hennonium porro decurrens, in exitu ipſo Mortaniæ, Scaldi ſe miſcet.

Tènera naſcitur in terra Hannonia, haud procul Condato, & ad Boream defluens, Athum, Leſſenam, Geradomontium, Ninoviam, & Aloſtum interfluit. mox Teneramundam, cui nomen impertit, delatus, in exitu ejus, Scaldi ſe miſcet.

Haina perexiguus quidem eſt amnis, at Hannoniæ tamen Comitatui nomen olim dediſſe creditur, mutuatus id ipſe ab vetuſto illo juxta quem naſcitur pago, videlicet Hainujerio, ſic dicto ab Hunnis, qui in his partibus quondam caſtrametati ſunt. profluit autem Haina aliquamlonge verſus occaſum. mox juxta Condatum in Scaldim effunditur.

Chirſus

Chirſus naſcitur in Lotharingia prope Lognionum, & mox terram Lucemburgenſem ingreſſus, prætervehitur Marivillam, Mommedium, Caſtrochaventium, Fertæam, Ivoſium, unde prima circiter leuca in Moſam effunditur.

Atque hæc quidem ſunt præcipua Inferiores haſce Provincias perlabentia flumina. quæ cum aliis aliquot rivis, fluentis, atque torrentibus, brevitatis ergo à nobis omiſſis, præter innumeros fere quos ſuppeditant piſces; præter amœnitatem, tutelam, & ſecuritatem, quam tractui ipſi conciliant; inæſtimabilem quoque mercibus ultro citroque pervehendis commoditatem & utilitatem præbent. Efficiunt præterhæc regionum inſarum indigenæ, norum ipſorum fluminum adminiculo, in quæ alias terræ aquas, variis manu cavatis foſſis, in unum veluti corpus redactas, perducunt; efficiunt, inquam, magna profecto induſtria, commodis paſſim & opportunis locis, ac ad multas etiam leucas producunt complures. eoſque perpulchros & navigabiles alveos, ſive canales. qualis præſertim eſt Bruxellenſis ille longe pulcherrimus, tũ Gandenſis quoque & Middelburgenſis adeo quidem ut omnes fere urbes & oppida tum & alia alicujus momenti loca, biremibus minimum navibus poſſint adiri, ac merces eo commode ſubvehi.

Paucos habet hic tractus aquarum vivarum fontes, præterquam in locis montoſis. lacubus vero, ſtagnis atque paludibus paſſim abundat. quæ & ipſa terram egregie muniunt, & immenſam piſcium varii generis copiam accolis ſuis ſuppeditant.

## *De mari Oceano diſſertatio.*

DEſcriptis hucuſque fluminibus, luſtrandus eſt nobis, antequam progrediamur, aliquantiſper Oceanus. qui cum, non ob viciniam modo & ſummam conjunctionem, ſed ob alias quoque innumeras cauſſas, præcipuum hujus tractus membrum, imo caput & veluti pater ſit, poſtulare videtur, ut quam primum ſui faciam mentionem. Dicimus itaque, magnam, immenſam, & ſuperbam admodum eſſe Oceani faciem, ſed eandem formidoloſam, horrendam, & periculis plenam, ſiquando is indignatur & extumeſcit. tunc enim

tanto eum furore tempeſtateque concitari interdum viedas, ut arva ſimul & campos, imo totas adeo urbes atque Provincias mergat, & miſerandum in modum abſorbeat. ac in hujus quidem ipſius tractus quibuſdam partibus, nominatim vero in Zelandia, maxima ſæpe, ut ſuis infra locis ſpeciatim commemorabitur, dedit damna. licet incolarum tamen induſtria, qui aggeres immane quantum exaggerarunt, aliaque opportunis locis oppoſuerunt repagula, eo res paulatim deducta ſit, ut niſi inſolitæ aliquæ & ſupra modum horrendæ ſuperveniant tempeſtates conſpirantibus inter ſeſe nimirum Cauro, immenſo Oceani æſtu, & aquarum interiorum inunda-

tione, vix, quod alicujus quidem momenti ſit, damnum exiſtat. Iam vero de creberrimis illis non ſolum damnis, ſed & naufragiis, ab indignante Oceano effici ſolitis, ſupervacaneum ſit, ſi prolixius hic agamus, cum id ultro cuivis veniat ſtatim in mentem. In amplo tamen & vaſto aliquo mari, quale eſt quod vocamus Hiſpanicum, naves hiſce periculis minus expoſitæ, quod videlicet latiorem habeant evagandi & cum fluctibus colluctandi campum, nec uſquam impingant. ita ut, licet alicui videantur nunc in cœlum attolli, nunc in abyſſum demergi, magno tamen iis ſit adjumento, quod undæ, propter vaſtam illam ſui magnitudinem, non abrumpantur ita conciſe, ut in mediterraneo noſtro mari, ſed retento quem inſtituerant curſu, integræ & conjunctim deſcendant. In locis vero anguſtis, qualis perlongus ille, nec procul hinc diſſitus, inter Galliam Angliamque canalis eſt, in magno ſane verſantur diſcrimine, & plurimum ſæpe capiunt detrimenti. gravioribus vero etiam damnis afficiuntur citra Calæſium, & per univerſam, quam longa eſt, Flandriæ, Zelandiæ, & Hollandiæ oram. in tanto videlicet motu ipſius maris, quod in horas fere ſurſum deorſum impellitur, cujuſque inſtabilis & ab æſtu ventiſque varie concitatus alveus, præſertim in æſtuariis, varios paſſim arenæ montes accumulat, qui inexſpectatos ſæpe & periculoſiſſimos generant ſcopulos, banchen iſti appellant, in quos crebro impingunt naves, nec ſine præſenti naufragii metu. cui ipſi periculo in portuum quoque ingreſſu, ac toto fere quam longus eſt Scaldi, ab oſtio ſcilicet uſque Antverpiam, jam dicta de cauſſa, ut plurimum ſunt expoſitæ. ſed cum nuſ-

quam

quam desint peritissimi vadorum exploratores, quibus oppidatim fere de publico, eum in finem, statuuntur stipendia, quique non naves tantum in portus subducunt, sed & obvios quosque scopulos evidentibus notis insigniunt, incommodis hisce, quantum quidem humanæ fieri potest industria, serio providetur, atque occurritur. Venti autem Oceanum maxime infestantes, & per consequens terræ & regionibus maxime noxii, Caurus, Africus, Zephyrus. exagitatur is insuper, & quidem certo atque perpetuo, ne quid dicam de æquinoctiis (quorum meminit & C. Tacitus) exagitatur inquam maxima violentia ab noviluniis & pleniluniis. præter namque constellationum ejusmodi vim, ipsa etiam aqua viva, quæ pro lunę meatu vel augescere, solet, vel decrescere utroque illo cum novæ, tũ & plenæ lunę momento, adextremum sui augmentum & summitatem adscendit. unde & summã Oceano molestiam exhibet. quod cum Cæsarianis in Britanniam trajecturis esset incognitum, maximum quidem, tũ in mari, tum in ipso etiam portu, (teste in cõmentariis ipsomet Cæsare) damnũ classi inflixit. Quoniam vero ad hujusmodi considerationes, & mirabiles æstus lunæque in hoc mari effectus, digressus sum: non erit præter institutum, si priusquam progrediamur ad ulteriora, breviter quidem, sed quam fieri poterit solidissime, instruendo nimirum lectori, ex iis, quæ partim aliunde accepimus, partim ipsi observavimus atque cognovimus, super tam digna, tam admiranda, tantique momenti re, disseruerimus. & ex hac ipsa dissertatiuncula palam liquidoque constabit, ipsam adeo lunam, quidquid alii dicant, scribantve, eam esse, quæ motu suo & cursu, pro adspectuum conjunctionumque sui cum sole aliisque planetis ratione, maris illum accessum simul & recessum efficiat. Dicimus ergo, & observatum fuisse antehac, & quotidie etiam nunc observari, Oceanum, statim ut horizontem deserit luna, intumescere, & versus occidentalem terræ plagam decurrere, tamquam comitem sese lunæ adjungat, dum ad lineam meridianã ipsa perveniat. unde cum ad occasum rursus ea deflectit, Oceanus quoque paulatim recedit, & ad terminos suos revertitur, donec ipsa ex oculis evanescat, & horizontem iterum subeat, quem mox, ut ingressa est, & ad Antipodas nostros deflexit, Oceanus, velut cubili suo

ſeſe propripiens, exæſtuat rurſus atque turgeſcit, comitatus eam, donec ad ſeptemtrionalem pervenerit lineam. quam ut iterum deſerit, & ad hemiſphærium noſtrum recurrit, etiam ipſe, velut ab ea deſertus, in priſtinum locum revertitur. atque hinc adeo eſt, quod viginti quinque præterpropter horarum ſpatio, geminos habeamus maris reciprocantis acceſſus, totidemque ejuſdem receſſus. licet veteres ſimul, & neoterici quidam, ſuo quodam dicendi modo, viginti & quatuor horis id evenire contendant. quod fieret, ſi non alio luna ferretur curſu, quam eo, quo violenter primum ab ortu in occaſum movetur: quoniam vero interea temporis, naturali ſuo meatu, quod & alii omnes planetæ, ſuo quiſque reſpectu faciunt, horæ vel circiter ſpatio ab occaſu verſus ortum retrocedit, fit, ut tantumdem fere labatur temporis, priuſquam in ipſis ſignis compareat, quantum eſt retrogreſſa. ita ut viginti & quinque plus minus intercedant, ut dictum eſt horæ. alioqui eadem quotidie hora contingeret maris acceſſus, quod ut notum eſt, utque latius infra docebitur, haudquaquàm fit. Videamus vero nuncjam ecquid in toto generatim Oceano, inde autem peculiariter in hoc Belgico noſtro mari, efficiat luna. Tria in univerſum ſunt marium genera, ſeu mavis qualitates. & primum quidem anguſtum, adeoque ab ipſa terra undiquaque reſtrictum, ut nullum plane, qui in oculos quidem incurrat, motum fluxionemve ab luna recipiat. tale eſt mare Livonicum, ſive Balthicum. talis & Pontus Euxinus, Italis hodie *mar maggiore*. alterum ſtrictum & longum eſt, quale mediterraneum: quod alicujus quidem motus æſtuſque reipſa eſt particeps, ſed ita ut vix appareat, præterquam in mari Adriatico, ab ortu verſus occaſum recurrente. tertium genus conſtituit vaſtiſſimus ille ampliſſimuſque Oceanus, qui ab iis quas alluit terris varia paſſim ſortitur cognomina, qualia mare Hiſpanicum, Britannicum, Aquitanicum, denique & Belgicum; ſive Germanicum, quæ violentiſſimos quoſdam & manifeſtiſſimos experiuntur æſtus ac motus. ſuper quibus nonnulla diſcurſus ſum. & neglectis, quo prolixitatis evitemus faſtidia, cum Aſtrologorum, tum Phyſicorum animadverſionibus, ſequemur infallibiles illas obſervationes nautarum, quorum tamen in diſtinguendo per principes

ventos,

ventos, eorumque intermedias plagas, ſtylum non imitabimur, ſed ut eo facilius quilibet mentem noſtram intelligat, diſtinguemus per horas civiles. Sequitur ergo æſtus lunæ primum naſcentis curſum, & ab ortu occaſum verſus procurrit. quod dum facit, ſi forte occurrant Inſulæ, quibus haud reſtringatur impediaturve ipſius curſus, ita eum proſequitur, ut aqua non videatur multum attolli. verum ubi ad continentem deventum eſt, ac jam coarctatur, & ſe diffundit in ſinus, tum demum mirabiles illos ſuos producit effectus, non quantitate minus, quam duratione diverſos, idque pro regionis cujuſque & portuum ſitu. & in oris quidem Guinææ, Africæ, Hiſpaniæ, Gallobritanniæ, Hiberniæ, quas eodem fere temporis puncto, ac ſine ulla prorſus alluit remora, novilunii quidem & plenilunii tempore, tertia poſt diei ſimul & noctis meridiem hora, ſummum efficit aquæ augmentum, quod vulgo dixeris plenum mare, vel cum Belgis hoogh water/ ſive vol zee. contra vero circa nonam vel matutinam, vel veſpertinam, ſummus eſt in iiſdem oris, plena novaque luna, aquarum defectus, quem leegh water/ aquam humilem, ſive depreſſam iidem Belgæ appellant. & excreſcit in illis portubus aqua, ſummo quidem maris acceſſu, ad eamdem ubique menſuram, id eſt, quindecim pedes Romanos. ut videre eſt nominatim in oris Promontorii Viridis, Calæſii, Rupellæ, Fontenaję, & inſulis, quas Angli Sorlingas dicunt. Atque hæc in univerſum de Oceano dicta ſufficiant, ſine ulteriori ulla Indici Americanique Oceani mentione, in quo, lunæ quidem ſubſidio, varios proculdubio motus, nec adeo tamen exorbitantes, idem æſtus concitat: pergamus ad peculiarem Belgici maris deſcriptionem. fit ergo, objectu Britanniæ, ut gemini prorſus diverſi æſtus tractum hunc noſtrum invadant; quorum alter quidem ab uſque Norvegia, alter ab Normannia, & per vaſtum illum canalem profluit. hic, quod inter Calæſium & Doverium fretum eſt, prætervectus, ſervato quem inſtituerat curſu, ad extremam fere Hollandiam pergit, ubi in alterum illum ab Norvegia prodeuntem incurrens, cum eo aliquantiſper veluti colluctatur: mox uterque qua venerat via revertitur. qui æſtuum ita inter ſeſe reciprocantium motus & curſus pluribus quidem argumentis probantur eſſe diverſi, ſed ex eo tamen po-

tiſſimum, quod ab altera quidem parte, Abreduni in Scotia, Varovici in extremis Angliæ finibus, & in Inſula Daniæ Heylighlandia, faciente illo ab Norvegia æſtu, novilunio ſimul & plenilunio, duodecima tam diei, quam noctis hora, ſummus ſit maris acceſſus: ab altera vero, Calæſii, Bononiæ, & in maritimis aliquot Flandriæ locis, faciente altero illo ab Normannia, eodem plane temporis puncto idem effectus contingit. quod ipſum, ſi tabulam quidem inſpicias, fieri nequit, ut ab uno eodemque æſtu procedat. huc accedit, quod videamus eorum utrumque, toto ſuo quam longus eſt, curſu, certis quibuſdam locis, diverſos plane effectus producere. verbi gratia, Sluſæ Flandrorum ſummus maris acceſſus eſt hora prima; Arnemudæ Zelandiæ municipio, ſecunda; Amſterodami tertia: in finibus autem & fluviis, aliquanto etiam tardius, & Bergozomii quidem ad quartam, Antverpiæ vero non ante ſextam. contra, quibus horis, nova plenaque luna ſummus maris acceſſus eſt, iiſdē, utroque lunæ quadrante, ſummus ejus contingit defectus. Caleſii, & per univerſam exinde Flandriam, Zelandiam, Hollandiā, mare octodecim fere pedes attollitur. ſed ubi reſtringitur, & vaſtum aliquem efficit ſinum, altius longe adſurgit. quin & omnem alicubi modum excedit, ut Briſtoviæ in Cornubia, ubi ad ſexaginta, & Macloviæ in Gallobritannia, tum & Sancti Michaëlis in Normannia, ubi ad nonaginta Romanos adſcendit pedes. Notandum vero, quod inde ab novilunio, uſque ad primum lunæ quadrantem, mare nonnihil decreſcat, nec tam alte adſurgat ab eo vero quadrante uſque ad plenam lunam rurſus augeſcat: hinc ad noviſſimum ejus quadrantem ſenſim deficiat. ita ut ſingulorum lunæ meatuum, quos Latini dies lunationis appellant, bini quadrantes Oceani undas attollant, bini viciſſim deprimant. Adhæc præter adſpectum ſolis, aliorum quoque planetarum cum luna adſpectus & conjunctiones æſtum alias deprimunt, alias rurſus intendunt. æqualitas inſuper & inæqualitas lunāris ab ipſo ſole diſtantiæ; tum & lunæ cum terra vicinitas, ſive longinquitas; major ejus vel minor in hemiſphærio noſtro mora; denique aquæ vivæ & venti nonnullam in æſtu differentiam generant. qui non alia ſane cauſſa, tum & hoc noſtro tractu, tum & aliis omnibus locis,

acceſſum

acceſſum ſuum, ſingulo quoque die, per unius horæ cum decem minutis ſpatium differt atque retardat. ita ut, ſi Antverpiæ ſummus hodie fuerit maris acceſſus ad ſextam, craſtino die ad ſeptimam demum & tot illas minutas is expectandus ſit: ſi apud Mechlinianos hodierno contingat ad ſeptimam, cras futurum id ad octavam & decem minutas. atque ita porro de manu in manum, ac de die in diem, ob contrarios illos, alterum naturalem, alterum accidentalem, lunæ meatus, omnibus omnino locis atque temporibus, eadem illa cunctatio perſeverat. quod ſemel ſic cognoviſſe, cuivis ſufficiat. adeo quidem ut tum ex argumentis hucuſque a nobis allatis; tum ex aliis quoque ſtudio brevitatis omiſſis, manifeſte probetur, ac liquide ſatis conſtet, ipſammet adeo lunam, nec ſine ſolis tamen & ailorū fortaſſe planetarum auxilio, acceſſum ſimul & reciprocantem maris receſſum efficere: non autem id evenire per elementarem aliquem & naturalem aquæ motum aut curſum, quod a nonnullis tamen parum conſiderate aſſeritur. ſi enim ita ſe res haberet, nullus profecto exiſteret maris acceſſus, vel receſſus, ſed Oceanus nunquam non ſibi æqualis, eodem perpetuo motu, eodem temporis puncto, & quidem deorſum ſemper defluereet, nec umquam vices reciprocaret, aut nunc rurſus ferretur, nunc prorſus, quod, repugnante licet aquæ natura, violento lunæ meatu, jam cogitur facere. quin ſi naturali & elementari aquæ curſu idipſum contingeret, nec ſuccederet ſuo loco temporeque maris receſſus, inundaret profecto, & fluctibus ſuis cooperiret Oceanus totum, quam late patet, terrarum orbem. Quia vero ſatis multa hucuſque ſuper mari a nobis differta ſunt, & manu propemodum tetigiſſe videmur Oceani fundum, ſubjungemus & altitudinem ejus, ſive profunditatem, quatuor quidem, iiſque inſignibus locis exploratam. inter Calæſium ergo & Angliæ Doveram, quatuor & viginti comperior altitudinis paſſus, vademen Belgæ appellant, quorum ſingulis ſeni reſpondent pedes. inter Angliam & Zelandiam paſſus viginti tres. inter Vectim, Britanniæ inſulam, & Normanniam, viginti & octo. ac totidem fere toto illo, quam longe patet, canali. qui tamen quo mari vicinior, eo quoque paullatim profundior; ita ut circa Sorlingas, ſexaginta jam hujus menſuræ,

ſuræ, id eſt, centum & octoginta Florentinos paſſus excedat. inde vero in infinitum tandem excreſcit, adeo ut in alto jam ac libero mari fundo penitus careat, reductus nempe ad purum illud & ſecundarium aquæ elementum, quod primario illo terræ eſt altius. hoc enim Oceano quidem circumdatur, ſed conjunctione, ac rurſus diviſione tam admiranda tamque prorſus divina, ut ab eo nec inundetur quidem, nedum ut abſorbeatur. quin majori quoque miraculo ſub aëre junctim ſuſpenſa, pro centro & punctiſtitio ſunt immenſæ illi cœlorum moli. Sed ut revertamur ad primarium noſtrum ſcopum, explicatis hactenus damnis & incommodis, quibus hic noſter tractus in parte afficitur ab indignante & infeſto nimis Oceano, enumeranda quoque ſunt commoda & emolumenta, quæ in omnes univerſim haſce Provincias ab eodem illo, ſed jam pacato, promanant. ea vero talia tantaque profecto ſunt, ut absque his quidem eſſet, terra procul dubio nequaquam futura ſit par vel dimidiæ tot inhabitantium hodie pupulorum multitudini ſuſtentandæ. etſi enim ut ſupra oſtendimus, fœcundo ſatis ſit ſolo, tamen nec illudipſum tot illis hominibus nutriendis, nec humana quidem induſtria, tot aliunde neceſſariis rebus ſuppeditandis, ullatenus ſufficiat. commoditas ergo maritima, ex omnibus fere totius mundi Provinciis, omnigenas nobis merces copioſe ſuppeditat, & quidem non ad commeatum dumtaxat, ſed & alios porro quoſcunque humanæ vitæ uſus ſpectantes, quæque non noſtris modo indigenis, verum & exteris aliquot terris abunde ſufficiant. prout in deſcriptione Antverpiæ, quæ mercatorum ubique negotiantium ſedes eſt, fuſe narrabitur. atque hac ipſa commoditate fit, ut hic tractus ſit veluti publicus quidam totius Europæ, imovero, ut ibidem dicetur, totius orbis terrarum portus, & commune emporium. unde negotiatio quædam exiſtit & nundinatio omnem pæne fidem exuperans, ac immenſum quoddam mercium chaos, cui infinitus prope tam exterorum quam civium numerus ſe interponit, ac operam ſuam impendit. Præter hanc vero commoditatem longe ampliſſimam, tantus ex ipſomet mari ad incolas redit quæſtus, tantus fructus, ut vel propterea judicetur Oceanus magnitudine ſua digniſſimus. conſiſtit autem hic quæſtus, quod nemini poteſt

poteſt eſſe ignotum, in maxima illa piſcium omnigenorum captura, qui non ſumtuoſis modo potentium menſis, ſed & tenuiorum quoque neceſſitati abunde ſufficiunt, & non incolas tantum ipſos, ſed eorum quoque crumenas in parte ſaginant. cum tanta iis ſuperſit piſcium copia, ut & Gallis, Hiſpanis, Germanis, Britannis, aliiſque nationum populis, largiter eos impertiant. quin & in Italiam quoque non unius generis ſale conditi piſces, haleces in primis & ſalmones, hinc importantur.

Quia vero magni momenti res eſt iſta piſcium ſalitura, conſtitui ſpeciatim differere de tribus eorum qui ſale condiri ſolent generibus, halecibus nempe, aſellis, atque ſalmonibus, & primum quidem de primis, tanquam omnium præſtantiſſimis. Dicimus ergo haleces, ſive quis ita malit haringas, non inveniri in ullo omnino flumine, non in mari mediterraneo, non etiam in Hiſpanico, aut ullo omnino mari, præterquam in ſolo iſto ſeptemtrionali (niſi fallor) Oceano. magnitudo, tum & forma pariter & præſtantia hujus vel ſale conditi, vel fumo durati piſcis, tam eſt omnibus nota, ut ea nos prætermiſſa, de indole tantum illius & multitudine ſimus acturi. Prodit hoc piſcium genus ab extremis ſeptemtrionalis Oceani partibus: ac mirabili ſeſe & incredibili quadam frequentia verſus terram diffundens, in Germanico iſto Angliæ Scotiæque Oceano, ſub autumnum fere comparet. quod ſi maturius forte adventare incipiat frigus, tempeſtivius quoque haleces præſto ſunt, & quidem longe majori, quam ſi æſtus ſit abundantia. unde fit veriſimile, eas glacialem illum & rigidum nimis Oceanum fugere, & tepidiores aliquas aquas appetere. adeoque ex calido frigidove cœli temperamento, judicari ſolet de bona vel ſequiore halecum captura, tum & tempeſtiviuſne an tardius adfuturæ ſint. adnatant ergo, ut dixi, inſtante autumno, & ſemen in clementiore hoc mari ſpargunt, uſque ad Chriſti ſervatoris natalem. ac eæ quidem quæ ad has partes ſe conferunt (omiſſis iis quæ in ſeptemtrionalibus magis Norvegiæ Sueciæque finibus remanent) circa Angliæ primum & Scotiæ littora aliquandiu vagatæ, largiorem paulatim & liberiorem Oceanum repetunt. & ex hactenus quidem a nobis dictis, ac deinceps porro dicendis, efficitur, quod non aliter quam univerſo avium ge-

neri,

neri, ſtatis anni temporibus, cœlum & ſedem mutare ſolemne eſt, ſic marini plærique piſces, ſive grandiores ii, ſive magis exiles, divino quodam inſtinctu, atque in hominis adeo uſum, ſuis quoque temporibus aquas ſimul & ſtationem permutent. & videntur revera in hunc ipſum finem haleces a natura velut mandatæ. appropinquant enim ad littus maris, quaſi ipſæ capiendas ſe offerant, ac tantumnon ut capiantur exclament. quin ſicubi lumen vident, aut ignem, aut veſtigium aliquod hominis, eo odorabundæ ſtatim accedunt, atque ſubſiſtunt. Habent proculdubio inter ſe aliquos reges, apum plane exemplo. qui magnitudine tamen & forma cæteris pares, non ut illi apum auguſtiores. at in capite tamen manifeſtum eſt ſignum, diademati non abſimile, & color, maxime circa caput, ſubrutilus. hi inter natandum præcedunt, ſubſequente paſſim atque ſtipante innumera quadam caterva. quia vero oculos habent claros, & ignis inſtar nitentes, parent noctu eſſe quædam marina fulgura, quo vocabulo vulgo etiam celebrantur. ſuſtentant ſeſe haleces & victitant, præter omnium fere aliorum piſcium indolem, ſola aqua. qua ipſa ut ſunt extractæ, & vel leviſſime aërem hauriunt, ſine mora ſtatim exſpirant. recentes, & nullo adhuc ſale contactæ valde quidem laudabiles, ſed parum tamen ſalubres ſunt. & quidem confeſtim coquendæ, alioqui, ſine adminiculo ſalis, quod natura videlicet perdelicatæ ſint, mox putiſcunt. producit autem hoc mare unius dumtaxat generis haleces. etſi pro condimenti & apparatus diverſitate, in albas & ſubruffas videantur diſtinctæ. albæ ut plurimum relinquuntur earum pinguiores, quæ, quod corruptioni magis obnoxiæ, ſtatim ut captæ ſunt, ſaliuntur, & in vaſculis ſuis multa ſalſilagine conſervantur. exiliores vero poſt decimam duodecimamve quam ſalitæ ſunt horam, fumo hinc indurantur, unde & ſubruffum illum colorem adſciſcunt. ac tam priores illæ, quam poſteriores, diutius multo quam ullum aliud vel ſale conditorum vel fumo ſiccatorum piſcium genus, ſolo ſalmone excepto, a corruptione manent immunes. Auſpicantur earum piſcationem paulo poſt Divi Iannis, idque in proximo tantum huic tractui pelago, & circa ipſum adeo littus. ſed non capiuntur tunc niſi paucula quædam & macilentæ, quaſque anni ſuperioris reliquias

liquias, & ab cætero grege deerraſſe exiſtimant. ordinaria vero & ſolemnis earum captura in penitiore Oceano, tribus ut plurimum anni menſibus, Auguſto, Septembri, Octobri, & ad medium porro Novembrem perdurat. plurimæ tamen & præſtantiſſimæ capiuntur inde a medio menſe Septembri uſque ad Octobrem exactum. quo ipſo tempore ad Scotiam propius piſcatores accedunt, ubi tunc & majores ſimul & laudatiores earum greges. conſtat namque hos piſces, quo Belgiæ ſiunt viciniores, ſive id ex itineris quadam, ut volunt, longinquitate, ſive quod ego magis crediderim, aquæ ipſius & fundi natura contingat, eo exiliores quoque & macilentiores evadere. Eſt autem innumerabilis ſere & infinita, toto eo quam longum eſt tempore, in oris jam dictis, cum hominum piſcatorum, tum & navium, ab hoc tractu magna ex parte ſolventium, ut Anglos jam & Gallos omittam, frequentia: ſed nos de iis tantum agemus, quæ ad noſtram hanc Spartam, deſcriptionemque magis proprie pertinent, quorumque potior longe eſt numerus. dico igitur, poſt anxiam atque exactam in Friſia, Hollandia, Zelandia, Flandriaque (nam de reliquis terræ Provinciis vix ſit operæ pretium meminiſſe) ſuper navium ad piſcationem hanc ordinarie ac tempore pacis exeuntium numero diſquiſitionem, comperiſſe me, eas naves, quas Buyſen ipſi & Booten idiomate ſuo nuncupant, eſſe numero minimum ſeptingentas. aliis tamen longe plures eas eſſe exiſtimantibus. quæ naves, ternis, quot exeunt, vicibus, aliis aliarum defectum ſupplentibus, ſingulæ ſeptuagenas reportant halecum vehes, ſive (ut iſti loquuntur) laſten: ſunt in totum quadraginta novem laſtarum millia. conſtat autem laſta duodecim vaſis, quorum ſingula octingentas, nongentas, vel & millenas interdum haleces capiunt. Iam vero ſingulæ quæque laſtæ denis fere taxari ſolent Flandricis libris, id eſt, aureis noſtris tricenis. ita ut cunctis in unam ſummam conflatis, efficiantur quadringenta nonaginta Flandricarum librarum millia, id eſt, millio unus & quadringenta ſeptuaginta millia aureorum.

Alterum, è præcipuis ſale condiri ſolitis, piſcium genus, aſellorum majorum eſt, Belgis Cabeljau/ Gallis, poſtquam ſale conſperſi ſunt, *Molue*. ſunt autem hi piſces corpore mediocriter magno, ita ut inveniantur, qui

ſinguli

ſinguli pendant quinquagenas & amplius libras. recentes edas, vel ſale contactos, utroſque probaveris. habent vero & ipſi ſtata ſua certaque tempora, & cum aliis aliquot anni menſibus, tum vernis præſertim, ad vicina hæc noſtra, & nominatim Friſiæ maria, agminatim accedunt. capiuntur autem & ſaliuntur in totum annum, ea profecto copia, ut ex eorum piſcatu quingena quotannis ad hunc tractum redeant aureorum noſtratium millia. ſuntque hæc duo piſcium genera, haleces videlicet & aſelli, ex Medicorum quidem ſententia, omnium quotquot eduntur maxime nutritivi, ita ut carnibus ſale duratis eos prope exæquent.

Tertium denique genus piſcium, quos ſale iſthic condiri diximus, Salmones ſive Sulmones ſunt, qui piſcis aſello ut plurimum major eſt, & tam recens, quam vel ſale, vel fumo duratus, ſanequam laudatiſſimus. quem in Hollandia quidem & in Zelandia nunquam non fere invenias. at præcipua tamen ejus captura Aprili, Majo, & Iunio menſibus. quo tempore tanta ſalitur eorum copia, ut in longe majorem ducentis aureorum millibus ſummam piſcationis iſtius ratio quotannis excreſcat. Vnde cum ſola hæc tria piſcium ſalitorum genera, ultra ſalis in eos inſumti pretium, duos & quod excurrit aureorum noſtratium milliones, Provinciis hiſce, paucis menſibus reddant, cogitandum relinquo lectoribus, quam ingentem quotannis theſaurum continua illa & univerſalis piſcatio referat. qui ne cogitari quidem ſatis digne cuiquam poteſt, tantum abeſt ut credi: cum infinita quædam & prorſus ſtupenda vorago ſit, quam idcirco nunc mitto, & ad ulteriora progredior.

## *Præcipuæ Silvæ & Saltus.*

ARduennam teſtatur Cæſar ævo ſuo fuiſſe maximam totius Galliæ ſylvam, cœpiſſeque ab ripis Rehni, & ingenti magnitudine per medios fines Trevirorum, ab una quidem parte ad confinia Neviorum, ab altera vero ad initium Rhemorum pertinuiſſe, millibuſque amplius quingentis in longitudinem patuiſſe. Noſtra ætate maximus etiamnum Galliæ ſaltus eſt. ſed exculta paulatim tellure, multum imminuit. quin & præter hoc detrimentum, illa ipſa quæ ſuper-

eſt

eſt pars haud uſquequaque cohæret, ſed frequentius interrumpitur, atque hic illic aratro ſubigitur, mutato ſubinde & cognomento. continuatur autem, qua longiſſime, inde ab Theonvilla uſque ad urbem Leodicenſem, quod quidem triginta plus minus leucarum iter eſt. in cujus meditullio ſitum eſt Fanum Sancti Huberti, oppidum, juxta Gemmam, ad gr. 26 min. 40 longitudinis latitudinis vero grad. 50 min. 4 poſitum. eſt autem hic ſaltus maximis paſſim altiſſimiſque variorum generum arboribus denſus, quæ non minus amœnum eum & fructuoſum; quam celebrem & admirabilem reddunt.

Mormautium, ampliſſima ſimul & amœniſſima Comitatus Hannoniæ ſylva, initium capit circa Quercetum, vulgo *Quæſnoy*, & in Auſtrum, ad multas leucas, Veromanduos verſus procurrit, oppida, pagos, villas complexa, rivis quoque & fontibus limpidiſſimis paſſim irrigua. plurimi conficiuntur in hac ſylva carbones, unde creditur a nonnullis veteris Carbonariæ pars, quam alii tamen magis orientalem, ac inter Moſam & Sabim fluvios fuiſſe contendunt, & amœnum illud Harchiæ nemus ejus eſſe reliquias, in quo cognominis ille cum arce pagus, Comitum Barlemontii ſedes.

Amœniſſima Divi Amandi ſylva, in eadem quoque Hannonia ſita, audit vulgo & ſylva Raimenſis, ob ſummam videlicet cum eo ſaltu viciniam. initium autem capit in Flandriæ Gallicanæ confiniis, ad nobilem illum pagum Divo & ſylvæ cognominem. unde porro ad orientem, magno admodum ſpatio, Valentianas uſque procurrit, arboribus paſſim denſa. Eſt autem ſaltus Raimenſis in ditione Toparchæ Amerienſis, qui hac ipſa de cauſa eſt Magnus Venator Hannoniæ, dignitate nimirum ſaltui ipſi annexa.

Eſt in eodem Hannoniæ Comitatu & Fagniacenſis ſylva, quæ initium capit prope Avennas, & lato ambitu, uſque ad Magetobriam. vulgo Maſieres, Galliæ oppidum, id eſt, ſedecim ipſas leucas in longitudinem patet, olim multo etiam major. nomen hactenus retinet, licet aliquatenus depravatum, a Faunis & Satyris, quos in hoc fortean tractu ſomniarunt Poëtæ capripedes & cornigeros, quod videlicet primi horum ſaltuum habitatores ea fuerint morum feritate, ut ad brutas quodammodo pecudes viderentur accedere.

Sonienſis,

Sonienſis, vel ut alii ſcribunt, Sogniacenſis ſylva, ſita eſt in Ducatu Brabantiæ, bombardæ circiter jactu ab urbe Bruxella. procurrit vero trium leucarum ſpatio verſus meridiem uſque ad Brenniam allodialem quam vocant, & Brennocaſtrum. ſaltus revera ingens,& per-inſignis, ac plus ſeptem leucas, id eſt, octies mille jugera, quorum ſingula quadringentas decempedas, ſive ut vulgo loquuntur virgas, hæ vero vicenos pedes, continent, ambitu ſuo complexus, cæduntur quotannis hujus ſylvæ, ſolemni quodam regionis more, centena jugera. quæ ad quinquagena florenorum, id eſt, vicena quina aureorum noſtratium millia Principi reddunt. atque ita fit, ut octogeſimo quoque anno, tota quam late patet ſylva, & reciſa ſit, & altiſſimis rurſus craſſiſſimiſque arboribus reſtituta, ac veluti renovata, varios inſuper iſte ſaltus ingenti ſuo circuitu complectitur pagos, tum & arcem, quam trium fontium vocant, & abbatias cœnobiaque compluria, rem non laudabilem minus quam admirandam. quo fit, ut per æſtatem plurimi Nobiles Bruxellenſes, tum & civium quoque non pauci, partim votis obſtricti, partim & animi gratia, tres quatuorve continuas ſeptimanas, comitantibus & uxoribus, & reliqua omni familia, ſylvam hanc amœniſſimam peregrinantium ritu perambulent, alia atque alia ſubinde inviſentes cœnobia, idque non minori devotione, quam animi ſui ſolatio.

Meerdalia urbi Lovanienſi vicina, magnus & pulcherrimus ſaltus eſt, nec amœnitate minus, quam ferarum frequentia, & inſigni, quod venationem quidem concernit; immunitate celebris.

Zaventerloæ, inter Lovanium, Bruxellam & Vilvordiam ſitæ, nomen eſt ab Zaventria, pago ſylvæ amœnæ propinquo.

Grootenhoutium in eadem Brabantia ſitum eſt, paullum infra Turnhoutum. naſcitur autem hic Ada torrens, qui in Nitham fluvium influit. ſaltus ipſe permagnus eſt, & venationibus olim reginæ Mariæ, Caroli quincti ſororis, cui oppidum ipſum Turnhoutum ad vitam a fratre conceſſum, plurimum frequentatus.

Marlania, agri Namurenſis ſylva, initium capit ab ipſa urbis Namuri arce, & Hypafricum verſus magna latitudine Philippovillam, longitudine vero uſque ad

Moſæ

Moſæ ripam procurrit, ſuperbo ſane & amœno valde adſpectu.

Niepa, Flandriæ ſaltus longe præcipuus, haud procul Artheſiæ finibus, flumini Liſæ propinquus eſt, Caſleto & Bella pari duarum leucarum intervallo, licet viis diverſis, abjunctus. ſylva ingens, amœna, antiqua, & in qua arx ſitu valida.

Nonna ejuſdem Flandriæ ſylva, Ipris vicina, ingenti magnitudine in ſeptemtriones extenditur, multos pagos & abbatias complexa.

Poodſbergia inter Flandriæ Hannoniæque confinia, circa Gerardomontium & Leſſinam ſita, magnus & orbiculari pæne figura ſaltus eſt.

Buſcum-Guilielmi Artheſiæ prope Rentejum ſylva eſt, in qua ſemi-prælium illud inter Imperatorem & Galliæ Regem, anno Chriſti 1554 commiſſum eſt, de quo poſteà fuſius.

Echterwaldia, pulchra ſimul & peramœna Geldriæ ad Arnhemium ſylva, boream verſus procurrit.

Seven Wolden in Friſia & confiniis Tranſiſalanæ, ſeptem ingentes ſaltus ſunt, haud magnis inter ſe intervallis abjuncti, unde & uni è tribus Friſiæ Statibus, ſive Ordinibus nomen eſt. ambiunt autem ſinguli ſatis magnum terræ circuitum, & quamplurimos continent pagos, adſpectu ſanequam delectabili.

Scatent vero hæ omnes hactenus nobis enumeratæ ſylvæ variorum in uſum venationis generum feris, quales nimirum cervi, damæ, capreoli, apri, lepores, cuniculi, taxi: quin & glires quoque, & erinacei. quorum omnium carnes ſuaves quidem & delicatæ, Italicis tamen, præſertim quod lepores attinet, cedunt. Neque deſunt propterea lupi, vulpes, muſtelæ. ſed è contra adſunt & canes, grandes illi quidem ac præferoces, & cum noxiis illis feris pellendis, tum & in reliquos venatorum uſus perutiles, ſed quorum optimi tamen ex Anglia nobis ſuppetunt. Eſt autem & peculiare quoddam hic canum ſagacium genus, quos Itali nominamus *ſegugos*, ea indole & virtute, ut operæ pretium, ſit breviter eos attingere: maxime cum & Silius Italicus, inſignis jam inde ab Neronis ævo poëta, eorum, & quidem cum laude, libro de Punico bello decimo, faciat mentionem, duæ ergo ſunt canum iſtorum ſpecies: alii enim

enim mediocres, seu media quadam magnitudine, alii quidem minores, sed iidem & pulchriores, ac auribus fere ad terram demissis. utrique autem eo ingenio & sagacitate, ut statim atque conspexerint, vel odoratæ sint feram, sive saucia ea sit, sive intacta, tantâ & aviditate simul & obstinatione, per saltus, sepes, valles, montes, & quoscumque alios transitus, ejus persequantur vestigia, ut non ante conquiescant, quam & feram invenerint, & venatori suo ostenderint. quocirca magnis etiam pretiis exteri eos canes licitantur, quos in alias oras hinc avehant. sed non videntur illi vel educari, vel genus suum, ea qua hic quidem indole, peregre propagare posse. Versus poëtæ, quos dixi, ecciſti:

*Vt canis occultos agitat cum Belgicus apros,*
*Erroresque feræ solers per devia mersa*
*Nare legit, tacitoque premens vestigia rostro,*
*Lustrat inaccessos venantum indagine saltus,*
*Nec sistit, nisi conceptum sectatus odorem,*
*Deprendit spissis arcana cubilia dumis.*

Est & aliud quoddam peculiare canum aquaticorum genus. ac principio quidem aviarii illi ab Hispania canes, quos Belgæ Spiljoenen/ Itali *Barbettos* dicimus, in magno hic & laudabili satis usu. postea vero novum, ut dixi, inventum est apud Batavos canum genus, quod priorum illorum laudi multum detraxit. sunt enim isti aliquanto quam illi majores, validi, acres, ore patulo, villis contractis, eaque dexteritate simul & acritate anatem, sive aliam quamlibet prædam insectantes, ut vel illico eam prehendant, vel usque adeo defatigent, dum illa cursu defessa feritati caninæ ultro se dedat. & ex hoc etiam genere plurimi canes in exteras passim provincias avehuntur. Habet etiam noster tractus pauculas aliquot martes seu mustelas sylvestres; plurimas lutras, & maximam mustelarum, quas a tetro quem reddunt odore nonnemo putorios vocat, frequentiam. hæ à pulcherrimis suis pellibus admodum hodie nobiles, & per Europam distribui solitæ. ursi quidem & histrices natura nobis hic nulli, sed adducuntur abunde ex septemtrionali orbis plaga. petuntur & ab ipsa interdum Africa, & trans mare huc advehuntur leones, tigres, lynces, pantheræ, pardi, aliæque id genus raræ atque ferocces belluæ. quin hocipso, quo descriptioni nostræ summam

mam manum imponimus, tertio nempe & ſexageſimo ſupra ſeſquimilleſimum anno, Septembri adeo menſe, tranſductus hac Indicus elephas, Bohemiæ regi patrueli ab Hiſpaniæ Rege miſſus, & magno populi undique feſtinantis concurſu ſpectatus, licet primus tamen non eſſet, qui terras iſtas inviſeret. fuimus autem & nos inter belluæ ſpectatores, ſed non obſervavimus ſane in ea tot illas virtutes, quot a ſcriptoribus prædicantur. erat enim non corporis tantum mole, ſed indole quoque & ingenio prorſus enormis, & non ſecus quam porci, quidquid obvium eſſet cibi aut potus, illico devorabat deglutiebatque. quin tanto ſe quodam die ingurgitaverat vino, ut ipſas viginti quatuor horas jaceret pro mortuo. ſed cum rurſus edormiiſſet hanc crapulam, multo quam ante edacior & famelicus magis ſurrexit.

Abundat paſſim hic tractus perdicibus, etſi non ex earum genere quas Florentini *coturnices* dicimus. phaſianis, turturibus, coturnicibus ſcatet, verum non ea qua in Italia ſaporis dulcedine præditis. turdi quoque, melioris alimenti defectu, multum ab Italicis abeunt. merulæ autem noſtratibus meliores, tum & longe majori frequentia. In ſumma omnes hic fere invenias avicularum plus quam mediocrium ſpecies. nominatim vero alaudas, quarum ingens profecto eſt numerus, quæque bonitate ſimul & ſuavitate, Anglicanis fortaſſe, Polydoro Virgilio uſque adeo decantatis, non cedant. pavones, cycni, ardeæ, ciconiæ, anſeres, plurium generum anates, gallinæ Africanæ, Indicæ, Cimbricæ, & noſtrates, magnitudine ſimul & bonitate laudabiles, in magna hic copia. ſicut & columbarum, tam ferarum, quam domeſticarum, varia genera. gallinagines plurimæ, & quidem inſigniter bonæ. tanta inſuper toto tractu, & præſertim, ut ſuo loco dicemus, in Batavis avium aquaticarum copia, tam variæ ſpecies, ut præter animi voluptatem qua & ſpectatores nonnumquam, aucupes autem ſemper afficiunt, magno etiam publicæ, ob pretii vilitatem, bono atque emolumento ſint. Neque deſunt hic variorum generum aves rapaces, quarum potior pars in hiſipſis regionibus naſcitur, cujuſmodi ſenæ, ex Plinii quidem ſententia, aquilarum ſpecies, accipitres, niſi, falcones tum alani, tum peregrini, æſalones, buteones, & fringillarii. Quoniam vero aves hæ prædatrices

datrices, eaſque cicurandi, ac variis aucupii modis aſſuefaciendi ratio, res eſt adeo memorabilis, adeoque pæne dixerim regia, & ab Inferiorum iſtarum regionum indigenis primum inventa, obligatus quodammodo mihi videor eam paullo accuratius explicare. Primum igitur dico, mirandum eſſe magnopere ac propemodum incredibile, quod nec Romani nimirum, nec Græci, nec quæ utroſque præceſſerunt & tot poſtea ſæculis ſecutæ ſunt nationes, inter tot tam illuſtres ingenioſas, & heroicas animas, hunc cicurandarum inſtituendarumque avium rapacium modum rationemque umquam excogitaverint, ſed eam omnium primi invenerint Belgæ, qui minimè tamen primi ad magnitudines iſtas & elegantias mundanas cæperint adſpirare: & fieri poteſt, ut hinc id procedat, quod non ea aliis hujus avitii copia, quæ noſtri tractus hominibus: qui licet domi, ut dictum eſt, omnes ferè haberent earum ſpecies, non fuere tamen a natura conceſſis contenti, ſed cum viri eſſent non minore ſolertia, quam lucri fortaſſis cupiditate præditi, invenerunt earum veluti promptuarium quoddam, & copiæ ipſum cornu, in tranſmarinis, & quidem extremis Norvegiæ partibus. ubi in tanta videlicet abundantia, & ex crebro ſpectatis avium actionibus, earum indolem atque naturam tam accurate obſervarunt, ut peritior aliquis & magis experiens eas cicurare tandem aggreſſus ſit, & in uſum aucupii poſtmodum adhibuerit, idque felici planè ſucceſſu. conſiderationem ſanè, inventionem, & artem nequaquam vulgarem! ſiquis enim conſideret, quàm multæ, etiam ex domeſticis nobis aviculis, & nominatim hirundines, utcumque cicures videantur, atque manſuetæ, feræ tamen remaneant, nec umquam manſuefiant; quam multæ rurſus, quæ etſi tenellæ ad tempus manſueſcant, quales paſſeres ſpeciatim & ſturni, ad naturalem tamen feritatem iterum redeant, noſtrum genus abhorreant, & ad ſuum ſe referant: non videbitur, inquam, ei, qui hæc expenderit, veriſimile, ſylveſtres ullas, ſive montanas aves, adeo nondum taxat feras, ſed & feroces, umquam domari, nedum cicurari, ac ad eam humilitatem & obedientiam redigi poſſe, ad quam iſtæ, etſi grandæviores jam, reducuntur. rem digniſſimam hercle & nobiliſſimam, eaque non voluptate ſolum,

lum, ſed & magnificentia plenam, ut ejus uſus & exercitium, apud ſolos hodie Nobiles Dynaſtaſque remanſerit. quod videlicet, præter magnos quos habet ſumtus, plebejæ & vulgares animæ eo prorſus habeantur indignæ. Vt igitur redeamus ad inſtitutum, Belgæ revera ſunt illi, qui non minore ſolertia dexteritateque quam patientia & longanimitate aves iſtas rapaces omnium primi domuerint, & cum voluptati tum & utilitati hominum condocefecerint. unde hodie avium illam reginam, ex fera factam manſuetam, utcumque jugi impatiens manum aucupi ſuo nonnumquam ſtringat, interdum & in oculos involet, videmus tamen ferire peculiariter cervas, damas, capreolos. accipitrum alii quidem lepores, anſeres, atque perdices, alii verò ruſticulas, coturnices, & turdos corripiunt. æſalones galeritis potiſſimum inſidiantur, quas magna ſpectantium delectatione, in aëre, mira quadam agilitate & promtitudine diutulè ſatis premunt, donec terræ tandem affligant. ſed exuperat omnes haſce venationes pulcherrima illa & planè regia herodiorum & falconum cum ardeis gruibuſque concertatio, quæ in aëre fieri ſolita, & quidem aperto Marte, ea utriuſque partis contentione & ſtrenuitate, nunc in cælo, nunc viciſſim in terra, ut diutiſſime nonnumquam duret conflictus, maxima tum aucupantium, tum circumſtantium voluptate. Propagarunt deinde iidem Belgæ nobiliſſimum hoc & jucundiſſimum exercitium, in omnes Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ, & Italiæ quoque Provincias. quin & ingentem tam ferarum, quàm cicuratarum avium harum rapacium copiam, ceu magni pretii mercimonia, in eaſdem illas oras ſubinde venalem important, non ſine magno ſuo bono & laude, ac eorum ad quos deferuntur delectamento. Primus, qui (juxta F. Leandrum Alberti Bononienſem) iſtud aucupii genus in Italiam intulit, & quidem ab annis quadringentis vix dum exactis, (quis obſecro crederet, gentem adeo nobilem, exercitii tam honeſti, tam elegantis, tot ſæculis fuiſſe ignaram?) primus, inquam, fuit Imperator Cæſar Fridericus Ahenobarbus, qui è Germania in Italiam tranſiens, ac Romam uſque progreſſus, inter alia quædam horrenda ſua facinora, ſed provocatus nimirum & irritatior, grande illud & diffuſum Mediolanum funditus diruit. Addide-

runt poſtea Florentini ad jam dicta Belgarum inventa, propter ſummam qua gaudent dumetorum commoditatem, prælongas quaſdam & conſilio in hunc ipſum finem confectas ſepes, multa hic illic eſca conſtratas. quibus propria quædam prætendunt retia, quæ peculiari voce dicunt araneas. hinc falcones adhibent & æſalones ſepibus illis ſupervolantes, ac alis tantiſper ſubnixas, dum aucupium deſinant. interea verò oſtenſis ſubinde & nonnumquam porrectis carnium bolis, eos ſuſtentant, & in aëre habent ſuſpenſos, ne videlicet aves in dumetis illis deliteſcentes, dum magno ſaxorum & fuſtium ſtrepitu propelluntur, ſepibus evolent, ſed circumvolantis & capitibus ſuis imminentis falconis metu, tectæ & tacitæ in araneas illas impingant, magno ſane venantium commodo, nec minore cum voluptate. Videamus vero nuncjam, ecqua potiſſimum ratione iſti de ferocibus hiſce & prædatricibus avibus ſibi proſpiciant, & quidem ea qua dictum eſt copia. conferunt itaque ſe quotannis, Iulio menſe, in extremas illas Norvegiæ partes, mille hinc & quingentis minimum milliaribus diſſitas, quo ipſo tempore velut in flore eſt avium earumdem fœtura. ideoque non aliter quam vel hic vel in aliis tractibus autumno capiuntur fringillæ, cæteræque id genus aviculæ, ita & iſtæ aves, ſed validioribus paulo plagis, & columbis filo annexis ac idemtidem ſubvolantibus, parvo negotio irretiuntur, quarum poſtea noſtris aucupibus, quot & quas ipſi deſiderant, cedunt in prædam. capiunt vero in primis falcones, ex eorum genere, quos Itali peregrinos vocamus, quod in aliis terris revera ſint hoſpites, & quam rariſſime ac obiter tantum conſpicui. capiunt etiam aquilas, ſed perpaucas, quod videlicet huic aliti propria in Hiſpania ſedes ſit, è quo tractu Carolus Quinctus Imperator earum bis duodenas ſimul dono miſit Leoni decimo Pontifici Maximo. capiunt quidem & gyrofalcos, ſed rariores, quod nobilius nempe ſit iſtud genus: accipitrum vero & æſalonum maximam multitudinem. Videntur autem hæ omnes avium ſpecies frigoris fere appetentiores: adeo quidem, ut præter gyrofalcones, qui omnes ordinarie quaſi candicant, falcones quoque & accipitres capiant prorſus albentes. ſcilicet vero in frigidiſſimis illis Septemtrionis Provinciis non iſtas

tantum

tantum, & alias aves, ſed quadrupedes etiam beſtias, urſos, lupos, vulpes, lepores ſolemniter albicare. Non invenitur in eo tractu, ut & hoc ſubjungamus, nobilis illa avis prædatrix, quam Itali *Sagro*, Latini fortaſſis Sacrum appellant, cujus (ut & tradunt ſcriptores) non eſt ulla (quod notes) præterquam apud ſolos Cretenſes notitia. Atque hæc de rapacibus avibus dicta ſufficiant. Proſequemur deinceps deſcriptionis noſtræ filum, & quo, promiſimus ordine progrediemur, ad explicandos Belgarum mores, ac tam virorum, quam mulierum indolem, expeditis videlicet univerſim terræ & Oceani qualitatibus.

### *Virorum & fœminarum in Belgia qualitas, indoles, mores.*

INdigenæ hujus terræ forma ut plurimum ſunt venuſta. corpus iis quadratum, ac juſto temperamento, aptaque compoſitione decorum: & inter alias quidem membrorum proportiones, pulchra valde tam viris, quam fœminis crura. ſtatura in univerſum ſunt juſta; quam multi tamen excedunt, in Hollandia nominatim & Friſia, ubi corpore fere prægrandi, & ſupra modum procero. & eſt tamen communis opinio, non Cæſaris tantum & aliorum quorumdam ſcriptorum auctoritate, ſed & variis quoque oſſium paſſim e ſepulchretis erutorum reliquiis nixa, fuiſſe Belgas & ejuſipſius Cæſaris ſæculo; & diu etiam poſt, ac ad tempora minimum Caroli Magni, longe proceriores. quam ſtaturæ mutationem multi adſcribunt conſuetudini atque commercio exterorum hic aſſidue verſatorum, & etiamnunc verſantium, quibus ea nimirum humilior. ego tamen exiſtimo magis idipſum procedere ex qualitate victus, & contractiore hoc ævo moderatioreque vivendi ratione ac diſciplina, quam ex alia ulla cauſſa. Satis explicat ſuam ſuper hac ipſa re ſententiam, initio ſtatim quarti commentariorum, Iulius Cæſar, cujus hæc quidem ſunt verba: *Quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ, quod à pueris, nullo officio, aut diſciplina aſſuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciunt, & vires alit, & immani corporum magnitudine homines efficit.* Sunt vero iidem Belgæ, afferente & Cæſare: admodum deditire-

ligioni, ac inter primos Galliæ & Germaniæ populos, qui ſalutari Chriſtianorum fidei dederint nomen, faciente Divo Materno Ticinenſi, primo Tungrorum Epiſcopo, jam inde ab anno Chriſti centeſimo primo. quam ipſam & religioſiſſime ſemper tenuerunt, & maxima veneratione proſecuti ſunt. clarum id ex innumeris ſcriptis & munimentis. clariſſimum vero ex tot pulcherrimis templis, abbatiis, conventibus, monaſteriis, hoſpitalibus, noſocomiis, aliiſque pietati dicatis locis, per omnia undique oppida, omnes pagos, ac totum adeo tractum exſtructis, & magnis cenſibus annuiſque omnium rerum proventibus, ab ſanctiſſimis terræ viris ſimul & fœminis largiter dotatis.

ADDITAMENTVM. [*Anno Chriſti 531 Artheſii ab D. Vedaſto, Abbatiæ Atrebatenſis patrono, ad Chriſtum converſi ſunt. anno 545 Nervii, quos Tornacenſes nunc dicimus, Divorum Platonis & Chryſolii ſtudio, Chriſto initiati ſunt. anno 633 Morini fidem ſuſceperunt, inſtituti ab D. Amando Tungrorum Epiſcopo. anno 690 Divus Willibrodus Batavis, Friſiis, & finitimis nationibus, miſsis porro in alias oras ſodalibus, Chriſtum annuntiavit. anno 714 ii qui Scaldim accolunt, Chriſtianam fidem amplexi ſunt.*]

In bello tam maritimo, quam terreſtri, ſive id equitatu gerendum, ſeu peditatu, populi iſti & feroces & fortes, præſertim ubi ducem aliquem nacti acrem & ſtrenuum, quales vix umquam iis deſunt. ita ut hactenus quidem fidem adſtruant Cæſaris de ipſorum fortitudiue teſtimonio, qui primo commentariorum, ubi de ſingulis Galliæ populis in genere ſermo eſt, his utitur verbis: *Horum omnium fortiſsimi ſunt Belgæ.* & libro ſecundo: *Soloſque Belgas eſſe, qui patrum noſtrorum memoria, omni Gallia vexata, Teutones Cimbroſque intra fines ſuos ingredi prohibuiſſent.* ac virtutem ſane & fortitudinem ſuam nulli non numquamnon probant. quod cum alias ſemper, tum nuper adeo in ultimis iſtis uſque ad annum 1559 bellis, ex tot ab hoſtibus reportatis eorum victoriis, liquido conſtitit. Accedit ſumma rerum maritimarum peritia; qua fit, ut navibus ſuis, quarum infinitus pæne eſt numerus, omnes fere mundi plagas adeant atque perluſtrent. quin uſque adeo maris ac periculorum ejus ſecuri ſunt, ut non toto modo, quam longus eſt, anno aſſidue navigent, ſed nec ulla tempeſtate poſſint adduci, ut ante itineris inſtituti

inſtituti finem, alium quemvis portum appellant, ſtrenue prorſus & impavide cum omnibus ventis & procellis colluctantes. unde cum nullum plane remittant tempus, citius multo & expeditius, quam aliæ nationes, itinera ſua perficiunt.

ADDITAMENTVM. [*Anno 1088 cum nullæ adhuc naves Zonda, Daniæ freto, in Oceanum ſeptemtrionalem exiiſſent, Batavi omnium primi fretum illud emenſi ſunt. iidem anno Chriſti 1594, & aliquot inſecutis, nullum non moverunt lapidem, quo per extremos Aquilonis receſſus, breviorem ſibi & commodiorem pararent viam ad remotiſſimos illos Cathajæ, Chinæ, & Iaponiæ populos: ſed felici parum ſucceſſu, etſi ad 77 tamen altitudinis gradu progreſſi, ac fretum illud, quod* Waygats *vulgo appellant, emenſi, ad Obim uſque fluvium enavigaſſent. Iam de navigationibus eorumdem in Indiam orientalem, non eſt quod a nobis hic diſſeratur, extantibus publice ſcriptis ipſorum libris, ad quos, evitando prolixitatis faſtidio, lectorem remittimus.*]

Eruditorum, & in omni diſciplinarum ſcientiarumque genere verſatiſſimorum hominum ingens hic numerus; unde & olim fuere, & hodie (ut infra videbimus) ſunt complures, iique celebres valde ſcriptores. quin majori gentis parti nota Grammaticæ rudimenta, & vel ipſi etiam ruſtici legendi ſcribendique periti ſunt. Præterea familiares plærique linguæ iſtæ vulgares. rem & laude ſimul & admiratione digniſſimam! inveniuntur enim complures, qui ultra linguam ſuam vernaculam, etiamſi domo nuſquam diſceſſerint, & exoticas quaſdam egregie calleant, Gallicam nempe, quæ natura ipſis perquam familiaris, Germanicam, Anglicam, Italicam, Hiſpanicam, aliaſque remotiores etiam linguas. ſermo eorum vernaculus, exceptis aliquot partibus, ubi (ut ſuo loco dicturus ſum) galliciſſant, germaniſſantve, exteris fere dicitur Flandricus, Latinis Teutonicus. idque (ut tradunt nonnulli) ab Tuiſtone illo, cujus apud Tacitum mentio, libro de moribus Germanorum, qui totam illam, quam late patet, terram, quæ Romanis olim Germania, nobis hodie dicta eſt Allemannia, de nomine ſuo vocarit Teutoniam. unde & ipſi Belgæ, qui origine ſeſe, nec injuria, dicunt Germanos, linguam ſuam, olim Germanicæ ſimilem, ac nec hodie multum diverſam, Teutonicam vulgo indigetant. linguam mehercule di-

vitem, uberem, & vocabulis copioſam, animique conceptis exprimendis aptiſſimam, ſed perceptu multum difficilem, pronuntiatu etiam magis; adeo quidem, ut in hoc ipſo ſolo nati infantes, grandiuſculi ſint oportet, priuſquam voces exacte forment, & proferant. Habetur autem multis de cauſſis, & ob monumenta quædam ex vetuſtate reſidua, pro re prorſus indubitata, hodiernam hanc Belgiæ linguam, eamdem eſſe, cum ea qua utebantur ævo Iulii Cæſaris, qui initio ſtatim commentariorum, ubi docet Galliam omnem diviſam in partes tres, ſuper hac ipſa re, his utitur verbis: *Hi omnes lingua, inſtitutis, legibus inter ſe differunt.* quare ſicut jam tum Belgæ lingua a cæteris Gallis diverſi, ita videntur hucuſque veterem illam retinuiſſe. cum enim a conſuetudine & commercio Romanorum longiſſime iſti abeſſent, non potuit ſcilicet ita facile ſermo eorum corrumpi: quod palam videmus accidiſſe finitimis aliarum terrarum, Galliæ nempe, Hiſpaniæ, & Italiæ, priſcis linguis, quæ reipſa ab ſermone Latino degenerarunt, à quo procul dubio longè olim fuerunt diverſæ. De origine vero Belgarum teſtatur Cæſar, *pleroſque eſſe ortos à Germanis, Rhenumque antiquitus tranſductos, propter loci fertilitatem ibi conſediſſe, Galloſque qui ea loca incolerent, expuliſſe.*

ADD. [*Affirmant nonnulli, inter quos I. Marchantius, linguæ Teutonicæ magnam eſſe affinitatem cum Græca. quod cum aliis argumentis, tum ex eo potiſſimum probant, quod complura ſint utriuſque linguæ vocabula, non voce tantum & ſignificatione, ſed pronuntiatu quoque inter ſeſe ſimillima. qualia nominatim,* γράφειν, *Belgo-teutonibus* graben; γρίφειν, grijpen; κλώθειν, klooten / kloſſen; παῖς, pver; στίβειν, ſtijven; στενεῖν, ſteenen; θρηνεῖν, tranen; θὴρ, dier; λίσπη φθογγὴ, liſpe tonghe; καλαφάτης, kalafater; κρεββάτιον, krebbe; σρόφος, ſtrop; λαμπρὸς, lampers; φῆλος, fiel; κοῖλος, kuyl; φρίζειν, bzeeſen; πύργος, burg; ὅλκας, hulck; μάνη *Dorice*, mane; θυγάτηρ, dochter; *& alia plurima, quæ longum ſit recenſere. unde Ovidio ſanè adſtruitur fides, canenti uſpiam*, Græcaque cum Getico mixta loquela ſono eſt; *& Gothos innuenti, ſeu Danos, & Suecos, Teutonibus ſolo ſimul & ſermone vicinos, licet dialectis inter ſe differant. adeoque Suecorum hodie linguam inferiores hi Teutones difficulter intelligant, ob duriorem ejus & pinguiorem pronuntiationem. originem vero linguæ Teutonicæ, & variarum ejus dialectorum,*

*rum, Ioannes Goropius Becanus ad veterem illam Cimbrorum refert, verone an falso, penes lectorem esto judicium. sed utcumque sit, latissime sane patet ejusdem usus, & quidem inde ab Gravelinga, Flandriæ oppido, ad extremam usque Livoniam: qui immensus profecto terrarum tractus est*]

Sunt præterea Belgæ strenui mercatores, adeoque omnis generis mercimoniorum intelligentissimi. quin negotiatione potissimum, & officiis tota pæne Provincia nititur. unde & peritissimi sunt artium mechanicarum opifices. quod apparet in primis ex tam variis egregiorum pannorum generibus, tapetibus nempe, vel ad miraculum pulchris, sajis, ossettis, semi-ossettis, linteis, fustaneis, aliisque varii generis simul & pretii mercibus. quæ non in omnem solum Europam, sed & Africæ multas partes, adeoque in ipsas usque tam Orientales quam Occidentales Indias, Hispanienſi & Lusitanica via, hinc exportantur. Laborioſi etiam sunt, diligentes, ingenioſi, ac omnium adeo disciplinarum capaces, imitantes confestim & exprimentes, puta quibus nihil docilius, quidquid usquam conspiciunt. quod observavit quoque & memoriæ prodidit Cæsar, & apparet quotidie ex tam multis artibus peregrinis, in has oras invectis, ubi ad Orientis exemplar varia hodie texuntur sericorum pannorum genera. Cæsaris è libro septimo commentariorum verba ecciſta: *Est summæ genus solertiæ, atque ad omnia imitanda & efficienda quæ à quoque tradantur aptissimum.* Sed & multarum insuper magni momenti rerum, ut supra tetigimus, inventores, & in primis peculiari quadam venustate felicitateque præditi, in excogitandis statim & inveniendis omnigenis instrumentis, ad expedienda majori facilitate compendioque negotia, & cum alios quosvis, tum & culinarios usus, non ingenioſis minus, quam commodis. ita ut exteri, non sine admiratione, crebro hinc sumant exemplar. atque hinc adeo fit, ut isti opera sua ea dexteritate, facilitate, ordineque disponant, ut & parvuli, ac quadriennes modo aut quinquennes eorum filioli, victum illico sibi incipiant quærere. Invenio eos, omnium Transalpinorum primos, non linteos modo, sed & laneos quoque varii generis pannos, exorsos contexere. quam ipsam artem una cum ratione tingendi in Anglia-

gliam porro invexerint. constat quidem, Anglos usque ad annum Christianum 1404, & aliquanto etiam Post, classibus suis, lana maximam partem onustis, in has oras commeasse, indidemque sibi, quod nec ipsi quidem eunt inficias, de lana tunc prospexisse. Fit vero prolixa Belgicorum pannorum, & in primis Iprensium mentio, cum apud alios passim scriptores, tum & apud Alphonsum nonum Castellæ Regem, libro de septem partitis. quin & magnus noster Petrarcha, peregrinatione, jam ante ducentos quinquaginta & eo amplius annos, per tractum hunc facta, Cardinali Columnæ scribit in hanc sententiam: *Vidi* (inquit) *cæteros Flandriæ Brabantiæque populos lanificos atque textores.* Sunt deinde hi Belgæ veri Musicæ artis antistites, quam & instaurarunt videlicet, & ad summam evexerunt perfectionem. est enim illa iis adeo naturalis & velut congenita, ut & viri simul & fœminæ, summa non solum festivitate, sed & harmonia, ad numeros naturaliter canant. cui ingenitæ facultati addita postmodum arte, ea, ceu videmus indies & audimus, tum vivæ, quod dicunt, vocis, tum musicæ instrumentalis edunt specimina, eum concentum, ut in omnibus Christianorum Principum aulis merito foveantur & magni fiant. Et ex hac quidem gente, recentiores modo commemorem, prodierunt Ioannes ille Tinctorius Nivellensis, cujus, ut hominis rara quadam virtute præditi, suo infra loco fusius memini: Iosquinus Pratensis: Obertus Ockegemius: Ricafortius: Adrianus Willardus: Ioannes Moutonius: Verdelotius: Gombertus: Lupus Lupius: Cortesius: Crequillonus: Clemens non Papa: Cornelius Canis, omnes jam vita defuncti: Cyprianus de Rore: Ioannes Coickius: Philippus de Monte: Orlandus Lassus: Mancicurtus: Iosquinus Bastonius: Christianus Hollandus: Iacobus Watius: Bonmarchæus: Severinus Cornettus: Petrus Hottius: Gerardus Turnhoutius: Hubertus Walrandus: Iaquettus Berchemius, civis Antverpiensis. Andreas Pevernagius: Cornelius Verdonckius, aliique complures, etiamnunc superstites, ac celeberrimi omnes, & variis honorum titulis per Christianum orbem dispersi, artis Musicæ professores. Ingenium Belgis sedatum, & in omni sorte tranquillum. fortuna, cæterisque rebus mundanis, utuntur prudenter &

pro

pro re nata, nec facile perturbantur. quod ipſum vel ex eorum ſermonibus, atque adeo vultu & capite facile colligas, vix enim niſi extrema ſenecta caneſcunt. quod ſiqui in iis atræ bili magis obnoxii, & ut ſic dixerim, Saturnini, dolori plus ſatis indulgent, ii videlicet, quod ferendo ſint impares, mox vincuntur & contabeſcunt. Viri in univerſum non nimis ambitioſi. ita ut multos videas, qui poſtquam induſtriam ſuam aliquot annos probarunt, ac vel publico aliquo munere, vel mercatura, vel alia denique honeſta ratione ſufficienter auxerunt rem, cognatis & propinquis dent locum, laboribus corpus & animum laxent, ac in otium ſeſe, laudabili prorſus exemplo, recipiant, facultatum aliquam partem ædificationi, cui impenſe dediti, partem rurſus agrorum aliorumque proventuum emtioni impendentes. Sunt iidem natura frigidiores, & valde in re Venerea temperati. adulteria vero etiam deteſtantur. ſed nec iracundiæ quidem, nec ſuperbiæ nimis proclives, neque facile dominatur iis invidia, unde in familiari vita converſationeque civiles, tractabiles, aperti, officioſi, in primis autem faceti, etſi nimis interdum licenter. At ex altera parte, homines ſunt per naturam avari, vel ut melius dicam, lucri admodum cupidi, & ad quæſtum attenti. tum & avidi novitatum, & uſque adeo creduli, ut quidvis fere credant cuivis. quare & decipi faciles, & ad quodcumque etiam ſummi momenti facinus aggrediendum præcipites. quod clare nimis oſtenderunt in poſtremis iſtis civicis motibus, qui totam adeo terram perdiderunt, concuſſerunt. ſiquid autem ſubodorentur, quod non faciat ad palatum, ſuſpicaces illico fiunt, atque præfracti. arrogantiæ inſuper propiores quam par ſit; tum & loquacitati. rerum alienarem ſecuri. beneficiorum memoriam cito amittunt, & hinc perexiguus iis erga proximos amor eſt. quod vitium tamen contraria rurſus virtute penſant, dum & injurias cito obliviſcuntur, & odia facile ponunt: veterem ſcilicet circa omnes iſtos affectus, de qua teſtatur & Cæſar, conſuetudinem ſervantes, quam ab aëre ipſo & cœlo videntur haurire. Quemadmodum vero unicuique nationi peculiaris aliqua virtus, & proprium rurſus aliquod vitium: ita & major iſtorum pars, non ſecus quam Græci, ad ebrioſitatem proclivis. quo vitio ſupra

modum delectantur: ideoque & de die nonnumquam & noctu tanto se potu ingurgitant, ut præter alia, quæ non raro inde existunt mala, & corpori simul & menti graviter noceant, adeoque mortem sibi accelerent. nam ut alibi canit Propertius, *Vino forma perit: vino corrumpitur ætas.* Et agno scunt quidem ipsi, ac confitentur hoc suum vitium, quin & accusant se crebro, & culpant: sed inveterata quadam assuetudine fit, ut eo abstinere se nequeant: & sunt tamen aliquatenus excusabiles; nam cum aër hic maximam anni partem humidior, & plus æquo sit melancholicus, vix aliud sane commodius efficaciusque discutiendæ & expellendæ odiosæ & insalubri melancholiæ remedium adhibere queant, quam vinum. quod & Flaccus videtur innuere, cujus hoc hemistichium, *Vino pellite curas.* sed meminisse debebant & auream illam Terentii gnomam, *ne quid nimis.* at enim, ut quod res est dicam, plane non possunt; cum sacro illi liquori, hilaritatique, & voluptatibus nimis addicti sint. Mulieres, præter insignem formæ præstantiam, qua communiter quidem, ut jam dixi, excellunt, compositissimis quoque sunt moribus, & nativa quadam venustate gratiaque decoræ. quod fit, quia inde a pueritia, recepto quodam & usitato patriæ more, libere statim & familiariter cum quibusvis versantur, unde & in sermone, & in cæteris vitæ commerciis, liberæ, promtæ, audaces. sed in tanta tamen libertate, sive quis malit licentia, honesti atque decori admodum observantes: ita ut non ad urbana tantum negotia, etiam nemine comitante, solemniter prodeant, sed oppidatim quoque per ipsam terram, nullo aut perexiguo comitatu, peregrinentur, nec in linguas tamen idcirco incurrant, vel calumniis sint obnoxiæ. sunt etiam continentes, & opido quam industriæ, non familiarem dumtaxat rem, cujus viri fere exortes sunt & securi, studiose curantes; sed emptionibus quoque & venditionibus, aliisque virorum propriis actionibus sese miscentes, ac non manum minus, quam linguam interponentes: & quidem ea dexteritate & promtitudine, ut in multis terræ Provinciis, Hollandia nominatim atque Zelandia, viri omnium fere rerum suarum curam uxoribus sæpe relinquant. qui sane agendi modus, ubi ad solemnem illam & fœmineo sexui naturalem fere dominandi obmurmurandi-

murandique cupiditatem accedit, dubium esse non potest, quin & imperiosas eas & fastidiosas, nonnunquam & insolentes efficiat. sed ad rem. Domesticus & solemnis familiarum in Belgia victus parcus admodum & frugalis. potus fere cervisia, ex aqua semel atque iterum cocta, tum farre, hordeo, tritico, & lupo salictario, apta quadam & peculiari mixtura, confecta. cui potui si quis assuevit, is & suavem experitur & salutarem. quin optimam aliquando eam coquunt, & saluberrimam. creber etiam usus lactis. pane ut plurimum victitant secalicio. saliunt inde quotannis, pro familiæ quidem & facultatum modo, unum aut alterum bovem, tum & totidem sues: hinc caseo, butyro, altilibus, piscibus sale conditis, & arboreis fructibus penaria sua tam largiter instruunt, ut magnam anni partem indidem victitent, ac non nisi perraro quidquam a macellariis præstinent. Excedunt tamen nonnumquam hanc parcimoniam, & solemnioribus aliquot festis; qualia Divi ipsis cognominis, Dionisia, & siqua præterea sese offert occasio, magnifice convivantur, & adhibitis sibi cognatis atque amicis, genio liberaliter simul & hilariter indulgent. sunt enim, ut dixi, ad hilaritatem & voluptates propensi, adeo quidem, ut nihil vereantur interdum viginti quinque, vel & triginta miliarium iter suscipere, quo certis quibusdam festivitatibus, & præsertim solemnioribus illis supplicationibus, quas ipsi Kerckmissen/ Græci ἐγκαίνια vocant, per oppida passim & pagos annuatim haberi solitis, tum cognatorum & amicorum nuptiis, aliisque id genus festis interfint. vestitu utuntur decoro, commodo, eleganti, concinno. domos habent adeo bene compositas, & nulla non supellectile tam luculenter instructas, ut nihil ultra desideres. estque jucundum sane spectatu videre tantam in ædibus εὐταξίαν, tantum nitorem, tantam denique utensilium omnium copiam, quantam vix, ac ne vix quidem, alibi usquam terrarum reperias. In natalitiis & initiationibus liberorum, tum in nuptiis quoque & parentalibus Belgæ admodum sumtuosi. in omnibus denique festis & actionibus publicis ad magnificentiam fere inclinant atque splendorem. Solent vero tam Principes, quam privati, quod & aliis fere nationibus transalpinis in more positum, solent, inquam, in filiis primogenitis

genitis renovare parentium ſuorum, etſi ii adhuc ſuperſtites, imo & integra ſatis ætate ſint, nomina. ſolent præterea nobiles, ſaltim ii qui aliquo ſunt numero atque honore, Dynaſtarum exemplo, filias natu maximas, cæteris, licet eandem cum illis habentibus dotem, ſemper præferre: ita ut alteram tertiamve ſæpius elocent ei, cui primam illam negarent, expectantes videlicet dum potior illi conditio, digniorque maritus obtingat. Eſt autem & hoc in Belgis laudabile, quod ex facili ſcilicet affinitatem contrahant cum diverſarum terræ ipſius Provinciarum hominibus (quod ipſum obſervo eos à Cæſaris uſque temporibus, imo & longe ante facere ſolitos) idque prout offerunt ſeſe occaſiones, quæ variæ ſæpe & multiplices; non autem uni dumtaxat patriæ & ex ea civibus ſe adſtringant. unde plurimæ ſane exiſtunt commoditates. præſertim vero, quod latiorem habeant eo pacto fortunæ tentandæ campum; quodque adſcitis ſibi paſſim & per varias terræ partes adfinibus, non privatim tantummodo, ſed & publice, pacem amicitiamque inter ſe firment atque ſtabiliant. quin non cum Provincialibus modo, ſed & cum exteris quoque, ſiquidem prærogativæ quidquam adfulgeat, imo & extra eam, haud raro adfinitatem contrahunt. At hoc rurſus damnabile, quod videamus apud eos nonnumquam coire conjugia valde imparia, adeoque exorbitantia & prorſus abſurda. qualia ſcilicet adoleſcentis cum vetula: decrepiti ſenis cum adoleſcentula, & quidem nulla poſteritatis quærendæ ſpe, vel & neceſſitate: rurſus plebeji cum nobili; heri cum famula; heræ cum famulo, & ſic de cæteris. Recentiores, etſi jam ab antiquo, non in diverſis modo Belgiæ regionibus, ſed in una nonnumquam eademque Provincia, varie annum exordiuntur, ut in Hollandia nominatim, ubi diverſis, ut ſic dicam, utuntur ſtylis. in nonnullis tamen terræ Provinciis, veluti apud Zelandos, ſtylo utuntur Romano, & ab ipſis Ianuarii menſis calendis anni principium capiunt. in Brabantia vero ab ipſo diei Veneris ſanctæ, quam vocant, meridie: idque non adeo quidem ob mortem, quam ob conceptionem Domini Servatoris, qui, ſecundum Eccleſiæ Sanctæ Doctores, conceptus fuit eodem anni die, quo crucifixus. In Flandria ſumunt anni exordium ab Sabbatho ſancto, ipſaque adeo cerei paſchalis

ſchalis conſecratione per ſacerdotem finita, id eſt, hora diei præterpropter undecima. atque hæ quidem propriæ ſunt Brabantini & Flandrici ſtyli formulæ, etſi vulgo, ob feſti ipſius propinquitatem, annum exordiantur ab ipſo die Paſchali, quod & Gallis quoque magnam partem ſolemne eſt. Quia vero plurima oriebantur ex hac ſtyli diverſitate incommoda, imo contentiones nonnumquam & lites, ſapienter tandem reducta eſt omnis hæc res, & quidem publico per Provincias omnes edicto, ad uſum Romanum, & calendas ipſas Ianuarias.

ADDITAMENTVM. [*Poſt Gregorianam anni & calendarii reformationem, invectus eſt & in Belgicam ſtylus, quem vocant, novus. Geldris tamen, Friſiis, Vltrajectinis, Tranſiſalanis, & Groningenſibus, veteris ſtyli uſum mordicus retinentibus.*]

Horarum per univerſum hunc tractum eadem prorſus, & quidem cum reliqua fere Europa, Italia tantum excepta, communis ratio. atque ea, niſi me animus fallit, Italica noſtra magis idonea. cognoſcitur enim ex illa noſtrate diei quidem ipſius finis, & ſimul noctis initium, hora viceſima quarta, id eſt ſole occaſo, ſemper contingens: ſed videlicet hoc vel abſque horologii opera cognitu longe facillimum. & commode quidem Italico modo diſcuntur horæ nocturnæ; diurnæ vero, quas multo pluris intereſt ſcire, nequaquam. In Italia denique toto quatuor & viginti horarum ſpatio unicum tantum efficitur punctum, ſeu intervallum, ad cujus normam dirigenda deinceps, toto illo quam longum eſt tempore, operum atque laborum ratio. unde nec æſtate, nec hyeme, niſi forte ex uſu, vel calami calculo, ſciri poteſt diei & noctis duratio. ex inſtituto vero Belgarum perpetuo ſcitur, quota præciſe hora ſit vel diei, vel noctis meridies. ita enim comparata ſunt hic horologia, ut omni omnino tempore, duodecima quidem diurna, meridies; eadem vero nocturna ſit noctis concubium. ita ut ex duobus hujuſmodi punctis, uſui vitæ humanæ tam neceſſariis, cuilibet ſit in promtu, ſtatim ut horam audit, colligere, quantum abſit vel a diei, vel a noctis meridie. ideoque & ſcitu facillimum, quotnam adeo horas, tam æſtate, quam hyeme, dies ipſi & noctes durent. inſtitutum profecto admodum utile. ſicut illud quoque peropportunum eſt, quod non in urbibus tantum & oppidis, ſed in pagis quoque, imo & alicujus

nominis viculis, tanta passim horologiorum, tum publicorum, tum privatorum sit copia.

*Principis in hoc tractu regimen.*

DIsseremus deinceps de regimine, sive imperio, quod in hunc tractum, suo adeo nomine, suoque jure Princeps exercet; quodque Galliæ Regum in amplissimo illo regno administrando gubernandoque regimini, tam Magistratuum titulis, quam auctoritate, reipsa concordat. quia nempe Duces Burgundiæ, regio illo sanguine oriundi Principes, primi ejus auctores & adsertores. optimi hercle, & ab omnibus semper hominibus, tum & ab ipso ævo approbati regiminis. jam enim plus mille sunt anni, ex quo in dicto regno primum incepit, ac sine ulla, notabili quidem, mutatione perdurat, magna sane Gallorum non tranquillitate modo, verum & gloria. civica enim bella, & quæ ex iis in illo regno, ab anno Christi 1560 citra, nata incommoda, accidentaria tantum sunt mala. qualia evenerunt & Ludovici undecimi tempore. quare licet aliqua fieri tunc videatur rerum mutatio, ipsa tamen regiminis forma, siquis recte examinet, nihil propterea variat. quin ejectis paulatim noxiis illis humoribus, omnia restituuntur in pristinum statum. quod in Inferioribus quoque Provinciis nostris contingit. Agemus deinde, suo etiam loco, de peculiari Toparcharum in subalternas suas & clientelares ditiunculas, tum & Magistratuum urbicorum in singula quæque oppida, quæ tantum non absolute ac suis ipsorum legibus, Principum olim consensu obtentis, gubernari solent, auctoritate & imperii modo. Dicimus ergo, Potentissimos istos Austriaci sanguinis Principes, cum præter hanc ditionem, tot alibi quoque possideant regna, tot Provincias habeant imperio suo subjectas, tractui isti gubernando per se non sufficere, quod factum tamen antehac a Burgundiæ Ducibus: ideoque solere hic constituere peculiarem Gubernatorem, atque Vicarium, Consiliis suis stipatum, qui idem & Burgundiæ Comitatui præest. Et Maximiliani quidem Imperatoris, ejusque filii, Regis Philippi, temporibus, præfuit aliquamdiu Georgius, Dux Saxoniæ. tempore vero Caroli Quincti Imperatoris, gubernavit initio multos annos D. Margareta Austriaca,

ſtriaca, Cæſaris amita. qua defuncta, commiſit anno 1531 idem Carolus terram hanc gubernandam Mariæ, reginæ Hungariæ, ſorori. quæ præfuit uſque ad annum 1555, quo ipſo tempore, Imperator ditionum iſtarum adminiſtratione ultro ſe abdicavit, eaſque filio ſuo, Philippo Regi, poſſidendas conceſſit. qui mox Emanueli Philiberto, Duci Sabaudiæ, matrueli (duabus enim ſororibus, Emanuelis Portugalliæ Regis filiabus nati ſunt) gubernandas commiſit, collato eidem Legati, ſive Capitanei ſui Generalis in Belgia titulo. Hic cum ejuſdem Catholici Regis beneficio recuperaſſet ab Galliæ Rege ditiones ſuas Sabaudiæ & Pedemontii, præfectura ſe abdicavit, & menſe Auguſto anni 1559 Provinciis iſtis exceſſit. quocirca Rex eas tradidit gubernandas ſorori ſuæ D. Margaretę Auſtriacæ, Parmæ & Placentiæ Ducis uxori, conſtituto ei, hoc ipſo nomine, annuo triginta ſex millium aureorum honorario, præter emolumenta, quæ ſolent accedere. Venit poſtmodum anno 1567 Dux Albanus, & diſcedente Gubernatrice, manſit ipſe Legatus, Capitaneus Generalis, & Regius Belgiæ Gubernator. cui poſt annos ſex diſcedenti ſucceſſit Ludovicus Requeſenius, magnus Caſtellæ Commendatarius. quo in Provincia mortuo, Rex anno 1576 temporario ſuo decreto, & per modum, ut vocant, proviſionis, rerũ Belgiæ ſummam commiſit Conſilio ſuo, quod dicunt, Status, ac tandem initio menſis Novembris anni jam dicti ſucceſſit Sereniſſimus Princeps D. Ioannes ab Auſtria, Regis frater, a Majeſtate ſua ad præfecturam hanc miſſus iiſdẽ quibus alii titulis, ſed ampliſſima quadam ac tantum non regia poteſtate. cui, biennio poſt, vel præterpropter, extincto ſurrogavit, iiſdem titulis, præeminentiis, & auctoritate, Rex Alexandrum Farneneſium, Parmæ & Placentiæ Principem, ſuum ex ſorore nepotem. eum dico, qui retulit poſtea in his ipſis Provinciis tam crebas tamque ſtupendas ab hoſtibus Regis victorias. de quibus cum alii paſſim hiſtorici, tum & ego in Commentariis meis prolixe memini.

ADDITAMENTVM. [*Principi Parmæ circa initium anni 1593 Atrebati vita defuncto ſuffecit Rex per modum proviſionis Illuſtriſſimum Petrum Erneſtum, Manſfeldiæ Comitem, qui annuo ferè ſpatio, & uſque ad Sereniſſimi Principis Erneſti Auſtriaci, Imperatoris Rudolphi ſecundi fratris, adventum, rebus*

bus in Belgio præfuit. Erneſtus vero, cum extremo Ianuario anni 1594 in Belgicam adveniſſet, Februario anni ſequentis 1595 Bruxellæ rebus humanis exemtus eſt. ei ſuffectus per modum proviſionis Comes Fontanus, qui gubernavit uſque dum adveniſſet Sereniſſimus Princeps Albertus Auſtriacus, S.R.E. Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus, & tunc temporis Prorex Luſitaniæ. is Februario anni 1596 Bruxellam ingreſſus, & magnifice admodum ſplendideque ſuſceptus, præfuit regio nomine uſque ad annum 1598, quo tempore Rex Philippus, jam ſenio gravis, Principis filii ſui conſenſu, deſponsit eidem Alberto filiam natu majorem, Iſabellam Claram Eugeniam, Hiſpaniarum Infantem, data ei in dotem hac ipſa Belgica, & Burgundiæ Comitatu. atque eo defuncto anno 1621, Iſabella rurſum regis nomine prudenter Brabantiam & Lucemburgum ducatus: & Flandriam, Artheſiam, Hannoniam, Namurum, Comitatus, &c. hodie gubernat. Enumeratis vero hactenus Regiis Belgarum Gubernatoribus, poſtulare videtur rerum ipſarum ſeries, ut & eos recenſeamus, qui Ordinum Generalium nomine, civico iſto bello durante, rebus præfuerint. Cum ergo poſt varios in hoc tractu exortos motus, de quorum initiis atque progreſſu videantur, ſi lubet, hiſtorici hujus temporis, eo jam rediiſſet res, ut, ſublato magno Caſtellæ Commendatario, rerum in Belgio ſumma, etiam Regis ipſius conſenſu, & per modum proviſionis, ut vocant, eſſet penes Conſilium Status; ac promulgata anno 1576 Pacificatione Gandenſi, omnia viderentur tranquilla: miſſus eſt Belgicæ gubernandæ D. Ioannes ab Auſtria; inter quem, & Ordines Generales, paullopoſt redintegratum eſt bellum. hic cum diſputaretur, quiſnam interea rerum ſummæ & bello adverſus Auſtriacum proſequendo præficiendus eſſet, plærique Nobilium, Illuſtriſſimo Principi Auriaco honorem eum ſubinvidentes, clamculum advocandum curarunt Sereniſſimum Principem Matthiam ab Auſtria, Imperatoris Rudolphi tertium fratrem. is cum veniſſet in Belgicam, tandem poſt varias altercationes, ſuſceptus eſt ab Ordinibus in generalem Gubernatorem, & bello adverſus D. Ioannem præfectus, adjuncto ei, ob adoleſcentiam & imperitiam rerum, Illuſtriſſimo illo Principe, ceu Legato & Vicario generali. quod uſque adeo Regem exacerbavit, ut procuraverit illico apud Imperatorem, Matthiæ & Ordinibus generalibus omni Sacri Imperii auxilio interdici. Ioanni interea vita functo ſurrogatus, ut dictum eſt, regio nomine, Princeps Parmenſis. qui ſollicitare mox cœpit Provincias Gallobelgicas, Artheſiam nempe, Hannoniam, & confinales, ad ineundam cum

Rege

*Rege pacem, & procurandam ſui reconciliationem. ſucceſſit Parmenſi conatus, & avulſæ Provinciæ Gallicanæ. a quibus cum deſertas ſe viderent cæteræ, facto arctiſſimo inter ſe fœdere, Regem ejurant, & Sereniſſimum Principem Franciſcum, filium Franciæ, fratrem unicum Regis, creant inaugurantque Ducē Brabantiæ, Comitem Flandriæ, &c. Sereniſſimo Matthia gubernium deponente, & commendata Ordinibus domo Auſtriaca, in Germaniam revertente. Franciſcus, cum delectus agendi prætextu, occupare paraſſet Antverpiam, ab civibus fortiter feliciterque repulſus eſt, & in Galliam redux, poſtpaullo exceſſit. Interea vero Parmenſi res feliciter cedere, & obtruncato, per ſicarium, Illuſtriſſimo Principe Auriaco, plæraque Flandriæ & Brabantiæ oppida illi ſe dedere. quare arctiori etiam quam antea fœdere Provinciæ reliquæ ſeſe unire. unde & unitarum, ſive fœderatarum Provinciarum Belgii nomen eſt. quarum Ordines, poſtquam Gallia primum Regi ſummum in fœderatos Belgas imperium, ſalvis tamen antiquis terræ ipſius juribus, privilegiis, & immunitatibus, obtuliſſent; & ab eo, clandeſtinis Sanctæ Ligæ conſiliis, honeſte ſe excuſante, eſſent rejecti; adierunt Sereniſſimam Principem Elizabetham, Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginam: a qua, licet non impetrarent ut ſummum illud acceptaret in Belgas confœderatos imperium, obtinuerunt tamen auxiliares quinquies mille peditum, & mille equitum copias, militaturas ductu & auſpiciis Comitis Leiceſtrani; quem Ordines Fœderati crearunt ſupremum Provinciarum unitarum Gubernatorem: ſed orto poſt inter Anglos & Belgas diſſidio, Leiceſtranus depoſita præfectura in Angliam revocatus, inibi fato conceſſit. Suffectus illi ab Ordinibus Fœderatis Illuſtriſſimus Princeps Mauritius Naſſovius, Auriaci, ex unica filia Electoris Saxoniæ, filius. Illi ſucceſſit Gubernatoris titulo, Ill. Princeps Fredericus Henricus Naſſovius, Guiljelmi Auriaci ex Loyſa Colignia, filia Caſparis Colignii Galliæ Admiralii, filius, qui exercitui Federati Belgii præfectus magnas res geſſit, patriis ac fraternis virtutibus nequaquam inferior. Victor enim validiſſimas urbes Grollam, Sylvam-Ducis, Veſaliam, aliaſque expugnavit, & ſuperiori æſtate debellatis ad Moſam urbibus Venloa, Ruremunda, Trajecto ad Moſam, quartam Gelriæ tetrarchiam, quæ Hiſpano hactenus paruerat, necnon provinciam Limburgum, Potentiſſimorum Ordinum imperio adjecit, & etiamnum prudenter ac feliciter gubernat.]*

Habet autem ut plurimum Gubernator, ſeu mavis terræ iſtius Præfectus, tamquam Legatus atque Vicarius

rius Principis, tantam in eam auctoritatem, tantum imperium, quantum ipsemet, si dicendum sit, Princeps. Et tamen quotquot ad universale regimen pertinent Magistratus, Principis tantum nomine auctoritateque præsunt. cujus solius est, supremas illas dignitates conferre, & pro arbitratu eligere Præsides, Cancellarios (liceat in his talibus uti receptis, etsi parum forte Latinis, vocibus) Consiliarios Status, & Sanctioris, sive Privati Consilii Capita, Thesaurariumque Financiarum, sive ærarii Principalis, alioque nonnullos, ipsius electioni reservatos, profanorum muniorum ministros. quin de Episcopatibus quoque, Abbatiis, & præcipuis aliquot Ecclesiasticis dignitatibus, usque ad certam, ut vocant, taxam, solus Princeps disponit: omnesque adeo leges, decreta, & alicujus momenti negotia, ejus unius nomine & auctoritate tractari & expediri solemne est. Sed videamus nuncjam, quales hi Magistratus, & quænam eorum sint partes. si præmonuerimus tamen, non ita pridem factum, cum duo illa, de quibus dicturi sumus, Consilia, Status videlicet atque Privatum, unico tantum, eoque Privati Consilii nomine, apud Principem resederunt. quod ipsum Consilium, a prima sui institutione, omnia illa, quæ ab utroque nunc pendent, negotia solum expediit. succrescente autem deinceps negotiorum mole, & supervenientibus maxime tam crebris tamque continuis tractui nostro bellis, necessum fuit, hoc ipsum Consilium in duo velut membra dividere, ac ea, quam dicam, auctoritate prærogativisque munire.

## CONSILIVM STATVS.

COnsilium Status, Gubernatori ex more adsistens, incerto quodam, & pro re nata, ipsiusque adeo Principis voluntate, nunc plurimum, nunc pauciorum rursus Consiliariorum numero constat. ingrediuntur vero in id peculiarium aliquot Provinciarum Gubernatores; hinc Doctores nonnulli, & viri illustres, propter merita sua & virtutes à Principe ad hanc dignitatem evecti. agnoscunt vero hi supra se Præsidem, virum doctrina & prudentia gravem. & cum hoc quidem Consilio consultat atque deliberat Gubernator de rebus ad statum Principis & publicum bonum spectantibus.

agitur

agitur enim in eo de pace & bello, ac de universali terræ regimine. recensentur & examinantur omnia nuntia, monitaque undecumque accepta: tum & arcana cum Principibus, & finitimis, fœdera. agitur & de retinendis vel exauctorandis chiliarchis; de propugnaculis, munitionibus, & armamentariis: de mittendis & excipiendis legatis. referuntur etiam ad hoc ipsum Consilium graviora quæque aliorum Consiliorum negotia. In summa incumbit ei tota moles, & suprema omnium rerum ad gubernium tutelamque ditionis spectantium administratio. Sunt autem hujus Consilii Senatores, de iis loquor, qui præerant anno 1587, quod & monui in epistola ad lectorem, Dux Arschotanus: Comes Mansfeldiæ, qui & Gubernator Ducatus Lucemburgensis & Comitatus Chinensis: Abbas Marollanus: & extra ordinem Abbas Divi Vedasti: Christophorus Assonvillius, Toparcha Altovillanus: Ioannes Richardotus, Consilii Præses, idemque Eques & Toparcha Barlii; a secretis illi Franciscus Vasseurius, Graphiarius Ordinis aurei Velleris, & Toparcha Moriensarti: Flaminius Garnerius: & ad negotia Comitatus Burgundiæ Ioannes Bootius. est & alius quidam secretarius linguæ Germanicæ. In negotiis vero extraordinariis, & quæ gravioris momenti, adhibentur etiam in Senatum omnes quotquot sunt Equites aurei Velleris, tum & alii particularium Provinciarum Præfecti, & Principales ministri, inter quos Audientiarius, cujus infra fit mentio.

## CONSILIVM SANCTIVS,

*sive, ut vulgo appellant, Privatum.*

COnsilium Regis Privatum, sive arcanum, quod & ipsum Gubernatori adsistit, constat fere denis vel duodenis Consiliariis, qui omnes aut Iurisconsulti, aut etiam Equites, virtutum & meritorum ergo ad hunc Magistratum electi. agnoscunt vero & isti supra se Præsidem, penes quem est majoris sigilli regalis custodia. nomen ei ab Gallica voce *privé*, quæ Latinis privatum sive arcanum sonat; quod videlicet Principi intimum & velut domesticum ac familiare sit. tractabat initio, ut diximus, omnia aulæ & totius Status negotia, sed facta postmodum dichotomia, cessit Consilio Status

Status eam quam indicavimus partem, reſervatis ſibi quæ juſtitiam, jus, & politiam concernerent, tum & ſuprema quadam in Conſilia cætera poteſtate & ſuperintendentia. Ejus enim eſt, concedere privilegia & conſenſus, ſeu permiſſiones principales: ejus, expedire delictorũ remiſſiones & gratias: ejus denique, promulgare leges, decreta, ſtatuta, & edicta. unde & hujus Conſilii Senatores dicti vulgo ſupplicum libellorũ Magiſtri. ſpectat inſuper ad eos cognitio & judicatus litium & querelarũ ſuper limitibus & confiniis terrę, ac præcipuis ditionis, ſuperioritatis & auctoritatis, tum Principalis, tum & Procerum quoque ſeu ſatraparum, aliorumque Aulæ adminiſtrorum, in tabulas ordinarias relatorum, partibus. In ſumma, eſt hoc Conſilium veluti vallum quoddam ac propugnaculum juſtitiæ, & ſupremam habet in omnibus rebus poteſtatem. quarum tamen graviſſimas, vel cum ipſo, ſi adeſt, Principe, vel eo abſente, cum generali Gubernatore, nonnumquam & cum Conſilio Status communicare conſuevit. quemadmodum & negotia Status, quibus juridicum aliquid vel politicum eſt admixtum, cum ſanctiore Conſilio communicantur & conferuntur. Præſidet hodie huic Conſilio Guiljemus Pamelius, qui & Conſiliarius Status, de quo infra in deſcriptione Brugarum, ubi natus eſt, latius. Senatores deinde cæteri ſunt Nicolaus Micautius, Dominus Indeveldiæ: Chriſtophorus Aſſonvillius, & Ioannes Richardotus, jam dicti: Ioannes Vendevillius, legum Doctor: Antonius Hoëſtius: Ioannes Froiſſartus, Toparcha Broſſiæ: Ferdinandus Verannemannus, & Ludovicus Vereickius, Conſiliarius, primus Secretarius & Audientiarius. à ſecretis ſunt Ioannes Bootius, antigrapheus ſigillorum & negotiorum Burgundiæ: Franciſcus Vaſſeurius: Guiljelmus Angianus: Simon Grimaldus Moraſana: Aimericus Comes: Flaminius Garnerius: Philippus Stephanus Pratenſis, olim Eques & Secretarius hujus Conſilii; & Theodorus Bertius. Sunt etiam Secretarii Arnoldus Denneterius, & Alfonſus Lalous, ſed agit eorum uterque nunc in Hiſpania apud Regiam ipſam Majeſtatem.

## CONSILIVM FINANCIARVM.

REſidet hinc in Aula Conſilium, cui & hic, & apud Gallos nomen Financiarum eſt, idque ab annis aliquot retro conſtat è tribus notæ prudentiæ inter Belgas Dynaſtis, qui vulgo audiunt Capita Financiarum: uno Theſaurario; uno Tribuno ærario, ſeu generali Quæſtore; & tribus honeſto loco natis, peritis, & muneris tanti capacibus viris, quos vulgo vocant Commiſſos: tum duobus Graphiariis, aliiſque aliquot adminiſtris. Et penes hoc quidem Conſilium ſuprema eſt in Principis patrimonium annuoſque proventus auctoritas: tum & ſuper ordinariis extraordinariiſque ſubſidiis, ſuper Cameris ſive Collegiis Rationum, Quæſtoribus, aliiſque pecunias Principales tractantibus, diſpenſatio: in eo fiunt taxationes, & expediuntur pecuniarũ, pace belloque neceſſariarum, ac vel in arces & propugnacula, vel in alios tam ordinarios quã extraordinarios uſus, totiuſq; adeo Ditionis tutelam & conſervationem, impendendarũ ſolutiones. Locat etiam hic Senatus, interventu Quæſtorum, & prævio Camerarum Rationum adſenſu, omnia Principis vectigalia. moderatur atque reſtringit, pro inſtituti & commentarii ſui ratione, locationum leges. & ut paucis dicam, penes ipſum eſt diſpoſitio, poteſtas, & adminiſtratio omnium & quorumcunque bonorum & pecuniarum Regalium. unde proprie dici poſſit gaza quædam atque theſaurus Principis, quo is utitur ceu perfugio quodã & ſacra, quod ajunt, anchora, in quavis occaſione atque neceſſitate. ordine quidem & legibus ita exactis, ut & exteri aliquot Principes hinc non raro petierint ditionum ſuarum adminiſtrandarum exemplar. Funguntur autem hoc tempore dignitate iſta & Magiſtratu duo tantummodo Capita, ſeu ſupremi Præfecti, quorum alter eſt Illuſtriſſimus Comes Arembergius; alter vero Dominus Champagnius, Gubernator Antverpienſis. Theſaurarius eſt D. Godefridus Stercquius, cujus infra prolixior mentio: Tribunus ærarius, ſeu Quæſtor Generalis, Chriſtophorus Godinus: Commiſſi vero, ſeu delegati & Syndici ſunt, Petrus d'Overlopius, Toparcha Hamæſius: Benedictus Charretonus, Dominus Caſſanææ: Ioannes Drencwairtus, Toparcha Dormaliæ

liæ: Guiljelmus Merodius; & Conradus Schetſius, Toparcha Hinganus. Secretarii, & qui regio nomine actis ſubſcribunt, ſunt prædictus Dominus Audientiarius Vereickius, & ad negotia Burgundiæ Ioannes Bootius. Graphiarii tres, videlicet Adrianus Bootius, Paulus Croonendalius, Henricus Stercquius. Atque hæc tria, de quibus hactenus dictum, Conſilia, aulam, quocumque illa ſe confert, ſequuntur; idque tam ad belli, quam ad pacis negotia.

Sequitur vero eamdem aulam & Præpoſitus ejus, ſive capitalium rerum Præfectus. quem iſti ab rubra quadam, eaque prælonga & ſpinoſa virga, quam præferendam ſibi is curat in juſtitiæ ſignum, de ſtoode ſtoede/ nos *Bargello ò Capitano della giuſtitia* vulgariter dicimus, qui Magiſtratus, præter eam, quam aulæ ſolemniter præſtat operam, aliquando etiam eſt pro latrunculatore, & rerum criminalium per agros paſſim & rura quæſtore, quem Itali quidem *il Bargello di campagna*, Brabanti vero dicunt den Droſſaert. quod magni ſanè momenti & auctoritatis eſt munus. Sed cum iſte Droſſartus non egrediatur Brabantiæ finibus: ſicut nec alii quoque Flandriæ nempe, Hannoniæ, & ſi qui præterea ſunt Droſſarti, Provinciarum ſuarum limites umquam excedunt: hic aulicus noſter Præfectus univerſam adeo ditionem perambulat, & quidem pro occaſionum & poteſtatis ſibi in graſſatores & vagabundos ab aula conceſſæ modo, adeo ut non ita pridem factum ſit, cum de reis ipſe ſua unius ſententia, ac pro arbitratu ſtatueret, ſumeretque etiam capitis ſupplicium. ſed adjunctus ei eſt nuper, ad exercenda id genus judicia, regius delegatus.

## CONSILIVM CAMERÆ RATIONVM.

HAbet deinde Bruxellæ domicilium & alius quidam Regius Magiſtratus, qui Financiarum veluti membrum eſt, & vulgo audit *la Chambre des Comptes*, Camera Rationum. cui ſolemniter olim præerant unus Præſes cum ſeptem Ratiocinatoribus, & aliis aliquot adminiſtris. hodie vero auctior multo eorum eſt numerus, etſi non omnes tamen in functione. ſunt enim nunc, præter Præſidem, rationum Magiſtri duodecim:

Audito-

Auditores, tum ordinarii, tum extraordinarii, quinque; & alii quidam Officiarii. Præſes iis antiquior Petrus Butkenius; recentior vero Bernardus Veuſelius. Ratiocinatores Ioannes Bootius: Henricus Stercquius: Iacobus Clocmannus: Ioannes Baptiſta Bergius: Henricus van Etten: Ioannes Favrius: Gerardus Cymontius: Gerardus Pauſius: Iulius Buccabella: Marcus Denneterius, & Franciſcus Verliſius. Auditores Ioannes Walhemius; Leonardus Boxhornius: Ioannes Cortembacchius: Guiljelmus Smiſſius, & Vrcius Iderſenius. Et huic quidem Senatui rationem reddunt ſuo quiſque loco & tempore omnes, quotque ſunt, in Ducatu Brabantiæ & annexis illi dominiis, tum & Lucemburgenſi Ducatu Theſaurarii, Quæſtores, aliive Regiarum pecuniarum Oeconomi, acceptis ab eo viciſſim, juxta Regias conſtitutiones, debitis apochis, ſive acceptilationibus. Præter vero hanc Bruxellenſem, ſunt & aliæ tres rationum Regalium cameræ, in Flandria nempe, quæ omnium longe præcipua, in Geldria, & in Hollandia. Atque hi demum illi ſunt Magiſtratus, qui, Principis nomine, generali Belgarum Gubernatori, ex veteri & ſolemni more, adſiſtunt. Sedenim, præter hunc ipſum Gubernatorem, eſt & peculiaris, ut ſuis infra locis docebitur, unicuique fere Provinciæ ſuus Præfectus; ad quem, ceu Vicarium Principis, rerum præcipue bellicarum ejus cui præeſt Provinciæ ſumma ſolet referri. ipſe vero univerſalem illum Gubernatorem reveretur, eique obtemperat. Notandum autem, iis, qui vel in Aula Principi operam ſuam impendunt, vel apud exteros Principes ejus ſunt Oratores, aut alio quovis titulo peregre abſunt, ſpeciali quadam gratia privilegioque conceſſum eſſe, ut qui peregre ipſis naſcuntur filii, ii, ubicumque in lucem edi contingat, pro ſuo ipſorum delectu, vel loci ubi naſcuntur, vel patriæ ſuæ paternæ privilegiis gaudeant. quod non adeo pridem factum vidimus in Eduardo Dilftio, qui cum natus eſſet Londini, patre Franciſco Dilſtio Antverpienſi, Imperatoris inibi tunc Legato, creatus tamen fuit Antverpienſis reipublicæ Conſul.

## CONSILIA PROVINCIALIA.

HAbet insuper Princeps in singulis fere Ditionis hujus Provinciis, ut & infra suis videlicet locis commemorabimus, singula sua Consilia, sive Curias, ut sic dixerim, juri dicundo præpositas. quæ nonnullibi, ut nominatim Mechliniæ, Parlamenti; alibi rursus, ut in Brabantia, Cancellariæ nominibus veniunt. constant autem, pro regionis cujusque modo, senis, octonis, denis, duodenis, sedenis, vel & duodevicenis Consiliariis. qui omnes aut legum Doctores, aut saltim Licentiati. horum alii Præsidem, alii Cancellarium supra se, tamquam caput, agnoscunt. resident etiam apud singulas Curias singuli Advocati fiscales, & Procuratores Regii generales. sunt dein Graphiarii, secretarii, aliiq; minorũ gentium administri. Atque hi omnes Iustitiæ administratores eliguntur ut plurimũ ab generali terræ Gubernatore, & statuitur quidem plærisque in omnem vitam a Principe honorarium. Habet autem hic Magistratus maximam sane in civilibus simul & criminalibus caussis auctoritatem, cum de iis etiam controversiis quæstionibusque cognoscat, quæ ad Principis ditionem & patrimonium pertinent. quin de fundamentis quoque, differentiis, atque confiniis, ex Abbatiis & earum jurisdictionibus ultro citroque nascentibus, idem hic Magistratus non active minus, quam passive cognoscit, solis iis exceptis bonis, quæ vulgo vocant amortisata, id est, commercio omni humano exempta, de quibus, ut infra alicubi dicimus, disceptatur in tribunali Ecclesiastico. facit ut observentur privilegia, immunitates, officia, beneficia, provisiones, & cautiones, ab ipso Principe quovis modo concessa. particularibus tamen jurisdictionibus & privilegiis semper salvis. Vocantur præterea coram hoc Magistratu in jus non omnes tantum ministri & officiales Regii, verum & ipse nonnunquam Rex, cujus nomine caussam defendunt Procurator & Advocatus fiscales, nec vel auctoritate potentiave, vel alio quovis adspectu, cuiquam infertur injuria. quin evenit nuper in Geldria, hujus ipsius Philippi Regis temporibus, ut cum caussa cecidisset Sua Majestas in lite quam agitaverat cum Toparcha

An-

Anholtino, nec reperiretur, qui ſententiam vellet exequi, ipſe Rex (ô juſtiſſimum Principem!) eam de facto executioni mandandam curaverit. Appellant quoque ſuprema hæc tribunalia inferiores omnes conſeſſus juridici, ſingulorum ex illis juriſdictioni ſubjecti. & judicatur in eorum plæriſque, nominatim in Brabantino, Mechliniano, Hannonienſi, Geldrenſi & Friſico, definitive, ut vocant, nec ulla datur ab Regiis iſtis Conſiliis provocatio. ſed obnoxia tamen eo, in civilibus quidem cauſis, altera partium ita petente, & ordinaria juris via etiam impetrante, certæ cuidam ſententiarum ſuarum recognitioni, quam vulgo reviſionem appellant, cui ut plurimum adhibentur ex aliarum Provinciarum Conſiliis aliquot Senatores, dimidium fere illorum, a quibus lata ſententia, numerum adimplentes: atque hi conjunctim deinde ſcripturas & munimenta proceſſus recognoſcunt, & ſecundum comperta probataque, numeratis ſuffragiis, judicant atque pronuntiant. raro tamen aliter res ſuccedit, quin is, qui reviſionem obtinuit, quæ & habet ingentes ſumtus, & executionem ſententiæ latæ nihil retardat, & operam ſimul & oleum perdat. Legibus vero, tam quod attinet ad civile, quam canonicum jus, & in hiſce Conſiliis, & in aliis omnibus terræ ſoris, utuntur communibus: municipalibus tamen, & peculiaribus quorumdam locorum ſtatutis, quorum ingens eſt numerus, tum Principum quoque reſcriptis, & conſtitutionibus ſemper ſalvis: quæ omnes omnino leges, privilegiis tantum exceptis, præcedunt. ſedenim de hiſipſis, priuſquam perferantur & promulgentur, non ſine præviis Conſiliorum Provincialium votis atque ſuffragiis, mature deliberatur, & ita firmo ſolidoque fere nituntur jure, ut cum communibus ipſis legibus multum conveniant.

Iam vero præter omnem hanc εὐταξίαν, & adminiſtrandæ juſtitiæ rationem, delegat quotannis, Regio nomine, Gubernator Commiſſarios quoſdam, qui non in urbibus ſolum primariis, ſed in omnibus quoque alicujus nominis oppidis, creent formentque Magiſtratus urbanos. injuncto etiam iis, ut accepti quoque & expenſi ſingularum urbium tabulas recognoſcant. ſpeciatim vero in Ducatu Brabantiæ, ubi ſingularem quandam auctoritatem & juriſdictionem poſſidet Princeps in loca ſa-

cra. mandat inſuper iis ut recognoſcant rationes templorum, Cœnobiorum, & Noſocomiorum. quo videlicet fiat certior num pia ejuſmodi loca ſarta tecta ſerventur, & convenienter adminiſtrentur eorum proventus. quod ſiqua inveniantur confuſa. ſiqui manifeſtiores abuſus, iis, ſtatim ut ad Aulam delata ſunt, ſeveriſſime providetur. Adeo quidem, ut licet omnes hic urbes, omnia etiam oppida, aliaque alicujus momenti loca, ut in deſcriptione Antverpiæ ſpeciatim narrabitur, ſuis regantur & vivant legibus, plurimiſque gaudeant privilegiis, & eximia quadam in politicis polleant libertate; gubernationis tamen ipſius ſumma, & primariæ quæque ditionis totius dignitates a Principe primum, tamquam fonte, dimanent, & in eum rurſus redundent. Solent vero omnes Gubernatores, omnes Præſides, Cancellarii, Theſaurarii, Quæſtores, & quidquid præterea Regiorum adminiſtrorum eſt, ſive togati ſint, ſive ſagati, in munerum dignitatumque ſuarum auſpiciis, Principi ipſi præſtare jusjurandum fidelitatis & obſervantiæ. ſicut publici quoque oppidorum atque pagorum, & privati Toparcharum & Satraparum miniſtri, tum in hoc noſtro tractu, tum in omnibus generatim regionibus tranſalpinis, ſuperioribus ſuis fidei ſeſe & obſequii ſacramento obſtringunt.

Non habet in hac ditione ſua Princeps, extra bellum quidem & pacis tempore, ordinarium aliquem peditatum ad militares uſus deſcriptum. quod Italis tamen magna ex parte, & ab annis aliquot retro etiam Gallis cœpit eſſe ſolemne. quia nempe ex facili, & quandocumque Principi viſum eſt, ille, vel è vicina Germania, vel ex ipſa etiam terra parabilis, tantum in ipſis limitibus, & præcipuis aliquot propugnaculis, ubi pediti nempe incumbunt excubiæ, præſidio habet pauculas quaſdam millenarias ejus cohortes. alicubi vero habetur & equitatus. ſed eſt vetuſta quædam equeſtris militiæ turma, caute & circumſpecte nuper, adeoque anno 1547 ab Carolo Quincto Imperatore in ordinem reſtituta, quæ hodie conſtat ternis equitum millibus, partim quidem cataphractorum, partim vero levioris armaturæ, quos poſteriores Gallica voce Belgæ dicunt *Archiers*, continet autem hic equitatus ſexcentarum, ut iſti

loquun-

loquuntur, lancearum cohortem, computatis in lanceam, Belgico more, quinis equitibus, qui apud Gallos sunt seni. atque hic quidem sexcentenarius numerus lancearum, per opportuniora quæque terræ loca varie sparsus, distribuitur in quatuordecim alas, vulgo de Benden van ordonnantie. harum quæ plenæ sunt, quinquagenis, quæ minus plenæ, tricenis dumtaxat lanceis constant. committuntur autem hæ alæ, honestissimo sane stipendio, optimisque & inviolate servandis legibus, præcipuorum hic è Dynastis regimini. Ita quidem ut ista militia numquam non floreat, & cum nobili stirpe prognatis tum selectis & ad maxima quęque atque pulcherrima, ut pluries nuper compertũ est, tentanda patrandaque facinora, non idoneis minus, quam expeditis militibus plena sit.

Sed nec paratam hic habet Princeps maritimam aliquam classem. nam cum tanta perpetuo sit domesticarum simul & exterarum navium copia, superfluus plane esset hic sumtus. Habet tamen in promtu Archithalassum, cum pauculis aliquot præsidiariis quidem, sed semiermibus tantum naviculis. quod si forte occurrat, ut facienda sit expeditio aliqua bellica, vel trajiciendum hinc aliquo, puta in Hispaniam, via maritima, tum vero usitatum & solemne est Principi, retinendum jubere qualemcumque visum est navium in hisce portubus consistentium numerum, sive vacuæ eæ sint, sive onustæ, nullo vel indigenarum, vel exterorum dominorum discrimine. has postea suo ipsius apparatu suisque auxiliis curat armandas, & ex animi sui sententia instruendas. utitur autem instructis quantisper placet, naulum earum dominis ex æquo & bono persolvens. Munus Archithalassi, quem Belgæ, vocabulo, ut putatur, Arabico, Admiralium vocant, sublimis valde & magni momenti dignitas. est enim illeipse supremus maritimarum & omnium inde pendentium rerum præfectus. unde & classium quoque mari expeditarum caput & capitaneus generalis. est præterea omnium fisco adjudicatorum, omnium tempore belli maritimarum prædarum particeps. quin & in singulas mercium vehes, Regis permissu atque diplomate hinc ad hostes avectas, vel ex hostico huc importatas, certum aliquod pretium illi persolvitur, quibus quidem maritimis diplomatibus,

huic, illi, ab Rege conceſſis, neceſſe eſt ut accedat Archithalaſſi conſenſus, atque chirographum. quod ipſum ejus chirographum, Belgis Gallica voce dictum *attache*, quia nempe diplomatibus Regiis ſolet affigi, uſque adeo neceſſarium eſt, ut niſi accedat, omnes illæ merces & bona reapſe ſint confiſcanda. Quod ipſum terreſtribus quoque ab Rege concedi ſolitis diplomatibus fieret, niſi affixa iis regionum illarum, qua tranſportantur merces, Gubernatorum chirographa. idque non ea tantum de cauſſa fit, quod hunc habeat Princeps Miniſtris ſuis honorem, ſed quod ex eorum illo conſenſu, quibus, ceu terrarum illarum Præfectis, talia magis ſunt explorata, certus fiat, ſeſe non defraudari. Præeſt hodie huic dignitati Emanuel Lalainius, Marchio Renticenſis, Dominus Montigniaci, Eques aurei velleris, & Capitaneus generalis terræ Hannoniæ.

Maxima inſuper Principi in hiſipſis Provinciis tormentorum aliorumque inſtrumentorum & apparatuum bellicorum eſt copia. quæ omnia, demta ea dumtaxat parte, quam auferunt neceſſario limites & præcipui nominis popugnacula, cuſtodienda curat Mechliniæ. unde porro, ſiquando conflatur exercitus, vel alia quævis ſeſe offert occaſio, moventur & propelluntur ad deſtinata & opportuna uſui ſui loca. Cui muneri præfici ſolet Regius quidam adminiſtrator, Gallobelgis *Grand Maiſtre de l'artillerie*, Latinis, ut volunt, Tribunus armamentarii. penes hunc ſuprema eſt machinariæ rei auctoritas. is quocumque neceſſitas poſtulat, tormenta jubet conduci, conducta diſponi, & ſuo tempore rurſus auferri. ita ut magni ſane momenti, & ampliſſimæ dignitatis hoc munus ſit; cui hodie præeſt Carolus Comes Manſfeldiæ, Baro Heldrungæ, & Patris in præfectura Lucemburgenſi Vicarius; heros illuſtris & prudens, ac honore quovis digniſſimus. Præterea vero ipſa etiam terra tormentis & omni bellico apparatu abunde inſtructa, & pauca admodum oppida, paucæ alicujus momenti ſunt arces, quæ non adfatim ſibi de illis proſpexerint.

*Interdictum de certis quibuſdam rebus è terra non exportandis.*

SVnt deinde & aliæ multæ in hoc tractu laudabiles leges, quas & Majeſtati ſuæ tuendæ, & publico terræ bono Princeps inſtituit. Et primum quidem, quotieſcumque bellum eſt, non permittit, ut ſubditorum ſuorum quiſquam militatum abeat ad Principes ſive Reges extraneos, niſi obtento prius diplomate. Non permittit, ut eo tempore vel exportentur ad ſuos hoſtes, vel in hanc ditionem ex hoſtico importentur ullæ qualeſcumque ſint merces, utve ſubditi habeant quidquam cum hoſte commercii. concedit tamen certis quibuſdam perſonis, non ſine magno ſuo emolumento, tutum & liberum commeatum, in ſingulares aliquas, & de quibus inter partes convenit, merces. Non permittit, ne pacis quidem temporibus, ut avehantur hinc equi quindenis palmis altiores. equæ vero, cujuſcumque ſint magnitudinis, nullo umquam tempore, ſine peculiari ipſius permiſſu, poſſunt abduci. Triticum inſuper, ſecale, & quidquid præterea frugum eſt, exportare hinc nefas. quod de iis tamen intellige, quæ in ſolo hoc nata. nam exoticas quidem, nihil eſt quod prohibeat. nefas etiam exportare hinc arma, aut bellicum aliquem apparatum. eadem auri atque argenti, ſive ſolida ea, ſive in pulverem ſint redacta; eadem pecuniæ, ubiubi cuſæ, & vel integræ, vel corruptæ; (niſi quod viatoribus tamen permiſſum, ut quantum viatico ſatis ſit, ſecum exportent) eadem denique hydrargyri, ſive argenti, ut vocant, vivi; eadem æris & orichalci eſt ratio. at gratia tamen & pretio multa ſæpius obtinentur. Importare autem in ipſam terram cujuſcumque generis merces & bona, dummodo probæ ſint notæ, cuivis permiſſum eſt. ſicut omnes quoque ex auro, plurimi etiam ex argento nummi, juſto ſui valore, paſſim hic exponuntur.

Venationis atque aucupii jus, tum & piſcationis in fluviis, lacubus, & quidquid præterea vel perennium, vel ſtagnantium uſquam aquarum, facultas, (mare liberum ſemper & cuivis commune) penes Principem fere, & urbes, aut Dynaſtas denique & Toparchas eſt, & quidem quam late patent ſingulorum juriſdictiones &

ſatrapiæ. Brabantia tamen excepta: in qua quinque tantum ſunt ſylvæ, Sogniacenſis nempe, Zaventerloa, Grootenhoutium, Grootenheiſta, Meerdalia, promiſcuæ gentis totius venationi exemtæ. nam in reliquo omni Ducatu, ſingulari quodam, ut infra dicturus ſum, privilegio, venari ſimul & aucupari, dum canes modo & aves, non autem caſſes adhibeantur, aut laquei, unicuique conceſſum eſt. Atque his quidem ſuis venationibus, piſcationibus, atque aucupiis Princeps in ſingulis fere Provinciis palatina quædam officia præficit, qui è ſua quiſque Provincia magnam ei utilitatem variis modis apportant. Sunt autem hi tales Præfecti, maxime qui venationibus præſunt, viri Nobiles & Illuſtres, qualis hodieque eſt apud Brabantos Antonius Rubenpræus, eques, & Toparcha Vertainius, qui in præcipuas quaſque venationem concernentes res ſupremam habet auctoritatem, ideoque inter cæteros dignitatum & honorum ſuorum titulos, appellatur & Magnus Venator Brabantiæ.

Sunt præterea Principis præcipuæ quęque tractus totius ſylvæ, quibus ille non ad venationem dumtaxat, ſed ad lignationem etiam utitur, è qua ingens colligi ſolet pecuniæ vis. eſtque adeo hæc ipſa lignatio non exigua Principalis proventus particula. cujus reliqui cenſus in oppidis aliquot, caſtris, pagis, toparchiis, agris, molis, aliiſque jam olim ad dominum terræ ſpectantibus rebus conſiſtunt. qui reditus Gallica voce dicuntur *domaines*, Italice non aliud nomen iis aſſignem, quam *beni patrimoniali*, etſi nonnemo vocet *dominio*. Iuſtiniano Imperatori dicuntur SACRVM PRINCIPIS PATRIMONIVM. nec alia ratione Pontifex Maximus certam quandam ditionis ſuæ partem nominat *patrimonium Sancti Petri*. Habet etiam Princeps, inter alia ſua bona, vectigalia quædam atque portoria, in merces terra marique advectas, vel & exportatas, impoſita. habet minutulos quoſdam proventus & jura in ſingularibus aliquot urbibus; ut nominatim Antverpiæ, ubi præter rerum confiſcatarum partem, jus illi in monetariam officinam, & in publicum carcerem, quod locare ſolet pretio neutiquam contemnendo. præterea nemini in hac urbe fas exercere piſcariam, niſi qui prius a Principe redimat facultatem. cui in publicam illam domum, in qua pendi

ſolitæ

ſolitæ merces, aliquid etiam juris eſt. nec diu factum, cum in ſingulas quoque frumenti menſuras haberet jus cochlearis, vulgo het Lepel-recht: quod etſi admodum tenue, Magiſtratui tamen, centenis aureorum noſtratium millibus, & quidem præſentis pecuniæ, vendidit. Sunt deinde & aliæ quædam ejus obventiunculæ, quæ majoribus illis conjunctę, luculentum illi conficiunt cenſum, & nec ordinarie, nec etiam extraordinarie, eo, quem poſſidet Angliæ Rex, ſi bonorum Eccleſiæ Anglicanæ invaſionem excipias, ullatenus inferiorem. Atque hæc quidem ſuper hoc argumento diſſeruiſſe ſufficiat, ad demonſtrandam videlicet cum hujusipſius terræ, tum & Principis ejus potentiam, quæ ſcripto ſane nec poteſt, nec etiam debet explicari ſubtilius.

*Ordines Belgicæ convocandi, & tranſigendi cum iis, ratio.*

QVotieſcumque vel ipſe Princeps, vel ejus nomine generalis Præfectus, Ordines Belgicæ convocare conſtituit, quo videlicet eos pecuniarium aliquod, vel & aliud qualecumque ſubſidium petat; quove gravioris momenti negotium, puta novas exactiones aut leges, ipſis proponat: ſolet iis per litteras conſtituere & aſſignare certum aliquem atque præciſum diem, ad quem illi ſe ſiſtant loco per eum pro arbitratu delecto. deligit autem fere Bruxellam: tum quod ordinaria illic aulæ ſedes, tum & cauſſa Brabantinorum, qui (ut ſuo loco dicetur) extra fines Brabantiæ nihil deliberant. adſunt vero ut plurimum ſtato eo & condicto die omnes quotquot vocati ſunt, & quibus comitii jus eſt, Ordines. qui ſi æquo diutius ceſſent, arceſſuntur de integro, & ſtatuuntur in ceſſatores, pro negotii qualitate, nunc leviores, nunc etiam graviores pecuniariæ pœnæ: ita ut non committant, quin mox atque vocati ſunt ſiſtant ſeſe, ac ad diem & locum ſtatutũ præſto ſint. Et conveniunt quidem ſolito more Bruxellæ ordines tantum earum Provinciarum, quas nunc dicam; Brabantiæ ſcilicet; Flandriæ; Artheſiæ; Hannoniæ; Valentianarum; Inſularum, Duaci, & Orchiſæ; Hollandiæ; Ditionis Vltrajectinæ; Zelandiæ, Namuri; Tornaci & Tornacæſii; ac demum Mechliniæ: cæterarum enim Provinciarum, Geldriæ nempe, Tranſiſalanæ,

Friſiæ, & Ducatus Lucemburgenſis Ordines, ex pacto, & ſingularibus quibus præditi privilegiis, convocantur a ſuis quique Præfectis Provincialibus (niſi graviſſimæ tamen cauſæ aliter ſuadeant) in ſuas ipſorum Provincias, ubi & cum iiſdem Præfectis, regio nomine, paciſcuntur. Conſtant vero, ut ſingillatim poſtea demonſtrabo, in omnibus fere Provinciis, Ordines iſti, è triplici hominum genere, Eccleſiaſticis nempe, Nobilibus, & primariarum urbium Magiſtratibus. è quibus, aut ea-ipſa videlicet membra, primores, & delegati, quorum eæ ab antiquo ſunt partes, accedunt, aut Commiſſarios ſuos expediunt: niſi quod aliqui tamen proceres, ſalvo juſto impedimento, ipſi ex lege ſe ſiſtnnt. Sed non omnibus tamen Provinciis eadem conſuetudo. etenim, verbi gratia, ex Brabantia, Artheſia, Hannonia, Namuro, atque Zelandia præſto ſunt in Comitiis trium pariter Ordinum commiſſarii; & Eccleſiaſtici quidem vicem, Abbates; Nobilitatis vero, Duces, Marchiones, Principes, aliique Dynaſtæ, & primarii Nobiles; urbium denique, Conſules cum binis terniſve Scabinis & ſingulis Syndicis. qui pro re nata tamen interdum plures, interdum & pauciores. Dico, Eccleſiſtici Ordinis vicem, adeſſe Abbates; nec id nimis improprie, cum ipſi revera ſint Eccleſiaſtici: ſed ut dicam quod res eſt, adſunt illi nomine proprio. nec enim Eccleaſiaſtici cæteri vel cum ipſis Abbatibus, vel cum Ordinibus generalibus uſquam concurrunt; quod videlicet, ſi non omnes, at plærique tamen ſint petitionum illarum immunes. Flandria, quatuor tantum, Membrorum ſuorum nomine, commiſſarios mittit: qui Ordo auctoritatem habet & facultatem, ut ſolus atque per ſe deliberet ſtatuatque, trium ejus Provinciæ Ordinum vicem. vocantur quidem & duo reliqui Ordines, Antiſtites nempe & Nobiles, ac licet iis, cum libet, Syndicos ſuos ad Comitia mittere, qui diſpiciant, num quid Membra illa parum caute Principi annuant, quod privatim ipſis incommodet: nam ſi tale quid accidat, opponunt ſe ipſi, & quam ſibi id detrimentoſum ſit, argumentis modeſte oſtendunt: ordinarie tamen, quod annuerunt quatuor Membra, id nec contradictionem nec oppoſitionem admittit. Hollandia non niſi duorum Ordinum nomine, Nobilitatis nimirum & oppidorum, commiſſarios deputat,

putat, & quod iſti concludunt, id tota Provincia ratum habet & firmum. Atque hi quidem Ordines, cum Bruxellæ jam adſunt, non congregantur omnes conjunctim, ſed provinciatim dumtaxat, & ſucceſſive, idque in ampliſſimo quodam palatii Principalis conclavi: ubi, præſente ut plurimum generali Gubernatore, vel Præſes, vel Conſiliarius aliquis Status, nomine Principis, petitionem illam ſubſidiariam ipſis proponit, & neceſſitatem, ſeu voluntatem & deſiderium Principis, ſolidiſſimis rationibus & humaniſſimis verbis explanat. Quo facto, Ordines, ſeu mavis eorum delegati, poſtulant ſibi concedi tempus aliquod reſpondendi: atque ita, ſervatis de more quibuſdam terminis & ſolemnibus ceremoniis, ſingula membra ſeorſim reſpondent. Cui ipſi reſponſo ſi Princeps forte, aut ejus Præfectus non acquieſcat, tum vero multis iiſque ſolidis rationibus petitionem ſuam juſtificare, eoſque in ſententiam ſuam perducere nititur. ea enim eſt privilegiorum iſtorum hominum vis, ut non niſi cum ratione conciliare ſibi poſſit eorum ſuffragia. neque locum hic habet illud plurimis locis decantatum dicterium, *Sic volo, ſic jubeo.* adeo quidem, ut quamvis reliqua omnia membra Principi quidquam annuiſſent, una aliqua urbs, qualis Antverpia, turbare poſſit & interrumpere totum illum conſenſum. nam quidquid Ordines illi Provinciales, vel eorum aliqua membra, concedunt, id ea fere faciunt lege, ut omnes omnino Ordines idipſum pro rata ſua portione confirment, ita ut perpetuo fere neceſſum ſit, non Ordines modo, quos dixi, conjunctim, ſed ſingula quoque ſeparatim eorum membra, unanimi voce, in unam & eamdem concluſionem concordare. unde nonnumquam contingit, ut non obſtante quacumque demonſtratione, propter ſuffragiorum diſcordiam, petitio Regia prorſus rejiciatur. quod ipſum Princeps patienter & æquo animo fert, nec plura tunc ſuper eo negotio fiunt verba, ſed in aliud tempus magis oportunum differtur. quoniam vero & modeſtus eſt Princeps, & ſubditi ejus civiles, fit ut quamvis in longum aliquando trahatur res, tandem tamen conveniant, mutuaque & pari utrimque ſatiſfactione concordent. Quoticſcumque autem Ordines vel totam petitionem, vel aliquam ejus partem Prin-

cipi unanimiter annuunt atque condicunt, rata & firma tunc res est, & stato oportunoque tempore plenum sortitur effectum. Si pecuniaria sit petitio, deliberatur, post impetrationem, accedente & Principis placito atque suffragio, undenam & qua ratione illæ tales pecuniæ corrogandæ; ita ut vel bonorum decimatione, vel vectigalium ad tempus auctione, vel novarum denique exactionum impositione, aut simili aliquo modo, pro temporis, loci, & conditionum ratione, Principi satisfiat, & æquatis solemni more inter Provincias taxationibus, totum illud quod ipsi concessum est persolvatur. & Ecclesiastici quidem, sive sic mavis Abbates, nisi in nonnullis tamen Provinciis aliud moris sit, taxationes suas seorsim; Nobiles vero & Magistratus, propter consortium quoddam & affinitatem, quæ inter utrumque hunc Ordinem intercedit, symbola sua conjunctim dependunt. Ac Brabantia quidem, quæ partim antiquitatis, partim dignitatis ergo præcedit, portionem suam persolvit florenis quadragenorum grossorum Flandriæ, qui semiaureo nostro examussim respondent: Flandria vero, quę opulenta & potens est regio, pro illis quadragenorū, florenos pendit grossorum quadragenum octonum. atque ita & cæteri Ordines ratam suam partem, juxta solemnes jam olim taxationes, persolvunt. quæ ipsæ taxationes, nisi novum quid & inexpectatum huic illi Provinciæ superveniat, ordinarie numquam mutantur.

### *Conventiones inter Pontificem, & Provinciarum istarum Principem.*

QVod res Ecclesiasticas attinet, easdem fere habet cum Pontifice Maximo Princeps in hac Ditione sua conventiones, quas in Regno suo Rex Galliarum: & nominatio quidem collatioque Episcopatuum, Abbatiarum, & aliarum id genus dignitatum, in ipsius plærumque est manu; confirmatio vero & expeditio penes Pontificem. qui nullius omnino prætensionis vel correctionis prætextu, quemquam hominem, sive ecclesiasticus is, sive laicus, evocare potest extra Provincias. unde siquid fortè occurrat, oportet ut mittat, vel hic deputet Commissarios, qui de prætensa caussa cognoscant. sed nec beneficium ullum aut gratiam potest

conferre

conferre, nec expedire in hanc terram diplomata, aut quid aliud tale, quod effectum ſortiatur, abſque Principis quidem, vel Conſiliorum ejus placito atque conſenſu. In demortuorum vero Canonicorum, Decanorum, & ſimilium dignitatum vacantes locos, ſurrogationis illi, alternis cum Rege menſibus, jus eſt. Canones cultus Divini paſſim hic probi, & in multa obſervantia. habent enim Epiſcopi ſuos Archidiaconos, qui ceu membra quædam & adminiſtri, repræſentant ipſorum perſonas, utque rite adminiſtrentur officia Divina, diligenter procurant; habentes eodem fine in præcipuis quibuſque locis & oppidis Decanos ſuos rurales, & obligati quotannis ſuam quiſque obire Provinciam, ac ſiquid forte uſquam erroris, ſiquos abuſus offenderint, ad Epiſcopum ipſum referre, quo tempeſtiva nimirum adhibeantur remedia. Quod decimas attinet, omnes fere Provinciarum iſtarum agri dependendis iis obnoxii: & alii quidem Eccleſiaſticis, alii partim hisipſis, partim Nobilibus, aliiſque proprietariis eas perſolvunt. ſunt etiam qui undecimas tantum pendant. ſunt qui etiam minus; pro locorum nimirum & poſſeſſorum, qui non hiſdem ubique privilegiis conſuetudinibuſque utuntur, diverſitate. Extat autem Caroli Quincti Imperatoris cautum valde & prudens edictum: cum enim Majeſtas ſua perpenderet, homines iſtos Religioſos, Epiſcopos nempe, Abbates, Priores, alioſque Ditionis hujus Prælatos, non poſſe res ſuas abalienare, ideoque ſi aſſiduis emtionibus aliquid ſemper cenſui ſuo adjicerent, cum perpetuus, ut ſic dicam, eorum ſit ſtatus, fore, ut temporis lapſu, clerus opulentia ſua omnia fere occupaturus eſſet terræ totius bona: decreto ſanxit, ne ulli cujuſcumque loci aut ordinis religioſi ſtabilia ulla bona, ſine Principis quidem diſerto permiſſu, mercari poſſent. Atque hic imponemus generali deſcriptioni finem.

ADD. [*Hæc verò Provincias gubernandi ratio, iis bello poſtmodum diſtractis, in nonnullis mutata eſt, prout unicuique earum viſum fuit expedire: ut latius ſuis locis dicetur.*]

*Transgressio ad descriptiones particulares.*

DESCRIPTIS hucusque generatim universi tractus nostri proprietatibus, pergemus deinceps ad specialem partium ejus descriptionem. qua fine distributuri sumus hoc corpus in totidem membra, quot nimirum sunt tituli quos inde sibi adsumit Princeps. ii autem decem & octo. & primo quidem occurrit Lotharia, quæ tamen, ut mox subjungam, vix quidquam habet præter nudum Ducatus nomen. reliquæ decem & septem veræ sunt & reales (ut sic loquar) Provinciæ. si reales tamen dicendi Marchionatus Sacri Imperii, qui qualiscumque demum sit, continetur Brabantiæ terminis, & Comitatus Zutphaniæ Geldriæ finibus comprehensus. unde fuit nuper vir magnus, qui admoneret me, & suggereret, duo illa quæ diximus membra non esse decem & septem Provinciis concensenda: quare Tornacum pro iis, Valentianas, & nescio quod præterea terræ membrum supponerem. ego vero ostendi, ordinem illum titulorum, qui in publicis omnibus munimentis, & tum in ipsius Regis, tum & privatorum negotiis usurpetur, transgredi me nec debere, nèc etiam posse. alioqui fore extremam quandam arrogantiam, si ego, nulla instructus auctoritate, reformare velim res usque adeo a superioribus approbatas ac divulgatas. ideoque sequor hac in re usum communem, atque iterum affero, in septemdecim hisce Provinciis numerari Ducatus Brabantiæ, Limburgi, Lucemburgi, & Geldriæ: Comitatus Flandriæ, Artheſiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namuri, atque Zutphaniæ: Marchionatum Sacri Imperii; & magna Dominia Frisiæ, Mechliniæ, Vltrajecti, Transisalanæ, & Groningæ. Quibus omnibus regionibus, & earum urbibus, oppidis, cæterisque præcipuis locis tribuemus, quatenus fieri poterit, antiquas simul & recentes suas nomenclaturas; descripturi deinde situm earum & limites; & mentionem facturi rerum memorabilium in urbibus oppidisque gestarum, vel & visendarum; enumeratis obiter plærisque vel stirpe vel virtute claris & illustribus viris. auspicabimur autem descriptionem hanc ab Lotharia.

LOTHA-

PARS SECVNDA:

DE

# BELGICA

Regi Hiſpaniarum, &c.

# SVBDITA;

Auctore

LVDOVICO GVICCIARDINO

NOBILI FLORENTINO.

Additamentis paſſim inſertis, & ad hæc tempora auctis.

AMSTERDAMI

Apud GVILIELMVM BLAEV.

cIↃ IↃ CXXXIII.

# LOTHARIA.

Otharia reſervavit ſibi in Brabantia tale quale Ducatus nomen; ditionem vero & rem, ut paulopoſt oſtenſurus ſum, reliquit in Lotharingia. Nomen ei Latine ſcribentibus eſt Lotharia, ſive, ut alii, Lotharingia, Teutonice Lothrijch/ Gallice vero *Lottier*, vel *Lorraine*: Itali, Gallos ſecuti, vocant *Loreno*, Sed notandum, omnes haſce utcumque corruptas voces ab Lothario derivari, Imperatoris Lotharii filio, Caroli Magni nepote. qui Imperator Lotharius, ſcribente Paulo Æmylio, aliiſque auctoribus, tactus zelo religionis, monachiſmum profeſſus eſt, anno Chriſti 856, reſignato tamen prius, & inter tres quos habebat melioris ſexus filios diſtributo maximo ſuo imperio. ac Lothario quidem jam dicto ceſſit ex parte Burgundia, una cum univerſa, quam tunc vocabant, Auſtraſia. qui tractus ab eo ipſo Lothario, licet alii velint ab ejus patre, Lotharingia poſtmodum dictus, & Lotharingiam ſtrictius ſumtam, Brabantiam, Hannoniam, Geldriam, Cliviam, alias terras fuit complexus. poſſedit vero hanc ſic late diffuſam terram Carolina ſtirps, uſque dum Carolus tertius, Galliæ Rex, cognomento Simplex, nimium ſane ſimpliciter, cederet eum Henrico primo Imperatori, anno videlicet Chriſti 924. atque hinc factum, ut poſt aliquod tempus Imperator Otho ſecundus advocaverit Carolum, Galliæ Regis Lotharii fratrem, quem ut alienaret ab Rege, creavit Lotharingiæ Ducem: ſed acciſis mirum in modum limitibus, & conceſſa Colonienſi & Leodicenſi Eccleſiis non contemnenda ditionis illius parte. fuere autem ex illa, quæ antea cuicunque etiam magno regno par, deducti & velut membratim ab corpore ſuo avulſi complures Ducatus & Comitatus. Lothario aliquanto poſt vita functo ſucceſſit Ludovicus quinctus, poſtremus Carolinæ ſtirpis Gallorum Rex. qui & ipſe intra annum, ſine liberis, fato conceſſit. quare Carolus Lotharingus, ceu legitimus regni hæres, ad recuperandum id, occupatum jam tum ab Hugone Capeto, contendit. ſed cum Gallis eſſet parum acceptus, quibus ſcilicet videbatur in Germanos plus æquo propenſus, infelici

infelici eſt uſus fortuna. prælio enim adverſus Hugonem commiſſo, ſuccubuit; ac non multo poſt cladem, proditione Aſſelini, Epiſcopi Laudunenſis & Paris Franciæ, in ipſa urbe Lauduno præhenſus, inde Aurelianum abductus, & in carcere tandem extinctus eſt. cum vero in ipſo etiam carcere facta eſſet uxoris, quam ſecundam tunc duxerat, copia, duos inibi genuit filios, Ludovicum nimirum & Carolum. quorum uterque, pueritiam necdum egreſſus, faciente nonnemine, rebus humanis exemtus eſt. ſed reliquerat idem Carolus, juxta Sigebertum Hiſtoricum Gemblacenſem, filium ex priori uxore ſuſceptum, cui nomen Othoni. alii & de filiabus ſubjiciunt. Othone defuncto, novum, propter eamdem Lotharingiæ cauſſam, inter Imperiales & Gallos exortum eſt bellum. Tandem vero poſt varias ultro citroque tranſactiones, Henricus ſecundus Imperator Ducatum hunc contulit Godefrido Arduennenſi, adjunctis illi Valentianis, & alio quodam dominio, jure clientelari & beneficiario Sacri Imperii nomine poſſidendis. Godefrido ſucceſſere per aliquod tempus varii ſui agnati. donec Imperator Henricus Quinctus privaret hoc ipſo Ducatu Henricum Ducem Limburgi, qui poſſidebat eum conceſſu Imperatoris Henrici Quarti, & Lotharingiam omnem, jam ante Superioris & Inferioris nomenclatura diſtinctam, circa annum Chriſti 1106 in duas partes divideret; quarum ſuperiorem, hodie Lotharingiæ nomine celebrem, & ab gente Vallemontana poſſeſſam, Diderico conferret, poſtremi illius Godefridi nepoti: inferiorem vero, quæ nunc Brabantia, Godefrido Barbato, Comiti Lovanienſi. hic per lineam ſequiorem deſcendiſſe videtur ab ultimo illo Carolo Lotharingo, fuiſſeque, ut ore ſimul & ſtylo aſſerunt, primus, qui inter Comites Lovanienſes adſciverit, vel ſi mavis, reſumſerit titulum Ducis Brabantiæ, ſive Barbantiæ, non omiſſo interea illo Lotharingiæ, cum in utramque ſimul, Superiorem nempe & Inferiorem, prætenderet jus. Atque hinc adeo eſt, quod hodieque ejus ſucceſſores titulum illum Lotharingiæ Ducis retineant. reipſa vero in hoc noſtro tractu vix quidquam inde, præter nudum illum quem dixi titulum, ſupereſt, cum & nomen ſimul & ditio manſerit Lotharingis. etſi enim Genapum, pagus Brabantiæ Gallicanæ, a multis

dicatur



26
27
SEP
52
51
OCCIDENS
Streien
Oude tonge
Dort
Bommel
Heusden
Oss
Seuenbergen
S Geertrudberg
Schertog
Bosh
Oosterwick
Boxtel
Tolen
Steenbergen
Oudenbosh
Groot Sande
rt
Breda
Tilburch
S Oeden
Roy
Bergen
Oirschot
Nieumoer
Baerle
Eyndhouen
Putte
Hoochstraten
Thurnout
Oostmael
Rethe
Capelle
Hulst
Antwerpen
Ghest
Herentals
Mol
Bale
S Niclaes
Lier
Gheel
Dermonde
Duffel
Machelen
Sichenen
Beringen
Arschot
Viluorde
Herck
Diest
Asthe
Lueuen
Leeuwe
Brussel
Vuerne
Tongeren
S Achten
Roy
Tienen
S Truyen
Halle
Geniual
Landeck
Iudoingen
S. Estene
Hannuye
Niuelle
Perwes
Falais
Vilers
Bonef
Gomblours
Namur
Hoey
Ie meppi
26
27
MER

ENTRIO
28
29
52
51
GERMANIÆ
PARS
ORIENS
Megen
Rauesteyn
Cleue
Reens
Graue
Goch
Gennep
Wesel
Keruen donck
Die Peel
Wel
Alpen
Gelre
Helmont
Venlo
Wachten donck
Kempen
Duisborg
Neer
Neersen
Weert
Nuysh
Weßem
Glabbeeck
Maeseyck
Erckelens
Stockem
Coln
Bilsel
Maestricht
Miliar Germa
1 2 3 4 5
Weset
Luyck
BRABANTIA
RIDIES
28
29

dicatur terra Lothariæ, ſitque in eo Curia quædam feudalis, & criminalis, (ut infra etiam dicitur) quæ vulgo audit *la haute Cour de Lottier*, cenſetur tamen is ſtatus, atque adeo celebratur Gallicanæ Brabantiæ nomine. Mihi vero, quo & iſta ſimul & alia quædam ad inſtitutum noſtrum ſpectantia melius caperentur, videbantur hæc pauca tenuiore quodam filo edifferenda. Nunc ad Brabantiam tranſeo.

# BRABANTIA
## DVCATVS.

BRABANTIA eadem prorſus, aut ſaltim majori ex parte tellus eſt, quam commemorat Cæſar habitatam fuiſſe ab Advaticis & Ambivaritis. Quando autem, & quare Brabantiæ nomen adſciverit, dubia multum atque incerta res eſt. ſunt qui ſcribant etymon hoc derivari ab famoſiſſimo illo Brenno, infeſtiſſimo quondam Romanis hoſte, cujus infra prolixior mentio. alii vero derivant ab urbe quadam Brabantia, hodie, ut aſſerunt, diruta. alii rurſus affirmant, terram hanc olim dictam fuiſſe Zrabeland/voce nimirum Teutonica, quam Latine exponas ſolum incultum, qualis hodieque Campania, terræ Brabantiæ portio. unde poſtmodum efformata ſit vox Brabantiæ. plærique tamen recentiores rerum Galliæ Belgicæ, nominatim vero Brabantiæ noſtræ ſcriptores, alii forſan alios exſcribentes, in eo conveniunt, quod videlicet nomen hoc derivetur a Salvio quodam Brabone, Arcade, & uno è Ducibus Iulii Cæſaris. cui, ut volunt, Cæſar neptem ſuam, Germana, quę Zuana poſtea dicta ſit, illegitima ſorore prognatam deſponderit, attributo ei velut in dotem hujus terræ domi-nio. narratiunculæ ſane, quæ non inveniuntur apud antiquos. legitur quidem in ſcriptis quibuſdam, ſatis ut videtur vetuſtis, Wechemboldum quendam Regem Romanum donaſſe Antiſtitæ Nivellenſi bona quædam territorii Gaesbecani, altero lapide a Bruxellis, ſita, ut habet inſtrumentum donationis, in Comitatu Brachbantefiæ. quæ res quantum mereri debeat fidei, lectores dijudicent. Sunt denique doctiſſimi aliquot homines, qui ſerio

ſerio & cum quadam auctoritate affirment, nomen factum Brabantiæ ab Godefrido Barbato, quem volunt, poſt recuperatam Lotharingiam inferiorem, abdicaſſe titulum illum Comitatus Lovanienſis, ſibique de ſuo ipſius cognomento adſciviſſe titulum Ducis Barbantiæ, quod in Brabantiam inde migraverit. Ego vero cum ex aliis multis Scriptoribus, tum ex Paulo Æmylio, Brabantiæ nomen didici eſſe multo antiquius. Ioannes Lemairius, in volumine ſuo Illuſtrationum Galliæ, hiſtoriam illam de Salvio Brabone teſtimonio ſuo confirmans, adeoque genealogiam ejus & ſucceſſores enumerans, ubi ad Carolum Martellum deventum eſt, teſtatur, legiſſe ſe in antiquiſſimo quodam codice manuſcripto, & apud Brabantos invento, hoc ejuſdem Martelli epitaphium;

*Ecce Brabantinus Dux quartus in orbe triumphat,*
*Malleus in mundo ſpecialis Chriſticolarum:*
*Dux Dominuſque Ducum, Regum quoque Rex fore ſprevit,*
*Non vult regnare, ſed Regibus imperat ipſe.*

Cui ſubjicit poſtea epitaphium iſtud Pipini, Martelli ejuſdem filii, patris Caroli Magni:

*Iſte Brabantinus Dux quintus Auſtraſiorum,*
*Ex Duce fit tandem Rex, primus germinis hujus.*

Vnde pluriſariam elucet nominis hujus antiquitas. fieri tamen poteſt, ut Godefridus ille Barbatus, non quidem terræ dederit nomen, ſed veterem titulum Ducis Brabantiæ reſumſerit, omiſſum fortaſſis a deceſſoribus ob cauſſas in Lothariæ deſcriptione expoſitas. Vtcumque ſe habeat res, nos relicto curioſo lectori libero ſuper iſtis judicio, procedemus ad deſcribendum terræ ſitum. Dico igitur, hanc Brabantiam in ſeptemtrione terminari Moſa flumine; quo ipſo partim a Geldris, partim ab Hollandis diſtinguitur: ab Auſtro adjacent illi terra Hannonia, Comitatus Namuri, & diœceſis Leodicenſis: ab ortu eſt idem Moſa, quo disjungitur rurſus ab alia Geldriæ parte: in Occidente partim Scaldis eſt, quo ſeparatur a Flandris, partim cum Comitatu Aloſtano cohæret. Quod magnitudinem attinet; ego eam viginti fere atque duabus leucis in longitudinem patere comperior, ſumto dimenſionis initio ab Gemblaco, quod ad Auſtrum eſt, oppido, verſus Septemtriones, & uſque

Ger-

Gertrudisbergam: in latitudine vero, incipiendo ad ortum, ab inde Helmonda, versus occasum & Bergozomium, qua nimirum latissima, leucas invenio præterpropter viginti: circuitus ejus octoginta plus minus leucarum est. Clemens ubique & salubre Brabantiæ cœlum. ager planus, & majori ex parte frugum ac fructuum fertilis. licet enim naturâ ille Campaniæ sterilis, tamen humanus cultus & improba quædam industria, multis pecorum gregibus & crebra stercoratione, ita luculenter defectum hunc explet, ut & bonus reddatur tractus & fertilis. est deinde Brabantia non lacubus tantum, paludibus, stagnis, sed eximiis quoque & utilissimis fluviis passim irrigua, quorum præcipui Mosa & Scaldis, supra nobis descripti. nemoribus etiam & sylvis sufficienter instructa, inter quas maxime nobiles Sogniacensis, Zaventerloa, Grootenhoutium, Grootenheista, Meerdalia. In primis vero pulcherrimis simul & celeberrimis urbibus, oppidis, arcibus, pagis, aliisque magni nominis Dynastiis illustris, primum enim invenio in hoc tractu urbes & opida muris cincta viginti & sex: Lovanium nempe, Bruxellam, Antverpiam, Buscumducis. quæ capitales, ut vocant, & primariæ ditionis totius urbes? sequuntur hinc Thenæ, Lewia, & Nivella; quæ capitales minores: inde Areschotum, Bergozomium, Mega, Breda, Diesthemium, & Trajectum ad Mosam, oppida eminenti quadam dignitate: denique Stenoberga, Lira, Vilvordia, Gemblacum, Iudonia, Hannutum, Landa, Hala, Sichemium, Herentalium, Eindovia, Helmonda, & Gravia. Invenio hinc in eadem Brabantia decem & octo oppidula, quæ etsi muris non cincta, propter alias tamen conditiones suas & qualitates, accipiuntur tractanturque eodem cum illis gradu, paribus gaudent privilegiis, & libera passim audiunt municipia, quod videlicet nundinarum illis & mercatus liberum jus. ea sunt Osterwicum, Orschotum, Turnhoutum, Hoogstrata, Dufflia, Walhemium, Mercta, Asca, Furnia, Dusburgum, Isca, Hulpia, Wavria, Brenna, quam vocant, allodialis, Genapum, Gela, Arendoncum, Dormalia. pagi autem turriti, eo quod in Campania rariores, numerum septingentorum non excedunt, sed plurimi inter eos insignes, & variis dignitatum titulis præcellentes, quales, Fanum D. Odenrojæ, Boxtelia, Rosendalia,

ſendalia, Hucquela, Lilloa, Grimberga, Gaesbeca, Reveſium, Levedalia, Æeſemelia, Cranendoncum, Cuquia, Bouterſemium, Iaucæa, Sombrevium, Gozeliſia, Hilverembeca, Walwicum, & alii, quos brevitati ſtudens prætermitto. Continetur & in Brabantia Dynaſtia Raveſteinenſis; cujus, quod ſeparatum & velut a corpore ſuo avulſum ſit membrum, ſuo infra loco ſeparatim fit mentio. Atque ita complectitur iſta Provincia illuſtres illas & eximias dignitates Marchionatus Sacri Romani Imperii, Ducatus Areſchotani, Marchionatus Bergozomani, Comitatuum Hoogſtratæ & Megæ: hinc dynaſtias Bredanam, Dieſthemienſem, Grimberganam, Raveſteinenſem, & Territorium urbis Trajecti ad Moſam, cum novemdecim Baronatibus, Grimberga, ut volunt quidam, in duas Toparchias diviſa. Sunt præterea velut membra quædam Brabantiæ, atque adeo juriſdictioni Cancellariæ Brabantinæ ſubjecta, Ducatus Limburgi, Dynaſtia Falcoburgenſis, Comitatus Dalhemii, & territorium Vatucanum, Belgis Hertogen Roode/ Gallis *Rode le Duc*, cum omnibus ſuis juribus atque præeminentiis. Super quibus deinde præcipuis & majoris momenti rebus accuratius atque ſubtilius ſuis infra locis diſſertaturi ſumus, ea quidem qua fieri poterit perſpicuitate ſimul & brevitate. quod dum facimus, eam non in Brabantia modo, ſed in cæteris quoque Provinciis ſervabimus methodum, ut primum deſcripturi ſimus urbes primarias, tamquam eminentiora cujuſque Provinciæ membra: ſequentur hinc oppida dignitate aliqua, puta Ducatus, Marchionatus, Comitatus, dynaſtiæve inſigna. in deſcribendis vero reliquis magis inter ſeſe æqualibus, nec tanti nominis oppidis, non ſequemur ordinem illum præceſſionis, quem ipſa fortaſſis obſervant: ſed ab Septemtrione exorſi, declinabimus ad Occaſum, hinc ad Auſtrum progreſſi, Orientaliora quæque Provinciarum luſtrabimus: ſervaturi eumdem ordinem in deſcribendis oppidulis, ſive liberis municipiis, & dignioribus aliquot pagis. Itaque jam inde facto initio, dicimus, urbes capitales, ſive metropoles, intelligi eas, quæ aliis aliquot oppidis, arcibus, pagis, & vicis, ceu capita quædam, & cum imperio præſident. quales ſcilicet quatuor illæ jam dictæ, quæ ſingulis præſunt terræ totius quadrantibus, conſtituunt autem iſtæ metropoles,

inter

# LEVVEN.



inter se junctæ, unum e tribus uniuscujusque Provinciæ Ordinibus: & Ordines quidem Brabantiæ Antistitibus constant, atque Nobilibus, & primariis illis quatuor urbibus. Sed Lovanium tandem ingrediamur.

# LOVANIVM.

LOVANIVM, ut contendit Iacobus de Guisa, magnus Gallicanarum antiquitatum scrutator, originem habuit multo ante Iulii Cæsaris in has oras adventum; & quidem a Capitaneo quodam, seu Dynasta Scotorum, qui cum nominaretur Lupus, opido a se dederit nomen, & Lupositam vocaverit, quod Gallissantes *Louſin* & *Louvain* postea dixerint. Sunt qui asserant, derivari hoc nomen a voce Teutonica Loven/ laudare: quod in templo quodam, Marti, ut volunt, dicato, laudaretur & coleretur bellicus ille Deus. alii sentiunt, habitasse hic priscos Leuacos, alii Grudios. utcumque sit, urbs sane est perantiqua, ac vetusta etiam arce insignis, quam incolæ jactant esse opus ipsius Cæsaris.

ADD. [*Censet clarissimus Lipsius, Lovanium, sub Normannica tempora conditum, nomen ab ipso situ lingua nostra sumsisse. est (inquit) in hac urbe ad Orientem collis & silva, quam* Lo *etiamnunc vocant, &* Lo-bergh *&* Lo-bosch: *est & subjecta planities ad flumen, quam vetus lingua* Deen *dixit. inde vena Batavorum etiam hodie, unde cespes ille ustibilis eruitur. & superioribus annis certo comperi, in pratis hic Martinensium idem genus eductum. ergo Lovanium, sive ut vetus & vera vox est* Loven/ *dictum quasi* Lo-ven/ *humida planities ista Loæ subjecta. Latini Lovaninm fecerunt, Gallicam magis pronuntiationem* Louvain *secuti: & nos retinemus.*]

Sita est hæc urbs perquam opportune, & in uberi admodum solo: ea cœli clementia atque temperie, ut, & intra muros, & extra in adjacentibus collibus, legatur vinum. interluit eam Dilia fluvius. amplissima etiam solo est, & sphærica pæne rotunditate, quod capaciorem etiam efficit, quam alia ulla forma. producta sunt pluries ejus pomœria; & postremus quidem murorum ambitus cœptus strui anno 1361, ut autem solide ac vere intelligamus quanta sit opidi magnitudo; scilicet anno 1427 tres è primariis Belgiæ nostræ Dynastis, Comitem nempe

nempe Naſſovium, qui & Baro Dieſthemienſis, Baronem tunc, poſtea Marchionem, Bergizomienſem, & Baronem Weſemalium, ſive id fecerint animi gratia, ſive alia qualibet cauſſa, metiendas curaſſe, non ſine ingenti ſumtu, quinque urbes, quas cenſebant tranſalpinarum omnium maximas: comperiſſe autem, ut ex approbato hodieque extante, & aureis characteribus ſcripto monumento diſerte conſtat, Lovanium ſuperare Gandavũ tribus virgis, Leodicum octo, Lutetiam, non incluſis tamen ſuburbiis, itidẽ octo, Coloniam denique octodecim. virga eſt pertica, ſive menſura viginti pedum Romanorum. atque hæc quidem monumentum id atteſtatur, ſed nuſquam addit (adeo incogitantes aliquando ſunt homines) juſtam Lovanii magnitudinem. ego tamen poſt ſedulum alia via factum examẽ, oppidum hoc interiore mœnium ambitu ſex Italica milliaria, quibus conficiendis duas minimum horas impendas, exteriore vero plus octo milliaribus continere comperior. Habet intra muros ampliſſima quædam prata, amœniſſimas vineas, hortos ſpatioſos atque fructiferos. colles etiam, valles, ſilvulas, aquas, aliaſque id genus commoditates. ut ſapienter quidem & cum judicio majores hanc urbem delegerint ſtudiorum atque Muſarum ſedem. habet inſuper nobiliſſima ſanè templorum, monaſteriorum, & aliorum conventuum ædificia. primaria ædes Divi Petri eſt, ſplendida valde & ſumtuoſa. habet Baſilicam, ſive Curiam publicam nobili atque inſigni ſtructura. privatorum item domus luculentæ & commodæ.

[ADD. *Inter externa hujus urbis ædificia primum ſunt foſſæ, latæ, profundæ, atque eæ ſæpe per vivum ſilicem, aut ſcrupoſam terram percuſſæ.*

Muri, *lateritio pulchro opere, & ſectis deinde lapidibus albis, latis magniſque, interſtincti aut intecti: iidem validis fundamentis ab ima foſſa educti: ſic ut operis tertia pars vix veniat in adſpectũ*

Turres *denſæ & altæ, quæ diſtinguunt; atque infra eas fornices & cryptæ, robuſto opere, ad condita aut uſus militares. Eminet inter alias* Turris impenſæ perditæ ſeu ſupervacuæ; de verloozen hoſt; *ob id nomen adepta, quod ſimiles ſeptem cogitaſſent diverſis partibus erigere Lovanienſes, ſed abſoluta una, & ſuperveniente calamitate ſumtibus impares à cœpto deſiſtere coacti ſunt.* Grammaye in Lovanio. *Ex hac cælo ſereno Antverpia octo mill. diſſita videri poteſt ab acribus oculis.*

Structa

*Structa anno* CIↃ CCCLXIV. *laterculo muri introrsum structi, lapide deinde candido vestiuntur. rotunda forma in altum æquabiliter surgit, non in alium (& hoc fine facta) quam speculæ usum; circumjecta enim ad multa millia passuum undique detegit. Ad summam, urbs turres eximii operis in mœnibus habet* LIII. Propugnacula XIII, *& moles aggesta terra consolidatæ, &* pontes *sublicii* XVI, *alibi extantes, ad munimen portarum nuper accesserunt, de mandato Gubernatoris harum provinciarum. Portæ* XI, *è candenti secto lapide. è quibus spectabili operæ visuntur hæ;* Bruxellensis, Mechlinienſis, Haſbanica, Dieſtenſis, Parcenſis. *nomina à locis habent, quo ducunt. alias dicuntur;* Banckenſis, Montana, Thenenſis, Flierbacenſis. *accedunt his* Vinearum *&* Heverlenſis; *illa à vinearum, ista ab hortorum in suburbano frequentia nuncupatæ.* Iobbenſis *à Sacello* D. *Iobi in VVesemalia, alias* emiſſitia *dicta, quod illac aqua mittatur.*

*Tantum de externo urbis opere:* Internum *sequitur, binis fulcris firmum, nimirum* Sacris *&* Politicis ædificiis. *E sacris* 1. Basilica Petri, *visu digna; architectorum judicio, nulla pluribus locis pari politura invenitur. In chori medio tumulus Ducis, & alii alibi; quorum epitaphia Fr. Swertius collegit. inquire inibi in effigiem Christi, audies historiam de cruce & fure. Turris inter pulcherrimas Belgicæ habita, sed ruinis & igne multum deformata diverso. Canonici ibi collocati* XVIII: *quibus* Præpoſitus *etiam, præter Decanum, velut caput præest: magna dignitas, & olim non nisi in Principum aut Procerum filios collata. Dignitati adhæret honos, quod is à novo Principe, quoties auspicia imperii suscipit, juramentum solemniter exigat, capiatque: in quo &* Advocatos *se* Canonicorum D. Petri *fore profitentur. Equum deinde Principis, cui insidet, donativum habet: quem tamen olim* Cantor *vindicabat, & lis inter eos fuit.* (Lipſius lib. 2. c. 14, de Lovan.) *Parochia* II. D. Michaeli *inscribitur. superstructa est portæ murorum veteri. turrim initio habuit altiorem, sed corruit cum vicinarum ædium detrimento,* CIↃ CCXXV, *neque iterum est educta.* III. Iacobo: *quæ de cælo tacta, sed reparata, collegio Canonicorum data est.* IV. Gertrudi: *inhabitatur à Canonicis Regularibus. fama habet, turrim istam, satis egregio opere, emolitos lanifices esse, idque collaticio inter se ære: potentem hic scilicet, frequentemque hinc nationem. Eynhoutius, vir prudens, cœnobium pulcherri-*

*cum uxore* *-dificio auxit & ornavit. Est ab eo perpetua & magna porticus circum hortos, in membra & cubicula supernè distincta: ad usum*

*ad usum duodecim è nobili stirpe adolescentium, (nam tales admittuntur tantum,) quos hic ali & scientia ac pietate voluit informari. Insigne opus, & institutio.* V. Quintino *assignatur. Templum quidem non maximum, sed vel pulcherrimum,* Lipsii *judicio, inter omnia est: bene & apte commensuratum, multa luce undique collustratum.*

*Ad* virorum cœnobia *eamus. Eminent inter ea* Dominicani. *In choro templi, fenestræ vitreæ sunt, Principis Henrici III donaria. Fama tenet,* Albertum Magnum *Ratisponensem Episcopum huc venisse, & altaria quædam in anteriore templo sacrasse, anno* CIↃ CCLXXVI. *Ajunt &, discipulum ejus,* Thomam Aquinatem, *comitem fuisse, & euangelium de loco superiore cecinisse: ac pulpitum ipsum servant, quo ferunt usum. Familiarem fuisse Principibus, illud constat: & Aleidem, viduam dicti Henrici, ad eum Parisiis agentem scriptitasse, & consilia vitæ dirigendæ petiisse, atque accipisse. his a tergo adhærent, brachio fluminis divisi; qui huc venisse quinquennio post Francisci mortem, anno* CIↃ CCXXXI, *dicuntur. Columnæ appensa sunt* Iusti Lipsii icon & epitaphium, *quod sibi ipse scripsit & poni mandavit,* CIↃ IↃC IV, *3 Id. Febr.*

Quis heic sepultus, quæris? ipse edisseram.
Nuper loquutus & stilo & lingua fui;
Nunc alteri licebit. ego sum *Lipsius*:
Cui literæ dant nomen, & tuus favor.
Sed nomen. ipse abivi; abibit hoc quoque;
Et nihil hic orbis, quod perennet, possidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
*Humana cuncta* fumus, umbra, vanitas,
Et scenæ imago, &, verbo ut absolvam, NIHIL.

Extremum hoc te alloquor:
Æternum ut gaudeam, tu apprecare.

Cartusiani *intra mœnia sunt, loco ab omni tumultu & frequentia semotissimo; ita ut nec eremi solitudinem in urbe magnopere desiderent monachi. In cœnobio est spectabilis porticus, magnitudine & opere: nec scio, ait* Lipsius, *an heic, aut in finitimis locis, alia comparanda.*

Patres Societatis *primum heic duo; mox numerus auctus collegium fecit. Torrentii Episcopi Antverpiensis liberalitate; qui moriens opes suas ei legavit, hodie multum superest.*

*Reliqua virorum cœnobia eant suis numeris.* Fœmin

IX

IX *numerat Lipsius; quæ, si placet, ibi vide, sine nostro calvmo adjumentove.*

*Priusquam hinc discedo, leges pietatis dabo pro divino cultu Lovanii olim sancitas; quæ sunt* : Templorum parietes aut cœmeteriorum areas urina aut excrementis ne fœdato; alias graviter mulctator: Templis, ædibusque sacris honos esto, & ne quis pilam, neve trochum in area, aut circum illa, ludito. *Item* : Diebus festis sacratisque ne quis aliud agito. Nemo cauponam aut tabernam promercalem ante publici sacrificii finem referato, neve quid emito aut vendito. *De tabernis hodie adhuc servatur: in caupones vero vulgus se immergit. Lex alia, ad probitatem, claudat:* Ne quis noctu personatus; neve mutata veste obambulato. Ne taberna, ne caupona, post vespertini æris signum patens esto.

*Inter* Politica *ædificia* Curiam *commendamus, totam è secto per artem lapide, figuris & emblematis varie ornatam. Magnitudinem justam habet, symmetriam bellissimam: insigne est majorum elegantiæ vel opulentiæ monumentum. Videre intus habes scalas & petardas, quibus occupata olim urbs fuit: Tabulam insuper, Andromedæ fabulam quæ repræsentat, facta accommodatione ad introitum Alberti. Sed curiam sine legibus, præsertim raris, non relinquam. In* raptores *erat*: Stupri raptusve conciliator aut adjutor exsul esto; qui autem patraverit, lignea serra caput abscinditor. *Novum, hercules, de* lignea serra; *& absterrere gravi & lento hoc supplicii genere voluerunt. Item in* pugnatores: Si quis civem invitum ad certamen provocaverit, assere plectitor. *Asser autem genus ferreæ securis erat, qua ex superiori loco & cum pondere trabis aversæ demissa caput reclinato in truncum proscindebatur.*

*Sed conscendamus hinc* Arcem *sive* Burgum, *olim Comitum sedem. In hac agebant; absentes Burggravium, id est, arcis præfectum, constituebant; liberos suos hic locabant & alebant; etsi alibi jam, aucto imperio, domicilium suum haberent. In causa aër purus & salutaris, cum prospectu circum pulcherrimo. Heic* Carolus Quintus Imperator, *puer cum seroribus est educatus. Heic exteri Principes, & qui advenissent, metationem accepere, & velut per honorem in veteri aula collocati. Heic* Eduardus *ille, Rex Angliæ, qui Philippo Galliæ bellum fecit, anno 1338, cum in Belgicam venisset, societatem & auxilia rogaturus, cum uxore totam hiemem egit.* Puteus *in arce heic miræ profunditatis*

*tis. altitudo 130 pedum eſt. è profunditate adſurgit echo: egregium quid & quod unum ibi notes.*

Cataractes *pulchro & operoſo opere, in ipſo fluvio Dilia, atque illi coercendo, aut diſpenſando, anno 1365 factus: qui tamen ex inſidiis urbem pænè oppreſſit anno* 1573. *Lipſius narrat, cum ingentes pluviæ fuiſſent, & nix item ſoluta, 6 idus Ianuarias, negligentia Curatoris evenit, ut obices parum in tempore levarentur, aquamque tranſmitterent. Stitit ſe amnis igitur, & magna mole intumuit, & mœnia jam ipſa æquabat. quæ juxta cataractem denique perrupit, & toto impetu urbem invaſit. pecudes & homines quoſdam abſtulit, ædificia dejecit; ut ſupellectilem & penum civium omittam.*

*Reliqua urbis opera ſunt*; Fora 9 *rerum venalium*; Molæ fluviatiles 14; viæ *urbem ſecantes mediam* 12; plateæ *laterales* 140; pontes *lapidei* 16; fontes *publici* 4. *His accedunt* Croijorum, Schoon-vorſtiorum, Naſſoviorum, & Bergenſium, *Principum palatia.*]

Sed quod inter omnia ejus ornamenta ducit familiam, habet celeberrimum illud & univerſale, ut vocant, omnium facultatum & artium Athenæum: tum & ſupra viginti præclara collegia, a diverſis illuſtri dignitate & fama viris, optimis adeo legibus, inſtituta, in quibus doctiſſimi aliquot homines omneis artes & facultates aſſidue profitentur. excellunt autem inter hæc ipſa quatuor illa longe celeberrima pædagogia Lilii, Caſtri, Porci, Falconis: in quorum ſingulis docentur omnes illæ artes & ſcientiæ liberales, quas doctiores una voce appellant Philoſophiam. hiſce merito addam quinctum illud, quod vulgo dicunt Trilingue, quia videlicet peculiariter ibi doceantur tres primariæ linguæ, Latina, Græca, Hebræa. Attingemus etiam paucis egregias illas ſcholas, in quibus nominatim docentur ab eximiis aliquot viris Theologia, Ius canonicum, Ius civile, & ars Medicina, attributo ſingulis facultatibus diſtincto, in publico quodam veteri & percommodo loco, auditorio. Prodierunt autem ex hoc Athenæo, ac idemtidem etiam prodeunt viri undecumque doctiſſimi, nec virtute minus, quam fama inſignes. qualis noſtra memoria Hadrianus ſextus Pontifex Maximus, ortu Vltrajectinus: qui priuſquam eveheretur ad faſtigium Cardinalitium, longo ſatis tempore litteris operam dederat in Lovanienſi iſto gymnaſio, ubi & Cancellarii munus ac dignitatem

tatem obierat, factus postea pædagogus Caroli Quincti Imperatoris. Nuper verò hic claruerunt, in Theologia quidem, Ruardus Tappart; in utroque Iure, Gabriel Mudæus, non clarus modo, sed valde illustris, ac singularis; in Medicina & Mathematicis, Gemma Frisius, & Hieremias Triverius. hodie clarent, in Theologia, Petrus Curtius, designatus postea Episcopus Brugensis, Ioannes Hesselius, collegii Præses, & Ioannes Hentenius, professor publicus: in utroque jure, Vulmarius Bernardus, Elbertus Leoninus, Ioannes Wamesius, & Ioannes Ramus, etiamnunc adolescens: in Philosophia, Ioannes Beverensis; in Medicina Nicolaus Biesius & & Guiljelmus Tiletanus; in Mathesi, Cornelius Gemma, superioris Gemmæ Frisii filius. Sunt præterea Cornelius Valerius Vltrajectinus, Latinæ; Theodorus Langius, Græcæ; & Andræas Balenus, Hebraicæ linguæ, publici Professores, viri omnes doctissimi simul & præstantissimi. quibus denique subjungemus Gualterum Renerium, eximium instrumentorum Mathematicorum artificem. Institutum legimus hoc gymnasium anno a Christo nato millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, idque precibus Nobilitatis Belgicæ, a Brabantiæ Duce Ioanne quarto, qui omnium primus id exornavit; atque doctissimis magno undecumque salario convocatis viris instruxit. nec perpetuo solum censu, sed multis insuper privilegiis, a Martino Quincto Pontifice Maximo approbatis, & in hunc usque diem durantibus, donavit. quorum quidem privilegiorum tuitioni præfici solet publice Magistratus, quem Conservatorem vocant, quod videlicet omnes leges & jura inviolate curet servanda. Nuper autem Philippus Rex, consilio infra nominandi Præsidis Viglii, auxit Professoribus hujus Scholæ stipendia, & Theologicas aliquot lectiones adjecit. Præest illi regendæ semestri imperio caput a Senatu Academico deligi solitum, cui nomen Rectori. & hujus quidem ea est dignitas atque præeminentia, ut non omnes solummodo studiosi, sed & Magistratus urbani, & omnis adeo civitas, venerentur eum atque suspiciant. munus ejus primarium, curare ut recte & ordine regatur hæc, ut sic dixerim, universitas, habeaturque officiorum & decori ab omnibus ratio: administrare studiosis justitiam, & errorum convictos punire.

Est autem hoc Lovanienſe, unicum hodie in Inferioribus hiſce Provinciis Athenæum, accompetitorum omnium expers. niſi quod ſub deſcriptionis noſtræ ἐξόδιον, inſtitutum fuit Duaci, in Flandria Gallicana, poſt diuturnas multorum petitiones, Regia auctoritate, alterum ſimile iſti gymnaſium.

ADD. [*Refert maximus Lipſius, didiciſſe ſe,* Engilbertum Naſſovium, *in flagrante tunc gratia, & animi honeſtum, præcipuum auctorem fuiſſe,* & Ioannem *ad Academiam inſtituendam perpuliſſe. Diploma autem Martini Quinti datum ſignatumque eſſe anno 1425, quod poteſtatem faciebat amplam omne genus artium docendi, doctos producendi & talis honoribuſque afficiendi: ſola tamen Theologia, regina ſcientiarum, excepta. ſed quod Martinus abnuerat, ſtatim poſt annuiſſe Eugenium Quartum, quinto ipſo anno à ſchola inſtituta: cum ſuper hac re legatos ad eum* Philippus Bonus, *tunc Belgicæ Princeps, miſiſſet.*

*Hujus Academiæ adminiſtrationis forma talis eſt:* Rector & Senatus *ſunt qui regunt, & dux* Ioannes *olim, monitu Pontificis, omne jus ſuum in eos contulit, ac liberam poteſtatem in ſtudioſos permiſit.* Rector *à Senatu academico creatur, idque ſingulis ſemeſtribus, ut nunc res habet. Magna eſt hæc dignitas, & ſplendorem ei dant* Accenſi, *ſive* Bedelli, *ut vocamus: quorum unus, prælato grandi argenteo ſceptro præcedit & ducit, famulis ſequentibus; interdum & octo præeunt, cum ſuis quiſque ſceptris, ſed in ſolemni proceſſione, aut die feſto. Narrant, Carolum Quintum, Imperatorem, cum ſorte heic eſſet, loco ceſſiſſe, & latus Rectori texiſſe.* Inſigne *poteſtatis purpuram geſtat, & in humeros extenſam epomidem rejicit, cujus oræ pellibus variegatis prætexuntur.* Caputium *vocant, nec abs re: nam olim caput eo velare ſolent, & ſic geſtare. eſtque hoc à Principum imitatione & exemplo, quorum talis ille olim cultus. Hic Rector jus omne in Scholaſticos habet; cauſas audit, decidit, mulctat, punit. Cui rei* Promotor *etiam eſt, (ſic Prætor ibi appellatur,) qui, jubente aut conſentiente Rectore, neque aliter, manus injicit; in cuſtodiam & vincula etiam ducit. Grandioris noxæ convictos punit, vel capite, ſi viſum eſt; ſed raro viſum, ait Lipſius: & omnis iſta judiciorum ſeveritas in pecuniarias fere mulctas deſinit; mitigatque crimen vel ætas adoleſcentiæ, vel & favor qui ſtudiis debetur.* De foro & judice *pauca adjicio. Si civis agit, rei forum ſequitur, id eſt, ad Rectorem venit. Si ſtudioſus in civem, aliud huic rei tribunal repertum eſt, neque ad urbanum*

aut

aut ſæcularem Magiſtratum itur. Eſt enim Conſervator, (nomen illi, quia jura noſtra tuetur & ſervat,) qui tribunal ſuum habet, & adſeſſorem juris peritum, ad quem cauſæ hæ tales conjiciuntur & aguntur. Imo licet ad eum e tota Brabantia evocare, etiam æs aut aliud debitum petere: magno ſtudioſorum commodo, qui domo ſe, aut certe opido non movent. Eccleſiaſticum hoc tribunal eſt, & ideo telum aut fulmen excommunicationis exſerere poteſt in non parentem. Qui autem hoc contemnunt, in eos Iudex a ſæculo advocatur. Singulare hoc jus eſt, & olim nuperque obtinuit, ſuo quod exemplo probat Lipſius. Iſti muneri ſolet præfici aliquis Antiſtium, & fere Abbas Gertrudanus, qui in urbe agit. Eſt etiam alius honos in Academia, nimirum Cancellarii dignitas. Is juriſdictione abſtinet, dumtaxat titulos & honores, exactis ſtudiorum ſpatiis, auctoritate Pontificia confert; dico Magiſterii, Licentiæ, Doctoratus, ut Academiarum mos nunc habet. Hoc munus vindicat Præpoſitus Divi Petri, & illo abſente Decanus: ac proximum à Rectore in conventibus publicis locum tenet. Ita regimen & capita fuere: Senatus, qui omnia adgubernat, ſunt quinque claſſes, ſive Facultates: Theologiæ, Iuris Canonici, Iuris Civilis, Medicinæ, Artiumque. In has Doctores omnes veniunt; adſciſcuntur & aliqui non doctores, ut prudentia aut uſus ab iis ſuadent: in illam autem Artium, præcipui è Magiſtris. Hæc & Decanum habet, ſeorſim in conſeſſibus honeſtandum. Hic Senatus Rectorem, ut dixi, creat: idem omnia moderatur & temperat. & Rector, etſi nomen magnum, tamen potentia fere ut Venetorum Dux eſt, & à Senatu ſuo pendet. Hæc Lipſius cap. 3, lib. 3. Iam ad collegia ſive ſcholas publicas. Primo eſt publicus locus, ubi tres primariæ ſcientiæ docentur, Theologia, Iuriſprudentia, Medicina: prima, inferius; ſuperne duæ reliquæ. & ſunt auditoria in univerſum quinque. Ædificium vetus eſt, nec huic uſui primo ſtructum, ſed lanificibus, cum ii in flore eſſent, anno 1317. quod duplex inſcriptio parietibus inſerta docet. Vocant Halas, ut ſolent iſta hominum aut mercium receptacula: latine Baſilicas dixerimus: hodie Athenæum audit. In hoc Lipſius docuit, & hiſtorias & antiquitates explicuit. Præter hunc locum publicum, qui liberis auditionibus ſervit, (nemo enim adigitur,) ſunt pædagogia quatuor; ubi ſtrictior diſciplina; & pueri vel adoleſcentes in primis artibus atque ipſa Philoſophia maxime inſtituuntur. Egredi inde, aut abeſſe, ſine venia non fas. Nomina vero habent ab inſignibus ſuis, & ſunt; Lilium, Falco, Caſtrum, Porcus. Ac-

*cedit tertius locus, linguarum notitiæ deſtinatus, quem à re vocant* collegium trilingue; *nam Hebraica, Græca, Latina illic docentur. Dicitur alio nomine* Buslidianum, *ab auctore Hieronymo Buſlidio, Carolo Quinto qui erat in deliciis. hic moriens opes ſuas in hos ſtudioſorum uſus reliquit. Præter hæc, aliud collegiorum genus eſt, ubi non tam docetur, quam alitur juventus, & ſubſidia ſtudiorum in certos annos habet. Pulchrum inventum, & quod in Anglia, Oxonii præſertim, magnifice uſurpatur. Primum eſt* Theologorum; *quod diviſum, &, ut facilius regimen eſſet, alterum factum, quod* parvum *appellant.* Beſſarion *Cardinalis, cum legatus à Pontifice in Belgium eſſet, anno milleſimo quingenteſimo decimo tertio heic fuit, & hoſpitio exceptus, memoriam ſui reliquit Biblia manuſcripta. Iiſdem ſtudiis dicatum eſt* collegium Pontificium; *digna Duce, digna Principe domus. quam extruendam curavit Pontifex Hadrianus Sextus; ſed cum cœpit, Decanus heic in æde D. Petri erat. Primum in* Iure *collegium eſt, quod* Divi Ivonis *titulo dedicarunt; alterum eſt* Donatiani; *tertium* Winckelianum, *Iuri dicatum, ſed à Doctore Medico Ioanne VVinckelio, anno 1552 fundatum, Duo inſuper ſunt ædificiis conſpicua,* Sabaudianum & Dalianum; *atque illud juventute etiam ſatis frequens eſt, & floret: hoc modice; ſed ob ſplendorem Princeps ſibi in Palatium legit, & huc veniens eo divertit.* Leodicenſe *auſpiciis Erneſti Bavariæ Ducis ſurrexit.*]

Lovanio ortus eſt doctiſſimus ille Petrus Rivius, Theologus valde celebris, & variorum operum ſcriptor, narrante in Catalogo Illuſtrium virorum Germaniæ Ioanne Trithemio. Lovanienſes item fuere Ludovicus Scorius, magni nominis Doctor, & negotiorum quorumvis capax, unde ſuo merito Præſes fuit Conſiliorum Status & Sanctioris: Ludovicus Heilwegius, vir admodum doctus atque acutus, quare fuit & Præſes Flandriæ. hujus filius, Adrianus Heilwegius, eruditione & virtutibus clarus, hodie Conſul Antverpienſis eſt. item Nicolaus Nicolaius Grudius, & Adrianus Marius, fratres, quorum infra fit mentio: Antonius Morillonus, vir eruditiſſimus, magnus Antiquarius, & ſimplicium omnis generis intelligentiſſimus; tum & Maximilianus ejus frater, Præpoſitus Arienſis, qui & ipſe litteratiſſimus, & magnus antiquitatum ſcrutator. Gaudet hodieque hoc opidum Ioanne Heſſelio, eo, quem ſupra jam diximus; magno & celebri valde Theologo, in controverſiis

verſiis ſcholaſticis exercitatiſſimo, & acerrimo diſputatore: item Petro Vanderano, Iuris utriuſque Doctore eximio: Gerardo Caverſonio, Licentiato, viro eloquentiſſimo, & inſigni Philoſopho: Cornelio Gemma jam dicto, Medico ſimul & Mathematico celeberrimo: Carolo Templio, prætore urbano, ſive ut vulgo vocant, Majore, de Meyer/ viro egregio & virtutibus claro, quique utiliſſimam ſæpe in civilibus hiſce bellis tum patriæ ſuæ, tum Regiæ Majeſtati, ut in commentariis quoque noſtris meminimus, operam præſtitit: Ioanne Malcotio, Iuriſconſulto & Conſiliario regio in Cancellaria Brabantiæ: Stephano Craſbequio, itidem Iuriſconſulto & ejuſdem Conſilii Senatore; quorum uterque litteratiſſimus: denique Segerico Hertogio, cive Antverpienſi, utriuſque linguæ doctiſſimo, ſummi ingenii, & Aſtrologo excellenti: qui poſt primam operis hujus editionem defunctus, filium nobis reliquit Ioannem, Licentiatum, & cum doctrina, tum ingenio quoque & conſiliorum prudentia inſignem. porro Melchior ejus frater, licet admodum adoleſcens, & ipſe tamen Licentiatus eſt, atq; adeo doctus, & inſignis amator virtutum.

ADDIT. [*Sed pauca de nobilitate ac plebe Lovanienſi dicamus. Nobilitas in 7 familias fuit diviſa, ſive gentes verius; quæ ſunt:* Limingii, Calſterii, Radingii, Steenii, Vernſalii, Gielii, Rodii: *e quibus ſingulis alii, familiarum velut rami orti, late ſparguntur, &, quamquam ad unum caput relati, nominibus dividuntur. Limingiorum habet familias* triginta & unam; *ſecunda* viginti octo; *tertia*, novem; *quarta* duodecim; *quinta*, quatuor; *ſexta*, ſeptem; *ſeptima*, novem. *Sunt ita centum familiæ. Ex his ſoli in Patres ſive Senatores legebantur,* (*titulo* Patriciorum). *Senatorum numerus eſt 21; e quibus duo Conſules leguntur, tum ſeorſim ſeptem Scabini. Iſti omnes e nobilitate olim: obtinuitque ad annum 1360, cum ſeditionibus plebs etiam ſe inſeruit, & mixtio eſt facta. His accedebant* Petermanni, *plebejo verbo, quaſi dicas,* homines Petri, *ſive de* familia *S. Petri. Vnde hi, & quales ſint, vide* cap. 4, lib. II, apud Lipſium.

*Iam de plebe; quæ olim frequens hic. Annales habent, tempore Ioannis III, anno 1350, tantam textorum multitudinem heic fuiſſe, ut ad tria, imo quatuor millia textrinorum in urbe eſſent; addunt autem, cuique textrino opus fuiſſe non minus triginta aut quadraginta homines, qui lanam præpararent, qui carmi-*

carminarent, qui nerent, aliaſque tales operas exercerent. Sed inprimis, qui fullonicam. multis enim iis opus, cum molæ iſtæ aquariæ ad eam rem aptatæ tunc nondum in uſu. hæc ſi vera, colligit Lipſius, ex ſolo illo genere ad centum ſexaginta millia in hac urbe degiſſe; unde tanta heic turba fuit, ut, cum hora undecima ſignū campana daretur deſinendi operis; parentes ſollicite minores liberos in ædes ducerent aut traherent, ne impetu & impulſu venientium obruerentur. Quod ſi hi tam multi, non oportuit pro numero multos quoque fuiſſe caupones, ſartores, ſutores, lanios, alios, alios? ſed hæc olim; hodie infrequentia magna eſt. Militiam aut agros multi, alii ſellularia opificia exercebant: ſed honeſtiores, & qui præter caput aliquid in cenſu habebant, arma etiam feſtis vacuiſque diebus tractabant. Militia tunc & tela (quod ad plebem) fere ſagittæ erant, eæque arcu vel balliſta emiſſæ. Igitur Collegia, in quæ nomen darent qui hoc vel illo utebantur telo, inſtituta. Erat unum ſagittariorum ſimplice arcu; duo balliſtariorum; poſtremo ſclopetariorum. Hæc collegia Gildas dicunt: imago manet; uſus periit, ſerius nimirum & verus, qui ad militiam ſpectat; nam in oblectationem aut pompam nunc uſurpant. Areæ ſive horti his exercitiis deſtinati erant, in quibus docebant, diſcebantque. Lovanienſes & Bruxellenſes, finibus & amicitia ſemper juncti, ſtatum quotannis tempus habebant, quo Furam convenirent: amœnum locum, & pari fere ſpatio ub urbe utraque ſejunctum. Vetuſta ibi arx eſt Principum Brabantiæ, & aſſita Sogniacenſis ſilva: & juxta eam area, & certamen; ibi balliſtariorum certamen; præmium victoribus vinum erat. Tantum de plebe. qua olim frequens & in flore, poſt imminuta, præſertim in lanificibus, qui indignatione & metu patriam mutantes, iverunt in Angliam. Vnde ibi adhuc hodie eorum coloniæ, & gloria inde pannificii. Ita fuit olim Lovanium florentiſſimum; modo deflorut, & ex veteri gloria & copia non niſi umbra hodie. Iuverunt lapſum grandis populus, opes, laſcivia, diſſidia, ſeditiones, venena omnis ſtatus. Lector, ſi volet, Lipſium legat de his in Lovanio, & Grammaye.

Fuit olim Lovanium Comitatus, & invenio ejus memoriam inde ab anno ſalutis ducenteſimo. alii volunt & Ducatum fuiſſe, majori Brabantiæ parti dantem jura; ſumentibus inde ſibi nomen Principibus uſque ad tempora Godefridi Barbati; qui, aucta ditione, cepit, vel (ut ſupra dictum) recepit Barbantiæ, ſive Brabantiæ titulum. Hodie vero, etſi declinaſſe videatur hoc opidum, & dignitatem hanc amiſiſſe, metropolis tamen

hujus

huius Ducatus eſt, ac primi Brabanticæ terræ quadrantis caput, reliquas omnes urbes præcedens. præſtat etenim omnium prima Principi iuramentum, idque ab illo viciſſim ſuſcipit. primũ ei in communibus terræ negotiis votum, præterquam tamen in ſubſidiariis Regis petitionibus, in quibus Antverpia, cujus propter potentiam plurimum intereſt, prima dicit ſententiam. In ſumma, & vocatur, & eſt adeo ipſo facto hæc urbs, Brabanticarum omnium prima ſimul & vetuſtiſſima. quam caput ſpeciatim agnoſcunt Thenæ, Lewia, Gemblacum, Dieſthemium, Hala, Sichemium, Iudonia, Hannutum, Landa, & alia quædam opidula: quorum alia quidem Lovanium, inde Cancellariam Brabantiæ; alia vero immediate, ut vocant, Cancellariam eamdem appellant. Atque hæc de Lovanio dicta ſufficiant. cujus regimen quidem & politiam hic nullus attingam: quod videlicet in deſcriptione Antverpiæ, quam ut exemplar quoddam & reliquarum Belgicæ urbium normam, certis tamen conditionibus, nobis ipſi proponimus, & ſuppleatur abunde hic talis defectus, & conſulatur operis brevitati.

ADDIT. [*Non erit abſurdum aliquid de ſuburbanis addere. Primo ſe offert* Bancum *ad lævam, ipſa via Bruxellenſi, teli jactu à porta, cœnobium virginum D. Auguſtini. Peculiari inſtituto obligatæ ſunt judicare de leproſis, & judicatos recipere atque alere, qui ſunt Lovanienſes, aut Heverleenſes. Princeps novus, priuſquam Lovanium intret, ille quoque juramentum ad altare Georgii ſolet edere, & precibus nuncupatis, dono aliquo honeſtare.*

Parcum *item aliud cœnobium eſt, ſed ordinis Præmonſtratenſis. Nomen habet ab ipſa re & uſu, quem ante præbuit; fuit enim* vivarium, *ſive locus clauſus, alendis feris ad oblectationem Principum, quod genus* parcos *dicere ſolemus. Amœnus locus eſt, ſilva, piſcinis, rivo, pratis delectabilis, & ſtudioſos ſæpe ad ſe trahit.*

*Extra porta dum nos occupamus,* Heverleam *oculis libemus. Mediæ horæ itio eſt; Via pulcherrima ab ipſo opido recto limite ad uſque ſilvulam & fontium receptacula ſive caſtellum aquarum ducit. Longa eſt paullo minus mille paſſus, lata pedes 40, ad libellam æquabilis, & inter montes aut colles, altos alibi ad viginti pedes, depreſſa & complanata. Margines ſepibus vivis lauduntur, in parte muris: tiliis arboribus adſitis utrimque ſumbratur. Egregium & regium opus; domicilium Ducum*

*Areſcotanorum. Ipſa loci facies, à Deo & natura multum eſt amœna. Ecce inter modice declives colles arx jacet; flumen Dilia prætercurrit à fronte, a tergo* Fura *rivus; cujus curſum in præcipua parte opus & manus direxit: eumdem per prata derivavit, piſcibus aut piſciculis receptaculum & cuſtodiam. tum prata, agri, ſilvæ, venatibus aptæ, pulcherrimo adſpectu recreant animum & diffundunt.*

*Piſcinæ numero ſeptem, ſuavi adſpectu, & oportuno ſitu, inter declives agros, & veſtitos arboretis colles. Horti hinc pomorum; nuceta; vivaria cuniculis aut lepuſculis, columbaria. Hoſpitibus adventantibus, imo & nobilibus domeſticis hinc domus. Adſita area & equile: area altera ante arcem, lata & pulcherrima, utrimque arboribus, ambulacris, & xyſtis clauſa: tiliæ arbores diſpoſitæ. Hortus prunorum, perſicorum. Prope hortus florum cum ſuis flexibus & labyrinthis; Ibi fons, qui alte ſubſiliens marmoreo labro duplici excipitur. Adſunt pergulæ, topiario opere, grandes: occultæ aquæ aut ſiphones in iis, qui ingredientes fallunt & inundant: monticuli item ſive rupes è topho, ſilice, teſtis conchiſque marinis miranda arte. Vertebra mota, molæ molunt, aviculæ cantant, aqua adſtantes ſpargit: alia, cum oblectatione miranda. Alia via, arboribus limitata, ad cœnobium ducit; ante, hortus olerum, & herbarum edulium. Fons in eo è marmore, & tali vaſto labro. Porro pergulæ, labyrinthus, & fons.* Templum *& cœnobii multiplex ædificium ingredere: in quo viginti quatuor religioſos ordinis* Cæleſtinorum *eſſe oporteat, ex lege & ſcito teſtatoris: ſed injuria temporum, itemque hominum incuria, diminuerunt. Amplius ibi, res miranda: marmorea Principum Croyorum & affinium ſingulorum monumenta ibi genealogiam Ducum de Areſcot ab Adamo uſque ad præſentes ultimos videbis in choro ad latera, cum eorum iconibus & nominibus. Res non Belgio, ſed Europa admiranda. Inter cetera, en epitaphium Caroli Ducis in lapide, litteris circumcirca ex orichalco, quod ipſus ſibi dicitur compoſuiſſe:*

Carolus à Croy, nuper Dux Croy & Arſchotti, ex magna progenie natus, nunc putredo terræ & cibus vermiculorum. obiit in Domino, exſpectans reſurrectionem mortuorum, anno CIↃ IↃCXII.

*In Sacello varia ornamenta ad miſſam.* Numus *ibidem oſtenditur, qui e numero dicitur eorum, quibus Salvator venditus, magnitudine bacionis, ſed pondere dimidii Imperialis; altera parte caput humanum; altera flos cum epigraphe,* PODION; *forte quod in inſula Rhodo ex argento fuerit facta talis moneta,*

*& Hie-*



# BRVSSEL.

*& Hierosolymis usurpata in quotidiano usu & mercimonio. Templo egressus, ingredere hortum religiosorum, aream, collegium, quod destinatu ut parva academia lectionibus aut disceptationibus, in gratiam principis & adventorum. Adjacet hortus cœnobii, aula inferior, & piscinæ: nec desunt agri, & prata; amplius, parcum est, sive locus clausus in silva, ad feras. Ibidem arboreta; fons primarius & scaturigo; mox piscinæ. Hæc omnia extra arcem. Iam* arx *ipsa, domicilium Principis: superbum opus, si perfectum. Fons in ea pulcherrimus, alte saliens, & labris marmoreis exceptus, statuis ornatus. Fossæ circum arcem latæ, profundæ, nitida aqua plenæ. Hortus voluptatis adsitus, cum molendino duplici: frumentis frangendis & secandis lignis: mox venatorum domus & falconariorum. Adjacent prata, fossis e rivo Furia circumdata: trans rivum viæ arboribus septæ, & agri. Ad summam, locus amœnitati & Musis factus; cui ipse Princeps quoque impendia sua & curas confert; sed & Lipsius suum hoc epigrammatium:*

Mœsta ô Belgica nostra, tolle vultus,
Tolle, & lumine lætiore lustra
Magni *Principis* hoc opus, sacratum
*Musis* & *Veneri*, & venustiorum
Quidquid est hominum. superba gaude
His adaucta palatiis & hortis,
Hisce fontibus, hisce & arboretis,
Xystis, limitibusque & ambulacris.
O dispar facies vetustiori!
Ante scabra loca hæc, & absque cultu
Horrida, ardua, iniqua, fabulosa:
Nunc quàm splendida, quàm polita rident?
Ades *Græcia* tu vetus, vetusque
Ades *Roma*: mea, ecce, *Belgica* audet
Se conferre; an & ausit anteferre?]

# BRVXELLA.

BRVXELLA, ut vult idem Iacobus de Guisa, nomen habet à quadam arce, quam Senones, Angliæ populi, Galliæ infestandæ in has oras profecti, olim exstruxerint.

ADDIT. [*Alii à paludibus, quarũ magna in vicino copia: alii à lacu sive voragine in silva Zoniæ: alii a Russis. Et quia montem haut procul Lovanio norunt à Russis dictum, putant locum hunc*

*nomen accepiſſe* By-Ruſſel, *id eſt, apud Ruſſorum ſellam ſitus. Alii ob frequentes fontium ſcaturigines, & proinde cavitates terræ,* Bruſſel, *quaſi* Ruyſel, *id eſt, ſedem ſeu locum tumultuantem, vel* Ruyshel, *id eſt, antrum murmurans dictum, opinantur.*]

Eſt autem, mirabili prorſus ſitu, urbs partim in plano, partim in edito poſita, adeoque digniſſima etiam maximo Principe ſedes. nam planities quidē-, feliciſſimo ab utraque parte terreno circumdata, per amœniſſima prata, cum ſupra tum infra urbem diffuſa, pulchro ſane adſpectū, ad aliquot leucas porrigitur. ita quidem, ut nunquam hic laboratum ſit vel pabuli, vel annonæ, in uſum Aulæ, pænuria. cum aliquando tamen contigerit, ut ſeptem hic uno eodemque tempore conſpicerentur capita coronata; ſcilicet Carolus Quinctus Imperator; filius ejus Philippus Rex: Rex Bohemiæ Maximilianus una cum uxore Regina; Helionora, Regina Franciæ; Regina Hungariæ, Gubernatrix; & ex Africa Rex Beleſiæ: ut omittam Ducem Sabaudiæ, Duciſſam, venia verbo ſit, Lotharingiæ, ac tot alios Duces, Marchiones, & variarum nationum Principes: qui minimum octo vel novem millia ſecum habebant equos. Iam ab alia parte ſilva Sogniacenſis eſt, leucæ tantum quadrante disjuncta, venatione ſimul & lignatione Regali inſignis, tum Abbatiis undique ac Monaſteriis cincta, & innumeris paſſim, iiſque pulcherrimis, fontibus, & magna fructiferarum arborum copia nobilis. quæ omnia inter ſe juncta, & cœlum efficiunt ſaluberrimum, & aquas longe dulciſſimas. interfluit urbem fluviolus Sinna. præter quem, fruitur illa maximo quodam & navigabili alveo, ingentibus nuper impenſis, & incredibili fere labore atque induſtria, inde ab ipſa urbe, uſque ad Rupelam flumen, id eſt, quinque ipſas leucas, perducto. unde Bruxella ſolventes naves, per inſignem hunc aquæductum in Rupelam ipſum intrant, atque hinc porro illapſæ in Scaldim, uſque ad mare decurrunt; ſumma quidem cum incolarum & finitimorum commoditate ſimul & utilitate. opus ſane præclarum, ac magno adeo Principe, vel & Imperatore digniſſimum. præterquam enim quod in id hactenus ſint impenſa ultra quingenta coronatorum millia; ſciſſus juſtæ magnitudinis mons; ac tam alte effoſſa tanta terræ intercapedo; variis etiam rivis campos antea perlabentibus, ſubter alvei fundum deductis,

ne vi-

ne videlicet cœno is aut arena poſſit oppleri: præter, inquam, hæc omnia, videre eſt inibi, opera quinque cataractarum, oportunis maxime locis ſtructorum, quos ab effectu iſti *Excluſas* dicunt, & vernacula voce Sluſen/ maxima ſane induſtria, nec minori judicio, aquam idemtidem coerceri & ſiſti, ne ſcilicet uno, quidquid ejus eſt, impetu, in primum illud receptaculum ſeſe effundat: cum Bruxellæ & in aquæductus hujus initio, aqua ſit quadraginta & amplius pedes, quam in exitu, altior. Præcipuus tanti operis auctor, vel fautor ſaltim atque impulſor (nam alioqui, Gubernante etiamtunc Margareta Auſtriaca, Imperatoris amita, ab ejuſipſius majoribus adinventum fuerat atque conceptum) Ioannes Locquenginius fuit, eques perhoneſtus, & Locquenginii, Berchemii, Coquelbergiæ Dominus, idemque civilium in hac urbe cauſſarum Prætor, vel ut vulgo loquuntur, Ammannus, den Amman. Vicinum huic urbi ad Aquilonem, & quatuor tantum leucis abjunctum, Lovanium. ipſa vero Bruxella ſolo admodum ampla, & gemino mœnium ambitu clara; inter quos, magno ſatis intervallo diſcretos, Aulæ & vivario ejus ad ortum ſedes. reliquum inter murum utrumque ſpatium variis procerum aulicorum palatiis, tum privatorum etiam domibus, hortis, pratis, arboretis, imo & agris nonnuſquam inſeſſum eſt. quæ omnia urbem efficiunt temperatam, ſalubrem, amœnam, & adſpectu admodum delectabilem. & exteriores quidem hos muros cœptos invenio ſtrui anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo. ſunt autem, ut forma nonnihil diverſa, ſic amplitudine quoque Lovanienſibus illis ducentis paſſibus anguſtiores. ita ut utrumque hoc opidum æquali fere ſit magnitudine, ſed domorum ſimul & incolarum frequentia Bruxella Lovanium ſuperet. Bruxellæ ſeptem ſunt portæ; ſeptem primaria templa; ſeptem nobiles, & cum antiquitate, tum privilegiis claræ familiæ; ſeptem denique in Magiſtratu adſeſſores, ſive Scabini, referente ſe numero ſeptenario, quem tantopere celebrant Mathematici, ad numerum totidem planetarum, qui res omnes terrenas adſpectibus ſuis & influentiis, Deo ſic diſponente, regunt & moderantur. creatur autem à Principe quotannis hic Magiſtratus & eligitur è jam dictis ſeptem familiis, earumque ab utro-

que ſexu nepotibus. unde factum, ut propagata ſit iſta dignitas, & diffuſa in alias aliquot nobiles gentes prærogativa. ſeptem quidem familiæ primigeniæ ecciſtæ: Tſerrodolphi, Tſerhugii, Sleeuſii, Cauenbergii, Tſwertii, Rojenbechii, Stenwegii. Adjuncti tamen huic Senatui, & communicandæ cum eo juriſdictioni præfecti, Proconſul, den Onderburgmeeſter / & ſex præterea viri ſpectabiles, ex artificum cœtu delecti. quod ipſum in reliqua quoque politia ſervatur, & publici cenſus adminiſtratione: cui poſteriori de more præſident ſex Quæſtores, Kiemmeeſters / duo quidem è nobilitate, & tamquam primates, reliqui autem ex populo. ſic in aliarum etiam inferiorum rerum regimine populus nobilitati intermiſcetur: quo videlicet amicitia mutua conſervetur, & reciproco nexu ſtringatur concordiæ vinculum. Ædificia numinis cultui ſacra non pulchra ſolum Bruxellæ, ſed & ſumtuoſa. ita ut luculentiſſima paſſim & ornatiſſima videas templa, Cœnobia, Noſocomia, aliaque id genus pietati dicata loca. primarium urbis templum conſecratum hodie Divæ Gudulæ; olim vero Divo Michaëli Archangelo, urbis patrono. Comes enim Lambertus & Gerardus Epiſcopus Tornacenſis, cum tranſtuliſſent corpus Divæ Gudulæ ex æde Divi Gaugerici in hanc Divi Michaëlis Archangeli, eã, magnis prius impenſis inſtauratam & loculento cenſu dotatam, conſecrarunt eidem Divæ, inclytorum illorum & ſanctorum Principum, Comitum Wittardi & Amelbergæ, illuſtriſſima Caroli Magni ſtirpe oriundorum, filiæ. Eſt in hac æde ſacellum, & in eo tres hoſtiæ conſecratæ, aurea theca concluſæ: in memoriam nempe magni illius miraculi per Sacramentum patrati, anno, ut vult Mejerus & alii quidam auctores, milleſimo trecenteſimo ſexageſimo nono. miraculi, in ſubſtantia, talis: Erat Ionathas quidam Iudæus; is ab Ioanne quodam, curione Divæ Catharinæ, maligno animo emerat thecam hoſtiis conſecratis inſtructam: ſed cum, juſto forſitan Dei judicio, paullopoſt ab inimicis ſuis in horto quodam eſſet occiſus, uxor acceptam thecam Sacramentariam ſervandam tradidit Abrahamo, communi utriuſque parentis filio. hic una cum aliis aliquot Iudæis, die quadam Veneris ſancta, exemptum ex theca Sacramentum, velut in Chriſti Servatoris deſpectum, & facturus videlicet

ejus

ejus anatomen, pluribus cultri ictibus conscidit. sed enim cum ex hisce vulneribus miraculose stillaret sanguis, mulier tantum miraculum admirata, subito sese convertit, & re cum Magistris Petro & Ioanne Volvio, illo Divæ Gudulæ, hoc Divi Nicolai curione collata, patefactum est mox nefarium illud flagitium. ita ut Wenceslaus, tunc Brabantiæ Dux, & uxor ejus Ioanna, negotio diligenter excusso, Abrahamum & cæteros illos Iudæos, pro æde Catharinensi, vivos mandarint exuri. Inquisitiones super hoc negotio factæ, & totus adeo processus, siquis certiora forte vel & particularia magis desideret, asservantur hodieque in Camera rationum Brabantiæ inter alias summi momenti scripturas. Instituerunt autem religiosissimi illi Principes, in tam evidentis miraculi memoriam sollennem & in ævum quotannis redintegrandam supplicationem: ipsique Sacramentum illud sic vulneratum, una cum innumera populi multitudine, prosecuti sunt usque ad ædem hanc Divæ Gudulæ, ubi magna cum religione repostum id in sacello jam dicto, & appositа tabula quædam picta, totam, ut videre licet, historiam repræsentans, adjuncto & isthoc carmine.

*Quisquis ades, summi quem tangit cura Tonantis,*
*Dum properas, cœptum siste viator iter.*
*Hic tibi viva caro, æterni sapientia Patris*
*Christus adest, vivus panis, & una salus.*
*Invida Iudæum quam dum laniare laborat*
*Impietas, meritis ignibus ecce ruit.*
*Quare age Divinos huic funde viator honores,*
*Funde Deo dignas supplice mente preces.*

Evenit ultimis hisce bellis & civilibus terræ tumultibus, caussa, sive prætextu religionis exsuscitaris, ut, diruentibus adversariis sacras imagines, & diripientibus templa, Iodocus Houwartus, ædis Divæ Gudulæ Præpositus, Sanctissimam illam hostiam, metuens ne quid caperet detrimenti, clamculum inde subduxerit, & servarit sub quadam trabe in ædibus viduæ Bansiæ, idque pridie Pentecostes anni millesimi quingentesimi septuagesimi noni. unde post sex annos ablatam, pacificata jam & reducta sub obedientiam Regis Bruxella, Archiepiscopus Mechlinienſis, Antistites Grimbergamus, Diligemenſis, Parcenſis, delegati Consilii Sanctioris & Can-

& Cancellariæ Brabanticæ, Supremus Opidi Magiſtratus, aliique Summates viri, comitante clero & populo Bruxellenſi, inſtituta in eum finem publica ſupplicatione, reſtituerunt in locum & dignitatem priſtinam, propridie Idus Iulias anni milleſimi quingenteſimi octogeſimi ſexti. Eſt deinde inter alia præcipui nominis templa ædes Divi Ioannis, quam de Palude indigetant, opere ſimul & vetuſtate ſpectabilis. conſecrata ſiquidem fuit anno jam tunc milleſimo centeſimo triceſimo primo ab Innocentio ſecundo Pontifice Maximo, eo, qui haſce Provincias coram luſtravit, & Concilia, primum Rhemenſe, hinc famoſiſſimum illud Claromontanum in Gallia, celebravit.

ADDIT. [Franciſcanis, *qui à capucio vocantur, rigidiorem vitæ modum amplexis, nupera memoria extructum monaſterium eleemoſynis Hiſpanorum & Italorum potiſſimum, anno* CIↃIↃ LXXXIIX.

Patres Societatis *primo advenerunt è caſtrenſi peculio ſuſtentati. nunc ex publicis & privatorum eleemoſynis collecto ære, & collegium & ſcholam aperuerunt, anno* CIↃ IↃC IV. *numero creverunt ad* LXX. *ſub Rectore Carolo Scribanio nobis patebat aditus ad bibliothecam.*

*Cœnobia virorum, ut & virginum, ſunt quam plurima, de quibus videatur Grammaye, qui ampliter de his. Vnum addam de* mulieribus, *quæ exemplo Mariæ Magdalenæ ad meliorem frugem converſæ ſuum habent collegium: pœnitentes, quæ huc ex magno naufragio evaſerunt, inſtitutum D. Auguſtini reformatæ ſuſceperunt.*

Hoſpitalia *in urbe varia ſunt. Eſt* Noſocomium *publicum D. Ioanni inſcriptum, ubi omnes omnis generis ægri cura & ære publico per Medicum & Chirurgum peculiares foventur curanturque. Aliud, ubi utriuſque ſexus homines,* fratres & ſorores *dicti, infirmis ſubſerviunt. Sunt inſuper* IV *excipiendis* hoſpitibus & peregrinis *deſtinata domicilia, ubi unicuique advenæ triduum hærere permittitur, nimirum,* Giſleni, Iacobi, Laurentii, Cornelii. *Huc referenda inſignis publico ære ſtructa, coercendis qui in* phreneſin *inciderunt, honeſto loco natis. Alia inſuper* expoſititiis *infantibus nutricandis dedicata ſunt,* & eleemoſynariæ *domus diverſæ, quas S. Spiritus vulgo vocant.*

*Loca ſacris ſimilia ſunt* ſcholæ & ludæ; *quos, præter Ieſuitas & Auguſtinianos, numerant quidem* XLV.]

Domus

Domus urbanæ ut plurimum elegantes & adfabre ſtructæ. in primis vero complura ſunt pulchra Palatia; & primum quidem illud Senatorum, inſigni etiam turrri ſpectabile. hinc aliquot terræ Procerum & præcipui nominis Dynaſtarum, qui vel negotiorum ſuorum cauſſa, vel Regi, & eo abſente, Gubernatori delectando, Bruxellam idemtidem commeant. ſunt & aliæ quædam tum Officiorum Palatinorum & virorum illuſtrium, tum privatorum etiam domus, nequaquam vulgares: horti præterea nitidi, ampli, & limpidiſſimis fontibus, quibus & Opidum paſſim ſcatet, irrigui. Eſt poſtremo Palatium ipſum Regium, quod etſi adhuc imperfectum, nec pro veteri ichnographia, amplum tamen & commodum, adeoque aula digniſſimum. & ſitu in primis laudandum. adhæret ei vaſtum & peramœnum vivarium, parcum vulgo appellant, quod muris undequaque circumdatum ad exteriorem uſque opidi morum pertingit. includuntur porro vivario aliquot domus, Principi aliiſque utibiles, tum publici quoque & ſecretiores catadromi, ſphæriſteria, aliæque id genus Principales commoditates: horti inſuper, labyrinthus, & non piſcibus modo ſed & cygnis abundans piſcina. continentur & amœniſſimi quidam colles, & valles. vitibus aliiſque varii generis fructibus conſiti, ſilvulæ perquam jucundæ & prata, in quibus variæ paſſim oberrant feræ, quas ab non uno Regiæ latere paſcentes ſubinde & laſcivientes, nonnumquam & coëuntes obſerves.

ADDIT. [*Inter ædificia profana primo loco ſe offert Equile Regium, capax* 127 *equorum, uſibus tamen & exercitiis inter ſe diſtinctorum. Superne* armorum conclave, *& repoſitorium, quibus olim Duces Burgundiæ in bellis utebantur. Ibi equi exuviæ expanſæ, & in ligneum corpus explicitæ, cui Archidux Bruxellam ingrediens inſedit; alterius item ſed candidi, Archiducem è prælio Neoportenſi qui reportaverat, cauda humum verrentis, jubamque longam demittentis; adjecta inſcriptione:*

Il cavallo noble.

Siſte gradum, ſpectator; ego de nomine dicor
Nobilis: at præſto nobilitate rei.
Archiduci Alberto ſubſtravi corpora quondam,
Quando prope Oſtendam Martia Erynnis erat;
Illumque eripui pugnantem hoſtibus armis,
Cum vel ei, mihi vel mors ſubeunda fuit.

Me

Me magis ardebat miles: quia virginis inſtar
Cernebat niveam creſcere fronte jubam.
Hinc, ut me raperet, crebro ſua ſpicula & enſes
In caput ignoti ſtrinxerat Archiducis.
Evaſi, eduxique virum, meque ipſe reduxi
Incolumem: noſtræ non erat hora necis.
Aſt anno vertente die qua evaſimus ambo,
Nobilis interii. Cernite qualis eram.

*Ibi* pectoralia *ferrea* LII: *inter quæ Archiducis; quo prælio Neoportenſi interfuit indutus; ut & ephippium. apparatus alii equeſtres, ſtapedes, calcaria, frena, enſes diverſarum gentium; dono huc miſſa omnia, unionibus, margaritis, gemmiſque exornatiſſima. Ibidem* Caroli Audacis *Burgundiæ Ducis* gladius, *quem, equeſtrem dignitatem alicui collaturus, Carolus V Imperator adhibere ſolitus fuit. Omnia polita, diſpoſita, & pure cuſtodita aſſervantur. Subtus in equilis area,* currus ſponſalis *monſtratur, Mediolani fabrefactus, pretii quatuordecim mille coronatorum, olim Iſabellæ ingreſſuræ Bruxellam oblatus. pretium ſi cogitas, æſtimabis artem, & anhelabis videre.*

Palatium *ipſum in editiori urbis parte ea magnificentia eſt exædificatum, ut Regiæ Majeſtatis dignitatem ſatis præ ſeferat, idonea Curialium ſedes, & peropportuno loco poſita.* Atrium *majus non diſſimile Hagenſi; ubi trophæa & ſpolia appenſa.* Porticus, *quæ binæ ibi, habent Regum & Principum icones. Per unam Archidux, vehiculo inſidens, agitare equum conſuerat prono deſcenſu in hortum. res digna viſu. Iconum nomina illuſtria adponam, ut adventantem excitem.* Vladiſlaus *Sigiſmundi III Pol. Regis filius ad ſiniſtram januæ ſuperſtat.* Isabella, *cum linis aliis è Hiſpania donatis.* Vxor Philippi III. Albertus. Philippus IV *cum uxore. E regione* Ferdinandus II *Imperator, cum* cane candido. *quem Viennæ vidi perpetuum Imperatoris aſſeclam & cuſtodem. prandenti ad pedes eſt, nec e conclavi cedit. obeſæ formæ, minuſque licet venuſtæ, magnæ tamen fidelitatis exemplum.* Maria *Ludovici* XIII *Gall. R. mater. &* Anna Mauritia *Regina, uxor Ludovici.* Heleonora *Imperatrix.* Sigiſmundus III *Pol. Rex. &* uxor. *Altera* porticus, *diverſa navigia, menſas magnæ artis & valoris exhibet; nec non horologia, globos argenteos. iconem item Alberti; qui penitius introſpicienti Iſabellam videre dat; & Iſabellæ, quæ Albertum. Non longe inde diſtat* locus concameratus, *ubi Alberti denati effigies, indutus tunica monachali Ordinis Minoritarum,*

ritarum, tenens manu crucem. hoc habitu dicitur ſepultus in æde Gudulæ in ſacello, ſine ulla pompa. Sacellum inde Alberti & Iſabellæ pete. locus devotioni deſtinatus: Octo intus cellulæ, octo aris coruſcantes: penſile ſuperne ambulacrum artificioſiſſimi operis ædificium ambit: lychni undique penſiles, & ardentes: aurum, gemmæ, & reliqua ornamenta oculos perſtringunt, ſenſuſque attrahunt; opum heic acervus & magna donaria. Ipſa Princeps, noctu devota, procumbit foris ante feneſtellam parietis inciſam.

Arci adhæret ampliſſimus circus, perpetuo muro clauſus, ad extrema uſque urbis mœnia extenſus; qui omni delitiarum genere, Regibus Principibuſque & quavis nobilitate dignarum, copioſe abundat. Nemus eſt, & labyrinthus à Burgundis Principibus adornata. Vivarium, habet artificioſo opere canalem, è ſecto lapide, limpidiſſimæ aquæ; qua vaſa onerantur, & in arcem per binos camelos indies portantur. Ibi feræ, damæ aſſervantur. In piſcinis cygni & trutæ, in aviario volatilia nutriuntur, laſciviunt, congrediuntur.

Mox ambulationibus, pilæ ludo, epulis, omni recreationi ſua loca ſunt deputata.

Perge ad cryptas. altera inferior; ubi Pegaſus concentus muſici, quaſi cantor, metitur numeros; Orpheus pſallens, e fidibus delicatam elicit harmoniam; juncti ſunt globus cœleſtis & Satyrus.

Inde VII graduum ad alteram aſcenſus eſt; in quinque partes ſive alveos diſtinctam. ibi organum ſuaviſſimum edit concentum, Satyro rem tibia juvante: aves modulantes, opifices operantes, audiuntur, videntur.

Ad deſcenſum hortus florum patet, labyrinthi ſpecimen ſingulare oſtentans; ubi in contemplatione ejus hæres, fiſtulæ bene multæ ſubterraneæ, arte poſitæ & directæ, te aſpergent.

E vivario exeunti fons cum ingenti labro oſtenditur; ſunt duo leones grandis formæ, avem ore perpetuam aquam evomentem medio tenentes: Opus natum ipſa Iſabella inventrice, & in declivi poſitum.

Palatium hoc regium verſibus Nath. Chytræi augeamus:

Excepit *Bruxella*, ſacras ubi Cæſaris arces
Vidimus, adjunctoſque hortos muro undique cinctos,
Tum magno ſpacio ut ſylvas & luſtra ferarum,
Vitiferoſque una colles, fonteſque, lacuſque,
Prataque contineant. multas hic undique damas,
Capreolos, leporeſque leves, cervoſque fugaces,

Diverſi

Diverſi & generis volucres, plantaſque tenellas,
Cretenſiſque novum ſpecimen videas labyrinthi.
Hac olim magni moderator Carolus orbis
Sede libens vixit: proceres hic undique multi
Confluxere olim, pacem auxiliumve petentes.

*A palatio Ducis, ad* palatium Senatorum, *ſive curiam deſcendamus: eximium opus, cura Principis & Opidi ſtructum. admirandum ab aqua, ad faſtigium qua duci poteſt.* Turris *re & nomine præfert Archangelum Michaelem, urbis tutelarem, ſtatua verſatili anea pedum* XV *perfecta.* Supremæ contignationes, *ſunt armamentarium & repoſitorium jaculorum, arcuum, & ejuſdem generis veterum armorum.* Curiæ conclavia *merentur videri ob tot tabulas, tot Principum pictorum opera. Vna* judicium Salomonis, *Rubenii manu pictum, pretio ter mille florenor. habet.* alæ, *ſive latera, icones Scabinorum tenent.* januæ *ſuperſtat Iudicium extremum. Conclave adſitum exhibet* Iſabellam Archiducem *in encæniis paganis* pſittacum *arcu dejicientem de turri.* de hoc exercitio Meter. l. VI. *Alia tabula* eandem Mariæmontio *reducem exhibet; arx eſt paucis leucis Bruxella abjuncta, ſylva circummunita. feris abundans,* (en eſté le ſejour d'Archiduc.) *Alia conclavia alias tabulas, triumphali currui pro introitu Iſabellæ impoſitas, habent: in alio, videbis* XVII *Belgii Ordines, adverſis armis inter ſe congredientes; inter quos medio loco poſita ipſa* Belgica: *ſuperne è nubibus Albertus & Iſabella cum palmis procedunt. Ante curiam, in area* rotundus circus *è lapide ſtratus, cui pegma olim inſtitit, ſupplicio Hornani & Egmondani Comitum (nefas dictu) deſtinatum.*

*Præter Archiducis palatium, eminent aliorum adhuc Principum magnifica palatia. nimirum* Arſcotanum, *ex adverſo palatii Principum.* Auraicum, *in acclivi collis palatini, cujus magnam partem non ita pridem flamma depaſta erat incuria præfecti, ut dicebatur.* Aumalianum, Clivenſe, & Hoochſtratanum, *haut procul à palatio ad latus.* Barlamontanum, & Arenbergicum; Mansfeldicum, & Egmondanum, *ſecus opidi muros.* Soranum *cum aliis aliquot circa planitiem arenaceam.* Furſtenbergicum, & Spinolanum. *hoc Principum diverſorum effigies copioſe tenet. palatium Comitis de Culemburg olim fuit: hodie, eo ad fundum dejecto, pyramis è marmore conſpicitur ab Inquiſitoribus iſtuc poſita, cum inſcriptione* IV *linguarum, quarum latina hæc eſt:*

Regnan-

Regnante Philippo II, Cathol. Hiſpan. Rege; in his ſuis inferioris Germaniæ regionibus gubernante vero Ferdinando Alvarez de Toledo, Alvæ Duce, &c. Florentii de Pallant Comitis Culenburg quondam domum ſolo æquari ſancitum eſt, ob execrandam memoriam repetitæ in ea conjurationis adverſus religionem eccleſ. Cathol. Rom., Regiam Majeſtatem, & ipſas regiones. anno à ſalut. CIↃIↃLXVIII, quinto Calend. Iunii.

*Ad ſummam, ſolent provinciæ Belgarum plures, Abbatiæ fere omnes, urbes pleræque, ſua Bruxellis habere palatia ſive hoſpitia.*

*E regione Curiæ, ſitum eſt palatium à piſtore quidem ſtructum, ſed magnis ſumtibus*; dat Beckenhups.

Montem pietatis, *anno* CIↃ IↃCXVII, *ne relinquas inacceſſum. ex Italia inventio eſt: Patavii, Neapoli, & aliis Italiæ locis magno cum inhabitantium uſu videntur.*

*His adnumerari poſſunt* domus VII tribuum patriciarum. I. *Quarum prima ſita ad lapidem angularem in acclivi montis frigidi*, op Cauter-ſteen. II, *in angulo vici Montenſis, loco qui Saxum Maximiliani dicitur*, Maximiliaens-ſteen. III, IV, V, *circa forum locis. quæ nunc* domus ſalaria, 't ſout-hups; *alia à decidendis litibus dicta*, 't pap-hups; *item* Hugonis Saxum, *nominantur*, Hupgs-ſteen. VI, *apud torrentem calceariorum*, (Schoen-beeck/) *loco qui* Falcoburgum *vocatur*, VII, *in platea equeſtri.*

*Præter has, ſunt* ſeptem *illæ magnificæ forum coronantes ædes*; Frumentaria *item domus*; Halla; Macellum, & *menſurationibus ſubſerviens.* Forum piſcium, *ab Alberto Archiduce anno* CIↃ IↃC II *in opportunum locum tranſlatum.* Pontes lapidei *flumini ſuperinjecti* XII. Turris D. Nicolai, *collapſa olim, ſed pulchrius reſtituta, & anno* CIↃ IↃ C V *inſigni horologio & præludio muſicali inſtructa, ingenti impenſa è publico ſuppeditanda.*

*Ad extremum, ſuperſunt* privatæ *civium ædes. amplitudine, ſpecie, ſplendent; commoditate fontium imprimis & hortorum jucundæ & amœnæ. Fontium in privatis ædibus decem ſubinde diverſis locis erumpentem aquam obſervabis. Hortorum non amœnitas ſed luxus eſt; & invenies, qui flores ſuos ſeptem aut octo*

*octo florenorum millibus æstimet, exiguo in hortulo natos*; ait Grammaye.

*Heic quia hortorum mentio est, extra opidum in propinquo est* ANDERLEE, hortus Ducis Aumaliæ, *floribus amœnus, aquis facundus, dignus ab adventantibus videatur. Alio loco & via qua Gandavum tendimus, Archiducis* pharmacopola domum & hortum *struxit. non civis sed Principis mansio est. Eadem via locus est* BERGEN, *distans Bruxella semihora, ubi picta memoria Caroli* V *Imperat. & rustici. Imperator in venatione aberrans à rustico ostenditur; Bruxellas sera nocte, nemine comitante, omnibus insciis, imo ipso ductore, cum laterna prævio, reducitur; quid interillos ibi actum inquire ab inhabitantibus.* ]

Sunt in eadem Bruxella duo & quinquaginta opificum, sive artificum mavis, collegia, in novem membra, seu, ut ipsi loquuntur, nationes distincta. inter quos momentosi in primis & salutares armamentarii, cum præter armaturæ, cujusvis formæ & generis, pulchritudinem, ita convenienter & examussim eamdem temperent, ut jaculo sclopi reddatur impervia. præ cæteris tamen mirandum & quæstuosum est opificium polymitariorum: videas enim isthic è serico, auro, argento, elaboratos tapetes, non industria minus & arte, quam impendio admirandos. Subsunt Bruxellæ duo dumtaxat oppida, Nivella videlicet atque Vilvordia, quæ Cancellariam tamen immediate appellant. Floruit autem semper Bruxella viris omni doctrinæ & virtutum genere celeberrimis. quales duo illi Ægidii, Faber & Periander, uterque variorum operum scriptores. Thomas Cantipratanus, Magni illius Alberti Discipulus. Henricus item & Ioannes, uterque Canonici. quorum omnium mentio apud Trithemium. tales etiam nuperiores illi duo Brabantiæ Cancellarii, Hieronymus scilicet & Adolphus vander Nootii tum & eximium illud Martiniorum fratrum par, quorum alter Guiljelmus non virtutum minus, quam legum consultus, inter alios liberos nobis reliquit Ægidium, Iuris utriusque Doctorem, & honoribus variis functum, hodie vero laudatissimum urbis patriæ Syndicum. alter autem, Ioannes, pariter legum Doctor & Consiliarius Regius, vir est perquam insignis, & politicarum rerum intelligentissimus. Nata etiam est in hac urbe, anno millesimo quingentesimo

quinto,

quinto, Maria. Caroli Quinti Imperatoris germana. quæ uxor postea Ludovici Regis Hungariæ, marito in prælio contra Turcas, anno vigesimo sexto supra sesquimillesimum, cæso, quinquennio post (ut supra jam diximus) præfecta fuit a Fratre Belgicæ gubernandæ. Hodie quidem inter alios viros doctos & claros habet Bruxella Carolum Tisnacum, legum Doctorem, Equitem, & utriusque Consilii Regii, Status nimirum & Sanctioris, Consiliarium, qui sequitur ipsum Regem, & cum auctoritate simul ac laude præest regio ejus sigillo. habet Iacobum Tayum, Toparcham Goicanum, nobilem hercle atque doctissimum trium adeo primariarum linguarum virum, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ. habet fratrem illius, Adrianum, Wemmeliæ Dominum, nobilissimum juxta & litteratissimum virum. habet Andræam Vesalium, Medicum Regium, ac Physicum simul, chirurgum, & anatomicum præstantissimum, usque adeo quidem, ut habeatur hodie professionis hujus in omni Europa primus: quod è doctissimis etiam viri in hoc genere scriptis, in primis autem ex libro, *de humani corporis fabrica*, quem edidit admodum adolescens, perspicue satis constat: unde solitus eum vocare doctissimus ille anatomicæ facultatis Professor Fallopius, *stupendum naturæ miraculum*. habet Andræam Masium, Consiliarium Ducis Cliviæ, virum utraque lingua doctissimum, in Hebraicis autem singularem, & pæne dixerim unicum, ut quem ipsi Hebræi etiam stupeant. scripsit is, atque etiamnum scribit varia digna se opera, quæ magno cum desiderio expectamus ut prodeant. Habet Nicolaum Micaultium, Dominum Indeveldiæ, Senatorem Consilii Sanctioris, virum nobilem, perhonestum, prudentem, & multilinguem. cujus pater Ioannes, Dominus Oisterstеinii, supremus fuit totius Belgicæ Thesaurarius, vir apud Principem simul & populum gratiosus. habet denique Ioannem Boisotum, utriusque linguæ doctissimum, magnum Theologum, & herbarium perquam expertum: Nicolaum Damantium, paulopost prolixius memorandum: Carolum Billæum, virum eruditissimum, & in politicis versatissimum, unde & inter præcipuos Archiepiscopi Electoris Colonienſis, Leodicenſis, &c. Consiliarios: Carolum Burgesium, Consiliarium Regis in Senatu Brabantiæ, hominem doctum & virtutibus clarum,

operum-

operumque multorum ſcriptorem.

Non eſt quidem Bruxella, etſi quidam id aſſerant, Vicecomitatus, ſed gaudet tamen vetuſto quodam Vicecomitatus titulo, juribus & prærogativis nonnullis ornato: non aliter quam Antverpia, Ganda, Ipræ, & alia quædam loca. unde qui hodie Vicecomes Bruxellanus, vulgo den Burgh-graef/ Carolus nempe Hannartus, Lidekerckæ & aliorum locorum Toparcha, nobiliſſimus ſane & perhoneſtus vir, nihil in eam urbem obtinet juris, quam titulum illum ac prærogativas jam dictas, & in deſcriptione Antverpiæ, cui & ipſi pari fere dignitate *Brug-gravius*, fuſius explicandas.

Eſt deinde Bruxellæ perpetua ſedes, & velut firmum fixumque domicilium, Cancellariæ Brabanticæ. quę hodie quidem conſtat ex Cancellario, & ſequentibus partim ordinariis, partim extraordinariis Senatoribus; Advocato fiſcali, qui & ipſe, muneris ſui ratione, Senator eſt; Procuratore generali, duobus Graphiariis, Audientiario, quatuor Secretariis ordinariis, extraordinariis novem, aliiſque Officiis Palatinis. Cancellarii munere fungitur Nicolaus Damantius, Præſes Flandriæ, & Senator Sanctioris Conſilii, qui vocatus poſtea Regio juſſu in Hiſpaniam, factuſque generalis totius Belgicę Præſes, retentis nihilominus, ob egregia ſua merita, priſtinis dignitatibus. Eſt autem munus hoc Cancellarii ſummæ auctoritatis & præeminentiæ dignitas. in adminiſtranda enim juſtitia Cancellarius eſt velut Gubernator Brabantiæ, & Vicarius quidam Ducalis. Recitabo nunc Conſiliarios, idque ſecundum ordinem præſidentiæ quem ipſi inter ſe ſervant, id eſt, prout ocyus quiſque vel ſerius muneri huic admotus. ſunt ergo primum, Guiljelmus Vander Nootius; Nicolaus Vander Stegius; Ioannes Wingius; Ioannes Malcotius, Doctor; Guiljelmus Venius; Guiljelmus Breugelius; Stephanus Crasbequius; Ioannes Baptiſta Maſius, Conſiliarius & Advocatus fiſcalis; Guiljelmus Aſſelerius; Antonius Iterenus; Philippus Veuſelius; Guiljelmus Crandriſchius; Gregorius Ajala; Goſuinus Barſonius; Philippus Boxhornius; Ioannes Sagius; Guiljelmus Gentius; Nicolaus Brandius; Ioannes Malcotius, Licentiatus, Cornelius Wellemannus; Procurator generalis, Arnoldus Geeſtius; Graphiarii, Iacobus Wittius, & Theodorus Regius.

Regius. Appellat hanc Cancellariam tota quàm late patet Brabantia, ea tantum excepta particula, quæ vulgo audit Terra Romana, & Genapum, ut ſuo infra loco docebitur, provocat. appellant eam & Limburgenſis Ducatus, Dynaſtia Falcoburgenſis, Comitatus Dalemienſis, aliæque ditiunculæ Tranſmoſanæ, quæ omnes, ſupremæ iſtius juriſdictionis adſpectu, Brabantiæ ſubſunt.

Inquiſita diligenter ſummi hujus Conſilii Brabantini origine, comperi primùm, anno milleſimo trecenteſimo duodecimo, menſe Septembri, Ioannem Ducem Brabantiæ, ejus nominis alterum, ornaſſe hanc terram inſigni quodam & celebri privilegio, quod dicebatur *Charta Cortenbergenſis*, quia videlicet eo loco conceſſum, ubi tunc ampliſſima quædam erat Abbatia, eique adjunctus pagus, medio fere inter Lovanium & Bruxellam itinere, ac ordinaria per id tempus aulæ & Principis ſedes. quo privilegio inter cætera ſtatuit, ut deligantur quatuordecim honorabiles viri, ab ipſo nominati, & gente omnes Brabanti, qui tertia quaque hebdomade Cortenbergæ conveniant, atque ibi conſultent, deliberent, ſtatuant, & exequantur quidquid tractui univerſo compererint expedire. biennio poſt, idem Dux, alia quadam pagina, Gallico idiomate ſcripta, ſtatuit, ut (ſi opus ſit) præficiatur Brabantiæ Seneſchalcus (is poſtea Cancellarius) eique addantur Iudices, ſive (ut textus eſt) Iuſtitiarii, & alii quidam miniſtri, qui ut minimum reditu ſuo ſe tolerent, ſintque urbibus ſuis & terris idonei juxta & utiles Senatores, nec cuiquam quidquam promittant, donent, præſtentve, ut ad hunc Magiſtratum perveniant. Anno 1332 Ioannes Dux, ſuperioris illius filius, Chartam Cortenbergenſem decreto & privilegio ſuo confirmat, & Senatum hunc reddit duobus Conſiliariis auctiorem, ſedecim eos faciens è quatuordecim. Anno deinde 1355 Wenceſlaus Bohemus, Brabantiæ Dux, & uxor ejus Ioanna, felicibus ſuis auſpiciis, Chartam Cortembergenſem & alteram illam Gallice ſcriptam de integro approbant, additis certis quibuſdam articulis terram Brabantiam concernentibus. Anno item 1372 iidem Duces privilegio ſuo chartam utramque confirmant. atque hic demum nominatur Cancellarius Brabantiæ, ſitque inter hunc Magiſtratum

& Iuratum eorumdem Ducum Consilium diserta distinctio, cauto, ne liceat Consiliariis Cortenbergensibus esse Iurati Consilii Senatores: factaque hisdem Consiliariis, quibus antea nefas judicandi officium alibi exercere, quam Cortenbergæ, libera potestate exercendi illud & habitandi in quocumque libêret Brabantiæ loco. Anno dein 1451, Philippus Burgundiæ Dux, cognomento Bonus, titulo terræ à gravaminibus præservandæ, edictum promulgavit, quo inter alia quædam declarat, quousque & quo modo sese extendat Consilii Brabantini auctoritas, approbatum postea & articulis aliquot auctum ab eodem Philippo anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo. Tandem vero & Carolus Quintus Imperator, anno supra sesquimillesimum vigesimo secundo, superiores omnes leges & sanctiones, super procedendi & administrandæ in Cancellaria Brabantina Justitiæ ratione promulgatas, edicto suo amplificat, ac diserte exponit, de quibusnam caussis Cancellaria cognoscere, quasque ad Magistratus urbanos & Iudices subalternos remittere debeat.

Sedem etiam habet Bruxellæ suprema rei clientelaris totius Brabantiæ curia, quam cæteræ omnes ejus Ducatus, tum & adhærentium ditionum feudales curiæ provocant, sola Genapiensi excepta, quæ, ut infra plenius explicabitur, feudales Brabantiæ Gallicanæ, sive (ut alii vocant) Romanæ, causas decretoria jurisdictione decidit. Vicarius hodie Regis in Bruxellensi hoc tribunali Ioannes Mollius, Dominus Wetingemii, eques perquam magnificus, qui, cum extra Ordinem sæpe, tum alternis diebus Saturni, sollenniter publiceque, vel per se, vel per Vicarium, reddit jus. Iudices autem & ministri feudatarii hujus tribunalis iidem, qui Cancellariæ, Senatores nempe & Advocati, tum & alii quidam, quorum in hisce negotiis usus est. Quin & cæteris quoque Belgicæ nostræ Provinciis supremæ suæ causarum feudalium curiæ, ad quas inferiorum conventuum appellationes recurrunt. Est præterea in hac ipsa urbe (quia nimirum Brabanti, ut suo loco docebimus, evocari non possunt extra Provinciam) nomine Cameracensis Episcopi, forum Ecclesiasticum, cujus hodie quidem Officialis est Magister Lucas Delius, Decanus & Canonicus Buscoducensis. disceptantur vero &

ro & deciduntur in hoc tribunali cauſſæ omnes eccleſiaſticæ, ejus Brabantiæ partis, quæ diœceſi Cameracenſi ſubdita: nam alioqui ſubeſt ex parte hæc terra diœceſi Leodicenſi. unde & illi Epiſcopo, pari de cauſsâ & privilegii Brabantini adſpectu, ſuum in urbe Lovanienſi ſpirituale tribunal eſt. Atque ita in reliquis quoque Provinciis, & primariis maximeque oportunis diœceſium locis, ſpirituales ejuſmodi curiæ, recte & ordine adminiſtratæ. cognoſcunt autem de matrimoniis, firmane videlicet ea, an verò invalida, de teſtamentis, & bonis, ut vocant, amortiſatis, de Sacerdotum aliorumque Eccleſiaſticorum, nullis Monaſticæ vitæ legibus obſtrictorum delictis, & ſimilibus controverſiis. Denique, ut jam dictum, ſolennis, a plurimis annis retro, in urbe Bruxella aulæ Regalis & Magiſtratuum ac Conſiliorum ejuſdem ſedes, unde jure nominatur urbs Regia; eo magis quod & potens ſimul & tectis admodum frequens, quodque civium ejus plærique ſint in re lauta, bene conſtabilita, & in annuis fere agrorum aliorumque bonorum ſtabilium cenſibus conſiſtente. Nec primum tamen, ut vidimus, ſed non niſi ſecundum dignitatis & præeminentiæ gradum in Brabantia poſſidet, eſtque ſecundi ejus quadrantis caput, & Nivellam tantummodo cum Vilvordia ſibi habet ſubjectas, quæ & ipſæ Cancellariam immediate appellant.

Tertia fere ab urbe leuca ſita eſt ampliſſima juxta & clariſſima Abbatia Affliginienſis, cujus Antiſtiti, inter duodecim Brabantinos, primi in Ordinum terræ Conventu ſuffragii jus eſt. Condita eſt, ſecundum Irenicum ab aliquo Ducum Brabantiæ, cujus nomen ille non exprimit. juxta verò Barlandum, hiſtoriæ Brabantinæ ſcriptorem, fuerit Godefridus Barbatus, is, cujus ſupra fit mentio, & hocipſo loco ſepultus eſt. ſed videlicet neuter attigit ſcopum. nam ut ipſe his oculis vidi, didicique ex diplomate fundationis, quod penes Magiſtrum Ioannem Govardum, verus Cœnobii conditor fuit Henricus tertius, Comes Lovanienſis, ejuſdem Barbati germanus, anno, ut addit, milleſimo octogeſimo ſexto. Primus ejus Abbas Fulgentius fuit, ſacerdos admodum reverendus. neque defuere deinceps huic Cœnobio docti & venerandi Antiſtites. inter quos numerantur in primis Franco Abbas, ac Simon, Guiljelmus atque Hen-

ricus Monachi, ſcriptis etiam clari. Eſt in hoc cœnobio celeberrima bibliotheca, variis omne genus libris inſtructa, adeo quidem, ut, quod ad libros antiquos, habeatur pro locupletiſſima ſimul & laudatiſſima univerſi iſtius tractus. qui inter alias dotes & elegantias, utiliſſimis quoque bibliothecis luculenter inſtructus eſt. & in Brabantia quidem, præter hanc quam nunc dixi, memorabiles maximè Tongerloana, copia ſimul & delectu inſignis: tum Gemblacenſis, Grunendalenſis & Septifontana. Sed intremus deinceps Antverpiam, contemplata prius aliquantiſper ejus effigie, ab inſigni artifice ad vivum delineata, etſi gratior forte fuiſſet ſciographia.

ADDIT. [*Non erit abſurdum hic breviter ſtatum hujus urbis pacificum & turbatum proponere. In pace florent Magiſtratus & ſubditi.*

Magiſtratus *heic, non qui in Palatio regio, ſed in urbe ſedet, paucis deformandus. Eligitur à Principe, è ſeptem ſtirpibus patriciis, nomina ſunt*: Sleeuſii, *'Sleeus*; (*leonem ſonat, quem in ſcutis circumferunt*:) Tſwertii, *Svverts*; (*a gladio aut haſtite ductum nomen*:) Tſerrodolphi, *Tſerroelefs*; (*Herois Rodolphi poſteros ſignificat*:) Stenwegii, *Steenvvechs*; (*viam lapideam denotat*:) Tſerhugii, *Serhuygs*, (*ab heroe quodam Hugone dicta & ducta ſtirps*:) Rojenbechii, *Rodebeken*; (*à ſuburbano quodam loco*:) Cavenbergii, *Cevvenberghe*; (*ab urbano quodam loco.*) *Annuus eſt, titulo Scabinorum inſignitus*, ſeptenario *numero conſtans. His Scabinis*, duo Conſules *adjecti*; *alter è nobilibus, è plebe alter*; *cum* Conſiliariis VI, *qui ſunt viri ſpectabiles, ex artificum cœtu delecti. Conſules cum Scabinis juri juſtitiæque præſunt*; *iis vero omnibus præit* Prætor urbanus, *juſtitiæ adminiſter, vir primi nominis & nobilitatis*; *à quo rogati Senatores tenentur jus dicere & reos judicare.* Sequuntur publici cenſus adminiſtratores. *qui ſunt ſex Quæſtores*; bini è patriciis, quaterni è plebe. *Omnes hi annuatim mutantur, rationique reddendæ obnoxii ſunt: nec niſi intra ſexennium, ad idem munus eos aſpirare ſancitum eſt. Eſt etiam* collegium panificii, *duobus Decanis, Aſſeſſoribus octo, mediatim patricio, mediatim plebejo genere conſtans. Præter hos inſtituti* octoviri, *ad controverſias, ob pugnas & vulnera natas, ſopiendas. Ita majus opidi conſilium conſtat tribus membris. in primo, eſt Senatus: in ſecundo, omnes viri Conſulares, Senatorii, Quæſtorii, & Decanatu panificum functi, excluſis plebejis:*

*plebejis: in tertio, Decani sive præfecti collegiorum ex opificibus; & hi postremi authoritatem habent judicandi de rebus artis suæ.*

Cives *sive* subditi *opulententiores quinque contuberniis nomen dant. quæ sunt: Arcus chalybei majus; minus; sclopetariorum; gladiatorum; & jaculatorum. Quodlibet collegium quingentorum est capitum. magna pompa, signis prælatis, solemnia sua celebrare solent quotannis, dominica ante pentecosten, in area arcis. Cætera plebs in opificum classes* LII *distincta est; eæque subdivisæ in* IX *tribus, quas* nationes *dicunt. primariæ sunt armisabri & polymitarii; hi aulæa & picturas textiles divendunt.*

*Hanc formam habet status pacificus.* Turbatus *ruinam intentavit sæpius. A* lue, *quam sudorem Anglicum vocitabant. hæc urbem anno* CIↃ IↃ XXIX *graviter afflixit; sed gubernatricis jussu, jejunia & preces indicentis, se remisit. A* peste; *cum ad* XXXIII *hominum millia absumerentur,* CIↃ CCCC LXXXIX. *Ab* igne; *qui exortus in Sabulone, aliquando bis mille & aliquot centum domos absumpsit. Iterum alius, qui* CIↃ IↃ *textrinas devoravit.* A seditionibus; *plebs in patricios sæpius concitata, eorum potentiam & opes sugillans. Hinc vetitum deinde decreto Ducis, ne quis deinceps textor (ii tumultus authores fuere) in urbe pernoctaret sub pœna capitis. Alio tempore laniones, factiosum genus hominum & potens, & lapidicidæ, in Senatum consurrexit. Ad extremum* belli vis; *cum temporis calamitas, & militaris rabies, malis suis etiam Bruxellam implicasset, & profanatis templis nihil non designaret, Alexander Farnesius, captis vicinis locis, ita urbem coarctavit, ut de pacis legibus egerit, præsidium urbe excesserit, & ita urbs Principi suo restituta fuerit, anno* CIↃ IↃ LXXXV. *Vide* Thuan. & Meteran. *passim. Elogium hoc opidi pro coronide adjiciamus, è Grammaye.*

Regia Belgiadum, Majestatisque cathedra,
Fontibus excellens, cincta palude sua.
Virgo patrocinium, tutelam Archangelus; omnes
Cui Duci dederunt munera quisque sua.
Dis concessit opes, vires Mars, regnaque Iuno,
Ornatum charites, munera quisque sua.
Læta polo, populoque frequens, fœcunda soloque,
Late vicinis quæ dominatur agris.
O quam te vocitem Bruxella! id Belgicus orbis
Non capit aut referet, quod capis urbe tua.

CONstitueram primo, Clarissimi Senatores, celeberrimam modo hanc urbem & patriam vestram describere. idque, tum ut notum vobis facerem summum meum in illam affectum; tum ut testimonio meo comprobarem claritudinem ejus, pulchritudinem, splendorem, & magnificentiam, una cum politia, vestrique in ea regiminis ratione, & insigni habitatorum potentia. Sed cum postea succurrisset, me, si per hanc ipsam occasionem latius paullo diffunderer, & finitimas quoque regiones urbesque percurrerem, vobis aliquam voluptatem, aliis vero non exiguam utilitatem, allaturum: statui tandem hanc urbis vestræ descriptionem comitem dare descriptioni omnium regionum inferiorum, ditioni Magni Regis Hispaniæ, Principis vestri, cui opus ipsum inscriptum est, subditarum. Nec ignorabam, jure mihi objici posse, quod videlicet suscepissem onus longe gravissimum, & cui humeri mei nequaquam futuri essent ferendo: quæ enim inventiones, quæ artes, quæ denique argumenta majorem requirunt scientiam, prudentiam, atque judicium, quam descriptiones & ordinatæ compositiones terrarum & ditionum, rerumpublicarum & hominum, una cum tot tantisque qualitatibus & conditionibus, quot complectuntur natura & universa rerum administratio? Verum confisus (ut dicam quod res est) amicorum quorundam, & nominatim rarissimorum aliquot ingeniorum vestratium, doctrina simul & fama clarorum, auxilio, nolui ab hoc tam laudabili meo conatu, tamque insigni exemplo desistere. Nam (ut pessime cedat) proponente me adeo nobilem adeoque honestum scopum, & sequentibus me, ut proculdubio secuturi sunt, multis, qui ad eumdem collineent, prodibit tandem illustre aliquod ingenium, promto videlicet, aliorum inventionibus & laboribus addere, quod palmam ferat, ipsumque perfectæ descriptionis scopum attingat. unde, faciente hoc meo principio, futurum est, ut in lucem exeat pulcherrimum simul & utilissimum opus, adeoque & aliarum terrarum ad hocipsum exemplar descriptiones. Quare Amplitudini vestræ supplico, ut hisce consideratis, dignentur labores meos, etsi rudes & impolitos, cum videlicet expectetur, qui eos expoliat, & numeris suis absolvat, æqui bonique consulere. Ego vero me gratiæ vestræ commendo, Deumque ut magnitudinem vestram magis magisque exaugeat, supplex obtestor. Antverpiæ die vigesima mensis Octobris anni 1566.

Amplitudinis vestræ Illustrissimæ
Humilis servus
*Ludovicus Guicciardinus.*

ANT-

ANTV

VERPEN.

# ANTVERPIA.

ANTVERPIA, urbs præclara & ubique terrarum decantata, ſuo jure videtur exigere, ut, dum eam deſcribo, latius me, quam in cæteris omnibus opidis deſcribendis, diffundam: idque partim, quod plura ſint quæ dicantur de hac unica urbe, quam de tota aliqua regione; partim, quod in iis, quæ politiam concernunt & leges, adeoque univerſalem regiminis formam, futura ſit nobis quaſi regula quædam generalis, & Belgicæ univerſæ exemplar: cujus reliquæ urbes ab hac ipſa non multum diſſentiunt. ideoque Antverpia plene deſcripta, nihil opus, ut poſtea deſcribantur ita tenuiter urbes cæteræ. Quinimo quiſquis deſcriptionem regiminis hujus unius urbis perlegerit, is habiturus eſt una opera velut ſpecimen quoddam & effigiem politiæ, qua non omnes dumtaxat Inferioris hujus Germaniæ, ſed primariæ quoque Superioris illius, aliarumque terrarum Septentrionalium urbes gubernantur. etſi enim illarum nonnullæ liberiores fortaſſis & minus gravatæ, utuntur tamen eadem fere inter ſeſe regiminis forma: & præſunt civitatibus quidem Conſules una cum Senatoribus; regionibus vero, ſeu vicis, tribuni; artificum cœtibus ſui Decani, & ſiquid præterea miniſtrorum eſt: quibus eadem ipſa re cum noſtris auctoritas, eadem juriſdictio. Auſpicaturus itaque deſcriptionem Antverpiæ, quam urbem Petrus Apianus, inſignis Coſmographus, & alii quidam ſcriptores contendunt eandem eſſe cum ea, quam Ptolomæus nominat Aduaticum, dico, incertum admodum eſſe hodierni illius nominis etymon. prout in obſcuro etiam eſt magna ex parte aliarum Belgicæ urbium originatio. quo non obſtante, viſum eſt recentioribus aliquot hujus ætatis ſcriptoribus dare urbi originem quam nunc dicam. tradunt, ævo jam tunc Iulii Cæſaris, fuiſſe hoc loci arcem, ad Scaldim flumen, in qua immanis quidam habitaverit Gigas, Druon, vel, ut alii malunt, Antigonus, qui uſurpata in hunc tractum tyrannide, violenter exegerit mercium quotquot hac præterveherentur ſemiſſem, mercatores autem compertos fraudis, non omnibus tantum bonis, ſed altera etiam manuum, quam reciſam in profluentem abjiceret, ita di-

ctante videlicet lege, multaverit. cæterum quia Belgicus ſermo manum nuncupat handt/abjicere vero werpen/ a manibus ſic ut dixi abſciſſis & in profluentem abjectis, populi huic loco finitimi ipſam arcem vocaverint Handwerpen/ quod hodieque Teutonicum urbis nomen. Latini dicunt Antverpiam. Galli, molliore pronuntiatu, *Anvers*. Itali, voce expleta, *Anverſa*. Et ab hac quidem arce, recentiores illi, quos dixi, originem urbis, ab narrato autem eventu, etymon vocis deducunt. cui opinioni firmandæ reapſe oſtendunt veſtigia quædam arcis, ſeu burgi, ad flumen: oſtendunt arcem & una reciſas manus in urbis inſigniis: oſtendunt ad forum judiciarium, vulgo de Wier-ſchaer / quatenus nempe olim pertinuit arx. reliquias antiqui cujuſdam palatii, nuper, aliis aliquot domibus & Hoſpitio Equitum Teutonicorum, Ordinis Divæ Mariæ, ſtruendis, ſolo æquati, in quo contendunt fuiſſe Gigantis illius ſedem: oſtendunt denique adſervata in ipſa Curia oſſa quædam ejus & calcar, magnitudine ſane mirabili. in quæ ſcitiſſimis hiſce verſiculis luſit doctiſſimus ille vates Cornelius Grapheus:

In coxam.

*Tanta hæc horrifici fuerit ſi coxa Gigantis,*
*Cætera quanta illi membra fuiſſe putes?*

In dentem.

*Faucibus immenſis dens hic ſtetit, ore voraci*
*Quiviſſet ſolidos ille vorare boves.*

In brachium.

*Quam fuerit forti munitus robore ſævus*
*Ille vir, id cubiti pars monet iſta ſui.*

In ſcapulam.

*Ardua terribilis ſcapula hæc eſt, crede, tyranni,*
*Quid reris, quantum ſuſtinuiſſet onus?*

In tibiam.

*Geſtavit vaſtum vaſta iſthæc tibia corpus.*
*Enceladum æquavit, non dubium, ille gradu.*

Adſtipulari etiam ſibi contendunt, quod in ſollennioribus illis Circumciſionis & Beatæ Virginis ſupplicationibus, jam inde a priſcis temporibus, ſtatua quædam obambulet enormi & gigantea prorſus effigie, ſubſequentibus, quorum manus videantur abſciſſæ. præterea verſus iſtos Latinos, qui inveniuntur quidem inſcripti veteri privilegiorum Antverpiæ codici, quo tempore autem

tem compositi, & a quo tandem exscripti, novit Deus, neque meum est disputare:

*Postquam res Asiæ ceciderunt, mille trecentis*
*Annis ante Iesum de sacra virgine natum,*
*Hic fuit Antigoni castrum insigne Gigantis,*
*Quem Brabo devicit, de quo Brabonica tellus,*
*Mœnibus inceptum magnis & turribus altis,*
*Cui nomen tribuit manuum violenta potestas,*
*Extra clima jacens juxta Scaldam pelagusque*
*Fluctibus Oceani quatitur surgentibus ampli,*
*Nunc villa insignis toto notissima mundo,*
*Cæsaris excelsis olim dotata trophæis,*
*Ex pelago & terra & cœlo confisa sereno,*
*In sterili terra locuples portus fluviorum,*
*Per mare per terras quæ quæstum gentibus affert,*
*Quo multi vivunt, multi ditantur abunde,*
*Imperialis hera sic est Antverpia vera.*

Quæ commenta siquis vellet rejicere, ei liceret allegare, harum omnium rerum nullam prorsus authentiam inveniri memoriam, adeoque propius assidere veritati, Andoverpios, superioris Germaniæ populos, qui (ut scribunt Mejerus & alii quidam auctores) cum aliis multis magnæ illius Provinciæ gentibus in has oras venerunt anno circiter sexcentesimo, substitisse hoc ipso loco, eumque de nomine suo vocasse Andoverpiam, sive Antverpiam, ex qua voce, ob significatus similitudinem, facile postea nasci potuerit illa de gigante & abscissis per eum manibus fabula. Alii volunt, nomen istud Teutonicum Antwerpen derivari ab acta, sive crepidine ipsa ripæ, in qua machina illa versatilis, quam vulgo appellant de oude Krane/ ubi nempe appellunt & exonerantur naves. ea enim crepido antiquitus dicebatur de werp / licet hodie mollius & per euphoniam dicatur de Werf. Verum arguti quidam & perspicaces hujus opidi cives, omnes eas opiniones solidis rationibus refutantes, existimant, istud nomen componi ex præpositione Teutonica, an/ quæ respondet Latinæ *ad*, & verbo werpen/ quod iisdem est *jacere:* ita ut proprie vocem hanc vertas *adjectum*, Italice autem *aggiunta*. clarum enim & certum, ut iidem illi subjiciunt, non primam dumtaxat arcem, sed & partem aliquam urbis positam atque exstructam in ipsa alluvione, quam flumen tacito quodam incremen-

incremento ripæ paullatim adjecit. quod palam quidem hocipſo anno, ſexageſimo nempe ſupra ſeſquimilleſimum, in jaciendis novæ Domus Senatoriæ fundamentis, compertum eſt, inventis nimirum ſub terra craſſis quibuſdam è ferro lignoque operibus, perſpicue ſatis teſtantibus, pertinuiſſe antiquitus flumen uſque ubi nunc forum eſt. Quod ad Gigantem, dicunt aliqui, non alium eum fuiſſe, quam nobilem quendam Ruſſum, qui cum habitaturus huc conceſſiſſet, mercatus ſit, ſive condiderit, vel fortaſſis invaſerit Antverpienſem hanc arcem. quia vero ſtatura eſſet prægrandi, quales ut plurimum ejus terræ indigenæ, tunc temporis etiam grandiores, ab hac ipſa proceritate, & quadam inter Teutonicas voces, ſiuſſe quæ Ruſſum, ſieuſe quæ Gigantem ſignificat, affinitate credidiſſe poſtea poſteros, hominem iſtum fuiſſe Gigantem. Et hactenus quidem de nomine, deque Antverpienſi iſthoc Gigante. pergamus deinceps ad explicandum opidi ſitum & partes.

Sita eſt ergo Antverpia ſub grad. 26 minut. 42 quod longitudinem, quod latitudinem vero attinet, grad. 51 minut. 20, eſtque ſignum ejus cœleſte, Virgo. ſita eſt autem in egregia quadam lateque diffuſa planitie, ad dexteram Scaldis ripam, eo adeo loci, ubi id flumen, ſuperbo quodam curſu ad Caurum contendens, Ducatum Brabantiæ a Flandriæ Comitatu diſcernit, ac latiſſimum ſimul adeoque profundum eſt, ut quantumlibet magnæ naves, inde ab ipſo mari, uſque ad portum & geranum ipſum urbis confidenter poſſint appellere, quoniam muro, cui ſuperſtructa verſatilis illa machina, ita propinquum, imovero conjunctum eſt flumen, ut inde ab ripa navigia manibus queant contingi, quæ in aream inibi, lapide ſtratam, atque in ſiccum merces ſuas exponunt, & in ſummo Scaldis æſtu etiam ipſa eo poſſent ſubduci. commoditas, ut affirmant peritiſſimi quidam & majorem orbis terræ partem pervagati naucleri, cui in paucis admodum portubus invenias parem: cum ad hanc urbem flumen ulnis amplius quingentis Antverpienſibus, id eſt, ultra ſexcenta brachia Florentina, in latitudinem pateat; altitudine vero ulnas præterpropter viginti duas, id eſt, plus viginti ſex Florentinas, exæquet. quæ latitudo quidem atque profunditas non poteſt quin pulcherrimum juxta & magnificum reddat adſpectum,

ctum, tunc præſertim, cum in culmine, ut ſic dicam, eſt mare, & flumen ad duodecim fere pedes attollit. unde ex facili colligas, qua animi magnitudine, quanta induſtria, quamque admirabili nuper ſolertia uſus ſit Princeps Parmenſis, dum videlicet obſidere pararet hanc urbem, in opere illo plane ſtupendo pontis, ſive, ut iſti vocant, *Steccadæ*, quem flumini huic impoſuit ad Ordamum, pagum citra Lilloam, non procul Antverpia diſſitum: ubi, ut commodiſſimum etiam inveſtiges locum, Scaldis pedibus bis mille quadringentis in latitudinem patet; minimum ſexaginta, etiam extra æſtum, altus eſt. rem adeo novam, adeo heroicam, adeo denique momentoſam & conducibilem, ut juſti fere voluminis res ſit eam pro meritis velle deſcribere. quod aliquando etiam fiet, noſque in Commentariis noſtris omni ingenii niſu tentabimus facere. Diſtat ab mari Antverpia, ſi flumen tibi adſumas ducem, leucis circiter decem & ſeptem, arrepto vero terreſtri compendio, quatuor leucas itineri tuo detraxeris. Propinqua urbi ad Vulturnum Mechlinia, & quatuor tantum leucis abjuncta. Lovanio, verſus eamdem plagam, octo leucis diſtat: Gandavo, ad Africum, decem; Brugis, ad occidentem, quindecim; Calæſio, tribus circiter atque triginta; Londino, comprehenſis triginta milliaribus, ſeu leucis ſeptem & ſemis, quæ inter Calæſium & Doveram intercedunt, ad ſexaginta; Colonia, præterpropter viginti novem; Francofurto, itidem ſexaginta, ſed nimirum prægrandibus; Lutetia denique & Rhotomago, pari fere ſeptuaginta leucarum intercapedine. Iam vero continuato deſcriptionis filo, approbamus, videri Antverpiæ formam atque viſtigia vetuſtæ cujuſdam arcis, poſitæ quondam, atque etiamnunc, eodem fere quo geranum loco. cingitur autem hæc ipſa forma vetuſtiſſimo quodam muro, è vivo lapide ducto, idque tenaci quadam & mirabili prorſus ſtructura. qui murus etiamnunc majori ex parte ſupereſt, & ad mille ordinarios paſſus extenditur, foſſis undique circumſeptus, quarum altera dextro cornu ad geranum, altera lævo ad forum piſcarium in flumen illabitur, templum, quod vocant de Burg-kerck / & forum judiciarium, de Vierſchaer/ una cum publico carcere, inter alia quædam, complexæ, adſentimur etiam, hanc ipſam arcem extitiſſe urbis

principium, ſubjungimus vero, palam conſtare, Antverpiam poſtea dilatatam, adeoque jam tertium novis muris circumdatam.

Et primus quidem murus, quantum equidem diſco è diplomate conſenſus Henrici primi, profitentis ſe Lotharingiæ Ducem, & Imperii Marchionem, cœptus condi, petente Magiſtratu Antverpienſi, anno milleſimo ducenteſimo primo. apparent autem, præter ea quæ ſcripto conſtant, manifeſta ejus veſtigia, cum alibi, tum inter Divi Michaëlis & Curiam publicam, ubi ſupereſt vetus porta Divi Ioannis, una cum parte aliqua muri etiamnunc incolumi, etſi portam nuper, vel commoditatis, vel lucri gratia, demoliti ſint. & comperior quidem, jam inde ab eo tempore Antverpiæ cuſam fuiſſe monetam ex auro & argento.

Alter murus, quo latiſſime producebatur urbis pomœrium, quique adeo nuper adhuc ſupererat, cœptus ſtrui, ut ex archivis & fallere neſciis monumentis diſco, anno 1314; ſuperſunt hodieque ad poſterorum memoriam aliquot ejus turres, & integræ quædam portæ, ut illa Divi Georgii, Divi Michaëlis, denique Divi Iacobi. ſubſecutus eſt muri fundationem annus admodum pluvius, unde & ſumma ſtatim annonæ caritas, adeo ut duodecim ipſis florenis veniret ſecalis quartarius, qui alioqui non niſi duobus ordinarie venditur. famem, ut ſolent fere conjungi hæc mala, horrenda excepit peſtis, totam fere, quam late patet, Belgiam pervagata.

Tertius denique, & qui hodie viſitur murus recenter, adeoque noſtra memoria, cœptus eſt ſtrui, anno ſcilicet quadrageſimo tertio ſupra ſeſquimilleſimum, pomœrio urbis ad ſeptemtriones producto, & incluſo ingenti terrarum ſpatio, quod in latitudinem quidem, metiendo ab ortu & porta rubra, verſus occaſum & ipſum Scaldim, continet paſſus ſeptingentos: in longitudinem vero, incipiendo a plaga auſtrali & porta Ciſternæ, verſus ſeptemtriones & murum antiquum, paſſus trecentos quadraginta, reſpondentibus ſingulo paſſui quinis Romanis pedibus. nominatur vulgo hoc additamentum urbs nova, de nieuſtadt. Aucta inſuper fuit nonnihil Antverpia tantumnon circumcirca, & ea tantum parte excepta, qua Scaldi alluitur. ita ut hodie ſemilunari propemodum forma ſit, vel ut melius dicam, referat

rat arcum intenſum, cujus nervus ſit ipſa fluvii ripa. abſolutus eſt poſtea fere in totum hic murus, opere hercules pulchro & perquam munito. ſuperficies ejus è lapide vivo, candido, bello, & apte commiſſo. altitudo plane mirabilis, craſſitudo inſolita. adde vineas illas prælongas, quarum intervalla tenaci terra effarta, ipſæ vero prælatis & mirifice latis aggeribus introrſus veſtitæ corroboratæque. novem in muro ſunt propugnacula, magnitudine ſimul & forma egregia. quibus addito ſeptem primarias urbis portas, magnifice admodum & ſumtuoſe, ex lapide vivo, pulchro, & opere Dorico adfabre laborato, exſtructas. quarum nomina ordine recenſebo. & prima quidem eſt porta Divi Michaëlis, quæ & Cronenburgenſis, quia nempe turrim habebat, ornatam Imperiali ex ferro corona, tum & aquila quoque, urbi olim, ut ferunt, donatis ab neſcio quo Imperatore, qui ſignificare voluerit eam eſſe Marchionatus ſacri Imperii caput. quam turrim Dux Albanus, ſuſpe ctis belli tęporibus, ſolo æquavit. poſita eſt hæc porta ſecundum flumen, & auſtro obverſa. ſequitur, ortum petentibus, porta Beginarum, de Begyne poozt. inde porta Divi Georgii, magnifico ſane & egregio opere, quæ magis proprie tamen Cæſarea, de Keyſers poozt / nomine ab ipſomet Cæſare Carolo Quinto ei impoſito, qui videlicet primus devirginavit, & per eam jam abſolutam ingreſſus eſt, anno 1545, prout litteris beſſalibus frontiſpicio eſt inciſum. quarta eſt porta Divi Iacobi, quæ & Kipdorpica dicitur, de Kipdozp poozt. quinta, quam vulgo Rubram, de Rooy poozt / ſive Bergenſem appellant, quod petentibus Bergezomium ea per tranſeundum. ſexta in exitu fere urbis, prope flumen, & ad ſeptemtriones obverſa, a locis circumvicinis, quæ depreſſa nimirum & paludoſa, vulgo vocatur de Slijck poozt/ porta Lutoſa. habent vero extrorſus hæ portæ ſingulos pontes è vivo lapide, magnos, pulchros, & ponticulis verſatilibus ac portis anterioribus, quibus nempe clauduntur cuſtodiunturque, munitos. ſeptima denique porta. ut minutiores aliquot portulas omittamus, flumini eſt obverſa, & gerani aream proſpicit, unde & nomen habet, dicta vulgo de Kraen poozt/ munita pronuper & in amœnam faciem reſtituta. cingitur porro omni ex parte murus latiſſimis juxta & profundiſſimis foſſis, quarum a-

qua, vivæ adſimilis, partim ab ipſo fundo, ſed potiſſimum manat ex flumine, quia duabus hydromylis, altera quidem ad portam Divi Michaëlis, altera vero in urbe nova exſtructis, aquam foſſis pro arbitratu diſpenſant. atque hæ foſſæ, accedente ab altera ripa muro lapideo, ſatis craſſo, quo undique veſtiuntur, urbem fere inexpugnabilem reddunt. ſuſtulerunt poſtea exteriorem hunc murum, quo commodius dilatarent foſſas, quæ hodie quidem pedibus centum & quinquaginta in latitudinem patent, ſuntque multum profundæ. Inventor, architectus, & monitor hujus muri fuit Magiſter Donatus Bonus Pellizolius, Bergomas. muri, in quem ingens ſanè theſaurus impenſus eſt. computatis enim canalibus, aliiſque in urbe nova confectis operibus, aſcendunt hucuſque impenſæ ad millionem, vel circa, aureorum coronatorum.

Continet autem urbs poſtremo hoc muro, jamnunc anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſeptimo, permiſſu auctoritateque Magiſtratus, per induſtrium illum Magiſtrum Michaëlem Coignettum, cujus infra faciam mentionem, demenſo, & quidem exteriore illius ambitu, (comprehenſis & propugnaculis, quorum ſingula, aliis aliorum defectum ſupplentibus, quingentis circiter pedibus in circuitum patent) continet, inquam, in totum urbs paſſus Antverpienſes ſex mille centum & ſeptuaginta novem, id eſt, pedes tricies mille octingentos nonaginta quinque: ita ut in circuitum pateat millibus quinque Italicis, trecentis tantum & uno paſſibus minus: idque non comprehenſa videlicet arce, quam ſi includas, millia fient paullo plus ſena. Diameter ejus in longitudinem, incipiendo ab ea porta, quam vocant de Kipdorpoort/ uſque ad pontem ipſum arcis, mille & octingentorum eſt paſſuum, id eſt, pedum novies mille. in latitudinem vero, facto initio a porta Kipdorpica, ſive Divi Iacobi, uſque ad turrim fori piſcarii, pedum quinquies mille & centum. Neque poſſum, in hac nova operis noſtri editione, quin paucis attingam, quo tempore miſſus eſt Belgicæ gubernandæ Dux Albanus, anno videlicet 1567, diſerte voluiſſe Catholicũ Regem, ut in hac urbe ſtrueretur arx: ideoque poſt varias altercationes, & ſitus aliorumque huc pertinentium conſiderationes, contendente nimirum Duce, condendam eam ad

Abba-

Abbatiam Divi Michaëlis, & asserente, sic proposuisse Carolum Quintum Imperatorẽ, anno jam tum 1540. tandem, facta locorum simul atque damnorum singulis inferendorum collatione, suasu Marchionis Vitellii, Magni Prioris Hungariæ, & architecti Pacieci, publico urbis bono ab auctore hujus operis inductorum, sedisse, ut conderetur ad plagam australem, & extra ambitum ipsum urbis, cujus alioqui quinta minimum pars, non sine gravissimo civium damno & oppressione, periisset. pertinuisset enim area & circuitus arcis usque ad Divi Andreæ, ubi nudus dumtaxat fundus damnum dedisset millionis, ut minimum, aureorum. cum vero, ne unica quidem domo dejecta, conderetur loco & forma quis hodieque conspicitur, neque urbs quidquam cepit detrimenti, & elegantius longe, tum & commodius strui potuit ipsa arx. ita ut, plurimorum, qui varias mundi partes lustrarunt, & in hoc genere peritorum judicio, propugnaculum hoc, tum oportunitate situs ad flumen, tum munitione & pulchritudine, mereatur censeri inter elegantissimas simul & munitissimas arces, quæ oculis usquam occurrant. facta fuerat prius ex terra, sed postmodum opere lateritio, partim & saxo, vestita, & quinque adeo vallis munita, ambitu paullo plus miliaris Italici. absoluta est autem anno non toto, nec, omnibus computatis, constitit plus quingentis millibus aureorum: etsi multi, etiam hujusipsius professionis, eam longe plus millione taxarint. Dirutus nuper fuerat per furores hos & seditiones civiles, exterior arcis murus & vallum, qua videlicet adspiciebat Antverpiam: sed ea post alteram operis nostri editionem legitimo & Catholico suo Regi reconciliata, restituta communi consensu est arx, & in pristinum statum redintegrata, adeo ut & pulchra hodie sit, & quam umquam ante munitior.

ADDIT. [*Arx hæc quinque validissimis propugnaculis firmata, mutuum defensantibus, insignitisque nominibus fundatoris & structoris sive architecti, nimirum,* Ducis Ferdinandi Toletani Albani, Paciotti. ⟨*hic erat gente Sabaudus.*⟩ *Montibus deinde, qui omnem circa regionem agrumque retegant, & ab hostili procursione ingentibus tormentis bellicis arceant, mœnibus inclusis, in tutelam raramque amœnissimi prospectus venustatem se in immensum attollit. Sed*

*& extra*

*& extra mœnia humilia propugnacula egesta terra equiti procursum præbent, tutumque receptui locum. Armamentaria vero & commeatuum reconditoria ad miraculum in immanem excurrunt vastitatem: stabulandis etiam equis ingens laxitas: & super hæc militi certa tutaque domicilia, qualia in medio magnarum urbium desideres: & millibus facile tribus locum præbeant; pluribus etiam, si qua necessitas arctare cogat domus. Templum hic non maximum, sed pulcrum inter plurima est, scite & ex arte constructum. Laxissima in arcis medio area, militari delectui commodissima, qua justo etiam exercitui satis sit.* Scriban. in orig. Ant. cap. 14.

*Huic areæ Albanus statuam formæ ac staturæ suæ, imo gloriæ suæ apud posteros monumentum, è tormentis pridem ad Geminigam captis, per Iacobum Iongelingum, imposuit, nudo capite, brachioque dextro inermi; ceterum corpus armis indutum: sub pedibus calcabatur homo gemino capite, manibus quatuor; in quarum prima, fax accensa; in secunda, malleus fractus; tertia, clavam nodosam; quarta, securim tenebat: è collo ejus, appensa bulga, è qua serpentes proserpebant: subter larva conspiciebatur, ad cujus aures mendicorum gemina paropsis; inde scriptum,* Iungelingi opus ex ære captivo. *Inferius paullo in lamina, topho innixa:* Ferdinando Alvarez *à* Toledo Albæ duc. Philippi II Hisp. regis apud Belgas præfec. quod extincta seditione, rebellib. pulsis, religione procurata, justitia culta, provinciæ pacem firmarit, regis optimi ministro fideliss. positum. *Vniversi operis altitudo pedes* XV. *Ab una parte, ara erat; inscripta,* Deo patrum nostrorum. *ab altera, opilio spectabatur ad pascua gregem educens, quem lupi ac leones fugerent: item aurora noctis tenebras dispellens, cum inscriptione Græca,* ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΣ ΗΩΣ. *Vtrimque tamquam belli spolia, variæ armorum species cingere. in basi autem scriptum,* PIETAS. *Hujus statuæ invidia ingens apud plurimos; etiam Hispanos, qui deberi Regi potius arbitrari: cujus armis ac stipendio omnia gesta.* Meursius in Guil. Auriaco, lib. 4, *Non possum quin huc bina disticha adponam:*

Cur statuam vivo tibi Dux Albane dedisti?
An quia defuncto nemo daturus erat?
Non male conjectas; neque enim crudelia laudem
Facta tua, infamem sed meruere crucem.

( Meteranus lib. 4, & seq.) *Accedunt conjecturæ variæ, prout animi quisque adfectus, ac effigiem bicipitem,*

*quæ*

*quæ ſubjecta, Egmundanum Hornanumque nuper caſos, pars putare: alii Auriacum & Naſſovium, Belgio exactos: erant qui interpretari ordines Belgii, in nobilitatem & plebem diſtinctos, quos erepta libertate conculcabat. Arſcotanus vir liberrimæ in aula urbanitatis & gratioſæ, cum Albano eam aliquando ſpectans, ac rogatus quid videretur, per riſum illuſiſſe dicitur:* Eorum vultus, quos calcaret, iræ manifeſtos, ſi reſurgerent, vindictam minari. *Idque dictum oraculi inſtar multis habere viſum fuit. Et Antverpienſes poſtea, recuperata libertate, opus iſtud confregerunt. alii memorant, à ſucceſſore, Ludovico Requeſenſio, tolli juſſum.* ]

Præfectus ei hoc tempore Dominus Chriſtophorus Mondragonius, unus è maxime veteranis & fortiſſimis nationis Hiſpanicæ Ducibus, quos per orbem terræ habeat hac ætate Catholicus Rex, quare arci quoque Gandenſi præfectus, & Regiæ Majeſtati a conſiliis bellicis, nobiſque ob inſignes virtutes in Commentariis crebro nominatus. Atque ita factum eſt, ut ad plagam illam meridionalem longus multo latiuſque productum ſit urbis pomœrium, quam in parte ſeptentrionali jam dicta, ipſa etiam urbe paſſim rurſus munita, & quaternis quiniſve arborum tiliarum ordinibus, in aggere ipſo intrinſeco depactarum, ornata. adeo quidem, ut Antverpia, quod circuitum attinet, hodie merito cenſeatur inter maximas Belgiæ, citra controverſiam vero inter munitiſſimas urbes totius Europæ. ſed pergamus.

Habet Antverpia noſtra pulcherrimam illam molem ad flumen, quam vulgo appellant de Werf / area ſatis ſpatioſa inſignem, quæ Belgice audit de Kraue/ à ſuperſtructa videlicet ingenioſa illa & peridonea machina, qua mirabili quadam facilitate onerantur naves. ſtrata eſt autem hæc area, & ad fluminis ripam ſatis alte ſubducta. appelluntur eo majori ex parte & vel implentur ſubinde, vel & evacuantur omne genus navigia, quorum inter magna parvaque ingens ſemper eſt numerus. pulcher profecto & mirabilis prorſus adſpectus! cum unico ſtatim intuitu adeo vaſtam tanti fluminis oram colluſtras, & reciprocantem illum aſſiduumque maris æſtum obſervas, de quo bonus quiſpiam vates urbem ita loquentem inducit:

*Biſque die refluo me flumine Scaldis honorat.*

cum præterea ſingulis fere horis appellunt ex quolibet orbis

orbis tractu naves, omne secum vectorum & mercium genus portantes: cum denique vides tam varias navium formas, & agendi illas ac gubernandi rationes & instrumenta, & nusquam non occurrunt res novæ, quæque in admirationem rapiant spectatores.

Habet octo præcipuos sinus, sive mavis canales, derivatos ex ipso Scaldi, per quos subeunt naves vectoriæ, actuariæ, aliæque id genus in civium usus onustæ naviculæ. horum sinuum maximus, is qui nuper in urbe nova, juxta magnificum illud palatium Hanseæ Teutonicæ, factus est, lata satis ac commoda mole insignis, & ea capacitate, ut vel centum vectoriæ naves in eo commode stabulentur. stratæ autem hæ fossæ, una cum aliis aliquot canaliculis, urbem varie perlabentibus, septuaginta quatuor pontibus.

Habet in hunc usque diem Antverpia ducentas viginti plateas, quarum pleræque sunt rectæ, latæ, & decenter compositæ: quales & per totam fere hanc Belgiam. primariæ vero earum, de Meyr/ de Langhe-nieustraet/ via Kipdorpica, 't Kipdoorp/ via Cæsarea, vulgo de Keyserstraet/ de Coeper-straet / via Coriariorum de Huybetters-straet/ via Cameracensis, de Cammer-straet/ & via Alta, de Hoogh-straet.

## FORA VIGINTI DVO.

HABET deinde hæc urbs fora viginti duo, partim grandia, partim minutiora. horum maximum, illud Senatorum; pulcherrimum vero, mercatorum, quod Bursam vulgo appellant, de Beurse/ gemina turri horologiisque insigne. forum hercules adeo pulchrum, ut celebrandis mercatorum conventibus non temere alibi invenias par. est enim à transitu omni carrorum, equorum, & cæteris impedimentis immune, & porticibus circumquaque clausum, quæ quatuor habent spatiosos, adeoque portarum instar, introitus. Iam super porticus, & pari cum iis spatio, ampliſſimæ ambulationes sunt, tectæ, & tabernis undique plenæ. quas uno vocabulo vocant peristylium sive Xystum Pictorum, de Schilders pand/ quia nempe prostant in iis potissimum tabulæ pictæ. condita fuit hæc Bursa anno à Christo nato 1531. Sed explicemus hic paucis, uti rem animad-

versione

verſione memoriaque digniſſimam, undenam derivetur vox iſta vulgaris Burſæ, adeo proprie a conſimili quodam loco, ad hunc noſtrum tranſlata. Eſt Brugis Flandrorum platea quædam, ſeu forum, omnibus urbis partibus valde accommodum, & in ejus fronte ampla quædam & vetus domus, ſtructa ab nobili illa familia Burſiorum, van der Beurſe / quorum in lapide ſecto præfert inſignia, tres videlicet Burſas, ſive marſupia. atque ab hac domo & gentilitiis hujus gentis inſigniis, ut in talibus amat fieri, nomen accepit idipſum forum. quod quia delegerant mercatores Brugenſes ad celebrandos mercatorios ſuos conventus, iidem Antverpiam Bergozomiumve ad mercatum profecti, locis, ſeu foris, in quibus ad negotiandum congregabantur, ad ſimilitudinē & imaginem fori illius Brugenſis, indiderunt Burſæ vocabulum. quod ipſum uſque adeo approbavit Antverpia, ut etiam Galli, licet alio quodam ſenſu, Toloſam uſque id ſecum abduxerint. Angli itidem, auctore & fundatore Domino Thoma Graſſano, ad exemplar Burſæ Antverpienſis, Belga uſi architecto, ædificarunt nuper Londini, urbe regia, & oportuno in primis loco, conſimilem quamdam machinam & magnificum ædificium, porticibus quoque & ambulationibus clauſum. eſtque adeo notabile, quod, abſoluto jam opere, ipſamet Eliſabetha Regina Londinum, illi ſpectando, acceſſerit, ſpectatum valde laudaverit, ſed, ne videretur apographum Burſæ Antverpienſis, nomen illi indiderit *cambii* ſive *collybi regii*, interdicto, ne quis aliter nominaret. verum ea fuit nominis *Burſæ* vis, ut, non obſtante hoc interdicto, etiam illud forum eo vulgo inſigne ſit. Eſt deinde Antverpiæ pulcherrimum illud opus Burſæ Anglorum, ſua etiam porticu nobile, & ſic dictum, quod in Anglicæ gentis gratiam juſſum fuerit ſtrui ab Senatu populoque Antverpienſi, anno ſalutis 1550.

## TEMPLA ET ALIA LOCA PIA.

SVNT Antverpiæ cum Templa & Monaſteria, tum Noſocomia aliaque pietati dicata loca duo & quadraginta. inter quæ Cathedrale & primarium Templum Deiparæ Virginis, quod ad vivum delineari & operi noſtro inſeri fecimus. eſt autem hoc templum & amplif-

ampliſſimum juxta & ſumtuoſum, ac ſplendide paſſim excultum, ſpectabili etiam turri illuſtre, quæ tota è lapide ſecto & adfabre laborato, quadringentis minimum pedibus Antverpienſibus, id eſt, brachiis Florentinis præterpropter ducentis alta, ita ut perjucundum reddat adſpectum. præterquam enim quod ex ea conſpicias totam, quam late patet, pulcherrimam urbem, & circumjectos illi non minus amœnos, quam pagis, hortis & villis frequentes campos, detegis etiam clare primarias quaſdam atque longinquas urbes, Mechliniam nempe, Bruxellam, Lovanium, Gandam, præterea fluminis late diffuſam oram, adeoque & ipſum mare, & Zelandicas etiam Inſulas. Sunt in hac turri octo & ſexaginta, partim prægrandes, partim minores campanæ, quarum pleræque, muſicalium inſtrumentorum ritu, canorum quemdam, ac quatuor, vel & quinque vocum edunt concentum. harum maximæ, quæ inſoliti plane & mirandi eſt ponderis, factum nomen à Carolo Quinto Imperatore, digniſſimæ prorſus campanæ, nec ſolitæ umquam pulſari niſi ob cauſſas inſolitas. Curant vero Divinis in iſthoc templo quatuor & viginti Canonici, una cum aliis ſacerdotibus, quibus veluti caput præeſt Decanus, magna & honorabilis dignitas, quam hodie obit Rogerius Taſſus. poſteaquam vero prudenti conſilio, & Romani Pontificis auctoritate, ob multiplices rationes, inſtituit erexitque in hac ditione ſua Philippus Rex complures (ut ſuis quibuſque locis dicetur) Epiſcopos, Antverpia, civitas adeo digna, jure & hanc dignitatem adepta eſt, itaque hoc templum ex collegiato factum eſt cathedrale. cujus primus Epiſcopus, anno circiter 1567 fuit Magiſter Franciſcus Sonnius. alter Lævinus Torrentius: qui hodieque hanc cathedram implet. digniſſimus ſane præſul, & in deſcriptione urbis Gandavi, patriæ ſuæ, pluribus nobis dicendus.

ADD. [*Torrentio in Epiſcopatu ſucceſſit Ioannes Miraus, Bruxellenſis. cui, in patria urbe defuncto, ſurrogatus Ioannes Malderus, eruditione ſimul & pietate illuſtris vir. Decanus Aubertus Miraus Antiquitatum Belgicæ indagator diligentiſsimus.*]

Et curatur ſane hoc templum religioſe in primis & ſplendide, quia videlicet luculenti ejus proventus, & magna Sacerdotibus eſt multarum rerum immunitas. accedunt & extra ordinem multa, quæ magnificentiam

etiam

etiam augent, & nominatim confraternitates, ut vocant, ſeu ſodalitia ſacra, religioni & bonis moribus propagandis inſtituta, quæ potiſſimum ſex. & prima quidem eſt ſodalitas Circumciſionis, quatuor & viginti primariis Opidi civibus, vel & exteris aliquando, ac tam ſacræ, quam ſæcularis vitæ cultoribus conſtans, inter quos ſunt & Antiſtites Divorum Michaëlis atque Bernardi, quin meo adeo tempore inſcriptus ei & Marchio ipſe Haurechius. Eſt autem huic collegio in primario iſthoc templo ampliſſimum juxta & perpulchrum ſacellum, rite admodum religioſeque curatum, in quo adſervatur ipſum Domini noſtri Ieſu Chriſti præputium, honorifice ad hanc urbem, inde ab Hieroſolymis, anno ſalutis milleſimo centeſimo primo, tranſmiſſum, faciente famoſiſſimo illo Godefrido Bullionio, Lotharingiæ Duce, Sacri Romani Imperii Marchione, & in Regem Hieroſolymitanum electo. ex qua ipſa re plurifariam conſtat (ut & antea demonſtratum eſt, & infra clarius etiam demonſtrabitur) Antverpiam noſtram jamtunc, & longe etiam ante fuiſſe in magno æſtimio, cum videlicet tantus Princeps, etſi Opidi Dominus, tam ſanctas ei reliquias, tanto cum honore tranſmiſerit. Inſtituta fuit eodem tempore celeberrima illa proceſſio, vel ut Latinius dicam, ſupplicatio, repetenda quotannis & in perpetuum ipſo die Sanctiſſimæ Trinitatis. habetur vero & alia quædam ſollennis & pervetus ſupplicatio Deiparæ Virginis, idque menſe Auguſto & prima poſt Aſſumtionem Sanctiſſimæ Virginis dominica. quam utramque ſupplicationem comitantur omnes Eccleſiaſtici, circumlato per ipſos Sacramento & variis pompæ ferculis. comitantur & Magiſtratus una cum adminiſtris, & omnibus quotquot ſunt opificum collegiis, præcedentibus unumquodque propriis ſignis. comitantur deinde & ſodalitia ſacra, inſigniis ſuis & vexillis inſtructa: hinc reliqua omnis civitas, & quidem magna cum pompa, civilitate & religione, multis undique, tum pictura, tum & poëſi, repræſentatis veteris atque novi teſtamenti hiſtoriis, intermixtis ſubinde & recentioribus aliquot pulchris atque jucundis inventis. Secundum Eccleſiæ ſodalitium dicitur Sanctæ Crucis, & quindecim quidem Eccleſiaſticis, totidemque à ſæculo viris conſtat, inſtitutum anno jam tum 1375 egregiis ſane & laudatiſſimis

mis legibus, quas inter duæ præ cęteris eminent; altera, quod ſodalium quiſque teneatur conſodalem, tamquam vere germanum, monere de qualibet re, quam vel uſquam audierit, vel alioqui intellexerit, famam, aut vitam, aut fortunas ipſius quomodolibet concernentem, & unde vel damnum ei, vel infamia poſſit accidere: altera, quod naſcente aliqua inter duos ſodales lite, reliqui, velut diſceptatores, teneantur eos pacificare, quorum arbitrio ſi alteruter nolit parere, is rejicitur magna cum ignominia, & ex albo ſodalitatis expungitur. Tertium ſodalitium, quod centum fere, partim civibus, partim extraneis conſtat, vulgo audit ſodalitas ſacelli Beatæ Virginis, quod videlicet pulchrum illi in templo & ſumtuoſum valde ſacellum, ipſi Virgini conſecratum, in quo, præter Miſſas & ſollenniora quædam Officia, ſodalitas, ſuo ſumtu, quotidie facit cantari, ad numeros Muſicos & perfectiſſimi organi ſonitum, famoſum illud *Salve Regina*. auctor & inſtitutor nobiliſſimi hujus collegii Nicolaus Rechtergemius fuit, avus maternus Schetorum, infra latius nominandorum, vir admodum dives & ampliſſimæ dignitatis, cujus in hoc ſacello monumentum & nomen conſpicitur ad baſim ſumtuoſi illius candelabri ex orichalco, ſacroſancto huic loco ab ipſo donati. Quarta inde ſodalitas eſt illa Sanctiſſimi Sacramenti, incerto quodam religioſorum & boni nominis civium exterorumque numero conſtans: qui & ipſi hic habent egregium quoddam & religioſum ſacellum, in quo, ſodalium ſumtu, celebrantur quotidie magna ſolennitate Miſſæ, tum veſperæ quoque, & laudes, ad organi ſonitum & numeros muſicos, decantantur. Quinta ſodalitas dicitur Divi Antonii. Sexta deniq; inter privatas hujus templi ſodalitates eſt D. Rochi, bonis itidem atque religioſis ſodalibus conſtans. habent autem & iſtæ ſua in templo ſacella, Divis illis dicata, & laudatiſſimis amicitiæ religioniſque legibus inter ſe devincti ſunt. Extra ordinem etiã templo accedunt ſex illæ ſodalitates, quas vocant, armorum; tres rhetorum rhytmicorum: & viginti ſeptem opificum urbanorum collegia. quorum ſingulis ſuum in eo ſacellum, vel, ut minimum, ara. ad quam omnibus anni feſtis celebrandum curant ſacrum privatum; diebus vero Divorum, quos ſibi delegerunt patronos, cantari faciunt ſacrum ſollenne,

lennae, adhibita etiam muſica ſymphonia. Sunt & alia quædam extra ordinem hujus templi emolumenta, quæ in unum conjuncta, & laute dotatum id reddunt, & ut recte & ordine ſacra in eo adminiſtrentur, efficiunt. Arſit inauſpicato hæc ædes anno Chriſti 1533 menſe Octobri, eo quidem rigore & violentia, ut breviſſimo temporis ſpatio edacibus flammis abſumerentur omnes propemodum ejus aræ, numero ſeptem & quinquaginta, non concinnæ dumtaxat, ſed inſigniter etiam ſumtuoſæ. abſumtum inſuper fuit totum ædis tectum, & alia quædam opera lignea: corroſæ perplures columnæ, & illata alia quædam damna, tanto videlicet flammæ æſtu, ut proprie videretur aliqua Ætna. jamque varias etiam turris partes ignis prehenderat; cum Lancelottus Vrſelius, Conſul, ad ſtrepitum illum procurrens, & viſo, inſtare tam ingens damnum, intrepidus, ac ſine ullo vitæ adſpectu, multitudini ſeſe anteagens, & quamplurimos illico nactus comites, tum præſentia ſua & verbis atque promiſſis, tum & ſuo ipſius exemplo, compellans nominatim adſtantes, & ad tam pium officium provocans, tantum profecit, ut moti omnes tanti viri reverentia ſimul & promtitudine, obviis paſſim correptis telis, certatim ſeſe periculis exponentes, & auſi propemodum non audenda, pulcherrimum iſtud & nobiliſſimum opus ſervarint, cum peculiari laude & publica omnium gratulatione Conſuli ſuo exhibita, qui idemtidem agitatus, & hac illac impulſus, veſtibus ſemiuſtis, ſe, jam victoriæ compos, tandem periculo omni exemit. ſuper quo caſu, ceu re admodum memorabili, bonus ille poëta, quem & ſupra laudavi, Cornelius Grapheus edidit poëmation, elegantiſſimis verſibus ſcriptum, in honorem præſertim & laudem Conſulis ante dicti. Iacta ſunt adyti hujus templi fundamenta (prout didici è ſcidis quibuſdam doctiſſimi viri Petri Ægidii, civis & Graphiarii Antverpienſis.) anno Chriſti 1124, quo ipſo tempore condita etiam fuit ipſa ædes, & à Burchardo, Epiſcopo Cameracenſi ac Præpoſito Sancti Michaëlis Archangeli, dedicata, inſtitutis in ea duodecim tunc Canonicis, quorum numerus (ut jam diximus) poſtea duplicatus. extant de ipſa dedicatione verſiculi quidam Latini, cum ſcidis jam dictis examuſſim conſentientes. ſunt ecce iſti:

*Vndecies*

*Vndecies centum ductis & ſex quater annis*
*Virginis à partu conciliante reum,*
*Burchardus Præſul hæc atria nec minus aram*
*Sacravit, medium, quod tenet Eccleſia.*

Celebravit præterea in hac æde Philippus Rex prima ſua comitia, ſive conventum Equitum Ordinis aurei Velleris, idque anno 1556, quibus ipſis comitiis creavit novemdecim variarum nationum Equites, infra nobis enumerandos Quoniam vero pervenimus ad hunc locum & mentionem equeſtris hujus militiæ, convenire videtur, ut, priuſquam ad ulteriora progrediamur, breviter explicemus ejus originem, & in hunc uſque diem progreſſus, velut rei inſignis, & à Principibus terræ, quam deſcribimus, inſtitutæ; maxime quia major ſem-per equitum pars electi ex nobilitate & illuſtribus viris hujuſipſius terræ unde fiet, ut nominatim recenſeantur plurimi Principes atque Dynaſtæ tanto honore digniſſimi, & vel magno etiam regno illuſtrando idonei. rem profecto haud quaquam ſilentio tranſeundam! Dicimus ergo, Philippum, Ducem Burgundiæ, eum, qui ab inſigni benignitate cognomentum accepit Boni, quo die matrimonium conſummavit cum Iſabella, filia Regis Luſitaniæ, anno à Chriſto nato 1429, Brugis Flandrorum, ob egregium ſuum & perpetuum erga Ordinem militarem affectum, & magnum, quo tenebatur exaltandi & illuſtrandi illius (ita verba ſunt) deſiderium: exemplo Gedeonis, qui, Dei juſſu, cum trecentis fortiſſimis viris, è millibus multis ſelectis, aſſerturus videlicet Iſraëlem, infinitam Midjanitarum turbam adortus eſt; creaſſe, erexiſſe & inſtituiſſe ad gloriam Dei, Beatiſſimæ Virginis, & Divi Andreæ Apoſtoli, habiti gentis Burgundicæ protectoris, equitum nobiliſſimorum collegium, quo comprehendi voluit etiam Imperatores, Reges, Duces, Marchiones, Comites, & id genus Dynaſtas, dummodo ſtirpe juxta & fama eſſent illuſtres, omniſque adeo labis & reprehenſionis expertes. hos autem vocavit Equites aurei velleris, conſtituto ipſis in caput perpetuum legitimo Duce Burgundiæ & Inferioris Germaniæ Principe. noluit vero tunc temporis eos eſſe plures viginti quinque, ipſo Capite quoque incluſo, adjunxitque in uſum Collegii quatuor magnæ dignitatis miniſtros, Cancellarium nempe, Theſaurarium,

rium, Graphiarium, & Fecialem, quem & Regem armorum indigetant. Et inſtituit quidem Equeſtrem hunc Ordinem conſilio valde prudenti, & præſtantiſſimis ſimul ac optimis legibus, tam illuſtri Collegio dignis, ornavit: ſpeciatim præcipiens, ut in quemcumque alium Ordinem equites eſſent cooptati, ei ſtatim renuntiarent, nec in alium poſtea darent nomen: Imperatoribus tantum, Regibus, Ducibus, qui optimo maximo jure & ſupremi, quod dicitur, Principes eſſent, exceptis. prout latius continentur hæc omnia in ipſo inſtitutionis archetypo. Et primi quidem viginti & quatuor Equites, præter ipſum Auctorem & Caput, electi ſunt iſti:

Guiljelmus à Vienna, Dominus Fani Sancti Georgii.
Renatus Pottius, Dominus Rupis Pottiæ.
Ioannes, Dynaſta Rubaſii.
Rolandus Wtkerckius, Dominus Hemſrodiæ.
Antonius à Vergi, Dominus Champlitæ.
Daniel à Brimeu, Dominus Ligniaci.
Hugo Lannojus, Dominus Santeſii.
Ioannes, Dominus Comminæus.
Antonius Toulonionus, Dominus Traneſii, qui torquem numquã accepit.
Petrus Lucemburgius, Dominus Fani S. Pauli.
Ioannes Trimolius, Dominus Ionnellæ.
Gilbertus Lannojus, Dominus Willervalliæ.
Ioannes Lucemburgius, Comes Ligniaci.
Ioannes Villerius, Dominus Lilladami.
Antonius, Dominus Croyaci & Rentæi.
Florimundus à Brimeu, Dominus Maſincuriæ.
Robertus, Dominus Maminesii.
Iacobus à Brimeu, Dominus Grigniaci.
Balduinus Lannojus, vulgo balbus, Dominus Molembaſii.
Petrus Bellofremontius, Dominus Chargniaci.
Philippus, Dominus Tervantiæ & Mottæ.
Ioannes Croyus, Dominus Turris ad Matronam.
Ioannes, Dominus Crequiaci. &
Ioannes Novocaſtrius, Dominus Montis Acuti.

Celebravit poſtmodum idem Dux Ordinis hujus comitia Inſulis Flandriæ, anno Chriſti 1431, & in locum duorum, qui è vivis exceſſerant, ſurrogavit

Fridericum, Comitem Moerſii; & Simonem Lalainium, Dominum Hantefii.

Anno 1432 Brugis comitia celebravit, & ſurrogavit in locum duorum qui fato conceſſerant,

Andream Toulonionium, & Ioannem Melodunium, Dominum Antongiæ.

Anno 1433 comitia habuit Divione Burgundiæ, & duobus defunctis ſuffecit, Iacobum, Dominum Crepacorii, & Ioannem à Vergi.

Iiſdem comitiis Equitum numerum auxit, & è viginti quinque fecit eſſent triginta & unus, ipſo ſcilicet Capite comprehenſo. ſex autem adjuncti ſunt ecce iſti:

Guido Pontalerius, Dominus Talmeriæ.
Balduinus Nojellus, Dominus Caſterellæ.
Ioannes, nothus Lucemburgenſis, Dominus Altobordini.
Carolus à Burgundia, Comes Caroleſii, qui torquem accepit ad luſtricum ipſum fontem.
Robertus, Comes Vernemburgius, &
Theobaldus, Dominus Novocaſtri.

Anno 1435 celebravit conventum Bruxellæ, ſed cum non conſtaret de cujuſquam Equitis obitu, nulli fuerunt electi.

Anno 1440 habuit idem Dux comitia Divi Audomari, in Artheſia, ubi mortuis ſurrogavit

Carolum, Ducem Aurelianenſem.
Ioannem, Ducem Britanniæ.
Ioannem, Ducem Alenſonii, &
Matthæum Foxium, Comitem Comminæum.

Notandum eſt obiter, Ordinis hujus Caput, vacantes Equitum locos non iiſdem ſemper comitiis ſtatim explere, ſed differre nonnumquam in proximum conventum.

Anno 1445 celebravit comitia Gandæ, ubi defunctis ſuffecit:

Alfonſum, Regem Arragoniæ.
Franconem Borſalium, Comitem Oſtervantii.
Reinaldum, Dominum Brederodæ,
Henricum Borſalium, Dominum Lavræ.
Ioannem, Dominum Auxiaci, &
Adrianum, Dominum Humeriæ.

Anno

Anno 1451 celebravit conventum Montibus Hanno-niæ, ubi in locum defunctorum elegit:

Ioannem, Ducem Cliviæ.
Ioannem Guevarram, Comitem Arriani.
Petrum Cordonium, Comitem Goliſſennæ.
Ioannẽ, Dominũ Lannojæ.
Iacobum Lalainium, Dominum Montigniaci, &
Ioannem Novocaſtrium, Dominum Montis Acuti.

Anno 1456 conventum habuit Hagæ in Batavis, ubi in locum mortuorum ſuffecit:

Ioannem à Burgundia, Comitem Nivernenſem.
Antonium, nothum Burgundiæ.
Adolphum Clivium, Dominum Raveſteinii, &
Ioannem Cimbrium, Proregem Cypri.

Anno 1461 celebravit comitia Divi Audomari, ubi mortuis ſurrogavit:

Ioannẽ, Regẽ Arragoniæ.
Adolphũ, Ducem Geldriæ.
Theobaldum, Dominum Novocaſtri.
Philippum Pottium, Dominum Rupis Noulajæ.
Ludovicum à Brugis, Dominum Gruithuſæ, &
Guidonem, Dominum Rojæ.

Obiit vero Philippus Dux, Ordinis aurei Velleris inſtitutor, Brugis Flandrorum, anno à Chriſto nato 1467 menſe Iunio. cui ſucceſſit Carolus filius, qui anno proxime inſecuto celebravit comitia in ipſa urbe Brugarum, ubi in mortuorum locum ſuffecit:

Eduardum, Regem Angliæ.
Ludovicum Chalonium, Dominum Caſtelli.
Ioannem Damaſium, Dominum Cleſſiaci.
Iacobum Borbonium, Comitem Marchiæ.
Iacobum Lucemburgium, Dominum Ruſburgii.
Philippum à Sabaudia, Comitem Blanietti.
Philippum Crepacorium, Dominum Cerdæ &
Claudium Montacutium, Dominum Couſeſii.

Anno 1473 Carolus celebravit comitia Valentianis, ubi mortuis ſurrogavit:

Ferdinandum, Regem Caſtellæ.
Ferdinandum, Regem utriuſque Siciliæ.
Ioannem, Dominum Bevriæ.
Philippum Croyum, Comitem Chimaicenſem.
Ioannem Lucemburgium, Comitem Marleanum.
Guidonem à Brimeu, Comitem Megæ, &
Engilbertum, Comitem Naſſoviæ.

Cæſus fuit hic Carolus anno 1477 menſe Ianuario, ſtilo Romano, ad Nancejum, prælio contra Helvetios: quare Maximilianus, Romanorum Rex, ducta uxore unica ejus nata, & hærede Maria, factus eſt Caput Ordinis aurei velleris, & prima ſua comitia celebravit anno 1478 Brugis Flandrorum, ubi duodecim Equitibus mortuis ſurrogavit:

Petrum Lucemburgium, Comitem Fani Sancti Pauli.
Iacobum à Sabaudia, Comitem Romontii.
Guiljelmum, Dominum Egmondæ.
Wolfardum, Dominum Borſaliæ & Comitem Magni prati.
Iodocum Lalainium, Dominum Montigniaci.
Iacobum Lucemburgium, Dominum Fienneſii.
Philippum à Burgundia, Dominum Bevriæ.
Bartholomæum, Dominum Lichtenſteinii. reliqua loca remanſerunt vacua.

Anno 1481 idem Maximilianus celebravit conventum Buſco-Ducis, ubi explendis locis, quæ ſuperiore conventu remanſerant vacua, elegit:

Ioannem, Baronem Ligneum.
Claudium, Dominum Toulonioni.
Petrum, Dominũ Boſſutii.
Balduinum, Dominum Molembaſii.
Guiljelmum à Palma, Dominum Arlantii.
Ioannem de Berges, Dominum Walhemii.
Martinum, Dominum Polhaimium.
Philippum Auſtrium, Comitem Caroleſii.

Anno 1491 Philippus Auſtrius, Burgundiæ Dux, di-
cti Maximiliani filius, jam emancipatus, & ditionibus
ſuis gubernandis idoneus, tamquam Ordinis hujus ca-
put, habuit primum conventum Mechliniæ, ubi in
locum Equitum defunctorum elegit:

Fridericum Auſtrium, Imperatorem.
Henricum, Regem Angliæ.
Albertum Ducem Saxonię.
Henricum Withamium, Dominum Berſlæ.
Petrum Lannojum, Dominum Freſinojæ.
Arnoldum, Ducem Wirtembergenſem.
Claudium Novocaſtrium, Dominum Cranſejæ.
Ioannem, Comitem Egmondanum.
Chriſtophorum, Marchionem Badenſem.

Ioan-

Ioannem, Toparcham Cruningæ.
Carolum Croyum, Principem Chimacenſem.
Guiljelmum Croyum, Dominum Cerviæ.
Hugonem Melodunium, Vicecomitem Gandavenſem, &
Iacobum Lucemburgium, Dominum Fienneſii.

Anno 1501 menſe Ianuario idem Philippus comitia celebravit Bruxellæ, ubi defunctis ſuffecit.

Wolfgangum, Dominum Polhaimii.
Itelfridum, Comitem Sorlæ.
Cornelium de Berges, Dominum Sevenbergæ,
Philippum, nothum Burgundiæ, Dominum Sommelſdiquii.
Michaëlem Croyum, Dominum Sampiaci.
Ioannem Lucemburgium, Dominum Villæ.
Carolum Auſtrium, Ducem Burgundiæ, filium ſuum.

Anno 1505 jam accinctus ad iter Hiſpanicum, celebravit comitia Middelburgi Zelandiæ, ubi in locum mortuorum elegit:

Henricum, ejus nominis ſeptimũ, Angliæ Regẽ.
Paulum, Dominum Diqueſteinii.
Carolum, Baronem Lalainii.
Wolfgangum, Comitem Fuſtembergium.
D. Ioannem Emanuelem.
Florentium Egmondum, Comitem Buræ.
Iacobum, Comitẽ Hornæ.
Henricum, Comitem Naſſoviæ.
Fridericum Croyum, Dominum Reuſii, &
Philibertum, Dominum Veriæ.

Anno 1516 mortuo jam inde ab anno 1506 Philippo, Hiſpaniæ Rege, Carolus ejus filius, is, qui poſtmodum Imperator, eo nomine quintus, quique patri defuncto ſucceſſit in regnis Hiſpaniæ, novi Orbis, utriuſque Siciliæ, principatu Inferioris Germaniæ, ac Ducatu Comitatuque Burgundiæ, velut Ordinis aurei Velleris caput, prima comitia celebravit Bruxellæ. ubi ut plures Dynaſtas impertiri poſſet hac dignitate, Equitum hujus Ordinis numerum auxit, & è triginta & uno fecit ut eſſent unus & quinquaginta. itaque tam in locum defunctorum, quam novo numero adimplendo, equites fecit:

Franciſcum primum, Regem Galliæ.
Ferdinandum, Infantem Hiſpaniæ.

Fridericum, Comitem Palatinum.
Ioannem, Marchionem Brandenburgenſem.
Guidonem à Palma, Comitem Monſtrolienſem.
Hubertum, Comitē Manſfeldiæ.
Laurentium Gornotum, Comitem Pontevallis.
Philippum Croyum, Comitem Porciani.
Iacobum Gaverium, Toparcham Freſini.
Antonium Croyum, Dominum Sampiaci.
Antonium Lalainium, Dominum Montigniaci.
Carolum Lannojum, Dominum Sanſellæ.
Adolphum à Burgundia, Dominum Bevriæ.
Felicem, Comitem Werdemburgi.
Emanuelem, Regem Portugalliæ.
Ludovicum, Regem Hungariæ.
Michaëlem, Dominum Folqueſteinii.
Maximilianum de Hornes, Dominum Gaeſbecanum.
Guiljelmum, Dominum Rubempetræ.
Ioannem, Baronem Traſegniaci.
Ioannem, Dominum Waſſenariæ.
Maximilianum, Dominum Zevenbergæ.
Franciſcum Melodunium, Comitem Eſpinojum, &
Ioannem, Comitem Egmondanum.
Cætera loca remanſerunt vacua.

Anno 1519 celebravit Sua Majeſtas comitia Barcinone, quæ fuerunt omnium prima extra haſce Provincias & Burgundiam habita: ubi ad augmentum illud explendum, & in locum defunctorum elegit:

Fridericum Toletanum, Ducem Albæ.
Didacum Lopez Paciecum, Ducem Eſcalonæ.
D. Didacum Hurtadum Mendozium, Ducem Infantaſgi.
D. Ignatium Ferdinandez de Velaſco, Ducem Friaſii.
Alvarum, Ducem Vegeræ.
D. Antonium Manriquium, Ducem Nageræ.
D. Ferdinandum, Ducem Cardonæ.
Petrum Antonium, Comitem Sancti Marii.
D. Fridericum Henriquez, Comitem Modicæ.
D. Alvarum, Comitem Triſtamaræ.
Adrianum Croyum, Dominum Belloranii.
Iacobum Lucemburgium, Comitem Gavriæ.
Chriſtiernū, Regē Daniæ.

Sigiſ-

Sigiſmundum, Regem Poloniæ.
Philibertum Chalonium, Principem Arauſinum.

Anno 1531 comitia habuit idem Imperator Tornaci, ubi mortuis ſurrogavit:

Ioannem, Regem Portugalliæ.
Iacobum, Regem Scotiæ.
Ferdinandũ Arragonium, Proregem Valentiæ.
Petrum, Ducem Friaſii.
Philippum, Ducem Bavariæ.
Georgium, Ducem Saxoniæ.
Ducem Alburquerquii.
Andream Doream, Principem Melphitanum.
Philippum, Hiſpaniarum Infantem.
Reinaldum, Dominum Brederodæ.
D. Ferdinandum Gonzagam.
Nicolaum, Comitem Salutiarum.
Claudium à Palma, Magiſtrum Equitum, vulgo Mareſchalcum Burgundiæ.
Antonium, Marchionem Bergozomii.
Ioannem, Dominum Boſſutii.
Carolum, Comitem Lalainium.
Ludovicum à Flandria, Dominum Prati.
Georgium Schencquium.
Philippum Lannojum, Dominum Molembafii.
Alfonſum de Avalos, Marchionem Vaſtenſem.
Franciſcum, Comitem Mirandenſem.
Maximilianum Egmondum, Comitem Buræ, &
Renatum Chalonium, Principem Arauſinum.

Anno 1547 celebravit comitia Vltrajecti, ubi in mortuorum locum ſuffecit:

Maximilianum, Regem Bohemiæ.
Ignatium Lopez Mendozium, Ducem Infantaſgi.
Ferdinandum Toletum, Ducem Albanum.
Coſmum Medicem, Ducem Florentiæ.
Albertum, Ducẽ Bavariæ.
Emanuelem Philibertum, Principem Pedemontanum.
Octavium Farneſium, Ducem Camerinenſem.
D. Henricum, Ducem Nageræ.
Fridericum, Comitem Fuſtembergium.
Ioachimum Rianum.
Philippum Lannojum, Principem Sulmonis.
Pontium Lalainium, Dominum Bignicurtii.
Lamoralium Egmondum, Principem Gavriæ.

Iacobum, Comitem, Lignæ.
Claudium à Vergi, Baronem Champlitæ.
Philippum Lalainium, Comitem Hoogſtratanũ.
Maximilianum à Burgundia, Marchionem Verianum.
Ioannem à Ligne, Comitem Arembergium.
Petrum Erneſtum, Comitem Manſfeldiæ.
Petrum Werquinum, Præfectum, ſeu Seneſchalcum Hannoniæ.
Ioannem Lannojum, Dominum Molembaſii, &
D. Petrum Cardonium, Ducem Friaſii.

Anno 1556 cum jam renuntiaſſet Carolus Quintus Imperator omnia ſua regna & cæteras ditiones filio ſuo Phillippo Regi, idem Rex prima ſua comitia celebravit Antverpiæ, ubi Equitibus vita functis ſuffecit:

Henricum, Ducem Brunſvicenſem.
Ferdinandum, Archiducem Auſtriæ.
Philippum Croyum, Ducem Arſchotanum.
Carolum, Hiſpaniarum Principem.
D. Gondiſalvum Fernandez de Corduba, Ducem Seſſæ & Terræ novæ.
Ducem Medinæ rivi Sicci, Archithalaſſum Caſtellæ.
Ducem Cardonæ.
Carolum, Baronem Barlemontii.
Philippum Stavelium, Baronem Caldomontium & Dominum Glajonæ.
Carolum à Brimeu, Comitem Megæ.
Philippum Mommorencium, Comitem Hornæ.
Ioannem, Marchionem Bergozomanum.
Guiljelmum Naſſovium, Principem Araufinum, Dynaſtam Bredanum.
Ioannem Mommorencium, Dominum de Courriers.
Ioannem, Comitem Friſiæ Orientalis.
Antonium Doriam, Marchionem Sancti Stephani.
Franciſcum Fernandez de Avalos, Marchionem Piſcariæ & Vaſti.
Sfortiam, Comitem Sanctæ Floræ.
Vladiſlaum, Baronem Bernſteinii.

Anno 1559 Rex, jam in Hiſpaniam trajecturus, comitia celebravit Gandavi, ubi in locum demortuorum ſurrogavit Equites inſequentes:

Franciſcum ſecundum, Galliæ Regem.
Guido-baldum, Ducem Vrbini.

Philip-

Philippum Mommorencium, Dominum Hachicurtii.
Guiljelmum Croyum, Marchionem Rentæjum.
Florentium Mommorencium, Dominum Montigniaci.
Philippũ, Comitẽ Lignæ.
Carolum Lannojum, Principem Sulmonenſem.
Antonium Lalainium, Comitem Hoogſtratanũ.
Marcum Antonium Columnam.
Baronem Novohauſiæ.
Dominum Turconii.

Ita ut ad hunc uſque diem ter & vicies habita ſint Nobiliſſimi Ordinis hujus comitia, idque in alia rurſus atque alia urbe, pro occaſionum varietate, ac ut Capiti bonum fuit & commodum; uſurpato in ea ſollennitate veſtitu veteri, longo, reverendo, & ad idem prorſus exemplum, quo utebatur olim Philippus Dux. celebrantur autem primo in hiſce conventibus, triduum totum durantibus, equitum defunctorum exequiæ: quibus deinde ſurrogantur alii novi, viri probi, illuſtres, & tanto faſtigio digni, donec numerus ille quinquagenarius expleatur, quod fieri ſolet adhibitis priſcis quibuſdam & venerabilibus ceremoniis: tandem recenſentur & Ordinis leges, quæ, pro re nata & temporum ratione, vel augentur nonnumquam, vel reciduntur, vel denique corriguntur. Poſt ultima illa comitia, Gandavi, ut dictum eſt, habita, recepit ſe Rex in Hiſpaniam, nec ob Equitum paucitatem amplius egit ſollennes illos conventus, ſed accedente Pontificis venia, & adhibito ſibi paucorum conſilio, ornavit hac dignitate quoſcumque viſum fuit, aureo vellere iis per procuratorem & Illuſtrem aliquem virum tranſmiſſo. Itaque anno præſenti 1587 è veteribus ſimul & novis equitibus ſupereſſe tantum comperio, in Hiſpania quidem, ipſum Regem, Ordinis Caput; Philippum Principem, ejus filium; Duces trium Methymnarum, Sidoniæ, Cœli, & Rivi Sicci; & Ducem Cardonæ: in Germania, Imperatorem Rudolphum; Archiduces, Ferdinandum, Carolum, atque Erneſtum; Ducem Bavariæ: in Bohemia, Baronem Roſembergium, ſtirpe Vrſinum: in Auſtria, Baronem Harachiæ: in Sabaudia, ipſum Ducem: in Italia, Magnum Ducem Etruriæ; Duces, Parmæ atque Placentiæ, Vrbini, Terræ-novæ, Sabionettæ; Principem Sulmonenſem; Marchionem Vaſti, & Principem Guterenſem: in Belgica, Comitem

Mansfeldiæ, totius collegii Decanum; Ducem Arschoti; Comites Overendium, Arembergium, Barlemontium, Egmondanum; & Marchionem Rentejum: in Burgundia denique, Marchionem Varambonium, & Comitem Champlitensem.

Similem Equitum Ordinem instituit, anno circiter 1350, in honorem Divi Georgii, qui habetur Anglici regni Protector, Angliæ Rex Eduardus tertius, vocavitque *Iarterii*. Quo ipso tempore, non obstante collegio Parium Franciæ, Ioannes Rex, eo nomine unicus, condidit Ordinem Equitum Stellæ, mutatum post anno circiter 1470 in Ordinem Divi Michaëlis, qui etiamnum viget, etsi Henricus III Rex, eo non abrogato, instituerit Ordinem illum novum & sanequam frequentissimum Equitum Spiritus Sancti. Institutus vero fuit ante hos omnes ab antiquis Comitibus Illustrissimæ gentis Sabaudiæ, oriundæ è famosissima Saxonum stirpe, nobilissimus Ordo Annuntiatæ. qui Ordines hodie passim vigent, & velut sidera quædam Europam illustrant. Nuper vero & Cosmus Medices, Florentinorum & Senensium Dux, qui postea Magnus Dux Etruriæ, condidit Illustrissimum suum Ordinem Equitum Sancti Stephani, Ordinem numero magnum, nobilitate & dignitate virorum famosum. Sed prosequamur descriptionem Antverpiæ.

Habet ergo hæc urbs, inter alias ædes sacras, pulcherrimam illam Divi Iacobi, turri præcelsa superbaque, etsi nondum plane confecta, insignem. Habet magnam illam & opulentam Abbatiam Sancti Michaëlis Archangeli, Ordinis Præmonstratensium, ubi sollennis Principi urbem intranti sedes. sepulta jacet in hujus Cœnobii templo, & ad summam aram, Isabella Borbonia, Caroli, ultimi Ducis Burgundiæ, conjux, in hoc ipso Conventu, ut videre est è regii monumenti inscriptione, defuncta, anno Christi 1465. Conditū vero hoc templum & cœtui illi Monachorum assignatum, eodem anno, quo ab antistite nobilissimo Norberto, Heriberti Comitis Palatini filio, in diœcesi Laudunensi in Picardia, loco quem vulgo appellant *Premonstre*, institutus fuit ipse Præmonstratensium Ordo, id est, anno Epochæ Christianæ 1124, prout fusius constat ex ipsius Norberti historia, parietibus porticus hujus cœnobii, Latina, & qui-

& quidem vincta oratione, ac majuſculis litteris inſcripta. In ipſa æde tumulus extat Waltmanni, primi Antiſtitis, qui, cum quindecim annos cœtui præfuiſſet, obiit anno ſalutis 1138, quod conſonat narrationi Sigeberti hiſtorici, etſi non deſint qui paullo aliter ſentiant. incidit itaque Abbatiæ hujus fundatio in eumdem annum cum illa templi Beatæ Mariæ ſupra nobis deſcripti. propagatus eſt poſtea longe lateque hic Ordo Præmonſtratenſium, dives paſſim & rebus amplis dotatus. Habet præterea urbs tria illa ſpatioſa cœnobia, egregiis templis ornata, ſodalium Franciſcanorum, apud quos bibliotheca ſatis inſtructa, Carmelitarum, & Iacobitarum, vel ut melius dicam, Dominicanorum, à Divo Dominico, Ordinis conditore. jacta ſunt templi hujus cœnobii fundamenta anno 1243. nec ita multo poſt cœptum ſtrui illud Divi Franciſci, coincidente utraque ſubſtructione in annum vigeſimum quintum, ſed nondum exactum, ex quo duo illi ſanctiſſimi homines, alter Hiſpanus, alter Italus, inſtituerunt venerabiles ſuas ſodalitates, ea quidem religione & pietate, ut brevi ſe per univerſam rempublicam Chriſtianam diffuderint.

ADDIT. [*Habet inſuper Antverpia Prioratum S. Salvatoris Ciſtercienſiis Ordinis vulgo* Petri Potz, *qui munificentia Petri Potz patricii Antverpienſis conjugiſque illius exſtrui captus anno* 1333 *& ad optatum aliquando finem eorumdem benignitate anno* 1447 *deductus, annuoque cenſu qui duodecim religioſis alendis ſatis eſſet dotatus. Deinde Bogardos, qui texendo vitam tolerabant. hi primum urbem ingreſſi anno* MCCXXVIII, *auſpiciis D. Beggæ, Pipini primi, Brabantiæ Ducis, filiæ, ſororis D. Gertrudis. ac primo, nullis certis legibus, ſolo caritatis vinculo annis* LXII. *modeſte ſe continuerunt. anno deinde* MCCXC *tertiam D. Franſci Regulam profeſſi, Fratrum de pœnitentia nomen ſortiti, magnis à Brabantiæ Ducibus Ioanne II & III, exactionum temporalium, & à variis Pontificibus, Ioanne XXII, Clemente V, Vrbano V, ſpiritualibus prærogativis donati. locum tandem habitationi, priore commodiorem, anno* MCCCXLVI, *are ſuo pararunt, inſignique poſtea acceſſione, privata induſtria, locupletarunt, anno* MCCCCLV. *cumque in eam diem texendo vitam ſinguli toleraſſent, prudenti conſilio, reliquam Religioſorum conſuetudinẽ imitati, in communi vivere cœperũt anno* MCCCCLV. *quin & monaſticam profeſſi ſunt anno* MCCCCLXVIII. *eoque res proceſſit, ut textrina relicta ſolis divinis vacarent.*

AVGVSTINIANI *olim fuerunt, & venerunt in hanc urbem anno* M DXIV. *Congregationis Saxonicæ, non postremi fama, numero; cessit deinde anno* M DXXIX. *non ignobile templũ locusque parœciæ S. Andreæ, permanetque in hanc diem. Anno demum* M DCVII *ejusdem instituti, ex norma nimirum D. Augustini, nullo tamen cum prioribus fraternitatis aut capitis nexu, domum à Senatu impetrarunt.*

ALEXIANORVM *tenue principium. sparsi primpium habitarunt, anno* MCCC. *aucti post numero & opibus, collecti in unũ, propiorem religioni vitam duxerunt. Principium illis ab Henrico Suydermanno Germano, qui anno* MCCCXLV *fundum & domum dedit, ac tandem D. Augustini Regulam secuti, sacratiori se religionis voto ligarunt anno* MCCCCLXI. *demum domum struxerunt insigni opere, priore longe augustiorem, anno* MDXLVI.]

Habet deinde Antverpia cœnobium Innocentium, sive mente captorum, optimis legibus institutum. Ad hæc in subsidium civium tenuiorum, & quibus non suppetit unde honeste alant liberos, structa sunt duo velut cœnobia, alterum masculis, alterum vero fœmellis proprium. quorum illis quidem magistri, his magistræ suæ præfectæ, qui non legere tantum & scribere, verum & varias artes ac opificia sedulo eos docent. grandioribus vero vel prospicitur de honesta aliqua conditione, vel alioqui velut manumittuntur.

Post primam operis nostri editionem venerunt etiam in urbem Religiosi Societatis Iesu: Ordinis, propter sancta in omnes officia & laudatissima opera, perquam reverendi, omnisque adeo disciplinæ exempli. de cujus prima institutione atque progressu fusius ego in Commentariis ad annum 1540, quo impræsentiarum me refero. Erat hujus Collegii Rector, quo tempore tertio edebatur hoc opus, Magister Iacobus Zelandus, eruditione & virtutibus ornatissimus præsul, eoque loco dignissimus.

[ADDIT. *Patres Societatis, duo primum ingressi urbem anno* 1562; *post, ut successerunt civilia bella, secesserunt inde, reversique sunt anno* 1585, *positis fluctibus; & insignem aulam Lirensem, superbum illud palatium quod Anglis utendum dabatur, (opus natum clarissimo illo Arto Lirano, qui publicis illud sumtibus struxit, & Carolo Quinto Imperatori aulam destinavit) decreto Senatus occuparunt, scholaque & mansionibus consecrarunt. Plures vero hodie accesserunt, ita ut ecclesiastico &*

*schola-*

*ſcholaſtico oneri præſint centum & plures. Templum auguſtius nec Belgica nec Gallia habet: Frontiſpicii inſcriptio, docet ſtructuram:* CHRISTO DEO, VIRGINI DEIPARÆ, B. IGNATIO LOIOLÆ SOCIETATIS AVTORI, SENATVS POPVLVSQVE ANTVERPIENSIS PVBLICO ET PRIVATO ÆRE PONERE VOLVIT.

*Intus omnia marmore Aſiatico nitent, columnæ* XXXVI *à pavimento marmoreo ſurgunt ad fornicem; picturæ, Brugelii & Rubenii maximum opera, morantur accedentem, ſuſpendunt videntem, vixque ſine alienatione dimittunt abeuntem: cum materie artem & formam ex Aſia & Italia huc migraſſe dixeris.*]

Aucta eſt quoque non ita pridem hæc urbs ſodalitate Religioſorum, quos ab habitu vulgo nominant Capuccinos, ipſi vero appellant ſe reformatos ad veram priſcamque normam ipſius Divi Franciſci, idque docent, cùm fragmentis quibuſdam & reliquiis veſtium, tum & aliis monumentis antiquis. regula quidem eorum adeo ſtricta & pia, ut non factis minus quam verbis nos exhortentur, & ad bene beateque vivendum extimulent. ipſi cultores, digniſſimi ſane profeſſione Chriſtiana. Atque hic finiemus partem hanc piam, nec ad cætera Monaſteria Xenodochiave nos extendemus.

Sunt ad hoc uſque tempus Antverpiæ, numerante Arato Viſnaquio, hoſpitiorum urbanorum metatore, ad duodecim millia domus: & deſignatus jam aliis mille quingentis, cum in urbe nova, tum & aliis partibus fundus. adeo quidē, ut, ſi progrederetur urbs eo quo cœpit modo, quod fieret proculdubio, ſi ſemel ceſſarent infauſta hæc bella, quæ fieri tamen non poteſt ut ſint perpetua, brevi habitura credatur domos tredecies mille quingentas. omitto hortos complures, tum latam illam urbi arcique interjectam planitiem, quandocumque placuerit redimplendam. quare merito cenſeretur inter ampliſſimas urbes Europæ. Inter autem has domos quamplures paſſim occurrunt ſatis amplæ, & prorſus ſpectabiles. cæteræ, etſi opere atque ſtructura non reſpondeant Italicarum perennitati, tamen magna ex parte ſunt pulchræ, nitidæ, commodæ, & quod caput, quotidie fiunt meliores. præterquam enim quod cives Antverpienſes, opum & facultatum adſpectu, ſplendidiores hodie & magis quam olim ambitioſi, ſumtuoſius fere ædificant:

etiam lege cautum eſt, ne quis impoſterum aut faciat ullam domum ex ligno, aut collapſam reſtituat, neve muros ducat minus quam pedem craſſos. Præter vero has privatorum domos, varia paſſim conſpicias ædificia publica, non magnifice minus, quam commode ſtructa. qualia nominatim, xyſtus ille polymitariorum; carnarium, vel ſi mavis macellum; domus trutinæ publicæ; ſuperbum illud palatium, quod Anglis utendum datur, vulgo dictum Het Hof van Liere/ id eſt, aula Lirenſis, quia nempe clariſſimus ille Artus Liranus illud publicis ſumtibus ſtruxit, aulam deſtinans Carolo Quinto Imperatori; tum ſumtuoſiſſima illa horrea ab Senatu populoque Antverpienſi in eorumdem Anglorum uſus exſtructa; domus, in quam deponuntur merces terra advectæ: &, quod omnia longe exuperat, magnificum illud Palatium Hanſæ Teutonicæ. Denique nihil deerat præter Palatium Senatorum, dignum tanta Republica & cæteris urbis membris reſpondens. quod ampliſſimum nuper condi juſſerunt, & uſque adeo ſumtuoſum, ut ſi ſingula quæque exacte computes, in centum fere coronatorum millia abitura ſit ratio.

## QVINQVE IN VRBE PAROCHIÆ.

DIVIDITVR tota hæc urbs in quinque tantum Parochias; Beatæ Virginis ſcilicet, Divi Iacobi, Divi Georgii, Divi Andreæ, & Divæ Walpurgis, cujus templum etiam dicitur vulgo de Burgt/ eſtque omnium antiquiſſimum. videtur autem gentilium tempore Martidicatum fuiſſe, vel ut alii volunt Priapo, quem magno honore cultum narrant à primis loci cultoribus, qui in tantum eum reverebantur, ut effigiem ejus haberent ſaxo ad vivum inſculptam, & quidem in ipſamet arcis ſeu burgi fronte, prout hodieque in porta juxta publicum carcerem ſatis aperte conſpicitur.

[ADDIT. *Teſtis adhuc hodie eſt ſupra portam juxta publicum carcerem ad forum piſcarium imaguncula, olim ſertis ornari ſolita à ſtulta mulierculorum turba; quæ altitudine unius pedis, manibus elevatis, pedibus divaricatis, membro virili carens conſpicitur. Fabulam, non hiſtoriam dixerim, quæ narrantur de Priapi hujus raſione & uſione contra ſterilitatem. qui enim mulierculæ ſine ſcalis abradere, & quamdiu, cum exigua ſit ſtatua,*

*potue-*

*potuerint, non video. posita est satis alto loco, ita ut non facilis accessus.*]

Atque hæ quinque parochiæ divisæ sunt in duodecim regiones, quas isti, latinissantes, appellant Wijcken. sed dum in eo sum ut hoc opus absolvam, institutus fuit in urbe nova novus hujusmodi vicus, suntque hodie numero tredecim.

Antverpia optime est instructa rebus ad vitam tuendam necessariis. nam præter eam annonam, quam undique subvehunt exteri, tantam ejus quotidie terra marique apportare curant totius Provinciæ curatores copiam, ut non ordinario solum victui, sed extraordinario etiam luxui abunde sufficiat. infinita etiam suppetunt genera vini, & primum quidem è Germania præstantissimum illud Rhenense: hinc ex Gallia, Hispania, Lusitania, Insulis fortunatis, aliisque mundi Provinciis, quin & pretiosissima quædam Italica, & generosum illud è Creta, quod vulgo appellant Malvaticum. Quod si convivandum etiam sit & præbendum epulum aliquod Saliare, inveniuntur hic, præter res necessarias, ex quavis terrarum parte omne genus scitamenta condimentaque, ita ut nihil ultra desideres.

Est jam olim Antverpia urbs Imperialis. nec Imperialis tantum, sed & Marchionatus Sacri Imperii caput, ut in descriptione ipsius Marchionatus latius explicabimus. unde & plurimis fruitur privilegiis. quibus alia quoq; complura Belgicæ loca, quæ & ipsa vocantur Imperialia, in parte etiam gaudent. nec propterea tamen Imperatoribus quidquam pendunt, ut quæ partim pecunia, partim, ut Antverpia nostra, promeritis, partim denique temporis lapsu, se ab omni illorum subjectione exemerint.

Habet præterea urbs dignitatem quamdam, ei, quam supra Bruxellæ adscripsimus, similem, quæ vulgo Burggraviatus, Italis vero & Gallis dicitur *Viscontéa*. datus olim fuit iste Burg-gravii seu Vicecomitis titulus præfecto arcis vel burgi Antverpiensis, attributis ei aliquot domibus aliisque stabilibus bonis, partim intra, partim extra burgi pomœria sitis. hæc prædia ipse Burg-gravius postea huic illi concessit in feudum. unde & instituta hic curia rei clientelaris, in qua hodieque à patroni ipsius feudi Vicario, nunc Antonio Gelio, Iurisconsulto doctissimo,

doctiſſimo, alternis hebdomadis dicitur jus. Burg-gravii olim munus, ut caput eſſet atque præfectus vigilum, arcem & civitatem cuſtodientium. quod cum aliis ſolidis argumentis, tum ex eo quoque probatur, quod hodieque quoties quis acceptatur in civem, in foro judiciali jurat in verba & formulas illas antiquas, ſcilicet, ſervaturum ſe fidem Duci Brabantiæ, tamquam Sacri Imperii Marchioni, cuſtoditurum præterea & tuiturum fideliter, una cum Vicecomite & aliis civibus, arcem ſeu burgum, ea hodie urbs, territoriumque Antverpienſe. Hæc dignitas, cum temporis lapſu devoluta eſſet ad Ducem Cliviæ, ceu Dynaſtam Dieſthemii, tandem pervenit ad Principem Arauſinum, facta videlicet per majores ejus, Naſſovios, cum Clivio permutatione. dignitas ſanequam honorabilis, ſed exigui tamen proventus, ut quæ nomine magis, quam re, impræſentiarum exerceatur.

Eſt deinde Antverpia unius è quatuor terræ Brabantiæ quadrantibus caput, & ſubditas ſibi habet hoc nomine Bergozomium, Bredam, Liram, Herentalium, Stenobergam, aliaque opidula quædam & pagos. quorum pars, in civilibus quidem, Antverpiam prius, quam Cancellariam appellat, & in aliis etiam rebus urbi ſubjecta eſt. Concurrit autem hic quadrans una cum cæteris, pro rata ſua videlicet parte in contribuendis ſubſidiis, Principi ab Ordinibus Brabantiæ, modo quo ſupra dixi, conceſſis, refertque ut plurimum ſeſe ad ea quæ in his talibus ſtatuit atque conſentit Antverpia cum Ordinibus cæteris.

Videamus vero deinceps quanta fieri poterit brevitate, quibus potiſſimum viis & modis aſcenderit iſta urbs ad hoc tantum faſtigium. Et primum quidem è præcipuis ejus augmentis, quantum invenio, originem habuit à mercatu illo & nundinis urbi à principibus terræ olim conceſſis, accedentibus nempe ampliſſimis privilegiis, auctoritate gratiaque Pontificum & Imperatorum approbatis. atenim Ioannes ſecundus, Brabantiæ Dux, urbi neſcio quam ob cauſſam ſuccenſens, bonam immunitatum earum partem recidit, tranſtulitque Mechliniam, anno 1300, quas tamen Henricus ſeptimus Imperator, è familia Lucemburgica, urbi integras iterum reddidit anno 1309. Verumenimvero Ludovicus, Comes Flandriæ, cui oppignorarat hanc urbem Brabantus, rurſus

ſus illi immunitates ademit, reſtituitque Mechlinienſibus anno 1358, unde ſæpius utriuſque opidi cives venerunt ad manus, & præſertim anno 1410 binæ tandem communi conſenſu remanſerunt Antverpienſibus, & in hunc uſque diem remanent anniverſariæ nundinæ, multis, ut dictum eſt, privilegiis exornatæ. quæ in eo potiſſimum conſiſtunt, quod libere liceat unicuique ad urbem accedere, in eaque ſubſiſtere toto nundinarum & immunitatis earum tempore, eo vero finito, cum mercibus ſuis & reliquis bonis ſecure domum reverti, ita ut quis toto itinere non poſſit à quoquam ob æs alienum detineri, vel alioqui ſiſti, aut compellari. atque harum quidem nundinarum priores vulgo audiunt nundinæ Pentecoſticæ, quod nimirum incipiant decimo quinto ante id feſtum die: poſteriores vero, Sancti Remigii, vel & Sancti Bavonis, quod incipiant Dominica ſecunda poſt feſtum Aſſumtionis Beatæ Mariæ, id eſt, paulo ante feſtum utriuſque illius Sancti, quod in eumdem incidit anni diem. durantque ſingulæ, connumeratis, ex veteri & uſitata conſuetudine, quindecim diebus prolongationis, ſenas hebdomadas. Poſt finitam immunitatem ſequuntur expunctiones collyborum & depoſitorum utrarumque nundinarum: priorum quidem decimo die Auguſti, poſteriorum vero decimo die Novembris. niſi termini forte ſolutionum, quod poſtremis hiſce bellis ſæpius factitatum eſt, à Principe, vel in ſuum ipſius, vel in mercatorum commodum prorogentur. ſolutiones autem mercium venditarum non fiunt niſi poſt menſem. peraguntur etiam impræſentiarum Antverpiæ ſolutiones utrarumque nundinarum Bergozomenſium, ſcilicet frigidarum, quas vocant, atque Paſchalium. quarum illæ incipiunt decimo die Februarii, hæ ſeptimo idus Majas. etſi poſtea tamen, non ſecus quam illæ ſuperiores, ad vigeſimum uſque diem ſint prolongatæ, ac mercium quidem pretia uno ſimiliter menſe poſt dependantur. Neque hic, priuſquam pergamus, committendum eſt, quin, ut de re admodum memorabili, obiter quoque agamus de utroque illo mercatu equario, qui & ipſe bis anno hic celebratur: tum de nundinis etiam coriaceis, illicò inſequentibus, pauca dicenda ſunt. celebrantur ergo priores equariæ ipſo jejunio quatuor temporum Pentecoſtes, & per triduum ordinarie

rie durant : alteræ , pari ſpatio durantes , fiunt primo die Mercurii poſt feſtum Nativitatis beatæ Mariæ. adducitur autem utriſque nundinis , tum ex omnibus undique Belgicæ partibus,tum peregre quoq; & ex ipſa uſque Dania, immenſa omne genus equorum vis. utilis ſane & jucundus adſpectus ! cum de equis utiliter ſibi quiſque poſſit proſpicere.ſuntque adeo tractus Dynaſtæ, mox à Principe, omnium primi, ut & ratio poſtulat,qui inde ſibi provideant. equarias ſtatim excipiunt nundinæ coriorum , ad quas innumeræ advehuntur omnigenum beſtiarum pelles , partim ſole vel ſale duratæ, partim etiam illitæ pingui arvina & maceratæ, quarum pretia in immenſam aſcendunt pecuniæ ſummam.

Alterum è præcipui nominis incrementis , quæ Antverpiam reddiderunt adeo magnam & opulentam , initium habuit anno circiter 1503 & 1504 , quo tempore Luſitani,occupato non ita pridem admirandis ſtupendiſque navigationibus ſuis & apparatibus Calecuto, & pacto cum Regibus illis Orientalibus fœdere , cœpere aromata pharmacaque ex ultima uſque India , ſedecim mille milliarium & ſemeſtri fere itinere, in Luſitaniam, atque inde porro huc ad mercatum advehere. quæ mercimonia quidem ante id tempus per mare rubrum,quod vocant, Barutum & Alexandriam , inde autem à mercatoribus Venetis Venetias primum conduci , & per Italiam, Galliam, Germaniam, cæteraſque Chriſtianorum Provincias ſolitæ erant diſtribui, ſed intercepto per Luſitanos commercio,miſſus ſuit Antverpiam,Regio nomine, procurator , qui Germanos paullatim ad hanc negotiationem induxit,ac primo quidem Fuccaros,Velſeros, Oſtetteros , & ante omnes fortaſſe Nicolaum Rechtergemium , cujus ſupra fecimus mentionem, quique omnium primus cum Procuratore hoc Luſitano, quod aromata quidem ſpectat , contraxit , & in ſuperiorem Germaniam ea porro tranſmiſit , ubi novæ illius Luſitanicæ navigationis ignari homines obſtupeſcere , & vix ſenſibus ſuis credere, ſed aromata illa ſuſpicari fictitia, quia ipſi videlicet ea terreſtri itinere Venetiis nacti in has oras ſolerent tranſmittere. Agebant iiſdem fere temporibus in hac urbe & honeſtiores aliquot Hiſpanorum familiæ, inter quas illæ Didaci Hari,Didaci San-Ioannis, Ferdinandi à Bernui, & Antonii Vallii. quas anno 1516 ſub-

ſubſecuti ſunt ſingillatim, magno hujus opidi bono, nec minore Brugenſium malo, omnes fere mercatores peregrini, Brugis antea commorati, exigua tantum Hiſpanorum inibi ſubſiſtentium parte excepta. inter primos autem commigrarunt Antverpiam Gualterotti, inde Bonviſii, & poſt Bonviſios Spinulæ, magnæ in primis & negotiatrices familiæ. Neque debeo hic committere, quo appareat nempe quibus & quantis cenſuris reprehenſionibuſque expoſiti ſint miſeri ſcriptores, quin paucis attingam, reprehenſum videlicet me his diebus fuiſſe, ut qui aberrarim in chronologia exterorum ad hanc urbem adventus, aſſerente reprehenſore id accidiſſe anno 1488, & pro argumento irrefutabili oſtentante manuſcriptum quoddam diploma liberi commeatus, à Cæſare Maximiliano per id tempus conceſſum, non conſiderante autem, id genus diplomata certis quibuſdam de cauſſis, qualis in illo expreſſa, nonnumquam concedi, nec propterea tamen ſtatim ſortiri effectum. verumenimvero ne amico illi & magni commatis viro ullus in re adeo nupera manifeſtaque, ſed de qua incolæ tamen nollent pronuntiare, ſupereſſet in poſterum ſcrupulus, neceſſum fuit, illi oſtenderem, conſtare mihi de veritate per ipſoſmet ſenes, qui eodem illo quo dixeram tempore Brugis Antverpiam commigraſſent. oſtendi inſuper homini libros conſulatus noſtri Florentini, qui hodieque ſuperſunt, & vel de die in diem authenticum hujus rei teſtimonium perhibent. unde acquievit ille tandem his rationibus, & ſatisfactum ſibi à nobis eſſe confeſſus eſt. quod fatebuntur forte & alii, qui non adeo temere de auctoribus minime temerariis judicant, nec ſine ſolida ratione ſcriptores carpunt.

Tertium & nuperrimum urbis noſtræ augmentum cœpit anno 1542, poſt periculoſiſſimum illum Domini Longovallii & Martini Roſſemi magno exercitu ſuccinctorum per medias haſce Provincias tranſitum. nam cum Ordines ſimul & Magiſtratus hujus urbis expenderent periculi magnitudinem, conſiderarentque ingentes & late vulgatas urbis divitias, etſi procul ea diſtaret ab omni hoſtium limite, facile tamen illecturas eos ad prædam, & data occaſione ad quodvis periculum facinuſque ſubeundum, prudentiſſime ſtatuerunt exſtruere ſupra deſcriptos muros, qui, præter eximium

mium decus & ornamentum, urbem adeo tutam atque ſecuram efficiunt, ut infinita undique hominum multitudo ad eam confluxerit. adde quod exercitus ille exuſſit, effecitque ut ipſi exureremus ſuburbia, tum & domos complures urbi circumjectas: lata poſtea lege, ne quis ædificaret extra urbis pomœria, niſi ter mille quingentos pedes ab urbe, utq; diruerentur domus intra eum procinctum extructæ. unde factum, ut recipientibus ſeſe cunctis in urbem, atque illa & opibus juxta & civium multitudine in dies augeſcente, omnes illico, affulgente videlicet commodi ſpe, certatim inceperint ædificare, credaturque ex illo tempore urbs tribus & ultra domorum millibus auctior, ut omittam, plures mille à fundamentis iterum inſtauratas, & multo quam ante auguſtiores effectas. Promovit quoque non parum tertium iſtud augmentum negotiationum Bergozomenſium declinatio, prout ſuo loco in opidi ejus deſcriptione latius explicabimus. atque hoc modo factum eſt, ut brevi temporis ſpatio urbs in eam excreverit magnitudinem, ut, ſi Lutetiam tantum excipias, non invenias citra montes ullã urbẽ ea potentiorẽ, magiſve omnibus rebus affluentem. quocirca plurifariam ſane illuſtrat & veluti animat univerſũ Inferioris hujus Germaniæ tractũ, urbs omnibus modis inter primas Europæ, inter emporia vero totius mundi metropolis, quia, quod ad hanc quidem partem, revera ſibi non habet parẽ, nec quicũ concurrat.

Habetur Antverpia vulgo pro virgine, aſſerentibus opidanis, numquam eam legitimo ſuo Principi rebellaſſe, numquam fuiſſe direptam, numquam denique deſloratam. Neque nos ſane invenimus, eam priſtinum ſuum candorem ullis contra ipſummet Principem rebellionibus maculaſſe: ſed iidem etiam legimus, motas in ea complures ſeditiones adverſus Magiſtratum urbanum, & nominatim anno 1476 cum populus univerſus, & in primis nautarum tabernariorumque collegia, coorto ex indignatione quadam tumultu, furibundi, ac manu armata concurrerunt ad curiam, ubi prehenſos complures è Senatoribus violenter abduxerunt in publica quædam conclavia, procedentes deinde ad reformationem ſtatus & politiæ, magnaque violentia in carceratos illos deſævientes, quorum nonnemo etiam ſanguine pœnas dedit, proteſtantibus interim ſeditioſis, non fieri iſthæc à ſe in

Prin-

Principis contumeliam, vel majeſtati ejus lædendæ, nec puniri captivos niſi ob privata ſua delicta.

Noſtro tempore (loquor autem in rebus majoribus tantum, uſque ad ſexageſimum annum exactum, cæteras poſtea factas commentariis meis reſervans) tria omnino hic acciderunt memorabilia & notatu digna, quæ brevibus perſtringemus. Primum quidem evenit anno 1542, cum ſcilicet Dominus Longovallius & Martinus Roſſemius urbi eximproviſo ſuperveneruntt, & cum hoſtili exercitu, non ſine ingenti incolarum periculo, biduum totum hæſerunt in ejus confiniis.

Alterum fuit Philippi Principis, hodie Regis Catholici, in hanc urbem ingreſſus. cum videlicet menſe Septembri anno 1549, ſuſcipiendus in Principem Dynaſtamque Belgarum, ad has oras ſe contulit. qui Princeps tam nos exhilaravit & conſolatus eſt, quam Longovallius ille atque Roſſemius prius afflixerant. ingreſſus profecto regius, & uſque adeo triumphalis atque auguſtus, ut, quò recte & ordine poſſet intelligi, opus fuerit juſto volumine, quod ſuper eo confecit ediditque jam pluries nobis dictus Cornelius Scribonius Grapheus, Venerando huic Senatui à ſecretis, qui plurimarum ad hunc triumphum ſpectantium rerum inventor, & omnium pæne carminum, ſymbolorum atque emblematum, arcubus aliiſque triumphalibus machinis decore inſcriptorum, auctor, unde & maximam retulit laudem. quam adeptus eſt quoque (ne quemquam defraudemus) doctiſſimus ille Stephanus Ambroſius Schiappalarius ex mirificiſſimo illo arcu Genuenſium, variis paſſim hiſtoriis & condignis verſiculis decenter per eum ornato. Nomen fecit volumini ſuo Grapheus *Spectacula in ſuſceptione Philippi Hiſpaniarum Principis*, cui cum neque addi fortaſſis neque detrahi quidquam poſſit, nos duo dumtaxat paucis attingemus ipſi omiſſa, additis noſtro more tribus verbis ſuper jurejurando per Principem præſtito. primum itaque dicimus, ſumtus à civibus exteriſq; in hunc triumphum impenſos, ſi ſingula computentur, ſuperare centum triginta coronatorum millia. unde analogice colligas, poſtquam ſola Antverpia tantam expendit pecuniæ ſummam, quantam debeat inſumſiſſe univerſus hic tractus, cum magnifice paſſim & ſplendide Princeps exceptus ſit, Secundo agemus de confuſione atque diſſidiis

diis inter exteras nationes exortis ſuper loco & ordine præcedendi. ac primum quidem Itali calide ſæpius inter ſeſe egerunt, omnino curandum, ut juſtiſſimis ſane de cauſſis ipſi reliquas omnes nationes præcederent: ſed conſiderantes deinde non dominari Italiæ unicum aliquod caput, ſed ob privatos gentis diſſenſus meliorem terræ partem ſubjugatam eſſe ab exteris, nihil ultra moliti ſunt. Dani & urbes Hanſeaticæ ſponte ceſſerunt Germanis, quibus novo tamen exemplo præferendos ſe contendebant Hiſpani, ſed Imperator litem diremit & pro Germanis pronuntiavit. Luſitani quoque & Angli varie inter ſe diſceptabant: at Cæſar, ſingulis rite perpenſis, Anglos prætulit. cui ſententiæ cum Luſitani non acquieſcerent, etſi plurimum pecuniæ inſumſiſſent in veſtes & cæterum apparatum, à pompa tamen ſe abſtinuerunt. Florentini proteſtabantur adverſum Genuenſes, qui videlicet niterentur ipſos præcedere. at Cæſar indeciſam reliquit hanc litem, & ne forte venirent ad manus, juſſit, ut utraque natio, ſplendidiſſime jam accincta, & tantum non in equis, contineret ſe domi. etſi, paulo ante, Rex Galliæ, læto ſuo introitu Lugdunenſi, ex Romana hodie conſuetudine, pronunciaſſet pro Florentinis. Tertio denique differemus de reciproco illo jurejurando dato acceptoque inter Principem & Senatum Antverpienſem. Eſt ergo inter Berchemium & Antverpiam, octingentis & quinquaginta paſſibus extra portam Cæſaream, & ad Hierocomium, repagulum quoddam verſatile, ferro tectum, & ipſam viam ex tranſverſo claudens, iſti *Baliam* nuncupant, poſitum eo loci pro termino ſive meta territorii Antverpienſis: non aliter quam extra reliquas quoque urbis portas, paribus intervallis, & eodem illo fini, ſimiles *Baliæ* conſtitutæ ſunt. erat hoc loco ædicula, una cum arcu triumphali, ubi Eccleſiaſtici & Senatus Antverpienſis præſtolabantur Principis ſui adventum. qui cum eo veniſſet, & ſollennibus ceremoniis eſſet exceptus, ædiculam illam ingreſſus eſt, & conceptis verbis juravit, ſe, à Patris deceſſu, fore Eccleſiæ Sanctæ Protectorem, verumque defenſorem Marchionatus Sacri Imperii: ſuſceptus viciſſim pro tali à jam dictis Eccleſiaſticis & Statu (ut vocant) Antverpienſi. Hiſce rite & convenienter peractis, ſubſecutus eſt illico is quem dixi ingreſſus, triumphali

prorſus magnificentia, & ad infiniti collucentium undique facium numeri, toto quam longum eſt ſpatio, æquatis ex ligno intervallis diſpoſitarum, lumen, tametſi eſſet de die. eſt enim ea regionum iſtarum in excipiendis magnis Principibus conſuetudo, quæ revera ſapit quiddam Heroicum. poſtero die acceſſit Princeps ad domum Senatoriam, ubi loco in eum finem delecto, & in forum proſpicuo, coram Cancellario Brabantiæ, Statu Antverpienſi, totoque populi cœtu, ſolenni Ducum Brabantiæ more juravit ad Sancta Dei Euangelia & conceptis verbis in hanc formulam:

*Nos Philippus, Dei gratia, Princeps Hiſpaniarum, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ & Brabantiæ, Comes Habſpurgi, Flandriæ, &c. juramus, nos, in adventu & ſucceſſione noſtra, firmiter valideque obſervaturos, & procuraturos ut alii quoque obſervent rationes & jura Sanctæ Eccleſiæ, Civitatis Antverpiæ, & Marchionatus Sacri Romani Imperii, & generaliter omnia & ſingula eorum ſtatuta & privilegia, libellos, exemtiones, immunitates, jura, & conſuetudines tam antiquas, quam modernas, ſimiliter privilegia lati noſtri introitus dictis Ordinibus Brabantiæ à nobis conceſſa, ſine ulla prorſus exceptione. neque facturos nos, aut ut ab aliis fiat permiſſuros quidquam iis ullo modo vel ex toto vel ex parte contrarium. & facturos in ſumma omnia illa & ſingula quæ bonus & legitimus Dominus tenetur facere civitati ſuæ Antverpiæ, Marchionatui Sacri Romani Imperii, & bonis ſuis ſubditis atque civibus. Sic nos adjuvet Deus & omnes Sancti.* Magiſtratus autem Antverpienſis Majeſtati ſuæ ſacramentum præſtitit in hunc modum:

*Nos Conſules, Scabini, & Status Antverpienſis promittimus atq; juramus Illuſtriſſimo Principi Hiſpaniarũ, utriuſque Siciliæ, Hieruſalẽ, &c. Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ & Brabantiæ, Comiti Habſpurgi, Flandriæ, &c. futuro noſtro certo & indubitato Domino, hic præſenti, tamquam Duci Brabantiæ & Marchioni Sacri Romani Imperii, nos fore ipſi fideles, & facturos quæcumq; boni & devoti ſubjecti tenentur facere vero ſuo & legitimo Principi. Sic nos adjuvet Deus & omnes Sancti.* Et rogatus poſtea populus numquid aſſentiretur, ſublatis, patrio more, dexteris vocibuſque alacriter annuit. inde canentibus tubis aliiſque organis muſicis, regii Feciales promiſcue diſperſerunt in vulgus varia huic rei cuſa ex auro & argento numiſmata.

Tertia

Tertium denique propemodum tragicum evenit anno 1554 menſe Iulio, fuitque, plebejorum quorumdam adſpectu, ſpecies quædam ſeditionis. primaria & originalis ejus cauſſa, quod cum legem tuliſſet Magiſtratus, nec tamen ſine prævio collegiorum conſenſu, qua cavebatur, necui eſſet fas cerviſiam alibi coquere, præterquam in urbe nova, neve in urbe poſſet vendi quæ in conterminis ei locis cocta, indigne id tulerit infimæ ſortis plebecula, adeoque palam obmurmuraverit. acceſſit: quod paullo ante petiiſſet Cæſar, ut cives Antverpienſes bello quod tunc regebat vel ipſi operam ſuam impenderent, & militarent, vel ejus loco ſolverent certam pecuniam. quare exacerbantibus ſe magis magiſque adverſus Senatum popularibus animis, evomebantur primo utrimque convitia quædam & minæ: tandem vero ex parva ſcintilla ortum eſt magnum incendium, idque hoc modo: aderant quadam die in foro & circa domum Senatoriam complures ex querulis hiſce & obmurmurantibus plebejis, ac cum famulis etiam Senatorum expoſtulabant. unde quidam è famulis eorum nonnullos ſubſannans, addidit tandem hæc verba, *vos quicquid in buccam venit dicetis, verum Domini facient, & hocipſo veſpere intrabit cohors militum Hiſpanorum, qui, dum vos militabitis, accubabunt veſtras uxores.* hæc temeraria hominis verba fuerunt excitando mox magno tumultui. nam frementibus qui audierant, & injectantibus illi manus, abdidit ſe in curiam. unde magis etiam irritati, & jam numero aucti, impetum facere minabantur in ipſam curiam, & feciſſent, ni famulus ille per aliam portam effugiens mature ſibi conſuluiſſet. ad hunc motum, civitas omnis ſtatim in armis. ibi vero apparuit probitas & conſtantia civium loci honeſtioris: nam cum exoſi jam eſſent Magiſtratus, arripuerunt quodammodo ipſi urbicarum rerum habenas, & ubicumque poſtularet neceſſitas, ea adhibuerunt remedia, ut minutior illa plebecula, natura fere ad nocendum proclivis, non habuerit ullam nocendi copiam. utebantur enim in eo furore, inter alia quædam, honeſtiores illi cives nobiliſſimo quodam, & imitatione memoriaque digno remedio, adeo ut non inveniatur fortaſſe, vel apud antiquos, vel in recentiorum hiſtoriis, ſimile aliquod facinus, quod in aliis quoque inſolitis caſibus non tantum Antverpienſes, ſed

& alii poſtmodum alibi imitati ſunt. eſt autem tale: tumultuante jam civitate, concurrebant gregatim & populari quodam furore plebeji, alii quidem armati, alii vero inermes, ad primarium urbis forum, ubi ſi coadunatus fuiſſet juſtus eorum numerus, facile potuiſſent moliri facinus aliquod malum, & reipublicæ noxium: quod cum prævideren meliores illi & bene armati cives, non accurrerunt, ut in talibus fieri ſolet, ad forum, aliave id genus loca, ſed occuparunt confeſtim & valido ſatis præſidio munierunt ſingulas regionum ſuarum vias, ita ut nulli per eas pateret tranſitus, & qua blanditiis, qua etiam minis, vilioribus illis animis, ſparſim & ſine certo aliquo capite diſcurrentibus, præceperunt, effeceruntque uti domum ſe quiſque reciperent. itaque ſublatis conventiculorum occaſionibus, ideoque & nocendi facultate, furor ille plebejus ſubſedit. moxque ut obviaretur omni incommodo, ſecuta eſt inter Magiſtratum & plebem tranſactio, qua videlicet abrogatæ ſunt leges illæ cerviſiariæ, populo tam inviſæ, cui & alia quædam indulta. Atque hoc pacto & honeſtiorum illorum civium virtute extinctus feliciter ille ignis, poſita arma, & ad ſua quiſque negotia rediit. atenim paullopoſt deſtinavit huc Imperator bonam militum Germanorum turmam, & una Lazarum Swendium chiliarcham. quos ſubſecuta mox Gubernatrix, cum Proceribus & Senatu Brabantiæ, recognitura ſcilicet tumultus præteriti rationes. quin venturus erat & ipſe Cæſar, adeo rem ferebat indigne, niſi morbo articulari fuiſſet diſtrictus. recognitis autem rationibus, compertum eſt, delictum fuiſſe perquam exiguum, & hærere in pauculis tantum plebejis, quorum tres quatuorve puniti, & abolita diligenter ea quæ plebi per furorem illum conceſſa, expunctiſque ſcripturis, omnia in priſtinum ſtatum reſtituta.

Proſequamur vero deſcriptionis noſtræ ſeriem, & videamus quo pacto nobilis iſta Civitas gubernetur. Habet ergo primum Antverpia Ducem Brabantiæ, quatenus Marchio Sacri Imperii, pro Domino ſuo & Principe, verum tot tantiſque jam olim obtentis privilegiis exornata, ut jure majeſtateque Principis ſemper ſalva, regatur quaſi per ſe, ac ceu liberum aliquod Opidum, ſive reſpublica. quin, meo quidem judicio, parum diſcrepat iſta regendi ratio, ſi integre tamen obſervaretur,

ab ea forma, quam veræ beatæque reipublicæ adſignat graviſſimus ille philoſophus & prudentiſſimus hiſtoricorum Polybius, qui conſtare vult regimen bene compoſitum è triplici mixtim ſtatu, monarchia videlicet, ariſtocratia & democratia. ita ut Principi ſuum imperium, Optimatibus ſua auctoritas, populo denique reſervetur poteſtas & arma. atque hoc eſt illud temperamentum, quod multis ſæculis conſervavit rempublicam Lacedæmonienſem. hoc eſt illud temperamentum, quod conſervavit jamdiu, ac porro, cum bono Deo, conſervaturum eſt & felicitaturum urbem Antverpiam. quæ & peculiarem ſemper habuit Principem, & ab Optimatibus, accedente conſenſu atque potentia populari, fuit recta. & regimen quidem ejus, ſive, ut vocant, ſtatus in quatuor membra dividitur: quorum primum, redditis vero ſenſu verbis Teutonicis, noſtro idiomate dici poſſet *la Signoria nuova*, continetque Magiſtratum ſupremum Conſulum, Scabinorum, Theſaurariorum, & Quæſtoris: alterum membrum vocemus *la Signoria vecchia*, quod complectitur viros omnes Conſulares, quique functi ſunt Scabinatu, & minoribus poſtea magiſtratibus præſunt: tertium, ipſa civitas, vulgo de Borgherye/ conſtans ſex & viginti civium capitaneis, binis nempe in ſingulas urbis regiones, & quatuor viris nobilibus, quos Belgice nominant Hooft-mannen: quartum denique membrum eſt illud collegiorum, quod vulgo dicunt de Gulden/ & quinquaginta quatuor decurionibus, ſive, ut iſti loquuntur, Decanis, ordinarie conſtat, quorum bini ſingulis præſunt opificum in hac urbe colegiis. atque hæc quatuor membra junctim conſtituunt urbis corpus & ſtatum, licet ſint, qui contendant non eſſe plura quam tria, unicum tantum è ſecundo & tertio facientes. ſuper qua ipſa re jam olim mota eſt controverſia, quæ hodieque pendet ſub judice, ita tamen ut non aliter hactenus procedatur, quam ſi quatuor eſſent membra. at priuſquam pergamus, pauca dicenda ſunt de creandorum eorum ratione, deque ſingulorum officiis.

Creatur ergo quotannis, & ſollemniter quidem menſe Majo, ſupremus ille, quem dixi, Magiſtratus, idque hoc modo. proponunt ii qui tunc ad clavum novem viros illuſtres, & quos judicant eo faſtigio dignos: nominantur hinc totidem alii à tredecim urbis regionum Præfectis,

ctis, fiuntque octodecim. his adjungitur Magiſtratus ipſe qui tunc præſidet, & noviter nominatis numero par eſt, (nec enim numeratur Conſul ad res externas) ita ut fiant triginta ſex viri nobiles, & apti è quibus creetur Senatus novus. horum nomina inde mittuntur ad aulam, cui nempe incumbit electio. unde Princeps, & vel eo abſente Præfectus, examinata in Conſilio ſuo nominatorum conditione, deligit ex iis quos lubet, ita tamen, ne ex illis qui præſunt plures ſenatu movere poſſit quam novem, nec eligere duos fratres, fratrumve aut ſororum duarum filios. electos autem producit hoc modo; mittit huc duos commiſſarios, qui oportet ſint equites aurei velleris, vel Barones, ut minimum, Brabantini, quibus comitem addit Brabantiæ Cancellarium; hi, mox ut venerunt Antverpiam, in Curiam convocant urbis Statum, ubi præviis certis ritibus, conſequenter exponunt, quinam debeant eſſe novi in illum annum Scabini, prorogato, ut diximus, neceſſario novem è prioribus illis magiſtratu. & eſt quidem penes novum iſtud Collegium jus & auctoritas eligendi Conſules, ſive ut vocant Burgimagiſtros, verum tamen quia ſollenne eſt Principi, ut è capacium illo cœtu commendet duos aliquos ſibi acceptos, obtemperatur hic ejus nutui: atque ita ſervato, ut par eſt, decoro, Senatores jam dicti è ſuo quidem Collegio deligunt Burgimagiſtrum ad res urbanas; illum vero ad res externas è numero magiſtratus abeuntis, vel ex iis ſaltim qui aliquando fuerunt in dignitate. atque hæc eſt ſupremi illius Magiſtratus creandi ratio, qui, ut diximus, conſtat duobus Burgimagiſtris & octodecim Scabinis, inter quos numeratur etiam Burgimagiſter ad res urbanas, qui & ipſe Scabinus eſt. ea ſiquidem Magiſtratuum hujus urbis vocabula. in qua dignitate erant anno 1587 Eduardus Dilſtius, Burgimagiſter ad res externas: Adrianus Heilwegius, Burgimagiſter urbanus: Iacobus Berchemius, Eques; Blaſius de Bejar; Michaël Cnobbartius; Ioannes Dammantius; Balthaſar Vlierdius; Ægidius Gerardi, Advocatus; Iacobus Sancta-crucius; Carolus Malinæus; Iodocus Stenius; Lancelottus Tſerartius; Nicolaus Steimborrius; Iacobus Daza; Adrianus Marſelarius; Lucas des Pomereaulx; Robertus Tucherus; Andreas Breuſegemius, & Nicolaus Mejerus, Scabini. Eſt autem Burgimagiſter vox Teuto-

nica,denotans caput ſive magiſtrum civium,latine,quidquid cavillentur aut ogganniant alii, proprie dixeris Conſulem. Scabinus,quæcumque demum commenta in contrarium poſſint adferri,vox eſt, meo judicio,gallicana, & invenio vetuſtiſſimam ejus memoriam apud Sabellicum, qui teſtatur, Carolum Magnum, cum in Friſia conſtituiſſet Iudices quoſdam arcanos in negotio religionis, tradita iis poteſtate ut ſummarie ac de plano, quod dicitur, hæreticos tollerent, nominaſſe ipſos Scabinos. Lego inſuper in annalibus Galliæ, quo tempore Rex Philippus ſecundus, cognomento Auguſtus, proficiſceretur ad ſacram expeditionem Hieroſolymitanam, anno nimirum 1189, Lutetiæ gubernandæ reliquiſſe Septem-viros quos vocarit Scabinos. quo nomine ſcilicet hodieque celebrantur non illius dumtaxat, ſed aliarum quoque complurium urbium Gallicarum Magiſtratus. Latine dixeris Senatores.

Primarius quidem & præcipuæ dignitatis horum noſtrorum Conſulum vulgo audit de Burgten-Burgmeeſter / id eſt, Burgimagiſter ad res externas. quia nempe præcipuum ejus munus peregre ſæpe abeſſe,& in aula cum Terræ Ordinibus incidentia quæque negotia pertractare. Alter vocatur de Binnen-burgmeeſter/ id eſt,Conſul internus,ſive ad res urbanas, proprium namque ejus officium in urbe ſemper adeſſe, gerereque præcipuam ejus regendæ curam, & civibus exteriſque præbere aures. Eſtque maxima ſane ſupremi hujus Magiſtratus in rempublicam omnem auctoritas, ut è ſequentibus paſſim conſtabit. ſed quod juſtitiam attinet, ſunt hic Regio nomine duo Vicarii,alter quidem in criminalibus, alter vero in cauſſis civilibus, quorum utrique dignitas fere confertur in vitam. dignitas, cui reliqui omnes Magiſtratus cedunt,& faſces ſubmittunt.

Vicarius capitalis, qui idem & eminentior, proprie quidem & præcipue nominatur Scultetus, de Schout: quia vero per hunc ipſum titulum juriſdictionem exercet in adſitos aliquot pagos, qui conſtituunt Marchionatum Rienſem,ſubditum Marchionatui Sacri Imperii, audit etiam Marchio, ſive Marcgravius, vulgo de Marckgraef/idque ad differentiam ſui Vicarii, qui communiter audit Scultetus, & Eraſmo Roterodamo Latine dicitur *Quæſtor parricidii*. Habet vero Marcgravius præter hunc ipſum

ipſum Vicarium etiam alios quoſdam Miniſtros, qui & ipſi pendent à Principe, eique ſacramento obſtricti ſunt. Marcgravii munus, ſatagere, ut carceri mancipentur facinoroſi, utque in carceratos Magiſtratus ille ſupremus pro tribunali ferat ſententiam, quam ipſe poſtea curet exequendam. prout ſuo infra loco diſtinctius explicabitur. fungitur impræſentiarum hac dignitate Henricus Tſerartius.

Vicarius rerum civilium Belgice audit den Ammam/ voce, quam ego Italice verterim *Podeſta*. ſedet autem pro tribunali loco & diebus ad hoc deſtinatis, & aguntur coram eo cauſſæ civiles. munus ejus, exhortari & interpellare Magiſtratum, ut reddat jus, & reorum (ut infra dicitur) impenſis ferat ſententiã, quam videlicet ipſe deinde exequitur. præeſt hodie muneri Ioannes Stradanus.

Subſunt Magiſtratui illi ſupremo varii magnæ dignitatis adminiſtri: ſed nos tantum agemus de primariis. & primo quidem ſunt duo Theſaurarii, ſeu mavis præfecti ærario, & unus Quæſtor: qui, ut populo ſatisfiat, eliguntur in totum triennium, idque hoc modo: eligit magiſtratus hodiernus è magiſtratu anni ſuperioris tres viros nobiles; quorum nomina ſcripto comprehenſa mittit Decurionibus artium. qui congregati hoc fine deligunt pro arbitrio, idque numeratis ſuffragiis, unum è tribus illis conſcriptis in Theſaurariũ primũ, ſive caput. contra vero in electione alterius Theſaurarii ſolent iidem illi Decuriones deligere tres è primariis Opidi civibus, eoſque Magiſtratui ſuo viciſſim proponere, qui unũ deinde ex illis in ſecundum Theſaurarium deligit. ſic & in creatione Quæſtoris Decuriones jam dicti nominant tres è præcipuis collegiorum ſuorũ viris, quos Magiſtratui tradunt in ſcriptis, iſq; unum ex illis tribus Quæſtoris munere cohoneſtat. atque hæc eſt trium illorum officialium eligendorum ratio. Iam quod ſpectat eorũ munus, penes Theſaurarios quidem eſt cura & adminiſtratio pecuniæ publicæ, & cenſuum aliorumque nominum publicorum exactio, nec ſine Conſulum tamen & Scabinorum conſcientia. funguntur hodie quidem hoc munere Caſpar Rovelaſchius & Ioſephus Smetius. Quæſtor vero eſt, ut ſic dixerim, Theſaurariorum menſarius, & vel expendit vel exigit ex eorum præſcripto. etſi ordinaria nomina ſolvat ipſe per ſe, referens inde ſingula in codicem ratio-

rationum. obit hodie munus quæstoris Ioannes Somergemius.

Habet inde Antverpia duos Pensionarios, sic dictos à pensione, sive salario, quod de publico ipsis statutum est, utrumque Doctorem, vel saltim Licentiatum, & politicæ rei intelligentem. quare adhibentur & in consilium, & siqua suboriatur difficultas, etiam ipsi deliberant, & opiniones suas Magistratui referunt. breviter, idem quasi istorum munus, quod eorum, qui in jure civili vocantur Syndici. satagunt enim atque procurant causas omnes urbanas, & quotiescumque postulat res, domi forisque habent orationem. unde & Consul ad res externas, siqua gravioris momenti negotia vel in aula vel cum terræ Ordinibus sint tractanda, alterum semper è Syndicis sibi assumit comitem, quem videlicet consulat, quique publico nomine rem proponat, & scripturas eo spectantes conficiat. sunt hodie Pensionarii Engelbertus Masius & Philippus Ayala.

Habet quatuor Graphiarios, quod vocabulum derivari videtur à Græco γράφειν, quia nempe præcipuum horum munus est scribere, ac sententias omnes & actus judiciales, in civilibus quidem, subscribere, litigantium postulationes referre in codices publicos, custodire jura & munimenta hinc inde producta, & habere supplicum libellorum aliorumque huc facientium curam. sunt hoc tempore Graphiarii Adrianus Diickius, Ioannes Ricbomius, Ioannes Iacobius, & Hieronymus Scarinus.

Habet quatuor à secretis, qui in absentia Syndicorum eadem fere cum illis obeunt munia, custodientes præterea parvum, quod vocant, sigillum, & conficientes venditionum atque id genus contractuum instrumenta, denique subscribentes criminalium rerum decretis. Secretarii hodie sunt Henricus Moyus, Dionysius Neesius, Georgius Kiefeldius, & Ioannes Bochius. habet officiales, ut sic dicam, majores. sunt inde conquisitores, scribæ, aliique velut minorum gentium administri, puta rhabdophorus ille, sive apparitor, quem dicunt de langeroep / quatuor viatores, korte-roepen / nuntii scilicet publici, & qui Senatorum mandata ad alios deferunt, tum quidquid præterea talium ministrorum est, quos brevitatis ergo prætereo.

Creat deinde Magistratus ille supremus per se, & sine ullis

ullis delegatorum ab aula ſuffragiis, magiſtratus omnes minores. & primo quidem è numero Decanorum, quos ſupra diximus eſſe quinquaginta & quatuor, deligit ſingulis annis duodenos Conſiliarios, viros honeſtiores & ad hanc functionem idoneos, nec omnibus tamen viginti & ſeptem artificum urbis collegiis dignitas illa communis, nam ſunt infimi quidam in iis cœtus, quibus numquam ad eam eſt aditus. ſunt deinde quæ tertio quoque anno; alia, quæ alternis annis prærogativam hanc obtinent, pro collegiorum videlicet conditione. atenim ſodalitates nautarum, inſtitorum & holitorum, quæ reliquas omnes auctoritate ſimul & vetuſtate præcedunt, ſingulæ ſuum quotannis habent conſiliarium. veniunt autem hi duodecim Senatores adlecti ſingulis ſeptimanis in curiam ad conſilium illud, quod vulgo vocatur dieilunæ, den Maen-daechſen-raed/ ubi cum gravitate ſimul & auctoritate Senatoribus aſſident, petitiones ſupplicum audiunt, ac de aliis quoque politiam & rempublicam concernentibus una cum illis cognoſcunt, libere ſuam quiſque ſuper omnibus quæ occurrunt dicentes ſententiam. quod ſi audierint forte ſiniſtras aliquas voces, vel & aliud quidvis, quod in publicam rem ſit, Magiſtratui habent exponere, id ſedulo etiam faciunt. In negotiis vero majoris momenti, velut infra videbimus, recurritur ad generale concilium civitatis univerſum populum repræſentans, quod vulgo appellant den Groeten den-raed.

Creat etiam Magiſtratum Hallarum (ita nuncupant Belgæ mercium quarumcumque vel & hominum receptacula) qui Magiſtratus conſtat duobus Decanis, velut capitibus, duobus Æſtimatoribus, vulgo Waerdeprus/ & octo Senioribus, Ouder-mannen/ quorum duos quidem oportet fuiſſe Scabinos, graphiario item, & minoribus aliquot adminiſtris. Eunt vero ad hunc Magiſtratum cauſſæ omnes & lites, quæ vel ex lana oriuntur, vel quibuſcumque rebus ex illa confectis, & ullatenus eo ſpectantibus, pannis puta, aulæis, alumine, glaſto, rubia & ſimilibus mercibus. datur tamen ab hoc magiſtratu ad ſupremum illum provocatio. Decani in eo hodie ſunt Ioannes Schoonhovius & Theodoricus Wervius, uterque Eques. Æſtimatores, Dominicus Herdius & Ludovicus Wervius. Seniores, qui & Scabini dicuntur, Ioan-

nes Brechtus, Petrus Liranus, Arnoldus Schutius, Philippus Vrſelius, Andreas Gerardi, Petrus Gemerenus, Daniel Ranſtus & Ægidius Mera. graphiarius eſt Cornelius Diickius.

Creant inſuper duos procuratores, quos Latine dicam Ædiles Curules, ipſi vero indigetant Vieur-meeſters: atque horum utrumque oportet fuiſſe Scabinum. quibus tertium inde adjungit Princeps: ipſi vero per annonæ difficultatem unum & item alterum civem in auxilium ſibi adſciſcunt. munus eorum in primis, uti curam gerant eorum quæ ſpectant ad victum, efficiantque ut panis vendatur ad juſtum pondus, vinum atque cervia æquis pretiis, carnes & reliqui cibi recentes ſint atque ſinceri. Verbi gratia, die ſabbathi, qui potiſſimum deſtinatus eſt mercatui frumentorum, ſtatuit pani Ædilis in futuram hebdomadam certum pondus, idque pro ratione pretii quo illo die in foro veniit triticum, ſive ſecale. ſi ergo circummiens & tabernas piſtorias viſitans commiſſam inveniat aliquam fraudem, ilicet præſto eſt multa. reverſus autem à foro ad curiam pretia illa frumenti refert in tabulas publicas. ad quas, ſi dubitari contingat de præteriti temporis pretiis, poteſt recurri, & poſtulante neceſſitate, plurimis rebus provideri. Itaque pani quidem communi & vino atque cervifiæ conſtitutum eſt certum aliquod pretium: carnibus vero non item, ſed neque reliquis ullis cibariis. qui graviſſimus ſane eſt error; nam utcumque magna ſit omnium rerum abundantia, ſit tamen ut magna quoque ſit omnium rerum caritas. cauſſantur ipſi frequentiam & confuſionem exterorum. hodierni Ædiles ſunt Ægidius Happart & Antonius Berchemius. Vicarius, Thomas Liranus.

Creat etiam quatuor Iudices ſuper re pupillari, quorum itidem duos oportet fuiſſe Scabinos. hi vulgo vocantur Weeſ-meeſters/ quod ad verbum eſt Magiſtri orphanorum, quia nempe gerunt tutelam eorum & curam. ſunt in hac dignitate Guiljelmus Schoitius, Ioannes Papius, Nicolaus Herdius, & Ioannes Tackius.

Creat quatuor Iudices una cum Graphiario ſuper componendis injuriis & inimicitiis, quibus vulgo nomen de Pepſ-makers/ Latine Pacificatoribus. hodie dignitatem hanc obtinent Henricus Halmalius, Paulus

Liranus,

Liranus, Nicolaus Mechlinius, & Henricus Vanetten.

Creat duos Æditimos, Kerck-meesters / viros graves, honestos & qui fuerint aliquamdo Scabini. his autem incumbit cura fabricæ templi cathedralis Beatæ Mariæ & impensarum quæ ordinarie quidem in eam fiunt. quemadmodum & duodecim priores è supremo Magistratu Scabini, singuli curam gerunt loci alicujus pii, quæ communiter appellantur domus Dei, qualia sunt cœnobium illud beginarum, quas vocant, Nosocomium, & alia. reliqui sex Scabini ignis rationem habent, & nequa in urbe oriantur incendia, vel exorta mox restinguantur.

Creat quotannis etiam Magistratus, idque in futurum biennium, binos eleemosynarum collectores, instaurando nimirum quaternioni honestiorum illorum & non opibus magis, quam probitate spectabilium civium, qui ordinarie istud munus exercent, & magna cum sedulitate gratiaque stipem quotidie, sed præsertim diebus festis, tum per alia passim urbis loca, tum per templa imprimis, à populo eunt collectum. erogantes postea illud ipsum quod corrogarunt, & triginta mille ducatos annuatim excedit, juxta leges consuetas, & sua ipsorum fide atque judicio, in egenos occultos & qui domi se tenuiter continent, tum & in Nosocomia, aliaque pietati dicata loca. quas tam sanctas & pias actiones, non minori cura, quam zelo, quatuor-viri illi obeunt, supplentes abunde de suo siquid pauperum usibus deest. atque hac ipsa collecta, tum ditiorum quorumdam legatis, & perpetuis aliquot censibus, horsum etiam destinatis, pauperibus ita prospicitur, ut interdicatur iis deinde, ne ostiatim mendicent, aut cuiquam molesti sint, nisi statis quibusdam horis dierum festorum. Accedit, quod nutriantur hic usque ad certam ætatem magna frequentia tenuiorum hominum liberi, qui vel dantur præfectis in fidem, vel in templis pietati prudentiæque ipsorum exponuntur, quosque applicant inde præfecti ad artes & opificia, & tam maribus tandem quam fœminis, magna sua cum laude, de honesta conditione prospiciunt.

Creat insuper Magistratus supremus in singulos urbis vicos, vel si mavis regiones, & biennium proximum,

binos civium duces, quos vulgo appellant Wijck meesters: cumque vici sint numero tredecim, duces fiunt viginti sex, qui à Senatu accipiunt quatuor viros nobiles in supremos Præfectos & veluti protectores. hi (ut dictum est) vulgo audiunt Hooft-mannen / & ubicumque res postulat Vicomagistris adsunt, in senatu pro iis postulant, aliaque id genus officia quædam præstant, simili multis in rebus auctoritate (si fas est parva magnis conferre) qua olim apud Romanos tribuni plebis. præter autem hos quatuor Protectores habent etiam singuli vici binos quosdam præfectos ex honestiore civium numero, qui Vico-magistris succurrant. & constituunt Duces isti viginti sex una cum quatuor illis Præfectis supremis tertium Status Antverpiensis membrum. etsi autem in biennium singuli deligantur, ita tamen ea in re proceditur, ut renovetur quotannis dimidiatus eorum numerus, idque hoc modo: tredecim è viginti sex ducibus, singuli nempe in singulos vicos, post exactum in præfectura sua biennium, tradere solent Magistratui numerum certum virorum in suo cujusque vico degentium, & ad hoc munus idoneorum, ex quo ipso numero eligit pro auctoritate sua Senatus tredecim Vico-magistros in biennium proximum præfuturos. idque singulis annis sic observatur, quo videlicet Duces veterani tirones advenientes informent. Vico-magistrorum vero & Præfectorum illorum officium in eo maxime versatur, quod videlicet habeant rationem atque catalogum virorum in suis vicis bello & armis aptorum, eosque quando & quocumque opus est convocent coadunentque. sicuti rursus illi cives ad sui quisque Vico-magistri nutum sese debent armare, & sub signis eos quocumque vocaverint sequi, idque non modo de die, verum etiam noctu. ita ut sit magni momenti hoc munus, & tertium (uti jam diximus) Status Antverpiensis membrum. subsunt inde singulis ducibus sui centuriones: centurionibus rursus decuriones & alii quidam ministri, optimis hercle & inviolabiliter observatis legibus.

Creat denique Magistratus quatuor illos & quinquaginta Decanos collegiorum artificum, quos supra docuimus constituere quartum & ultimum Status membrum. & ratio quidem eos creandi eccista. congregan-

tur

tur seorsim quotquot sunt uniuscujusque collegii membra locis in eam rem destinatis, & dilectos è cœtibus suis senos viros, quos functioni maxime censent idoneos, magistratui tradunt in scriptis. is binos inde sibi acceptos in annum illum Decanos designat. designati vero adsciscunt sibi è præcipuis suæ sodalitatis totidem adsessores, qui fungantur eodem fere cum ipsis officio, ideoque Consuli etiam præstant juramentum fidelitatis & observantiæ. munus Decanorum & collegarum, convenire in domo Senatoria, quotiescumque habetur senatus ille generalis, cujus supra meminimus, agere ibi cum reliquis membris, & cum curialibus suis acta conferre: providere, ut qui cooptantur in curiam, edant prius artificii simul & fidei specimen: procurare mutuam inter curiales concordiam, deque dato vicissim & accepto inter collitigantes cognoscere, eos pacare, & ab omni violentia ex æquo & bono sartos tectosque præstare. Dividuntur ad præsens curiæ istæ, sive collegia, in viginti & septem membra, sub quorum singulis comprehenduntur plura opificum genera. inter omnia autem antiquissimum juxta & dignissimum illud nautarum, quorum scilicet magna ex parte sunt naves quas in anchoris fere videmus ad ipsam urbem, paratas non in varias modo Belgicæ & Britanniæ partes, sed in omnes quoque terrarum tractus trajicere. ditissimum vero & numerosissimum est collegium institorum. complectitur enim omnes non solum opifices, verum & heminarios mercatores, vel si mavis propolas pannorum auro & argento intertextorum, tum sericorum quoque & laneorum, & ex alia quavis materie. denique omnium rerum quæ minutim, & ad mensuram, quod dicunt, ac minoris etiam trutinæ pondus solent venire. tenentur vero collegiorum præfecti in ipso muneris sui exodio reddere administrationis suæ rationem, idque coram duobus Scabinis & Secretario, qui siquid curialium aliquis cum præfectis expostulet, vel suboriatur alia quævis inter eos molestia, conantur eam reprimere, & discordiam omnem componere: quod si nequeant forte, vel interdum & nolint, deferunt rem ad Senatum, qui decretorie mox eam decidit. Atque hi sunt præcipui illi magistratus atque officia, quos quæque supremus ille urbis Senatus creat & confert. alia

quædam minora, quod videlicet parvi momenti sint, consulto hic præterimus.

Habet eadem urbs, cum alios sane complures, tum septem præcipue medicos physicos, è clarissimis simul & maxime veteranis ejus scientiæ professoribus, juratos & stipendio publico cohonestatos. quorum duo novissimi obligati sunt bis vel ter in hebdomade ad Nosocomium accedere & ægrotos inibi gratis seduloque & ex caritatis præscripto curare. explent hodie septenarium illum numerum Segericus Coblegerus; Cornelius Spiringius; Ioannes Goropius Becanus; Lambertus Gualterus Rithusius; Gerardus Bergius; Lambertus Tulius, & Petrus Caoulius. mortuis ante postremam hujus libri editionem supradictis omnibus Medicis, invenio quidem, Magistratum alios quosdam suffeciſſe, & inter eos præcipuum Guiljelmum Petri, virum longe doctissimum: sed non adimpleviſſe tamen ordinarium illum numerum. voluerunt etiam collegio huic adscribere Doctorem Alvarum Nonium, natum quidem in Lusitania, at jam inde è puero educatum in hisce Provinciis, idque ob magnam viri experientiam cum insigni quadam eruditione conjunctam, tum & præclara jam inde à multo tempore, non professionis suæ dumtaxat nomine, sed in aliis quoque non parvi momenti rebus; in rempublicam merita: verum cum nihilominus esset extraneus, & ipse modeste se excusaret, fuit à petitione hac absolutus. idem vir, præter eximiam eruditionem & idioma suum vernaculum, sex ut minimum linguis ac nobilissimis quidem dotatus est, quas sermone simul & scriptione non aliter quam vernaculum exprimit. rem profecto insignem & prorsus mirabilem! Habet etiam urbs septem chirurgos, juraros item & certis quibusdam diebus obligatos nosocomia invisere, & infirmis operam suam gratis impendere. habet decempedatores; materiarios; cæmentarios; serarios alioſque id genus opifices, peritia simul & fide laudabiles. quin & obstetrices quasdam idoneas & jurejurando sibi obstrictas. quibus omnibus stipendia numerantur de publico, quo videlicet nemini civium desit, quo, urgente necessitate, tuto promteque confugiat.

Habet, præter hæc omnia, sex illa Collegia militaria, quæ vulgo vocant de Gilden/ & Italice dixerim

Confrater-

*Confraternita*, quorum quodque, ex noviſſimæ legis præſcripto, conſtare oportet ducenis hominibus, à Collegii Capite deligendis. cujus Capitis ea hic eſt auctoritas, ut quemcumque civium in collegium cooptarit, is, niſi legitima ratione, ſe excuſare non poſſit. ac duo quidem ſunt collegia arcubaliſtrariorum, veterum ſcilicet, atque recentiorum: totidem ſagittariorum: unum ſclopetariorum: ſextum denique eſt illud Xiphomachæromachorum. ſed præeminet cæteris omnibus illud arcubaliſtæ veteris: cujus ſodales non Antverpiæ tantum, ſed in cæteris quoque Brabantiæ urbibus, olim & cum non niſi hanc unicam ditionem poſſiderent hi Duces, neque magna eſſet eorum potentia, iis erant pro ſtipatoribus & militibus prætorianis. verbi gratia, ſi Antverpia Dux proficiſci vellet Bruxellam, deducebatur ab Antverpienſibus veteris arcubaliſtæ ſodalibus uſque ad opidum proximum, puta Mechliniam: inde à Mechlinienſibus porro Bruxellam. ſunt autem propter hoc ipſum officium ſodalitia iſta multis magniſque privilegiis à Principibus ſuis olim cohoneſtata, quare, ſi poſcerentur, vel nunc eamdem illis navaturi ſint operam. Præſunt ſingulis cœtibus duo Decani una cum ſuis Vicariis, qui à ſodalibus quidem eliguntur, ſed approbantur à Magiſtratu. habent præterea nobilem aliquem virum, ſive patricium, ſibi in protectorem, quem vernacule nuncupant Hooſd-man: & ſclopetariis quidem hodie præeſt Ioannes Schoonhovius, patricius vetus; xiphomachæromachis vero Dominus Champagnius, uterque in vitam. utrumque collegium arcubaliſtrariorum perpetuum Caput agnoſcit Burgimagiſtrum ad res externas; ſagittariorum, illum ad res urbanas. Creat autem quotannis unumquodque collegium certum aliquem regem, qui ſodalium omnium caput eſt. fit autem rex, is, qui ad conſtitutum diem ſignum, id eſt, pſittacum quemdam è ligno, ſtipiti prælto infixum, ſclopo, ſcorpioneve aut arcu etiam dejicit, vel denique xiphomachæra publice edit virtutis & præſtantiæ ſuæ ſpecimen. facto rege, ad convivandum ſe dant, & magnifice epulandum, idque collegiorum maxime ſumtibus, quibus aſſignati jam ab antiquo annui quidam proventus. auſpicantur hanc regum creationem dominica prima poſt Divi Ioannis, & pergunt deinde

deinde per dominicas aliquot insequentes, donec omnes tandem creati sint, ita ut longo satis tempore durent hi ludi. exercent se quoque diebus festis in spatiosis quibusdam & jaculatoriis campis, qui de publico ipsis assignati sunt, eo quisque armorum genere, quod professio sua præscribit, & præmia, licet victoribus tantum proposita, hilariter inter sese absumunt. principales eorum partes, ut si rumor aliquis intus foriſve de hoste, vel seditionis aut alterius mali suspicio, excubias agant ad curiam, mœnia, portas, aliaque præcipui urbis loca. quin & arripiunt aliquando portarum claves, ut nempe aperiant eas & claudant, cum lubet, sed in curiam tamen sollenniter referant. sunt denique velut arbitri quidam inter Magistratum & populum, siquid forte inter utrumque diffidii. in summa sunt quasi præsidiarii quidam milites, sed nempe civiles atque domestici, quia plærique omnes cives Antverpienses, & quidem honesti loci, nec admittuntur nisi à vigesimo usque ad sexagesimum ætatis annum, & infamiæ omnis expertes. Sunt deinde in urbe sodalitates Circumcisionis, Sacelli Beatæ Virginis, Sanctæ Crucis, & quas alias supra commemoravimus.

Præter cœtus hucusque nobis enumeratos, sunt Antverpiæ tria Collegia rhetorum rhytmicorum. quorum primo Violæ nomen est, vulgo de Violiere: alteri, Calthæ, de Goud-bloem: tertio denique ramo Olivæ, den Olijf-tack. instituta sunt autem ut certis anni temporibus & pro occasionum diversitate, in publicis auditoriis, Græcorum & Romanorum exemplo, comœdias repræsentent, aliasque id genus ethicas & politicas actiones, populo non docendo minus quam delectando. nam spectantur hic sæpe atque discuntur salutaria quædam & utilia monita. Primarium inter hæc tria & cæteris magis antiquum est Collegium Violæ, cujus omnes fere sodales, pictores, qui in omnibus sane actionibus produnt acrimoniæ & ingenii sui dotes. Quia vero & utilis simul & honesti adspectu, magni in primis momenti res est pictura, & non Antverpiæ tantum atque Mechliniæ, ubi magis quam alibi usquam viget, sed per totam Belgicam admodum celebris & fructuosa, non videtur ab instituto nostro fore alienum, si recitaverimus aliquot, partim superstites, partim vita

jam

jam functos viros, qui potiſſimum eam in hoc tractu propagarint & illuſtrarint. Primum itaque dico, plures in ſola hac Belgica eſſe omnium generum atque profeſſionum pictores, quam in aliis multis provinciis ſimul: cumque adeo magnus ſit artificum numerus, & creberrima conſequenter artis exercitatio, non poſſe, quin & olim inter eos inventi ſint, & hodieque inveniantur complures, arte & inventione eximii. ac præcipui quidem maximeque illuſtres, eorum qui fatis non ita pridem conceſſerunt, fuere: Ioannes Eickius, is, qui (ut in pulcherrimo de Illuſtribus pictoribus opere narrat Georgius Vaſarius Aretinus) anno circiter milleſimo quadringenteſimo decimo, omnium primus invenit colorum oleo temperandorum rationem. rem in hac arte præclaram & vel maxime momentoſam! reddit enim colores pæne perpetuos, nec, quod ad notitiam quidem noſtram pervenerit, & memoria hominum poſſit intelligi, umquam antea fuit inventa. Miſit Eickius quædam opera ſua in noſtram Italiam, ad magnum illum Alfonſum, Regem Neapolis; ad Ducem Vrbini, & alios inibi Principes; apud quos quia plurimi fierent, etiam magnus ille Laurentius Medices poſtea conquiſivit eorum partem. extat autem in hiſce Provinciis, inter alia viri opera, Gandavi ad Sancti Bavonis, præſtantiſſima illa tabula, qua repræſentatur triumphus Agni Dei, etſi quidam improprie dicant Adami & Evæ: opus ſane præclarum & admirandum! adeo quidem ut Rex Philippus, cum magnopere illud deſideraret, nec auderet tamen inde auferre, juſſerit nuper deſcribi, amandandum hinc in Hiſpaniam, ab eximio illo Michaële Coxia, qui cum biennium præterpropter in eam rem impendiſſet, & Regi ex voto ſatisfeciſſet, præter alia quædam emolumenta, & pro ſolo dumtaxat manupretio, ab eo accepit, ex quatuor artis profeſſorum ſententia, duo millia ducatorum: cumque nondum etiam acquieſceret, majori poſtea liberalitate in hominem uſus eſt Rex. ſed ad Eickium noſtrum. cujus etiam Brugis ad Divi Donatiani pulcherrima quædam conſpicitur tabula, & in ea Deipara Virgo, cum aliis Divis. Eſt & Ipris alia quædam ejus tabula, ſcita valde & memorabilis. egit autem Ioannes magnam vitæ partem Brugis Flandrorum, urbe tunc temporis florentiſſima, ubi tandem in celebri

celebri fama naturæ conceſſit. æquabat eum Hubertus frater, qui & vixit eodem ævo, & perpetuam fere fratri in iiſdem operibus operam præſtitit. Ioanni & fratri in arte ſimul & laude ſucceſſit Rogerius Weidius Bruxellenſis, qui inter alia pinxit quatuor illas præſtantiſſimas tabulas admirandæ cujuſdam hiſtoriæ ſuper adminiſtranda juſtitia, quas hodieque videre eſt in Curia Bruxellenſi, loco in quo diſceptantur & ventilantur cauſſæ. Rogerio rurſus ſucceſſit Hauſſius, is qui Portinariis fecit pulcherrimam illam picturam, quam hodie poſſidet Dux Florentiæ, quin & ipſi familæ Medicææ depinxit tabulam elegantem Carregii. Secuti ſunt hos Ludovicus Lovanienſis, Petrus Criſta, Martinus Hollandus & Iuſtus Gandenſis, qui Duci Vrbinatenſi fecit egregiam illam picturam Chriſti cum Apoſtolis accumbentis & celebrantis ultimam illam cœnam. Iuſtum excepit Hugo Antverpienſis, is qui tabulam illam pinxit, quam videre eſt apud Florentinos ad Divæ Mariæ Novæ. Subjungemus deinde ſaltuatim alios quoſdam defunctos, claros & raros artifices. ac primo quidem Theodorum Lovanienſem, Quintinum, eodem opido, magnum artificem figurarum, cujus inter cætera eſt egregia illa effigies Servatoris in templo Deiparæ Virginis hac ipſa Antverpienſi urbe. Iodocum Clivium, civem Antverpienſem, rarum in colorando, in effingendo vero ad vivum ita præſtantem, ut miſſis à rege Franciſco primo certis hominibus, qui artificem aliquem excellentem ad aulam illam adducerent, electus fuerit noſter Iodocus, & in Galliam hinc abductus, ubi Regem, Reginam, & Principes quoſdam ſumma cum laude effinxit, magnis propterea honorariis ab iiſdem affectus. Hieronymum Boſſchium, Buſcoducenſem, clarum & admirabilem plane in excogitandis rebus facetis atque phantaſticis. Bernardum Bruxellenſem: Ioannem Berum: Matthiam Coquum Antverpienſem: Ioannem Hemſſenium, haud procul Antverpia: Simonem Benningium, peritiſſimum artificem miniandi: Gerardum, coloratorem, vel ut vocant illuminatorem eximium, & Lancelottum in exprimendo ad vivum igni & incendio aliquo, velut Trojano, prorſus mirabilem, omnes Brugenſes: Ioannem Mabuſium, eum, qui omnium primus ex Italia in has oras invexit rationem il-

lam

Iam qua in hiſtoriis & fictionibus poëticis depinguntur effiigies nudæ. fecit hic inter alia tabulam illam eximiam, quæ monſtratur in magna Abbatia Middelburgenſi. ſequuntur Ioannes Cornelii Amſterodamus, pictor egregius: Lambertus, item Amſterodamus: Ioannes Scorelius, Canonicus Vltra-jectinus, pictor Hadriani Sexti, Pontificis Maximi, idemque architectus clariſſimus, qui & ipſe non paucas inventiones & novos pingendi modos ex Italia ſecum attulit: Simon Marinionenſis, dòmo Valentianis, pictura ſimul & litteratura inſignis: Ioachimus Pattenerius Bovinenſis: Henricus Dinantius: Ioannes Bellogambius, Duacenſis: Theodorus Harlemenſis, & Franciſcus Moſtardus, itidem Harlemenſis; rarus in exprimendis colore oleario regionibus: Petrus Coucquius Aloſtanus, magnus in excogitandis archetypis aulæorum, cui peculiariter laudi adſcribitur, quod ex Italia primus attulerit canonem architecturæ & in hanc linguam tranſtulerit egregium illud opus Sebaſtiani Serlii Bononienſis, magno, ut prædicant, regionum iſtarum commodo: Ioannes Calciacenſis, qui cum ageret in Italia, inibi tandem extinctus eſt: Carolus Iprenſis: Marinus Zirizæus, & Lucas Huremboutius Gandavenſis, pictor & illuminator eximius. Veniunt autem in hanc laudem etiam fœminæ, quarum tres modo recitaturus ſum. & prima quidem fuit Suſanna, dicti Lucæ Huremboutii ſoror, quæ cum in omni pictura, tum in tenuiſſimis illis opuſculis & illuminandi induſtria ſupra omnem fidem excelluit, adeo quidem ut Magnus ille Henricus Octavus magnis donis & honorariis eam in Angliam ſuam attraxerit, ubi in ſumma omnium gratia annos complures vixit, & non opibus modo, ſed honoribus etiam aucta tandem deceſſit. Alteram pono Claram Cæſaream, itidem Gandavenſem, pictricem & illuminatricem egregiam, quæ octoginta ipſos annos exegit in ſevera virginitate. tertia denique fuit Anna, filia Segerici, doctoris illius medici, cujus ſupra fit mentio, & civis Antverpienſis, etſi ortu Bredani, quæ & ipſa virgo nuper deceſſit, virtute & pietate inſignis. Veniamus vero deinceps ad eos, qui hodieque ſuperſtites. inter quos primus occurrit Franſciſcus Florentius, pictor in iis quæ tangunt propriam ejus profeſſionem, inveniendi nempe & deſignandi,

gnandi, in tantum excellens, ut cis montes quidem & per tot tantaſque Provincias fortaſſe non habeat ſibi parem, eſt enim revera & artifex ſingularis, & vir ad omnem humanitatem & elegantiam factus, cui palma tribuitur, quod ex Italia primus attulerit ſpecimen exprimendi ad vivum & mirabili quadam dexteritate muſculos omnes & cutem humani corporis. ſequitur hinc Guiljelmus Cajus Bredanus, civis Antverpienſis, hiſtoriarum quidem pictor egregius, ſed in exprimendo ad vivum plane ſingularis, idemque ſobrius, ſeverus, & acuti ingenii vir. cujus nepos Adrianus Thomas Cajus ita in arte eſt felix, ut, meo quidem judicio, in addenda operibus ſuis quadam vivacitate, patruum etiam ſuperet. Ioannes Quintinus, ſupradicti Quintini Lovanienſis filius: Martinus Voſſius, colorandi & inveniendi, tum & efformandi ad vivum mirifice felix: Antonius Wingardus, magnus pictor, & in adumbrandis regionibus valde induſtrius; & Iacobus Grimmerus, omnes Antverpienſes. Ægidius Coignettus: Michaël Coxia, cujus & ſupra meminimus, homo revera rarus & magni in arte nominis, unde & opera ejus in magno paſſim æſtimio: Ioannes Bollius, regionum colore oleario effingendarum mirificus artifex: Criſpinianus; & Henricus Paludanus, Franciſci Florentii diſcipulus, etiamnum adoleſcens, ſed magni & acris ingenii, qui cum aliquamdiu egiſſet apud Ducem Florentiæ, poſtea Romam ſe contulit: omnes Mechlinienſes. Antonius Morus, Vltrajectinus, pictor Regis Philippi, & celeberrimus ſane ac præſtantiſſimus artifex, in exprimendo præſertim ad vivum, quod quidem ea promtitudine facit atque vivacitate, ut omnes rapiat in ſui admirationem, dotatus præterea etiam aliis multis virtutibus, arti inſigniter conſonis. Lambertus Lombardus, Leodicenſis, vir magni nominis, eruditus & exacti judicii, nec egregius tantum pictor, ſed magnus etiam architectus, prædictorum Franciſci Florentii & Guiljelmi Caji olim præceptor. hic inter alias ſuas virtutes, magnus imprimis amator eſt nummorum veterum, quos magno jam numero conquiſivit, indieſque etiamnum conquirit. Petrus Breugelius, Bredanus, ſedulus imitator elegantiarum Hieronymi Boſſchii, unde & acquiſivit ſecundi Hieronymi Boſſchii cognomentum. Petrus

Arnoldi,

Arnoldi, cognomento Longus, Amſterodamenſis, clari nominis & ingenii artifex, cujus eſt egregia illa pictura in templo Divæ Virginis & eadem Amſterodamenſi urbe, quæ una cum ornamentis conſtitit fere duobus millibus coronatorum. Martinus Hemſkerckius Batavus, Ioannis Schorelii quondam diſcipulus. Lambertus Nortius, Amerſfordienſis, pictor & architectus excellens. Ægidius Moſtardus, ſuperioris Franciſci frater. Petrus Pourbuſſius, cujus filius in diſciplina Franciſci Florentii, etſi multum adoleſcentulus, magnæ tamen jamnunc expectationis eſt. Georgius Hoefnaglius, licet admodum juvenis, in miniando pæne eſt unicus, nec in effingendo ad vivum poſtremus, quare & magno auctoramento agit apud Ducem Bavariæ. Ioannes Vredemannus Friſius, & tot præterea artifices ac ſummæ ſpei adoleſcentes, ut ſi voluerimus ſingillatim eos enumerare, opus futurum ſit juſto volumine. Iam quod fœminas attinet, quatuor etiam recenſebo, quæ hodieque ſuperſtites: & prima quidem Dævina eſt, magiſtri Simonis Brugenſis filia, quæ in miniando, non ſecus quam parens, ea eſt excellentia atque felicitate, ut idem ille Henricus Octavus, magnis præmiis eam ſollicitaverit, & in aulam ſuam pellexerit, ubi & poſtea ſplendide nupta eſt. fuit eadem in flagranti gratia apud reginam Mariam: dilectiſſima impræſentiarum Eliſabethæ. altera eſt Catharina, filia dicti Ioannis Hemſſenii, & uxor Magiſtri Chriſtiani, inſignis illius fidicinis, quod conjugum par, ob raras illas virtutes, in Hiſpaniam ſecum avexit regina Hungariæ, & priuſquam moreretur, legavit unde uterque vivere poſſet. tertia eſt Maria Beſſemeria, Mechlinienſis, ſupradicti magiſtri Petri Couquii vidua. quarta denique Anna Smiteria, Gandavenſis, pictrix & illuminatrix eximia. ſparſa autem ſunt pictorum iſtorum opera non per Belgicas modo Provincias, ſed & maximam partem orbis terrarum, reditque negotiatoribus non contemnendus ex iis quæſtus. Sed ex æquo erit, etiam encauſtas aliquot, ſeu pictores, ut ſic dixerim, vitriarios, eoſque eximios tantum, referre: tum quod luculenta imprimis & magni momenti ſit ipſa ars, tum quod à Belgis ea, referente jam dicto Vaſario, ad culmen perfectionis perducta: cum, nequid dicam de pulchritudine & vivacitate illa colorum,

rum, iſti excogitaverint rationē qua ita inuri poſſint vitro, ut nec aqua, nec vento, nec temporis etiam lapſu umquam evaneſcant. quod fiebat, cum gummi & neſcio qua alia mixtione temperarētur. quin & vitreas plumbo committendi modum iidem Belgæ commenti ſunt. primarii itaque artis profeſſores fuere, Arnoldus Hortius, Noviomagenſis, & Opidi hujus civis, magnus delineationum Italicarum imitator, & rationis colorum vitro cryſtallino inurendorum primus inventor. Theodorus Iacobi Felartius, artifex præſtantiſſimus, & inventionum plane mirabilis. Theodorus Staſſus, Campenſis. Ioannes Acquius, Antverpienſis, qui vitreas illas Bruxellis in æde primaria Divæ Gudilæ & Sacello Sacramenti tam accurate depinxit, & Cornelius Buſcoducenſis. Florent hodieque Cornelius Dalius, qui artificio quodam ſingulari non vitro tantum, ſed & cryſtallo, ita quoſvis coloris inurit, ut videantur oleo temperati eſſe, tum & elegans deſignator eſt. Iodocus Veregius, artifex peritiſſimus, & maximi in hoc genere nominis, agens apud Imperatorem, & Iacobus Florentius, omnes Antverpienſes. Ioannes Staſſus, Theodori jam dicti filius, & paternæ virtuti probe reſpondens, & Ioannes Zelius Vltrajectinus. Sed nec in Architectura atque ſculptura defuerunt hic umquam viri illuſtres & memoria digni. quales adeo nuper Sebaſtianus Ojus, Vltrajectinus, architectus clariſſimus Caroli Quinti Imperatoris, ac deinde Philippi Regis, qui magna ſua cum laude deſignavit Heſdinum, Carolomontium atque Philippovillam, opida limitanea ſanequam munitiſſima. Guilielmus Ceurius, Goudanus, architectus quidem admodum bonus, at melior etiam ſculptor. Ioannes Dalius, ſculptor ſimul & vates elegantiſſimus. Lucas Leidius, magnus chalcographus, & Guiljelmus Antverpienſis, architectus famoſus. Hodie vivunt vigentque Iacobus Breuquius, natus ad Divi Audomari, vir nobili ſtirpe, & cum ſculptor, tum architectus eximius, qui Reginæ Hungariæ, Belgicæ tunc gubernatrici deformavit Boſſutum, Mariæmontium, aliaque ſuperba quædam ædificia. Ioannes Bologna, Duacenſis, ejus diſcipulus, & hodieque longe clariſſimus, agens apud Principem Florentinorum. Ioannes Heerius, dictus Mijnſ heeren/Gandavenſis, architectus & ſculptor inſignis, cujus & filius,

Lucas,

Lucas, vir & pictor egregius, ac complurium rerum inventor, etiam in poëſi excellit. Matthæus Mandemakerus, Antverpienſis, ſculptor clariſſimus, in ſtipendio Regis Romanorum. Cornelius Florentius Franciſci Florentii frater architectus & ſculptor eximius, idemque diligens valde & officioſus vir, cui adſcribitur illa laus, quod ex Italia omnium primus in has oras intulerit artē exprimendi ad vivum internas ſpecuum partes, quod genus Itali vocant *grotteſcas*. Henricus Paſchenus, Antverpienſis, architectus perquam eximius, qui deſignavit palatium illud & promtuarium Hanſæ Teutonicæ, poſteaque vocatus fuit Londinum ad delineandam celebrem illam burſam, cujus ſupra facta eſt mentio. Lambertus Suavius, Leodicenſis, architectus præſtabilis, & idem ſingularis chalcographus. Iacobus Iongelingius, Antverpienſis, ſculptor & ſtatuarius valde excellens, qui nuper ex ære effinxit ſtatuas illas mirabiles, imo prorſus ſtupendas ſeptem Planetarum & Liberi patris, quas, ceu opus quoddam perrarum, Magiſtratus Antverpienſis dono dedit Principi Parmæ. Guiljelmus Paludanus, frater Henrici jam dicti, magnus & accuratus ſculptor, cujus filius Raphael, magni etiam nominis artifex. Ioannes Sartius, Neomagenſis, ſculptor egregius. Simon Delphenſis & Iodocus Ianſonius Amſtelodamenſis, ſculptores eximii. Georgius Robinus, Iprenſis. Theodorus Volcardi Cornhertius & Philippus Gallæus, ambo Harlemenſes, & chalcographi elegantiſſimi. tum & alii plurimi, quos longum ſit recenſere. Atque hi quidem pictores & artifices cæteri, alius addiſcendi, alius antiquitatum ſpectandi & primarios earumdem artium profeſſores cognoſcendi, alius denique fortunam ſibi fabricandi & innoteſcendi gratia, plerique omnes viderunt Italiam, unde, poſteaquam animo factum eſt ſatis, revertuntur plerumque in patriam, arte, opibus & honore auctiores. & hinc porro ſparguntur artifices per Britanniam, per univerſam Germaniam, præſertim vero per Daniam, Sueciam, Norvegiam, Poloniam, aliaſque regiones ſeptemtrionales, adeoque per ipſam Moſcoviam. ne quid interim dicam de iis, qui Galliam Hiſpaniam atque Luſitaniam petunt, à Principibus nempe & Rebuſpublicis aliiſque Dynaſtis, magnis ut plurimum honorariis auctorati.

Sed

Sed ut redeamus ad ſtatum Antverpienſem, dico, non poſſe deliberari de re aliqua gravi & momentoſa, ſive Principem ea tangat, ſive & ipſam urbem, niſi quatuor illa ſupra nobis deſcripta membra unanimiter inter ſeſe conſentiant. qui conſenſus ita ſolet præſtari: convocat Magiſtratus ille ſupremus in curiam publicam conſilium illud, quod vocant magnum, & ex iis perſonis, quæ in quatuor ipſis membris magiſtratu funguntur, conſtat. hic alter è Syndicis propoſiturus eſt, verbi gratia, Principem poſtulare ſubſidium aliquod militare: vel neceſſum eſſe, ut augeantur exactiones vinariæ, vel quid aliud tale. facta propoſitione, tria membra primaria ſeparatum dumtaxat conſultare habent, & plurium ſuffragiorum auctoritate decernere: ſed Decani artificum, conſtituentes, ut diximus, membrum quartum, oportet ut convocent omnes, aut ſaltem pleroſque collegiorum ſuorum tribules, quibuſcum in unum locū coactis conferunt rem in Senatu propoſitam. ubi libere quiſque dicit ſententiam. quo facto, poſt varias altercationes, tandem concluditur. hanc concluſionem Decuriones referunt ad Senatum, quem ſemel quidem aut iterum, vel & pluries aliquando accedunt, prout varie diſceptatur & controvertitur ipſum negotium. Si non conſentiunt quatuor membra, nihil omnino poteſt decerni. ſi conſentiunt, rata & certa res eſt, & fas ipſis condere nova ſtatuta & leges, imo & obligare totum Opidi corpus in quamcumque pecuniæ ſummam, vel ad cujuſvis alterius rei præſtationem. At in rebus maxime ſeriis & gravioris momenti, puta munitionibus, & id genus negotiis, omnino opus adſenſu atque ſuffragio Principis, futuris alioqui ipſo facto nullis atque invalidis.

Vectigalia & cæteræ omnes exactiones, præter pauculas quaſdam, eaſque minutiores, & quas vulgo impoſitiones appellant, velut Principis nomine & extra ordinem certis quibuſdam rebus impoſitas, reipublicæ ſunt, quæ pro arbitratu de iis diſponit. etſi tamen quotannis, in creatione novi Magiſtratus, coram aulicis commiſſariis, ſummaria quoque reddatur earum ratio. qui cenſus adeo hodie luculenti ſunt, ut ducentorum millium coronatorum ſummam annuatim excedant. conſiſtunt autem in vinariis fere & cerviſiariis illis tributis,

butis, quæ ab iſtis vocantur *acciſæ*, & maxima ſane, adeoque pæne immenſa ſunt: ita quidem, ut illud vini annuo ſpatio reddat ſexaginta circiter millia ducatorum; cerviſiæ, toto quadrante plus. conſiſtunt præterea urbis proventus in vectigali frumentario, etſi admodum tenui: in vectigali carnario, quo videlicet definitum eſt certum pretium in mactanda pecoris capita, quod nec ipſum eſt magnum: & ex horum tamen utroque, ob immenſam frumenti & pecoris copiam, colligitur bona pecuniæ ſumma. conſiſtunt inde in reditibus minutorum aliquot munerum & opificiorum, quæ ut libere quis exerceat, neceſſe eſt pretio redimat facultatem. habet denique cenſus quoſdam Antverpia è fundis, domibus, aliiſque locis aliquot publicis, quos ſollenni more quotannis locat. atque hæ, & aliæ quædam minutiores, ſunt annuæ urbis obventiones, quæ (ut diximus) inter ſe junctæ ſummam illam ingentem conſtituunt. quod non impedit tamen, quo minus, ob varios ſumtus extra ordinem & in novos hos muros aliaque opera publica recens factos, tum & inſolita multa ſubſidia Principi in his bellis conceſſa, urbs hodie reſtet obærata, & pecunias aliquando accipiat fœnori, dinumeratis fere decem vel & duodecim in centena: vænales quoque interdum proponens hæreditarios ſimul & temporales proventus: qui priores emturiunt, pro ſedecim quos exponunt, ſingulos nummos quotannis accipiunt: qui poſteriores, pro totidem illis, binos. ratio vero nummi ſic reciproce commovendi & occupandi in genere talis eſt: ego, exempli gratia, ut fruar perpetuo aliquo, ſive & temporario cenſu, occupare conſtitui mille ducatos. poſtquam egi cum Theſaurariis, & de pretio inter nos convenit, numero nummos meos Quæſtori. is continuo refert in tabulas publicas, tradita mihi apocha, cujus vi jubeo mihi ab aliquo urbis Secretario confici publicum inſtrumentum. id, cum expediuntur hæc talia, muniendum procuro ſigillo illo majori, quod *monarchiam* indigetant, & in arca quatuor clavibus clauſa diligenter cuſtodiunt. quarum clavium una quidem eſt penes veterrimum Scabinorum; alteram ſervat is qui in veteri Magiſtratu eſt vetuſtiſſimus; tertiam vero Decanus nautarum; quartam denique Decanus collegii inſtitorum, neque vero aperiri poteſt hæc

arca,

arca, vel quidquam omnino ſigillari, niſi adſint quatuor illi clavium prædictarum cuſtodes, una cum altero Conſulum. atque hoc pacto & mihi ſe obligat civitas & litterarum mearum exhibitori, habeoque eam in tantum mihi obſtrictam, ut ſi forte fortuna non ſolvat, poſſim jus meum perſequi contra quemcumque & ubicumque repertum civem.

Antverpia ordinarie quidem Principi ſuo nihil quidquam pendit. at poſtulante neceſſitate, una cum aliis terræ Ordinibus, pro ratione & modo petitionum, largiter illi ſuccurrit. quin & ſeorſim interdum atque per ſe officia quædam exhibuit, & in centena, ducena, imo & trecentena ducatorum millia pro eo ſe obligavit, alia inſuper aliaque idemtidem illi gratificans, & nominatim ut ultra ſollennia urbis vectigalia, ſuo nomine & ad certum aliquod tempus ſtatuere poſſit exactiones quaſdam in vinum, in cerviſiam peregrinam, in carnes, & ejus generis alia. Gaudet etiam Princeps in ipſa urbe, quatenus Dux Brabantiæ, mercium quarumcumque mari intrantium exeuntiumque portorio, quod vulgo vocant, den Brabantſchen tol. id autem portorium quarto quoque anno palam locari ſolet, ultimoque licitatori addici, pretio fere in ſingulos annos vicenum millium ducatorum. exigit inde Princeps Antverpiæ, quatenus quidem eſt Comes Zelandiæ, conſimilis in maritimas merces portorii partem, quod integrum antea pendebatur in ipſa Zelandia: hodie vero in gratiam mercatorum Antverpienſium, quælibet mari in urbem invectæ & exportatæ ex ea merces, Zelandicum illud portorium in ipſa urbe; reliquæ aliunde allatæ, & aliocumque delatæ, in Zelandiæ portubus pendunt. & locatur quidem idipſum portorium eodem fere cum ſuperiori pretio, vel aliquanto etiam pluris. extra vero hæc duo perexigua ſane portoria (ita voco, adſpectu exigui pretii mercibus mari advectis impoſiti) neque Principi, neque Magiſtratui huic urbano, pro iis quæ importantur evehunturve via terreſtri, ne obolus quidem dependitur. magna ſane & inſignis immunitas! Habet inſuper Princeps Antverpiæ partem ſuam in bonis, quæ ob domini aliquod crimen confiſcantur. habet bona quædam hæreditaria, puta publicum carcerem, officinam monetariam & conſimiles aliquot reſculas, cujuſmodi & per totum

totam hanc Belgicam fruitur. sed enim super ejus reditibus & sacro patrimonio, supra in generali descriptione abunde à nobis dissertum est.

Quoniam vero fecimus mentionem de censu & patrimonio Principis in Antverpiensi hac urbe, attingemus etiam paucis, antequam procedamus, Concilium Cameræ hujus quadrantis Brabantiæ, quod hic, regio nomine, sedem habet, & vulgo vocant de Tolkamer. constat id novem Consiliariis, qui Belgice audiunt Erflaten / graphiario item, & minoribus aliquot administris. interest etiam ei, vel ut verius dicam, præest generalis hujus quadrantis Quæstor, qui & ipse habet titulum Consiliarii Regii, & vicarium sibi subjectum. munus ejus, (plane ut supra diximus de Ammanno) Senatores monere ut dicant jus, & sententias ferant in causis tribunali isti propositis. quod tribunal cognoscere habet & judicare de controversiis quæ nascuntur circa dominium prædiorum, censuum, molarum, aquarum tam perennium, quam stagnantium, portoriorum, vectigalium, & aliorum Principis è jam dicto quadrante redituum. quos potestatem habet locandi, & immittendi conductores in possessionem, vel ex ea movendi. cognoscit denique & de legitima illegitimaque spuriorum. reparandas curat & dirigendas publicas vias, cavetque ne vel publico vel privato damno quisquam eas excedat. Quæstoris, ultra quod cæteris præsidet, peculiare insuper munus est, exigere Principi debita, & viciſſim ea præstare quæ ipsi in his talibus essent præstanda. cujusmodi ministrorum genus habet etiam Princeps non in cæteris tantum Brabantiæ partibus, sed in aliis quoque Belgicæ suæ regionibus.

Iam quod ordinem spectat administrandæ in urbe justitiæ, is propemodum talis est: eunt ad Magistratum supremum prima, ut vocant, instantia, omnes omnino tam civiles, quam capitales causæ, iis tantum exceptis, quas jam diximus disceptari coram Magistratu Hallarum: & sententiæ quidem latæ in capitalibus decretoriæ sunt, nec usquam aut umquam retractantur. in civilibus secus est, quæ, etsi præstita per actorem cautione, illico sortiantur effectum, provocare tamē ab iis fas, & reformandas deferre ad Cancellariam Brabantiæ. in qua sedulo recensentur, & siquidē non recte judicatum

fit, reſtituitur pars in priſtinum ſtatum, & refunduntur ei impenſæ, taxatis etiam damnis & quanti interfuiſſet. contra vero, ſi nullo jure ſubnixa ſit provocatio, reus, præter impenſas, etiam multam aliquam Regi, tamquam Duci Brabantiæ, pendit. Inter provocationes autem & reformationes tale diſcrimen eſt, ut ſententiæ latæ in foro aliquo ſubalterno, & a quibus provocatum eſt inde Antverpiam, executioni haudquaquam mandentur, niſi prius ab Antverpienſibus approbatæ: pronuntiatæ vero Antverpiæ, delatæque ad Cancellariam, præſtita (ut jam dictum eſt) per actorem cautione, illico ſortiantur effectum. excipio, ſi honorem alicujus tangant & famam, vel aliud quidvis irreparabile.

Ratio procedendi coram Magiſtratu ſupremo in criminalibus talis eſt. Marcgravio, ſine prævio Burgimagiſtri ad res urbanas conſenſu, nefas civi cuiquam, niſi quem deprehendat in flagranti delicto, manus injicere. conſenſu autem obtento, debet eundem civem ſic legitime comprehenſum Magiſtratui intra triduum ſiſtere. qui Magiſtratus, re per cornicinem prius in veteri Burgo publicata, quo videlicet omnibus innoteſcat, congregatur ut plurimum omni die Veneris, ad expedienda hæc talia in ordinarium quemdam & Principalem locum, Teutonice dictum de Vierſchare / locum ſubdialem & patentibus portis, ita ut unicuique ad eum pateat aditus, liceatque iis quæ aguntur quæque dicuntur libere intereſſe. qui mos per univerſam fere hanc Belgicam, fortean & Germaniam, obtinet. atque hic Marcgravius, ſeu pro eo Scultetus coram populo reum arceſſit, & vel capitis eum, vel alio quovis ſupplicio affici poſtulat. reo libere licet adhibere ſibi quemcumque voluerit advocatum, ſeque rationibus quibuſcumque purgare. quod ſi forte non ſit unde advocatis perſolvat, non propterea tamen deſtituitur. ſunt enim conſtituti eum in finem primarii quidam cauſſidici, qui operam ſuam ſedulo reis impendant. quin egomet vidi etiam ipſum carnificem, per octodecim totos menſes, in capitali quodam negotio, gratuitam operam ponere. ſi delictum inveniatur leve, reus illico liberabitur, cavens modo de reſpondendo, & judicio ſeſe, quotieſcumque vocetur, ſiſtendo. inde cunctantius peragetur proceſſus. & ſi nullo fundamento nixa fuerit accuſatio, condemnabitur

nabitur ipſe Marcgravius in expenſas. ſi è contrario cauſſa ſit gravis, ſlagitabitur reus in quæſtionem. quod ſi Iudices annuant, neceſſum eſt, ut & civitas, cauſſa prius audita, ſententiam approbet. approbata, reus, priuſquam tradatur in manus carnificis, qui in hoc tractu etiam partes tortoris agit, privatur civitate. quo facto, non poteſt tamen ei Marcgravius quæſtionem tormentariam adhibere, niſi præſentibus ſaltim duobus Scabinis. nec diutius eum torquere quam pro eorum arbitrio. ſi confitetur, educitur ſtatim ex carcere, ut confeſſionem ſuam ad veterem quemdam pontem coram populo ſponte confirmet, ne videlicet ipſe, vel alius quiſquam in poſterum dicat, confeſſionem ei fuiſſe cruciatuum vi extortam. quam ſi approbat, tum poſtridie fere, vel cum Magiſtratui commodum, ducitur rurſus ad idem illud prius tribunal. ubi unus è Secretariis, tamquam Graphiarius rerum criminalium, clara voce confeſſionem ejus è ſcripto recitat. qua recitata & accurate excuſſa, Magiſtratus, pro facinoris gravitate, concurrentibus prius in unam eamdemque opinionem omnibus plane ſuffragiis. nam aliter nihil concluditur, dicit ſententiam, quam ipſemet Conſul clara & alta voce pronuntiat. pronuntiatam, qualiscumque ea demum ſit, Marcgravius intra quatuor & viginti horarum ſpatium, Principis ſumtu, exequitur. antequam vero feratur ſententia, Marcgravio, niſi fœdius tamen & enorme delictum ſit, pecunia licet cum reo tranſigere, cujus duo quidem trientes Principi, reliquus ipſi accedit. Extraneorum & qui in urbe non habent fixam domicilii ſedem, ſi in carcerem forte conjiciendi ſint, non habetur tam anxia ratio, nec in ſubjiciendis iis torturæ adhibentur tot ceremoniæ: in reliquis pari fere cum civibus jure tractantur. ſollenne autem eſt Magiſtratui capitales omnes cauſſas quamprimum expedire. Non conceditur iis, qui affecti ſunt capitali ſupplicio, ſepultura, niſi paucis quibuſdam, idque ex gratia, vel interdum etiam pretio. omnium vero, ſive ob hæreſim, ſive ob crimen læſæ majeſtatis, vel latrocinium etiam, homicidiumve, aut quodlibet aliud ſcelus, interfectorum bona, liberis, ſiquos habeant forte, materna dumtaxat parte reſervata, confiſcantur. Obſervatur Antverpiæ, quod criminalia quidem attinet, in omnibus templis atque

cænobiis, aſyli & tuti receptus jus. at ſi fœdum tamen ſit facinus, alia via reis effugiendum eſt, nam in talibus, Pii ſecundi diplomate, fas eſt eos inde abripere.

In civilibus vero, nemini prorſus in ullum civem, vel & extraneum fixam in urbe domicilii ſedem habentem, datur manus injectio, ſed nec in bona ejus detentio, niſi prius vocetur in jus, ac recte & ordine contra eum procedatur. ordo autem eſt talis. citatur per viatorem aliquem reus coram eo Magiſtratu, cujus eſt cauſſæ cognitio: atque ibi lingua Teutonica per Advocatum vel procuratorem, verbis vel ſcripto, proponitur poſtulatio. ſi actor habet ejus chirographum, vel manifeſtum aliquod documentum, condemnatur mox reus in petitam ab eo pecuniam: quam vel exſolvere cogitur, vel actutum deponere. condemnato præfiguntur breves aliquot termini ad ſolvendum: intra quos ſi non ſolvit, immittuntur in ejus domum duo treſve executores, quos Italicet aſſervandis, & ne alio ea tranſportet. expectatur deinde ad octo vel decem dies, ſi reperiat forte unde æs illud diſſolvat. niſi reperit, Ammannus, ſeu rerum civilium prætor, in commentarium redigit bona ejus mobilia, quæ inde ad paucos dies, idque rei ipſius ſumtu, vænumdantur, & niſi nomini expungendo ſufficerint, propediem, & ſervata ſollenni conſuetudine, venduntur etiam immobilia: quæ ſi nec ipſa ſufficiant, tum demum conceditur in perſonam ejus manus injectio. alioqui, & niſi liquido conſtet non eſſe unde creditoribus ſatisfiat, non poteſt vel civis, vel extraneus, cui firma in urbe ſedes eſt, in carcerem conjici. excipio tamen, ſi ſuſpectus ſit fugæ. Extraneus vero, cui nullum in urbe eſt domicilium, corripi poteſt omni momento, noctu diu, & ubicumque ſit ejus habendi copia, præterquam in templis & civium ædibus, quæ numquam non ſunt immunes. conjecto in carcerem reo, poſtulat actor intra tertium diem, nam alioqui ipſo facto laxatur, ut vel ſolvat captivus, vel caveat ſaltim de eo quod judicatum erit ſolvendo. præſtita cautione, reus carcere liberatur, & ordinaria inde via coram Magiſtratu cauſſam ſuam diſceptat. ſed in omnibus cauſſis civilibus, niſi liquidi prorſus juris ſint, lento gradu proceditur. Diſſeramus vero deinceps & paucis verbis ſuper aliis quo-

que

que ſtatutis, & præcipuis aliquot, maximeque ad politiam, & ſocietatis humanæ conſervationem neceſſariis ritibus, Antverpiæ, magno publico bono, uſitatis. unde, non ſine notabili fructu, pleniorem adipiſcemur regiminis ejus notitiam. Et primo:

Nemo civis aut incola hujus urbis alteri civi incolæve poteſt injicere manus, vel eumdem vocare in jus, aut bona ejus quomodolibet detinere, extra hanc ipſam urbem, idque ſub gravibus admodum pœnis: niſi ſi adverſarius ille ceſſerit foro, & factus ſit fugitivus.

Si contingat, ut aliquis civis incolave Antverpienſis creditoribus ſuis decoquat, præfertur, quo ad bona dotalia, cæteris omnibus ejus uxor. poſt uxorem vero, vel liberos matrem repræſentantes, ſequitur Princeps, ſive reſpublica. reliquum, habita ratione proportionis, creditoribus poſtea cedit. & quo melius evitentur fraudes, ſi vel unus aliquis creditorum nolit cum decoctore tranſigere, licet cæteri omnes jam tranſegerint, non poteſt tamen eo compelli, ac omnino, ſi non in præſens, at cum tempore ſaltim, & præſtitâ cautione tranquillandus eſt.

Non licet hic patrem convenire pro filio, neque filium rurſus pro patre, etiamſi emancipatum. & emancipatio ſane vix iſthic in uſu eſt, contra quam in multis Italiæ partibus.

Succedunt parentibus ſuis utriuſque ſexus liberi, & quidem æquatis inter ſe portionibus: ſalvis tamen bonis clientelaribus, quorum præcipua domus, unà cum juriſdictione ſuprema, ac duobus deinde reliquorum bonorum trientibus cedit filio natu maximo: reliquus triens, inter reliquos melioris ſexus liberos, æquis partibus diſtribuitur, fœminis prorſus excluſis. ſi autem nulli ſunt liberi, bona clientelaria, ſtante conjugio inter virum & uxorem quæſita, dividuntur ex æquo inter utriuſque ipſorum hæredes, ita tamen ut magis longævo reſervetur integer uſus-fructus. Notandum etiam, creditoribus defunctorum licere, ut unum aliquem & quemcumque voluerint ex eorum hæredibus, & quidem pro integro ſuo credito, vocent in jus, neque opus eſſe ut conveniant eos ſingulatim, quippe qui inter ſeſe poſtea tranſigant.

Non poteſt ſine Principis auctoritate quiſquam pater

illegitimum aliquem filium, caute quidem & valide, natalibus reſtituere. filius vero ſic reſtitutus plurimis liberatur incommodis: & præcipue, ſi obierit ſine liberis (nam eodem illo legitimationis inſtrumento etiam iſta facultas nominatim ei conceditur) adipiſcitur jus teſtandi, & bona ſua cuicumque placuerit relinquendi. quod ſi moritur inteſtatus, bona legitime devolvuntur ad proximos ejus hæredes: cum alioqui & niſi redditus eſſet legitimus, nec ipſi liceret teſtari, nec hæredibus ejus, ſed Principi facultates eſſent ceſſuræ. Sedenim etſi natalibus reſtitutus ſit, non ſit tamen, ita ut fratres & ſorores legitimi, hæreditatis paternæ particeps: ſed ex ea non aliud percipit quam ſiquid illi diſerte pater legavit. Cautum etiam lege eſt, ne quem gerere poſſit alicujus momenti magiſtratum; ad quam tamen dignitatem viam illis ſubinde virtutes pandunt. At vero ex parte matris, niſi forte conceptus ſit ea nupta, vel ex alieno marito, religioſove, filius nothus, una cum reliquis fratribus atque ſororibus, etiamſi legitimus, ſingula quæque bona, ſive mobilia ea, ſive ſtabilia, æquis partibus dividit. quinimo & in rebus clientelaribus idem ei eſt juris, non aliter quam ſi ex legitimo thoro prognatus ſit. obtinetque hæc ipſa ratio per omnes has Inferiores Catholici Regis provincias: Lovanio tantum excepto. dictitant enim iſti, non poſſe mulierem alia ratione filios illegitimos gignere, cum ipſorum quidem jactura, quam triplici illa jam dicta. Notho, etiamſi natalibus minime reſtituto, filii tamen, ſiquos habet, ſuccedunt.

Bona ſtabilia, quo occurratur humanæ malitiæ, & vitentur alia quæque incommoda, neque vendi neque oppignorari, aut alio quovis modo alienari poſſunt, niſi intervenerint litteræ Senatoriæ, hoc eſt, auctoribus uno, ut minimum, è Scabinis & Secretario aliquo, repræſentantibus totum Senatum, & id genus contractus in tabulas publicas referentibus, confirmatæ. Iam quo caute & circumſpecte procedatur in bonorum ſtabilium emtionibus, optimæ ſunt & compendioſiſſimæ quædam conſuetudines: ita quidem ut ipſi emptores, præſtitis prius de jure præſtandis, intra decimum quintum, vel ut longum ſit decimum ſextum menſem, fiant rerum emtarum ſecuri, nec ullo in poſterum tempore con-

cedatur

cedatur in eas evictio, vel quid aliud tale. atque hæ quidem leges efficiunt, ut & venditor ſtatim reperiat rei ſuæ emtorem, & emtori legitime cautum ſit: nec requirantur, ut in aliis aliquot locis, pro re vendita, fidejuſſores. Bona vero mobilia, puta merces, obligationes, & id genus chirographa, ſive à tabellione confecta ſint, ſive privata dumtaxat manu ſubſcripta, quo videlicet expeditius currant negotia, libere poſſunt vendi, oppignorari, vel & alio quovis modo alienari, idque vel publica, vel privata ſcriptura, ſuntque tales illi contractus omnino rati & validi.

Sponſalia non unius in hac urbe ſunt generis, & ex contrahentium fere arbitrio pendent. ac primo quidem ſiquando alteruter parens filiam ſuam in matrimonium elocat, ſolet fere genero dare præ manu certam pecuniæ ſummam, doti poſtea deducendam: nec propterea tamen excluduntur nuptæ ab hæreditate. eadem plane de filiis ratio. mortuis tandem parentibus, & pecunia illa prius deducta, liberi utriuſque ſexus opes hæreditarias ſiquis partibus inter ſe dividunt, feudalibus tamen, prout ſupra oſtenſum, exceptis. Viri vero & mulieres ſui juris varie & pro arbitratu ſponſalia inter ſe contrahunt. erit aliquis dives, qui donatione propter nuptias conjugi legaturus eſt certam pecuniam: eam ipſa marito ſuperſtes una cum dote quam attulit, nec præterea quidquam, ex bonis ejus accipiet. erit item matrona, quæ, ſi præmoriatur, ſimili aliqua donatione maritum proſecutura ſit. quod ſi nullæ omnino pactiones hujuſmodi inter conjuges interceſſerint, ut in potiori matrimoniorum parte contingit, tunc alterutro conjugum mortuo, dividi ſolent bona mobilia, tum & ea quæ ſtante matrimonio conquiſiverunt, cujuſcumque demum ſint generis, (clientelaribus tantum exceptis, in quibus obſervatur ratio ſupra nobis expoſita) dividi inquam ſolent æquis ſemiſſibus inter ſuperſtitem & communes liberos, vel, in horum defectu, proximos prædefuncti hæredes. dividuntur eodem modo etiam domus omnes & prædia ſita in territorio Antverpienſi, & intra verſatiles illos obices antea memoratos: præterea reditus annui ab utraq; parte allati, & vel redemtione, vel venditione, vel denique permutatione abalienati. reliqui autẽ cenſus & res omnes immobiles revertuntu-

tuntur ex aſſe ad eam partium unde provenerint: niſi aliter tamen dictent conſuetudines loci, in quo talia illa bona, extra territorium Antverpienſe, ſunt poſita. Gaudet autem uterlibet ille qui ſupervivit in mobilium rerum diviſione nonnullis prærogativis, & primo cedit ei ſollennior ſuus cultus, cedunt annuli item & torques, tum & alia quæ diebus feſtis induitur: præterea lectus cubicularis probe ac decenter inſtructus, & ex quavis ſupellectilis ſpecie præſtantiſſimum quodque: denique & unum aut alterum vas ex argento eſcario, quod excedere tamen non debet definitum à legibus pondus. Viro, præter hæc omnia, etiam cedunt equus ſuus & arma, quibus utitur vel ad corporis ſui tutelam, vel ad alieni læſionem. cætera tam defuncti quam ſuperſtitis ornamenta accenſentur bonis mobilibus, & pro talibus, modo quo dictum eſt, in communem fructum venduntur. Superſtitis vero conjugium iterantis & liberos rurſus gignentis bona, ea intelligo quæ poſt obitum relicturus eſt, inter omnes tam ex priore quam poſteriore matrimonio liberos æquis partibus dividuntur.

Eſt etiam mulieribus in hac urbe major quædam, quam in aliis Belgicæ terris opidiſve, immunitas. ſiquidem in iſtorum pleriſque conveniri poſſunt uxores, ſive nobiles eæ, ſive ignobiles, pro maritorum ſuorum debitis, & mariti viciſſim, pro illis uxorum: Antverpiæ vero, niſi palam negotientur (quod plurimæ quidem ex iis ſolent) non tenentur æs alienum à viris conflatum præſtare: tametſi maritus nomina per uxorem, tam ante, quam poſt matrimonium, facta teneatur diſſolvere.

Nefas tamen uxori obligare ſe ſine mariti permiſſu excipio, ſiquæ publice faciunt mercaturam, ac etiam extra tabernam domeſticam emant & vendant. Quod ſi obligare ſe velit pro viro, neceſſe eſt ut à Magiſtratu ſumat tutorem, qui marito præſente, & coram eodem Magiſtratu obligationi adſtipuletur. quin etiam ſi mariti expers obliganda ſit proprio nomine, aſſumendus eſt nihilominus ille tutor, ne videlicet ipſa circumſcribatur, & obligatio facienda Magiſtratu præſente.

Nuptiæ cujuſcumque conjugii, at pro conjugum tamen conditione, non obſtantibus variis Principum legibus,

gibus, quæ emendant & limitant, fiunt tamen revera nimiſquam ſumtuoſè. excipiuntur enim ſplendidis & opiparis cœnis, idque per triduum, utriuſque partis cognati atque adfines: ſponſus magnifice prorſus excolitur, ſponſa vero etiam magnificentius, mutata indies per triduum illud veſte, cæteroque omni ornatu. Si contingat autem aliquos ſponſos tam diu in matrimonio vivere, nuptiæ quinquageſimo anno exacto magna ſollennitate & gaudio repetuntur, ac veluti renovantur. quem morem etiam Sacerdotes uſurpant, & in exodio anni quinquageſimi à celebrato primo ab ipſis ſacro ſuperſtites, ſollenni ritu & ceremoniis illud inſtaurant, vocantque diem illum *Iubileum*.

In puerperiis etiam & parvulorum baptiſmatis magna hic celebrantur & ſumtuoſa ſollennia: offert enim uterque parens initialis puerperæ bella quædam munuſcula, & ab ea partu levata convivio rurſus excipitur. ſed quod maxime notes, uſitatum eſt hiſce hominibus arbitros ſacro fonti adhibere etiam patres & matres, fratres item, ſorores, imo interdum & liberos. quæ res niti magis videtur veteri conſuetudine, quam eccleſiaſtica auctoritate.

Funerum quoque ſollennia magno admodum ſumtu multaque in pauperes benificentia peraguntur. perſolutis autem defuncto juſtis, exhibetur deinde, oblitterando utcumque dolori, propinquis & familiarium intimis ſplendidum & magnificum epulum: cæteri vero qui prodierunt in funus ſextario vini & oryzæ lacti incoctæ patinâ ſinguli fere donantur.

Quicumque ex civibus matrimonium contrahit, & conſummat extra territorium Antverpienſe abſque Conſulum alterutrius conſenſu, is ipſo facto amittit jus civitatis, etiamſi vel primo à nuptiis die revertatur, ſeque in urbe habitaturum contendat. at pecunia tamen & gratia facile id quod amiſſum eſt recuperatur. Civis, qui cum uxore & liberis per ſex continuas ſeptimanas, Conſule inconſulto, habitaverit extra territorium urbis, privabitur proculdubio civitate: Iuvenis vero matrimonii expers, etiam ſine venia, libere poteſt ubicumque & quouſque placuerit peregrinari, nec in pœnam ullam idcirco incurrit.

Civis qui alio transfert familiam, privilegia civitatis

amittit: niſi tamen denuntiarit accenſeri ſe velle civibus ſuburbanis. duplices enim hic cives, urbani & ſuburbani. illi Belgice Binnen-borgheys / hi Buyten-borgheys appellantur. teſtificatus ſe civem ſuburbanum, & ſedes ſuas commutaturus, quas ne ſic quidem extra quadrantem Antverpiæ vel Imperii Sacri Marchionatum licet transferre, tenetur quotannis ut minimum ſemel ad ipſam urbem & in ea ſacram ſynaxim accedere, tum florenum, id eſt, dimidiatum noſtrum aureum, reipublicæ pendere: quo præſtito, privilegia ſibi illibata conſervat.

Civis Antverpienſis, vel & quilibet Brabantinus (cæteri enim hoſpites hic immunes) ſi plus anno in urbe commoratus ſit, & in alium quemvis Brabantiæ locum ſedes ſuas tranſtulerit, reipublicæ ſolvit ſtabilium quorumcumque bonorum viceſimam: ſi migraverit extra Brabantiam, duplicabitur illi vectigal, & decimam ipſam dependet. unde exemti tamen ſunt ii, qui in ea ſive Brabantiæ, ſive extranea loca demigrant, quæ, facta cum hac urbe tranſactione, adepta ſunt hujus tributi immunitatem, qualia nominatim ſunt Lira, Bergezomium, Breda & Middelburgum Zelandiæ.

Non licet cuiquam extraneo exercere hic publicum aliquem quæſtum, niſi prius adeptus ſit jus civitatis. id autem exiguo ſumtu & in hunc fere modum acquiritur. itur ſtato aliquo die & comitantibus aliquot civibus, qui videlicet faciant fidem eſſe te virum probum & dignum admiſſu, ad forum judiciarium, atque inibi coram ſupremo Magiſtratu & Marcgravio, ſive Sculteto, præſtas Duci Brabantiæ, quatenus Sacri Imperii Marchio, juramentum fidelitatis. hinc reipublicæ quidem pendis ſenos ducatos, opificii vero tui collegio, id quod jure debetur, perſolvis, frueriſque deinceps iiſdem cum civibus privilegiis. excipio tamen: quod, niſi Antverpiæ, vel in Brabantia minimum natus ſis, non pateat tibi acceſſus ad majorem aliquem Magiſtratum. verum filii tui, vel in hac urbe, vel in Brabantia geniti, licet ipſe vel infimæ ſortis ſis, non raro ad ſummas dignitates emergunt. quæ maxima ſane eſt munificentia, & hominibus ad virtutem extimulandis calcar.

Sunt in urbe frequentes admodum ſcholæ, doctis & juventuti in omni litteraria facultate inſtituendæ peridoneis

doneis viris ſufficienter inſtructæ : inter quos hodie vel inprimis excellit Iodocus Velarius Verrebrocanus, homo trium linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ peritiſſimus,& mihi merito ſuſpiciendus, ut quo per aliquod tempus uſus ſim Præceptore. Sed tralatitium fere iſtis hominibus, neque ſolum Antverpiæ, verum & toto hoc tractu, ut, poſt factum in ſtudiis tirocinium, filios ſuos, ea proſecuturos, Lovanium ſtatim, ſive Duacum, vel in Galliam etiam, inque Germaniam, imo Italiam ſæpe ablegent.

Sunt præterea tum in hacipſa, tum in aliis quoque primariis Belgicæ urbibus variæ ſcholæ, in quibus puellæ non minus quam pueri inſtituantur in lingua Gallica: adeo quidem ut accedente ad inſtitutionem hanc uſu, & tam crebro cum exteris quoque commercio, ita ſpargatur & propagetur hæc lingua, ut intra breve temporis ſpatium generatim ea uſuri ſint quaſi vernacula. neque deſunt hic præceptores, qui Italice quoque & Hiſpanice doceant. unde omnino ſit veriſimile, aut jam eſſe Antverpiam, aut cum tempore ſaltim futuram communem omnium nationum Chriſtianarum patriam, niſi formam tamen & conditionem mutaverit.

Sunt & aliæ quidem complures & peculiares hujus reipublicæ leges, non laudabiles minus, quam utiles, ſilentio tamen, ut fugiamus prolixitatem, prætermittemus: addituri dumtaxat, optime cautum atque proſpectum hic eſſe, ne quid damni apportent ſuborta forte incendia, & præſertim nocturna: diſpoſitis nempe per ſingulos urbis vicos & præcipua quæque loca crebris vigilibus, qui etiam cavent, nequi in domos irrumpant fures, neve vecticulariam in tabernis & officinis exerceant. Atque ex hactenus dictis abunde colligitur, ultra ſolidum libertatis, ſecuritatis & tranquillitatis civilis fundamentum, bene revera compoſitam probeque ordinatam & conſtitutam eſſe Antverpienſem rempublicam, ſi recte & ordine tamen ſingula quæque obſervarentur.

Nec Antverpiæ, niſi urgente neceſſitate, nec vero uſquam in Belgica moris eſt agere accuratum populi, ſive, ut vulgo loquimur, animarum in urbe degentium cenſum. quod in Italia tamen aliiſque nonnullis terris re-

ceptum eſt. atenim nos, re diligenter examinata & inſtituto ratiocinio, reperimus, hanc urbem habere centum & amplius capitum humanorum millia. cui aſſertioni noſtræ probandæ, præter alia quædam, adducimus, quod anno 1564 in ipſo Paſchali feſto, ad ſacram ſynaxim adierint octogies mille ſexcenti, & quod excurrit, pueris aliiſque qui emanſêre in hunc numerum non intrantibus. Dum vero in hoc argumento verſaremur, libuit quoque inquirere, quotnam in toto hoc numero eſſent viri bello & armis idonei. quod dum ſedulo accurateque excutimus, deprehendimus primo, fœminas longe plures eſſe, quam viros. hinc complures eccleſiaſtici ordinis. denique pueritiam pæne innumeram. ita ut omnibus hiſce detractis, & computato ab anno ætatis duodeviceſimo uſque ad ſexageſimum, vix quatuordecim millia virorum bellipotentium reſtent. Neque vero hic poſſum, quin de refertiſſima iſthac urbe commemorem quiddam ſingulare. cum paucis abhinc annis haberetur in quadam ſuſpicione, & extra nundinas quidem, exterorum in urbem intrantium ratio, compertum fuit, uno ſolo (quis credat?) menſe eos una cum popularibus aliquot minus notis aſcendiſſe ad capita vicies ſexies mille ducenta.

ADDITAMENTVM. [*Legitur maxime frequens & referta fuiſſe Antverpia ab anno Chriſti* 1556 *uſque ad* 1577, *quo tempore amplius centum millia incolarum erant. quod clariſſime atteſtentur tabulæ publicæ anni* 1568, *in quibus perſcriptum eſt, cenſa fuiſſe eopſe anno, in prima urbis regione, vel, ut iſti loquuntur, vico, capita civium* 6239, *in ſecunda* 5924, *in tertia* 6124, *in quarta* 6512, *in quinta* 5218, *in ſexta* 5810, *in ſeptima* 9627, *in octava* 6943, *in nona* 7419, *in decima* 7529, *in undecima* 7234, *in duodecima* 7164, *in decimatertia* 8248. *conſumma: habebis jamnunc in Antverpia homines* 89991 *eoſque dumtaxat cives. atqui erant eodem anno plurimæ quoque familiæ nationum peregrinarum, quæ in ea fixerant ſedes. harum autem capita numerata* 14981, *fiunt inſimul* 104972. *jam nautarum etiam, & in navibus fere colentium, non exiguus numerus. agebant inſuper in ſuburbiis, & eodem quidem cum civibus jure, capitum quinquaginta ut minimum millia. peregrinos autem undique confluentes quis tandem ediſſerat? cum annis Chriſti* 1549. 1556, 1559. & 1561, cenſa

*censa sint supra ducenta millia civium simul & exterorum capita: quorum statis quibusdam horis, & bis in die, quinque & amplius millia bursam, quam vocant, frequentarent, & in ea negotiarentur. Cui hoc mirum videbitur, is cogitet secum, in portu & flumine crebro conspectas supra bis mille quingentas naves, neque diem ullam transisse, qua non quingentas earum hic portus admitteret, emitteret, neque cresceret tamen minueretve. cogitet, nullam transisse diem qua non intrarent duceni currus, solis vectoribus pleni. ne quid dicam de onerariis illis è Germania, Gallia, Lotharingia, qui singulis septimanis fuere ad bis millenos: ne quid denique de vehiculis rusticanis, commeatum in urbem advehere solitis, qui singulis septimanis fuere supra decies millenos.*]

Iam vero, ut vara (quod dici solet) vibiam trahit, considerantí mihi, in quam graves errores alii quidem ex affectu & animi perturbatione, alii rursus ex ignorantia & præsumtione nonnumquam impingant, atque ab ipsis etiam urbium amplissimarum civibus, circa numerum incolarum in iis degentium, inducantur, visum est, in hunc ipsum finem & nonneminis gratiam, communicare lectori ea quæ hac de re variis modis atque temporibus certa & indubitata prorsus fide cognovi: ea tamen lege, ne vel cavilletur hic quisquam, vel obloquatur, nisi peculiarem magis & certiorem notitiam in contrariam partem sit consecutus. quod equidem vix existimo fieri posse: nec enim temere aut quasi aërem cædens ista commemoro. enumerabo autem dumtaxat urbes aliquot primarias tam citra quam ultra mare montesque positas. ad quarum exemplum deinde & normam de reliquis maximi nominis urbibus facilis erit dijudicatio. Dico igitur, si loquamur de temporibus ordinariis pacis, & ante exorta hæc bella civilia, quæ non homines modo, verum ipsa etiam elementa consumserunt, post Antverpiam nostram, frequentissimam hujus Belgicæ urbiũ esse Bruxellam, in qua circiter septuaginta quinque hominum millia. Gandavum, ea, quam postea descripturi sumus, magnitudine, septuaginta millia vix excedit. Leodicum, exorbitanti admodum forma, diffusius aliquanto & plenius est quam Antverpia, & supra centum capitum humanorum millia continet, ne quid dicam de infinito hominum nu-

mero in confiniis ejus circumcirca degentium. Colonia Agrippina, urbs superioris Germaniæ, ad flumen Rhenum, ducentis passibus Leodico minor est, incolas etiam aliquanto pauciores complexa. civitas hercules nobilissima, vera colonia Romanorum, antiquitatibus & ædificiis plena, maxime autem ædibus sacris, quarum numerus anni totius diebus par est, nec, quod sacras reliquias attinet, ulli omnino urbi concedit. Augusta, cui nomen est ab Augusto Imperatore, sita ad flumen Lechum, urbs est antiquissima, & cum opibus, tum potentia Germanicarum omnium prima, spectabili satis magnitudine, ut quæ in ambitu quidem pateat novem millia passuum ordinariorum, quorum singuli binis & semi pedibus exacte respondent, diametro vero quatuor millia passuum eorumdem in longitudinem comprehendat. atenim quia pauci in ea sunt exteri, qui certam quandam subjectionem declinant, numerus incolarum ipsius ad sexaginta millia non ascendit. Noriberga & major simul est & frequentior, urbs opulenta, artibus & mercimoniis florida, in primis autem bene ac laudabiliter instituta gubernataque, qualiter nempe per totam fere Germaniam administantur civitates, tamquam liberæ quædam respublicæ. Praga ad flumen Multaviam, Bohemici regni metropolis, ampliſſima sane ac Gandavo par urbs est, octo scilicet milliaria ambitu suo complexa, civibus autem vel duplo frequentior, qui centum & quadraginta capitum millia superant. Vienna, metropolis Austriæ, ad Danubium posita, non tam ampla, quam pulchra, magnifica, & habitatoribus frequens est. munitissima insuper, prout convenit, cum sit urbs limitanea, & validissimum Christianorum adversus Turcas propugnaculum. Cracovia, sita ad clarissimum flumen Vistulam, regni Polonici regia, aliquanto Antverpia minor est. urbs pulchra, dives, ac non populo tantum, verum etiam nobilitate regioque splendore pleniſſima. Magna illa atque stupenda prorsus Parisiorum Lutetia, ad Sequanam posita, etsi audiat vulgo compendium orbis, murorum tamen circuitu ultra septem millaria non includit. sedenim maximis simul & pulcherrimis undique cincta suburbiis, quorum viæ urbem ipsam intersecant, & non aliter quam propria quædam membra cum corpore illo cohærent, utcumque

tamen

tamen ad miraculum fere extollatur incolarum ejus frequentia, & loquantur nonnulli vel de octingentis capitum humanorum millibus, trecenta & decem, vel ad ſummum trecenta viginti millia non excedit. qui numerus quidem vel ſic ſatis magnus eſt, cum reliquas omnes Europæ urbes, ſola Ruſſorum Moſcovia demta, centum capitum millibus ſuperet. ſedes in ea non tantum celeberrimi Athenæi, verum & ſupremi illius Concilii Regii, quod Parlamentum vulgo appellant, & non ſupremam tantummodo juriſdictionem illam exercet, ſed accedente Regis auctoritate toti, ut ſic dixerim, regno leges præſcribit. Rhotomagum ad eumdem Sequanam, nec procul Oceano poſitum, inclyto portu clarum eſt, ac Ducatus Normanniæ caput. urbs pulchra, opulens, Antverpia noſtra paullo anguſtior, civibus autem, quam illa frequentior, qui numero minimum centum viginti millia, emporio inſuper & celeberrimo Parlamento inſignis. Burdegala ad ampliſſimum flumen Garumnam non longe ab ipſo mari ſita, & pulcherrimo portu, qui Lunæ olim dictus, famoſa, totius Aquitaniæ caput eſt, urbs hercle antiqua, celebris, dives, potens, & Parlamenti illius Provinciæ ſedes. Toloſa, urbs vetuſtiſſima & nullo non tempore celebris, clarior forte atque potentior etiam fuit tempore Romanorum, qui ob merita & inſignes qualitates ſororis eam cognomento dignati ſunt. eſt autem paullo Antverpia major: domus in ea prælatæ & pluribus contignationibus ſpectabiles, ita ut populo etiam quam hæc noſtra ſit plenior. Lugdunum, urbs longe clariſſima & celeberrimi nominis, ſita ad placidiſſimum Ararim & rapidiſſimum Rhodanum, Toloſa non ambitu tantum major eſt, ſed & incolis denſior, inter quos plurimi variarum nationum alienigenæ. mercimoniis floret, & præcipue Archiepiſcopatu, cujus Præſules, inde à tempore Divi Irenæi, Galliæ univerſæ Primates. Maſſilia, urbs admodum nobilis atque antiqua, poſita eſt ad mare mediterraneum, inclytoque & frequentatiſſimo portu inſignis. caput & veluti fundus totius Comitatus Provinciæ, ſecuta perpetuo partes Pompejanas adverſus Iulium Cæſarem, Lugduno ambitu ſimul & civium numero, nec commerciis minus & opibus fere æqualis. Sed redeuntibus nobis ad noſtrum hunc tractum, & mare verſus Occaſum trajicientibus

tibus occurrit quamprimum Angliæ caput Londinum, urbs regalis & admodum celebris, ſita ad Thamiſim flumen, & Antverpia paullo dumtaxat diffuſior, etſi ob maximam longitudinem videatur eam longiſſime ſuperare. cives habet ſupra centum & quinquaginta millia, & immenſas totius propemodum Regni opes. Hinc Oceanum porro ſulcantes, quem veteres illi Romani crediderunt innavigabilem; ingrediemur mox Olyſſipponem, urbem regiam ac pæne maritimam, ut qua ab oſtio vaſti fluminis Tagi exiguo tantum intervallo diſtet, nobiliſſimo ſimul & capaciſſimo, forſan totius terrarum orbis, portu inſignis, ſolo ampla, & populo mixti coloris, ob mancipiorum ex Æthiopia multitudinem, plena, ita ut circiter ducenta capitum humanorum millia ambitu ſuo includat, tot præterea undique cincta ſuburbiis, ut alteram fere urbem conficiant. deductæ ſunt ex hac urbe noſtris hiſce temporibus, veterum Romanorum exemplo, per varias orbis terræ provincias, plures coloniæ quam ex alia ulla ditione. Inde Hiſpalim procedemus, ſitam ad flumen Bætim, non longe ab columnis Herculeis, ſive, ut hodie loquimur, freto Gibraltaris. hæc Andaluſiæ metropolis, claſſiumque ex India Occidentali in Hiſpaniam commeantium receptaculum, merito numeratur inter maximas urbes Hiſpaniæ, ſena & amplius milliaria ambitu ſuo complexa, opulenta in primis & populoſa, ut in qua centum minimum & quinquaginta civium millia. Toletum, ad ejuſdem illius Tagi ripam, urbs eſt multis nominibus celeberrima, nominatim vero ampliſſimo illo Archiepiſcopatu & Primatu Hiſpaniæ, qui amplitudine ditionis & cenſu cæteros omnes totius Reipublicæ Chriſtianæ præſulatus exuperat. urbs Hiſpali aliquantulo minor eſt, ſed vel ſic ſatis magna, & nonaginta civium millibus habitata. Valliſ-oletum, olim ut aſſerunt Pincia, Toleto etiam minus eſt, ſed quod mercimoniis magis floreat, ditius etiam, & potentius, atque civibus plenius. Madritum, ubi ut plurimum aulæ Regiæ ſedes, ampliſſimum ſane eſt opidum, ſed propter exorbitantem, & alibi editum, alibi humilem atque depreſſum ſitum, disjunctum valde & parum concinnum, pulchrum tamen, opulentum, amœnum, & populo pæne differtum, ut qui centum millia capitum ſuperet,

peret, ac de die in diem magnis auctibus creſcat. Valentia, ſita ad Mare mediterraneum, regni ſui metropolis, lauta plane & ſpectabilis urbs eſt, Italicarum inſtar exſtructa, qualiter Barcino quoque, & Cæſar-auguſta, Valliſ-oleto, ambitu ſimul & civium numero, ſi non par, ſaltim haud multo inferior. Granata, ampliſſima juxta & antiquiſſima civitas, cœli amœnitate, & viarum, ædificiorum, fontiumque ſplendore præcellens, induſtrio valde & diviti populo quondam referta: etſi nuper, ob rebellionem in Regem, extrema quæque perpeſſa ſit; hodie tamen rurſus inſtauratur, & priſtinæ ſuæ frequentiæ paullatim reſtituitur. Denique brevitatis gratia, in Italiam commigrabimus, illam cæterarum Provinciarum olim reginam, imo Imperatricem: ibimuſque, non obſervato ordine præeminentiæ, recta Romam, nobili ad ſuperbum illum Tyberim poſitu celebrem, arcem religionis, ideoque etiamnunc orbis terrarum caput. quæ, ne quid dicam de ingenti ipſius ſuperioribus ſæculis magnitudine, quinquaginta, concenſitis ſuburbiis, milliaria, vel præterpropter, complexa, duodecim tantum millibus, ævo noſtro, in circuitum patet. quin & is ipſe circuitus, certis quibuſdam partibus, populo admodum vacuus, hortis vero & vineis plenus eſt: urbe interim mediocriter habitata, ita ut incolarum numerus ad centum millia capitum fere aſcendat, inter quos ſupra duodecim millia Florentinorum. Neapolis, vulgo *Gentilis*, quod Italorum idiotiſmo nobilem, ſive elegantem ſignificat, cognomentum hoc eſt adepta, cum à loci ipſius, tum à civium elegantia: regni ab ipſa denominati Caput, maritimaque & ampliſſima civitas, tribus arcibus communita, & plus octo milliaribus ambitu ſuo complexa: adeo denique frequens, ut numeret ſupra ducenta civium millia, & inter eos plurimam ſane nobilitatem, variiſque dignitatum titulis exornatos Dynaſtas. Florentia, dulciſſima mea & ſereniſſima patria, regio prorſus ſitu ad Arnum fluvium poſita, vulgo audit *la Bella*, hoc eſt pulchra, nimirum a pulchritudine ſua, & cum publicorum ſimul & privatorum ædificiorum, tum aliarum quoque rariorum rerum ſplendore: nobiliſſimæ regionis Etruriæ, duodecim olim regna complexæ, Metropolis. cujus muri, quos recenter metiendos curavit Magnus Etruriæ Dux,

ſeptem

ſeptem millibus, minus totidem brachiis in circuitum patent: ipſa urbe populo ſimul & artibus plena, ita ut uſque ad centum viginti capitum millia numeret, pulcherrimo territorio, & infinitis in eo palatiis, aliiſque perpulchris operibus omni ex parte circumdata. Bononia, ſita ad Rhenum Italiæ, cui, à ſoli fertilitate, & annonæ omnis generis abundantia, vulgo cognomẽ *la Graſſa*, urbs eſt, cum aliis multis nominibus, tum Athenæo potiſſimum nobilis, ampla etiam & habitatoribus plena, ita ut ſex milliaribus in circuitum pateat, numeretque octoginta & quinque civium millia. Ferraria, pulchro prorſus adſpectu, ad celeberrimum illum Padum extructa, & cum Ducatus ſui, tum aliarum etiam ditionum quarundam Domina. Bononia potius major, quam minor eſt, ſed nec tectis nec civibus adeo frequens. Mantua, magni illius Virgilii patria, ditionis ſuæ, item Montisferrati metropolis, ad Mincium ſita & vaſtiſſimum illum lacum; urbs eſt admodum pulchra, amœna, & cum ſitu, tum alio quovis munimine adeo valida, ut habeatur plane inexpugnabilis, ampla inſuper & civibus frequens, quorum numerus quidem Ferrariæ nihil concedit. Genua, cognomento *Superba*, quod non civium quidem ſuperbiæ, ſed magnitudini atque potentiæ ſuæ refert acceptum, antiquiſſima eſt totius Liguriæ Domina, Corſicæque regina: ſuperbo inprimis ſitu, adſpectuque admodum nobilis, & mirabili plane portu ad utramque, & orientalem nempe, & occidentalem oram, longo intervallo, juxta mare mediterraneum, locaque illi vicina, procurrens: urbs, tam intus, quam foris, infinito propemodum ſuperbiſſimorum ædificiorum numero decora: tum ambitu etiam ingens; ita quidem, ut ſi molem includas, & portus, aliaque novitia quædam additamenta, ſex propemodum milliaribus in longitudinem pateat, & centum plus minus civium millia ſoleat numerare. Mediolanum, cui vulgo nomen *il Grande*, & circuitu ſimul, & civium numero, tum imperio quoque, revera peramplum eſt, uſque adeo quidem, ut incluſa mirabili illa & valida arce, pateat ulnis 18350, quæ, exacto calculo, novem milliaribus pæne reſpondent: juxta vero deſcriptionem ſeu cenſum actum nuper auctoritate & juſſu Cardinalis Borromæi reperta in ea ſunt civium

vium centies & octogies mille ducenta & ſedecim capita; idque præter vicies fere millenos eorum qui in cubiculis conductitiis agunt, & ultro citroque idemtidem commeant. ſic ut vulgo credatur, potentiſſimam iſtam & celeberrimam urbem ducentis hominum millibus numquam non eſſe inſtructam. Iam vero, ut omittamus tot alias nobiliſſimas juxta & antiquiſſimas Italiæ urbes, numero junctim trecentas, antequam ingrediamur Venetias, peculiari quadam de cauſſa breviter attingemus Parmam atque Placentiam, urbes præclaras & vetuſtate ſpectabiles, ſitas in fertiliſſimo tractu Longobardiæ, ejus, quæ ſita putatur in beatiſſima parte terrarum. habent autem hæ duæ urbes, inter cæteras ſuas dotes, tam intra murorum ſuorum circuitum, quam extra illum & per amplam imperii ſui ditionem, maximam ſane virorum nobilium copiam, ſed in primis felices ſunt hodierno Principe ſuo Alexandro Farneſio, qui, præter alia quidem eximia dona, ea eſt in re militari fortitudine ſimul atque peritia, ut jure habeatur pro ſummo & glorioſiſſimo ſæculi noſtri Imperatore. Tandem vero agemus de clariſſima illa & auguſtiſſima urbe Venetiarum, vulgo, & merito quidem, dicta *la Ricca*, hoc eſt opulenta, ob immenſas videlicet opes ſuas & longe lateque diffuſum imperium. cui, data opera, reſervavimus ultimum locum, quo videlicet ſe oblectent Lectores & majori cum voluptate animum ſimul & ſenſus paſcant in conſideranda per otium admirabili illa & prorſus ſtupenda congerie atque republica, per Attilæ demum furores & in Italiam noſtram incurſus, id eſt, anno abhinc milleſimo centeſimo, & quod excurrit, inter Hadriatici maris paludes, ſtagna & ſcopulos, cœpta condi. quæ hodie quidem octo miliarium ambitu ſexaginta complectitur Inſulas, civium vero capita, ut præciſe loquamur juxta noviſſimum cenſum 195863, indies etiam augens, & per ſalum illud ac rupes, pro re nata, paſſim ſeſe diffundens: eo quidem adſpectu & forma, eo ſplendore & fama, iis denique teſtimoniis rerum, ut appoſitiſſime ſane de ipſa cecinerit Clariſſimus ille Cornelius Frangipanis,

*Che ſol' ſe ſteſſa & null' altra aſſimiglia.*
*Sola ſibi ſoli ac nulli alii ſimilis.*

Adjiciemus deinde in hanc ipſam ſententiam, quod ad ho-

ad hominum quidem in opidis regionibuſque nonnullis degentium multitudinem attinet, potentiſſimam iſtam urbem, ne quid dicam de reliquo ejus tam intra quam extra Italiam noſtram Imperio, in ſolo territorio Brixenſi numerare ſexcenta triginta capitum humanorum millia. Florentia noſtra in ſuo dominio quidem nongenta, in Senenſi vero ducenta & quinquaginta millia capitum refert in cenſum. Regnum Neapolitanum habet quingenties mille (ut vocant) focos, quorum ſingulis ſi ex more communi tribuas quina hominum capita, conficientur duo milliones & ſemi. Septemdecim iſtæ regiones Inferioris Germaniæ, bonis (ut dixi) temporibus, tres numerabant capitum milliones. Anglia vero non ultra duos. Ita ut ſi exacta ineatur hic ratio, ſola Italia, etſi ſolo nequaquam tam ampla, ut jam inſulas ejus omittam, inveniatur duplo majorem habere hominum numerum, quam habeant iſtæ duæ tam inſignes Provinciæ. Sedenim longe plures eos numeravit temporibus priſcis, quando, inter alia quædam ejus rei monumenta, conſtat eam dediſſe ſeptingenta militum ſelectiſſimorum, & ultra ſeptuaginta equitum bellipotentium millia.

## RES MEMORABILES.

SVNT in Antverpia innumeræ res ſpectatu conſideratuque jucundæ & delectabiles: quarum magna ex parte ſuis jam locis & ſparſim fecimus quidem mentionem, ſed quas alienum tamen ab inſtituto non ſit, ſuccincte in unum hoc caput reſtringere, unaque opera & alias quaſdam nondum commemoratas paucis attingere: quo videlicet exteri, urbem, ut fit, adeuntes, majori cum facilitate voluptateque eas luſtrent & contemplentur. Primum itaque, (ne quid hic repetamus tot pulcherrimas urbis vias, fora, templa, cœnobia, aliaque id genus ædificia; item hortos & viridaria) commemorabimus veterem illam arcem, primam ſcilicet urbis originem, munitione ſimul & ſtructura laudabilem. hinc urbis ipſius muros, tot propugnaculis, vallis, vineis, & cum occultis, tum in propatulo ſtructis egreſſibus atque ingreſſibus, denique ſeptem

tem pulcherrimis portis, ſexque magnificis pontibus exornatos. arcem novam, adeo adfabre atque concinne, tantaque induſtria ſtructam & communitam. urbem novam, cum tot officinis cerviſiariis, puteis, uſtrinis, aliiſque coquendæ cujuſvis valoris cerviſiæ neceſſariis atque idoneis inſtrumentis. tum molem illam & actam, ſive crepidinem ripæ,& portum ad pulcherrimum illud & vaſtiſſimum flumen, omne genus navigiis plenum. varios paſſim alveos, ſive canales, quibus omnigenas merces uſque domum tuam conducas. altiſſimam illam turrim Deiparæ Virginis, tot viſu & obſervatu dignis operibus inclytam. Novam *Burſam*, quam vocant, ſtatis quibuſdam diei horis populo pæne differtam,ubi videre eſt tam ingentem mercatorum cujuſlibet nationis multitudinem, ſuis veluti claſſibus diſtinctorum, & negotia ſua tractantium: ubi, ſi obambulare libuerit, breviſſimo temporis ſpatio, magna cum animi voluptate auditurus ſis ſex ſeptemve primarias linguas. Officinam monetariam,ædificium plane regium,plurimis quidem ferrariis nobile, in quibus tanta ſignatur auri atque argenti vis. porticum, ſive xyſton polymitariorum, tam pulchris tamque mirandis operibus inſtructum. xyſton pictorum, variis atque præclaris inventionibus plenum. Xyſton vaſcullariorum, tam divite, tamque viſenda ſupellectile coruſcantem. pulcherrimum illud macellum, nullo non carnium genere copioſum. egregium illud forum piſcarium, piſcibus numquam non luculenter inſtructum. ſuperbum illud palatium Senatorum. palatium Hanſæ Teutonicæ, magnificum prorſus & regium opus, commode poſitum inter duos canales in urbe nova, ſuperbo plane adſpectu & forma, ut videre eſt vel ex iſthac ejus imagine.

Palatium illud Anglorum, longe pulcherrimum. ampliſſimam illam & elegantiſſimam domum Luſitanorum. denique admirabilem illam fornacem, in qua, Venetorum exemplo, conficiuntur omnis generis vaſa cryſtallina, ſtructam magnis impenſis ab Iacobo Paſquetto,Brixenſi, variiſque partim ab Rege, partim ab magiſtratu urbano privilegiis dotatam. Sed non minus quam omnia hactenus dicta ſpectatu & contemplatu jucundum ſimul & admirandum eſt amplum illud & celeberrimum Typographeion (ut alia multa minora nunc omittamus)

omittamus) quod ſeparatim ab ipſa officina libraria, propiis commodiſque admodum cellis & receptaculis, exſtruendum curavit doctus ille & ingenioſus Chriſtophorus Plantinus, Architypographus Regius. opus revera dignum quod memoretur! quia fortaſſe non conſtat, viſam hucuſque fuiſſe, vel hodieque in tota quam late patet Europa uſquam videri ullam rem huic operi parem. ubi nempe tot præla, tot torcularia, tot & tam varii generis characteres, tot formulæ, totque alii apparatus & inſtrumenta, vel juſtum theſaurum pretio ſuo æquantia: tot denique viri præſtantes, & hiſce talibus obeundis perquam idonei, lautis undecumque ſtipendiis conducti, & occupati in corrigendis omnibus prorſus (nullam enim excipio) tam litteratis, quam vulgaribus linguis, quæ inter Chriſtianos quidem in uſu ſunt, ita ut omnibus computatis, expendantur in hanc officinam ejuſque appendices duceni & plures floreni, id eſt ſupra centenos aureos noſtros, in ſingulos dies. rem profecto præclaram, ac non ipſi dumtaxat laudatiſſimo ſuo auctori, verum & toti urbi utilem juxta & perquam honeſtam! diſtrahuntur ſiquidem hæc tam pulchra tamque emendata volumina innumerabili pæne numero per univerſum orbem terrarum.

ADDIT. [*Quale hoc Typographeum ex illo facile judices quod anno præterito Sereniſſima Iſabella Clara Eugenia, Hiſpaniarum Infans, ſimul cum Sereniſſima Maria de Medicis Reginâ matre Ludovici* XIII *Galliarum regis idem inviſerit. Hodie illi præeſt Balthaſar Moretus, Chriſtophori Plantini ex filia nepos, Vir omni literarum genere doctiſſimus.*]

Atque iſta quidem ſufficiant ſuper præcipuis in hac admirabili urbe viſendis: ne quid addamus de promtuariis illis & receptaculis mercium, deque innumeris fere tabernis, quæ per omnes paſſim vicos ſeu regiones occurrunt, ea mercium omnis generis copia ſemper inſtructa, ut videatur perpetuus quidam mercatus, & quotidianæ propemodum nundinæ.

Non eſt in Antverpia, utpote urbe Mercuriali, tum etiam quia nobilibus atque Dynaſtis ciſalpinis ſollenne fere eſt vitam agere in locis ditioni ſuæ ſubjectis, & à magnis urbibus longe ſemotis, magnus familiarum nobilium numerus. neque deſunt tamen viri aliquot nobiles, qui urbis regimini præſint. urbis, quæ (ut ſupra jam

jam diximus) majori ex parte, quod ad ſummas quidem & maxime momentoſas res, gubernari ſolet à nobilitate. Nefas autem eſt hiſce Nobilibus, quemadmodum & cæteris omnibus Ciſalpinis, exercere mercaturam, quam variis tamen & quidem juſtis de cauſſis, exercent quamplurimi nobiles Itali, Veneti maxime, Florentini, Genuates, atque Lucenſes. Vetuſtiſſimæ autem & primi nominis ſtirpes, quæ hodie quidem in flore, ſunt eæ, quas deinceps enumerabimus. & primo quidem

Gens *Lirana*; ex qua, jam inde ab anno 1202 prodiiſſe reperio multos virtute illuſtres viros: & inter alios quidem Antonium, Guiljelmum, Henricum atque Arnoldum, fratres, Equiteſque auratos. floruerunt quoque non ita pridem uno eodemque tempore tres alii fratres, in primariis patriæ dignitatibus conſtituti: Artus videlicet, natu omnium maximus, Conſul Antverpienſis, Eques illuſtris, & ea quidem auctoritate, eaque apud populum gratia, ut urbem pæne ſolus pro arbitrio regeret: Nicolaus, Marcgravius: & Guiljelmus, Ammannus, ambo itidem Equites perhoneſti, nati eodem partu, adeoque inter ſe & vultu & reliquis corporis partibus pares, ut alter ab altero ægre poſſit dignoſci. Habuit quoque eadem gens nuper Ioannem, virum clariſſimum & inſignem archiſtrategum. Subjiciemus huic familiæ

*Immerſeliam*, gentis Liranæ propaginem, cujus & gentilitia geſtat inſignia. dedit autem & iſta familia multos viros illuſtres, atque adeo nuper Ioannem, Topparcham Boudriacenum, Equitem perhoneſtum, & Marcgravium Antverpienſem, paucis abhinc annis defunctum.

*Berchemii*, gens ſanequam nobiliſſima & magnæ antiquitatis, orti feruntur ab Illuſtriſſimis illis Bertholdis, Mechliniæ quondam Dynaſtis. dedit autem perpetuo etiam iſta gens viros præclaros: qualis nuper Conſtantius, vir meritis & virtutibus inclytus, ideoque in magna gratia apud Imperatorem Maximilianum. hodie inter alios habet Henricum, Berchemii, pagi nobis vicini, Toparcham, Equitem litteratum, & in magno apud omnes æſtimio: unde & pluries functus eſt conſulatu. ſucceſſor ei Antonius filius, etiamnunc adoleſcens. Iacobus

cobus etiam & Ioannes ex eadem ista prosapia, viri sunt maximi nominis, & filios habent magnæ expectationis.

Domus *Vrseliorum* admodum nobilis est & antiqua, habuitque perpetuo Equites perhonestos, qualis hodieque est Lancelottus, vir prudentissimus & maximi pretii. unde jam inde ab juventute sæpius egit Consulem, & quidem temporibus difficillimis, magna non solum cum auctoritate, verum etiam laude. Patri, inter alios liberos, succrescit Reinerus, Eques pereruditus, felici memoria, & acri judicio, qui, etsi etiam juvenis, pluries egit Scabinum: functus quoque legatione, nomine Regis Catholici, & hoc tempore Thesaurarius urbis, magnæque spei.

*Schoonhoviorum* vere nobilis domus, oriunda primum Arschoto, cum alias dederit multos viros illustres, tum hodieque habet Ioannem atque Philippum, utrumque Equitem, & alterum quidem Marcgraviatu, alterum Consulatu defunctum.

*Werviorum* clara & nobilis admodum gens est: è qua multi prodierunt Senatores; & inter alios quidem Gerardus, Ioannes, & Artus, fratres, omnes Equestri & Consulari in urbe patria dignitate. paullo post vero & eodem propemodum tempore Gerardus, Consul; Artus, frater ejus, Ammannus; & Guiljelmus, Marcgravius, equites valde illustres, & civibus suis carissimi. hodie inter superstites habet Theodoricum, Equitem perhonestum, & virtutibus inclytum, consulatu; & Simonem, ejus germanum, virum insignem, Marcgraviatu defunctum.

*Halmalia*, nobilis & illustri stirpe familia, dedit non ita pridem Guiljelmum, patriæ urbis Ammannum, adeoque pluries Consulem, equitem inclytæ famæ. cujus filius quoque Ioannes fuit vir perquam honestus, & magnus genealogiarum, insignium gentilitiorum & originum nobilitatis scrutator, nepotem habens Henricum, juvenem doctum, & ejusdem cum avo, non sine magna laude, professionis.

Gens *Dilftia*, nobili atque vetusto sanguine, Bergezomio primum advenit, ubi toparchiam possedit pagi Burgslietii. suntque ipsi adeo centũ & quinquaginta jam anni ex quo commigravit Antverpiam, in qua urbe Dilftii

tii crebro gesserunt præcipuas quasque dignitates, Scabinatum puta & Consulatum. quem nuper etiam gessit Franciscus, Eques perquam honestus, & postea Caroli Quinti Imperatoris ad Angliæ Regẽ legatus. cujus filius Eduardus, vir litteris & virtutibus celebris, hodie fungitur consulatu, & in magno est apud omnes æstimio.

Gens *Mechlinia*, nobilitate simul & antiquitate laudabilis, multos edidit viros illustres, qui præcipuas quasque in urbe gesserunt dignitates. habet autem hoc tempore Nicolaum, jam Senatorem, & summæ expectationis adolescentem.

Memorabilis etiam domus *Rocoxiorum* est: è qua inter alios hodie supereſt Nicolaus, eques eruditus & magnæ virtutis, qui jam pluries functus est consulatu, idque magna sua cum laude & auctoritate, Principi suo gratus, civibus longe gratissimus.

*Stercquiorum* honesta familia, Leodici bona stirpe prognata, hodie quidem habet Godefridum, jam inde ab adolescentia rationarium, sive Syndicum domus Caroli Quinti Imperatoris, ac Principi suo percarum & familiarem. qui non ita pridem fuit urbis Ammannus, eques sanequam generosus atque magnanimus, doctus, & variarum linguarum eloquentia præditus, & nuper creatus supremus Regiorum redituum thesaurarius.

*Schetsi*, domo Trajecto ad Mosam, honesto loco progenita, hodie valde clari atque illustres sunt. Floruit in hac gente non ita pridem Erasmus, eruditus & magni judicii vir: qui inter alios quidem laudatissimos filios reliquit Casparum, Baronem Wesemalium, Dominum Grobbendoncanum, & aliorum quorumdam haud parvi momenti locorum toparcham, supremum regio nomine Belgicæ Thesaurarium, utriusque linguæ doctissimum, magnum poëtam, & ut paucis absolvam, non litteris minus atque virtutibus, quam opibus & dignitatibus inclytum. Hic ante paucos annos defunctus reliquit numerosam valde & honoratam familiam, in qua potissimum splendent Lancelottus, Baro wesemalius, Dominus Grobbendonquii, & Consul Bruxellensis: Melchior Nicolaus, Dominus Heistii: Ioannes Carolus, Protonotarius Apostolicus, Dominus Gastelæ, & Consiliarius Parlamenti Mechlinienſis: & Conra-

dus, Toparcha Hingenii, commiſſariuſque financiarum.

Ex vetuſta proſapia *Vander-Heidiorum* prodiere nuper Michaël & Iacobus, ambo Equites eruditi, & urbis hujus exconſules.

Nobilis & antiqua domus *Happartia* claros aliquot viros dedit & Senatores: qualis nuper fuit Ioannes, ſupremis omnibus patriæ dignitatibus functus. cui ſucceſſit Ægidius filius, vir in magno honore, & eaſdem perpetuo gerens dignitates.

*Ettenii* quoque nobili & vetuſta progenie nati ſunt, quæ varios habuit viros inſignes, qualis nuper Henricus, vir Conſularis: ex quo natus eſt filius, patri cognominis, hodieque Senator, & cum eruditione tum virtutibus inclytus juvenis.

*Maſiorum* itidem gens antiqua & nobilis multos edidit viros egregios & virtutibus claros, qui & urbi & regioni laudabiliter ſæpe inſervierunt, adeoque etiamnunc inſerviunt. talis nominatim Arnoldus, qui, cum annis abhinc centum, & quod excurrit, eſſet Senator, exorto ut fit populari tumultu, utiliſſimam ſane communi tranquillitati auctoritate & conſiliis ſuis operam præſtitit. Fuit quoque non ita pridem ex eadem hac honorata gente Iacobus, Iuris utriuſque Doctor eximius, & magnus in pluribus linguis orator: unde per aliquot annos magna cum auctoritate egit urbis patriæ Syndicum, creatus tandem Conſiliarius Regius in Senatu Brabantiæ. reliquit vir iſte plures liberos, variarum profeſſionum peritos; quorum præcipui tres, quos dicam, Iuriſconſulti: primus eſt Ingilbertus, urbis Antverpiæ Syndicus, vir prudens & orator eloquentiſſimus, quare magna cum apud Senatum, tum apud populum etiam, pollet auctoritate: alter Ioannes Baptiſta, Conſiliarius in Senatu Brabantiæ, & Advocatus Regii fiſci, vir doctus, acuti ingenii, & pro tali etiam habitus: tertius denique eſt Philippus, Graphiarius Ordinum terræ Brabantiæ, & magni nominis advocatus.

*Herdiorum* etiam domus, vetus & bonæ famæ, nuper dedit Ioannem, virum ſpectabilem, qui reliquit duos filios adoleſcentes, quorum Nicolaus eſt unus è quatuor orphanorum præfectis.

Sunt

Sunt & alii aliquot viri nobiles, bonis honeſtiſque familiis nati, à quorum nomenclaturis, brevitatis ergo, ſuperſedemus. ſicut nec ulteriorem facimus mentionem illuſtrium familiarum de *Ranſt*, *Wynegem*, *Vander-Liſt*, *Sombeke*, *Hoboken*, *Coning*, *Wilmaer*, *Draeck*, *Pots*, *Vander-Elſt*, *Wygaerd*, *Schoyte*, *Pape*, *Alein*, & aliarum quarumdam, in meliori ſtirpe pæne jam exſtinctarum: at è quibus tamen prodiere complures earum quæ hodieque in flore, & ſupra nobis enumeratæ. Tandem vero ſubjiciemus & gentem Marſelariam. quæ licet haud uſque adeo in hac urbe inveteraverit, illuſtris tamen & perantiqua eſt. orti ex ea complures viri inſignes & ſtrenui Equites. quales præſertim Ioannes, jam ante annos plus quadringentos, & poſt eum Ægidius. qualeſque adeo nuper fuere Guiljelmus, Toparcha Opdorpii, præfectus Oſtienſis, & quinque illarum triremium aliorumque navigiorum, ab Hadriano ſexto Pontifice Maximo Rhodo ſubveniendæ deſtinatorum: & frater ipſius, Hadrianus nomine, ejuſdem Pontificis cubicularius, poſteaque Senator Antverpienſis. cui ſucceſſit cognominis filius, juvenis doctus & virtutum egregius, itidem in ſupremo urbis Magiſtratu Senator.

Habuit item Antverpia, præter eos qui hodieque ſuperſtites, aliis aliiſque temporibus varios viros in qualibet facultate profeſſioneque illuſtres: viditque non ita pridem inter Prælatos Dominum Petrum Vorſtium, Epiſcopum Aquulenſem in Tuſcia, & Romæ in ampliſſima dignitate duodecim viratus Sacri Tribunalis, quod Rotam vulgo appellant, cum certa ſpe obtinendi Cardinalatus, qui gradum illum plerumque ſubſequitur, quemque ille virtutibus ſuis & egregiis in aulam Romanam meritis ſibi meruerat, niſi acerbo fato fuiſſet exſtinctus, dum Pontificia legatione fungitur apud Germanos. In re militari vidit Conſtantium Berchemium, equitem magna virtute, unde & gratioſum apud Imperatorem Maximilianum: vidit nuper Ioannem Liranum, archiſtrategum clariſſimum, ideoque in gratia & familiaritate Cæſaris Caroli Quinti. Politicos & civilium rerum gnaros vidit Ioannem Vorſtium, dicti illius Epiſcopi patrem: qui ob raras ſuas virtutes evectus fuit ad ſublimem dignitatem Cancellarius Brabantiæ. In mera vero profeſſione litteraria vidit Petrum Ægidium,

Ioachimum Fortium Ringelbergium, Adrianum Arivillium, Arnoldum Corquium & filium ejus Ioannem, viros litteratiſſimos, & magnos philoſophos. Habuit Danielem Bombergium, hominem eruditum, optimeque verſatum & meritum de lingua Hebræa. cujus filius etiam, nomine Carolus, doctus & ſtudioſus admodum vir eſt. ſicuti & Cornelius nepos, qui videtur omnium primus, in hiſce quidem Provinciis, excudendos curaſſe libros Hebraicos. Denique dici etiam poteſt habuiſſe Cornelium Scribonium Grapheum, poëtam cultiſſimum, humaniorum litterarum peritum, Muſiceſque & variarum linguarum ſcientem: qui, etſi natus Aloſti, civis tamen & Secretarius Antverpienſis fuit, voluitque adeo in hac ipſa urbe vivere ſimul & mori. cujus filius Alexander, Antverpiæ etiam natus, reipublicæ itidem à ſecretis eſt, & varia litteratura magnoque judicio paternum exemplum in omni ſcientiæ genere pari paſſu inſequitur. Habuit Cancellarium Scheifium, qui virtutibus ſuis ad tantum dignitatis gradum aſcendit. Hodie, præter alios quoſdam, ſupra, in ſua quemque familia, nominatos, habet Stephanum Stratium, legum Doctorem, virum prudentem & exacti judicii. habet Abrahamum Ortelium, doctiſſimum & eximium plane Mathematicum; eum, qui poſtea, maxima ſua cum laude & publica omnium gratia, in lucem dedit *Theatrum orbis terrarum*, opus inventione & eruditione pulcherrimum, nobiliſſimum, & admirandæ prorſus utilitatis, ut quod uno ſolo volumine totum hunc mundum exhibeat. dedit idem & aliud quoddam opus non minus doctum, quam utile, quod inſcripſit *Synonymiam Geographicam*, magno in primis Hiſtoriographorum, Coſmographorum, aliorumque id genus ſcriptorum bono. expectatur autem, & quidem brevi, tertium ejus opus, cui *Theſauro Geographico* titulum fecit. Eſt deinde Ioannes Bochius, Magiſtratui à ſecretis, juvenis in utraque lingua doctiſſimus. eſt Michaël Coignettus, adoleſcens magni ingenii, & Mathematicus perquam excellens, ut nominatim apparet ex nova ejus inſtitutione artis navigandi, jam typis excuſa, in qua, præter alia quædam magni uſus inſtrumenta, à ſe primum excogitata, navigantes docet, qua ratione metienda ſit ipſis, ab ortu in occaſum, & viceverſa ab occaſu ad ortum tendentibus,

tibus, leucarum itineris ſui diſtantia. rem hactenus quidem exiſtimatam (quia ſcilicet nullus hic, ut in polo, firmus ſit ſcopus) non difficilem modo, ſed inter prorſus *adunata*, ideoque omni laude & præmio proſequendam.

Habet vero Antverpia etiam plures doctos & ſtudioſos adoleſcentes, qui brevi magna (ni fallor) cum laude nomina ſua propagaturi ſunt.

Communiter tamen & univerſim cives Antverpienſes mercaturam profitentur, ſuntque revera ſtrenui admodum & induſtrii mercatores, & ut plurimum in re lauta, nonnulli quidem in tantum, ut ducena ſinguli numerent aureorum noſtratium millia; quidam etiam plura. Viri ſunt mire humani, civiles, ingenioſi, & qui promte admodum imitentur exteros, contrahantque ex facili cum illiſipſis affinitatem. mundi, & in eo itinerum, gnari, ac magnam partem, ne fœminis quidem exceptis, etiamſi numquam peregrinati ſint, ternis quaterniſve linguis dotati: ne quid addam de iis qui quinas eas habent, imo & ſenas, imo ſeptenas. rem profecto non utilem modo, verum etiam admirabilem, nec in alia ulla provincia, nedum urbe, reperiendam! Artifices etiam habet Antverpia in omni arte profeſſioneque egregios, qui ut diligentiſſime operentur, tantum operum tamen conficere nequeunt, quin diſtraxerint ea, priuſquam abſolverint: unde fit (quod veriverbio dicitur) ut ſæpius fabricando, faber evadat perfectus. Quotnam vero & quales eæ ſint artes mechanicæ, quæ reipſa hic exercentur, unico pæne verbo expreſſeris, ſi videlicet dixeris, cunctas. Primũ enim ædificantur hic omne genus navigia: conficiuntur varii generis panni: cujuſvis pretii lintea, tapetes, & periſtromata Turcica: fuſtanei: armaturæ, & quæ præterea requiruntur in uſum belli: coria: picturæ: tincturæ: colores: inauraturæ: ſupellex argentea: maxima multitudo vaſorũ è vitro, adfabre & ad Venetam normam elaboratorum: omnis generis merces ex auro, argento, ſerico, filo, lana, & quocumq; metallo, aliæque innumerabiles res. conficiuntur præterea non unius generis panni è ſerico. & quid amplius? conficitur, opera bombycum, etiam ſericum ipſum, etſi exigua copia, ſed quod peregre importatur, & res magni momenti eſt, operi variis modis inſumitur, non ſine in-

genti artificum quæstu. Repurgantur hic denique summa industria non dumtaxat metalla, verum etiam cera, saccharum, & quidquid ejusmodi rerum est. conficitur quoque, & quidem unice, minium, Italis dictum, cinabro. Est deinde artificum, alias artes minores, majoresve exercentium, largissima etiam copia. quare, ut magis magisque demonstrem florentissimæ urbis magnitudinem, visum est, speciatim subjicere numerum, ut sic dixerim capitum, seu magistrorum, artes magis receptas & necessarias hoc tempore profitentium: quo cognito, reliquus civium numerus eo facilius æstimari possit. Sunt ergo pistores, ducenti & sexaginta novem: laniones, octo & septuaginta: cetarii & qui pisces marinos vendant, septuaginta quinque; propolæ piscium fluviatilium, sedecim sive septemdecim: tonsores & chirurgi, centum & decem: sartores & caligarii, nonaginta & quatuor supra quingentos: materiarii, quadringenti duodecim: vascularii, præter complures lithoglyphos, centum viginti & quatuor, quorum opera sanequam admiranda, audacia vero in coëmendis quantivis pretii gemmis stupenda prorsus & incredibilis; unde fit ut in una hac urbe major inveniatur taliũ rerum luxuries, quam in totis quibusdam Provinciis: variorum picturæ sculpturæque generum professores, præterpropter trecenti: institores & circumforanei prope innumeri. Conferunt autem (ut cuivis notum est) hæ tot artes & opificia mirum in modum exercendo potissimum populo, cavendoque ne otio & voluptatibus corrumpatur: excitant atque exacuunt, inde ab juventute, humana ingenia, iisque verum ingignunt erga patriam suam amorem. cujus rei nullo non tempore admiranda quædam in hac urbe extiterunt exempla: ita ut orta confusione aliqua, sive tumultu, numquam illis sedandis & reipublicæ procurandæ defuerint viri probi. tantum scilicet in politia bene fundata positum esse momenti! Sicut enim corpus aliquod integrum validumque, etsi morbi invaserint atque symptomata, suo tamen vigore sanguineque subsistit & sustentatur: ita quoque respublica, cujus cives jam inde à pueritia quæstui assueverunt atque industriæ, suis viribus suaque mole, tam pacis quam belli temporibus, stat inconcussa. amor siquidem ille, quo afficitur quisque erga rem suo labore

labore ſudoreque partam, eumdem & publici boni conſervandi ſtudioſum reddit, & vigilantem, gnarum ſcilicet in publicæ rei ſalute vertere etiam bonum & ſalutem cujuſvis privati, eo nexu cum illa conjunctam, ut altera ſine alterius ope ſubſiſtere plane non poſſit. Vnde fit, ut cum iſti fere omnes in quæſtum propenſi ſint, non in merces ſolummodo, ſed in ædificia quoque & agros magnam impendant pecuniæ vim, opeſque ſuas omnibus modis amplificent: adeo quidem ut magis magiſque urbs efflorescat, & magna in dies capiat incrementa. Hodie, licet infimatium aliqua pars, & rigidiores nonnulli antiquam ſervent in victu parcimoniam, promiſcue tamen ſplendide ſumtuoſeque, imo forte præterquam decori ratio poſtulet, in Antverpia vivitur. cultus, tam virorum, quam fœminarum, in quavis ætate, magnificus, & nova peregrinaque ſubinde forma concinnus. cæterum multi ſplendidius longe & ſumtuoſius induuntur, quam civilitas & honeſtas permittant. Videas inſuper ſingulis pæne horis convivia, nuptias, choreas: audias paſſim ſonos, cantus & ſtrepitus: & ut paucis complectar, omnibus prorſus modis omnique ratione ſeſe prodit potentia, opulentia, pompa & ſplendor hujus urbis.

### *Diſſertatio ſuper mercatoribus Antverpianis, eorumque commerciis.*

QVoniam vero de urbis ipſius regimine, deque indole & affectibus incolarum hactenus nobis diſſertum eſt, agendum eſt etiam paucis de Mercatorum alienigenarum in ea commerciis, & ratione negotiandi. urbe potiſſimum magna ex parte in illis fundata, & per exteros tam inſigniter aucta illuſtrataque. Primo igitur dicimus, præter terræ ipſius indigenas, qui maximo iſthuc numero confluunt, urbemque inhabitant: præter etiam plurimos mercatores Gallos, tempore pacis eam quotidie frequentantes: inveniri è ſex præcipuis illis gentibus, quibus ſcilicet fixæ, tam pace, quam bello, Antverpiæ ſedes ſunt, connumeratis miniſtrorum primariis, mille & amplius mercatores. Sunt autem iſti Germani: Dani, & una cum iis Hanſatici: Itali: Hiſpani: Angli; & Luſitani. at plures fortaſſe

Hiſpani, quam alterius alicujus nationis : ſaltem plures eorum mariti, & patres familias. Qui quidem mercatores, ſervatis, ut par eſt, legibus & ſtatutis urbanis, in reliquo omni victu & cultu, libere prorſus & ſuo more ſe gerunt. gaudent ſiquidem exteri, cum in hacipſa urbe, tum per univerſum hunc tractum, majori, quam alibi uſquam terrarum, libertate. adeo quidem ut mirabilis plane res ſit tantam videre confuſionem, tamque variam hominum indolem: nec minus mirandum audire tantam adeo inter ſe diverſarum linguarum varietatem. unde fit, ut ſine alia fere peregrinatione, in unica urbe poſſis ſpectare, & quatenus libeat, imitari variarum gentium ritus, mores & rationes vivendi. Hinc etiam eſt, quod Antverpiæ, propter tot illos exteros, habeantur continuo nuntia ex omni terrarum parte. Omnium vero quos jam diximus mercatorum ditiſſimi maximeque illuſtres Fuggeri ſunt, homines ortu Germani & ab Auguſta Vindelicorum. cujus quidem gentis caput, Dominus nempe Antonius, mercatorum ſine controverſia princeps, nuper in ipſa patria ſua defunctus, teſtamento reliquit ſupra ſex coronatorum milliones. ne quid addam de aliis illis prope immenſis illuſtris hujus & ſplendidæ gentis opibus, negotiandi induſtria, intra annos circiter ſeptuaginta, quæſitis. unde ad ſtatuum quoque & toparchiarum dignitatem & titulos, non in Germania modo, verum in aliis quoque Europæ Provinciis, & in ipſo adeo novo orbe, aſcenderunt. Antequam vero progrediamur ulterius, ſilentio neutiquam involvendum eſt, ne Catholicum quidem & Luſitaniæ Reges, ſicuti nec Anglorum Reginam, exiſtimare ſceptris ſuis indignum, in magna iſta mercatorum ſocietate homines etiam ſuos, & perilluſtres quidem habere, qui, poſtulante Regum ſuorum uſu, mercatorio ritu negotiantur, & vulgo dicuntur Factores. Et Catholico quidem Regi duo hic tales miniſtri, quorum utrique peculiares ſuæ incumbunt partes, uterque ſeorſim ab altero habitat, & diverſis utitur adminiſtris. alter hodie quidem eſt Dominus Caſpar Schetſius, ſupra nobis commemoratus : alter vero Ioannes Lopezius Gallus, Baro Malenſis, vir fama & opibus nobilis. habet vero uterque ampliſſimam Regio nomine poteſtatem, continentem in ſumma, ut quantaſcumque pecunias,

in

in quodcumque tempus, fœnore collybove, vel & alia quavis ratione poſſint accipere, & generatim ipſummet Regem, ſpeciatim vero ipſius in hanc illamve Provinciam aſſignationes, obligare. ita ut non adeo pridem ingentes pecuniæ ſummas in mercatorum baſilica mutuo ſumſerint, eaſque ad diem condictum rurſus diſſolverint. Regi Luſitano unicus tantum hic procurator eſt, iſque perquam honeſtus: qualis hodie quidem Franciſcus Peſoa, vir admodum nobilis & imaginibus clarus. qui & ipſe ampliſſimam habet poteſtatem ſumendi quamcumque pecuniarum, vel & mercium, ſummam, & obligandi in eam Luſitaniæ regnum. ut non ita pridem in hoc foro ſolitus fuerit commovere quaſcumque placeret pecunias: ſuperioribus vero temporibus, cum majori ſortaſſe Reges illi premerentur nummorum penuria, vel magis etiam eſſent obærati, procuratores eorum, uno ſolo mercatu, tres nonnumquam coronatorum milliones fœnori acceperunt, & conſtituto viciſſim die repræſentarunt. quoniam vero ab annis aliquot retro ambo illi Reges ſeſe inveniunt admodum obæratos: Luſitanus quidem per bella & expeditiones Indicanas; Catholicus vero per bella cum Gallis & Turcis geſta: & comperiunt forſan, ſe plus ſatis gravari immanibus avidiſſimorum mercatorum uſuris, à quibus male interdum fuere multati: conſtituiſſe videntur, creditoribus ſuis, commodo aliquo temporis lapſu, ſatiſfacere. atque hinc eſt quod jamdicti procuratores, quod ad regia quidem negotia pertinet, hodie ſeſe in foro non moveant, ſed decretoriam Dominorum ſuorum voluntatem expectent. Regina Anglorum ab annis aliquot citra procuratorē hic habet Thomam Graſſanum, equitem perhoneſtum, qui & ipſe ſufficienti poteſtate inſtructus ſæpe ingentes pecuniæ ſummas, ejus nomine, in hoc foro commovit, quas ad tempus condictum cum fide diſſolvit. Diſſertaturi deinceps de immenſa illa negotiatione, quæ in celeberrimo iſthoc Antverpienſi emporio quotidie ſolet exerceri, dicimus hoſce mercatores alienigenas, ſicuti & indigenas ipſos, admiranda prorſus & tantum non incredibilia inter ſeſe, tam in pecuniis fœnore collybove curandis, quam in mercibus diſtrahendis, celebrare commercia. quare paucis agemus de ratione, ſeu modo, quem in hiſce talibus

libus isti obſervant. is autem hujuſmodi. accedunt tum mane, tum veſpere ſtatis quibuſdam horis ad baſilicam, ſive burſam Anglorum, atque ibi horæ plus minus ſpatio, interfatu proxenetarum cujuſvis linguæ, quorum ingens eſt numerus, potiſſimum agunt de emptione & venditione omnis generis mercium: hinc, ubi plus paulo adveſperavit, conferunt ſeſe ad Burſam novam, ubi pari horario ſpatio, & eorumdem pararіorum interventu: ſpeciatim de collybis agunt, deque uſuris, ſive depoſitis.

Et collybo quidem curantur nummi in varia loca Italiæ, uti Romam in primis, Venetias, Mediolanum, Florentiam, Genuam: hinc in varia etiam loca Germaniæ, Auguſtam puta, Noribergam, & Francofortum: & compluria loca Hiſpaniæ, ut in quatuor illas celebres nundinas. binas quidem Methymnæ del Campo, tertias Villaloniæ, quartas Methymnæ de Rivo Sicco: Burgos inſuper, Gades, Hiſpalim, & Olyſſipponem nonnulla fiunt collyborum commercia. negotiantur eodem modo & in varia Galliæ loca, ut in quaternas nundinas Lugdunenſes, Lutetiam, atque Rhotomagum: denique Londinum quoque & Veſontionem. Conſiſtit autem in eo potiſſimum iſta collybi ratio, ut vel dentur Antverpiæ, vel accipiantnr, aliquot hujus monetæ groſſi, quot videlicet ſatis ſint ad conſtituendum aureum, ſive ducatum, ut vocant, aut angelatum: pro quibus deinde in Italiæ, aliarumve Provinciarum locis recipiatur, ſive reddatur idem, vel circiter, pretium. atque ea dandi accipiendive, ut viciſſim recipias, ſive diſſolvas, ratio, proprie collybus dicitur: fuitque inventa ad commerciorum potiſſimum utilitatem. ſedenim mercatorum plerorumque, & in primis ditiſſimorum malitia honeſto hoc lucro non ſatis contenta, inſatiabili extraordinarii quæſtus ſiti, laudabilem hancce rationem depravat, & in pejus commutat: dum erogando, vel & accipiendo, ex ſupervacuo, ingentes ſæpe pecuniæ ſummas, variis, & iis quidem violentis, modis & artibus, vel reſtringunt vel augent pecuniæ pretium, ſuo quidem privatim quæſtu, publico vero omnium damno. In genere tamen iſta negotiandi per collybum ratio non ferenda dumtaxat, verum & utilis valde cenſenda eſt: neque poteſt (ut volunt Theologi) dummodo recte uſurpetur,

dica

dici lucrum injuſtum. ſit enim non raro ut ingenti tuo periculo exiguum facias quæſtum, imo & de ſorte nonnihil decedat. Sed agamus jam tribus verbis de ratione depoſiti.

Depoſitum hodie vocant iſti, turpitudinem rerum honeſto tegentes vocabulo, cum quis alteri tradit certam pecuniæ ſummam ad aliquod tempus utendam, idque pretio, ſive uſura quadam certa præfinitaque: verbi gratia, juxta permiſſionem Caroli Quinti Imperatoris, confirmatam deinde ab filio ejus Philippo Rege, duodenorum in centena, anno exacto perſolvendorum. quam quidem uſuram iidem Principes mercatoribus permiſerunt difficillimis reipublicæ temporibus, quo videlicet gravioribus obviam irent incommodis: Sed & tempus & experientia, ne quid dicam de antiquis exemplis, evidenter ſatis oſtendunt, tam immanem uſuram, quæ malitia quadam humana plurifariam in dies depravatur & adaugetur, eſſe admodum gravem, & cum tenuioris fortunæ hominibus, tum & ipſis commerciis, detrimentoſam. utilis quidem foret in univerſum hæcipſa contrahendi ratio, ſi honeſto alicui pretio homines acquieſcerent, puta ſenorum & unius quadrantis in centena; quod jamdicti Cæſar & Rex indulſerunt viris nobilibus, cæteriſque vitam annuo reditu tolerantibus: vel aliquanto etiam ampliori, ſcilicet octonorum & unius trientis; quod permittere fere ſolet Cancellaria Brabantiæ. quia vero pretiis iſtis non acquieſcunt, & modeſtiæ limites ſæpe tranſiliunt, fit ut negotium iſtud depoſitarium variis modis incommodum, adeoque violentum etiam reddant. Olim homines nobiles, ſiquas pecunias haberent otioſas, in agros eas & prædia, inque agriculturam & pecus, alioſve id genus uſus, quibus multi occuparentur, & annona terris abunde ſuppeteret, erogabant: Mercatores, ſiqui eſſent nummatiores, pecunias ſuas impendebant in merces adfatim aliunde peritas, vel & alio, ubicumque neceſſitas poſtularet, ſubvectas: quo creberrimo quidem & reciprocante commercio infinitis cujuſvis conditionis hominibus dabatur quod agerent, quoque facultates ſuas augerent; urbes & regiones ſcatebant omnigenis mercibus; accreſcebant civitatum & Principum cenſus: nunc autem bona nobilium pars, ingenti illo & certiſſimo

tiſſimo quæſtu, ex immanibus illis depoſitis hodie paſſim receptis proveniente, illecti atque corrupti, pecunias, ſiquas habeant vacuas, clamculum, quia palam nempe non licet, vel per ſe, vel per alios, ponunt in fœnore: Mercatores plerique, eadem plane de cauſſa, & incommodis atque periculis gravioribus evitandis, violento eas atque ſecuro hujuſmodi fœnori fere exponunt, vel quanti maximo poſſunt, permutant. unde, quod nobiles quidem attinet, plurimi agri reſtant inculti, nec paſcua juſto pecudum numero occupantur: quæ res poſtea gignit annonæ difficultatem, adeoque publicam ſæpe miſeriam: Mercatorum vero ex parte, regioni de rebus & mercibus neceſſariis non abunde ſatis proſpicitur: quod, præter alia quædam incommoda, facit, ut ſiquæ proſtent venales, eæ plerumque ſint cariores, imo quædam interdum cariſſimæ. quæ omnia ſane in non exiguum, imo vero immenſum, ut publicæ rei totius, ita tenuioris præſertim plebeculæ, multimodis à divitibus exedi ſolitæ damnum redundare neceſſum eſt. poſſentque adeo hujuſipſius rei plurima ſatis clara produci exempla: ſed quia crebro nimis ſpectatur ipſe effectus in tot argentariis diſſolutis, aliiſque id genus confuſionibus, ne cuiquam creemus invidiam, plura nunc non addemus. quin potius revertemur ad inſtitutum ſermonem: nam cum expoſuerimus qualiter multi mercatores injuſto ſæpius quæſtu ditescant, ſintque in publicum noxii; convenire quoque videtur, ut ſubjungamus, quopacto eorum complures juſtis lucris locupletentur, & in publicum proſint. id autem, ut dicam compendio, ſola mercium via contingit, quas illi largiter ſimul & fideliter emptas venditaſve, omni ex parte petendas, & in omnes viciſſim partes diſtribuendas procurant. Videntur autem præcipua quædam mercium genera, quæ ex omni Europa, vel & aliis mundi partibus, in dies terra marique in hunc tractum importantur, vel & hinc in alias terras evehuntur, quoniam dignæ profecto & magni momenti res ſunt, tractanturque potiſſimum à mercatoribus in hac urbe degentibus, & in hanc urbem maxime comportantur, ſuo quodam jure exigere, ut ſeorſim fiat ipſarum mentio: cum præſertim tanta rerum varietas ſimul & abundantia non niſi voluptatem cum utilitate aliqua

conjun-

conjunctam lectori poſſit adferre. Dicimus ergo imprimis ex Italia nobis ſubmitti infinitam optimarum & quantivis pretii mercium copiam, eodemque viciſſim hinc exportari quædam alius generis mercimonia, pretio vel ingentem theſaurum æquantia. age vero deſcendamus ad particularia, ordiamurque propter ordinis dignitatem, non autem ex Geographiæ præceptis, à ſtatu Eccleſiaſtico.

Roma vix ſuppetunt nobis alicujus momenti merces: eo vero mittuntur à nobis omnis generis panni, periſtromata item, & panni ſubſerici, quos *ſajas* vulgo, *oſſettas* & *ſemioſſettas* nuncupant, adſatim linteorum, aliaque bona compluria.

Ancone ſubmittunt incredibilem vim undulatorum, tum & varia genera ſubſericorum, Italis vulgo *grogani* & *mocajarri*: item aromata, pharmaca, ſerica, goſſypia, coactilia, periſtromata, coria Cordubana quæ vocant, & colorem Indicum, ſive cyaneum. quæ quidem omnes merces ſuppetunt ipſis ab Oriente. Nos eo ſubmittimus maximam vim pannorum, cum eorum quos *cariſeas* appellant, & alterius generis Anglicanorum, tum qui in hiſce partibus ſunt contexti, & nominatim pannos illos quadricolores Armenterienſes: *ſajas* deinde, *oſſettas*, lintea, aulæorum nonnihil, & colorem illum coccineum, quem *cuchenillam* appellant, & ab Hiſpania nobis ſubmittitur, magna ſatis pecuniæ ſumma.

Bononia mittunt plurimos pannos ſericos, imo & ſericum ipſum tam coctum quam crudum, ſpeciatim vero ex optimo illo genere quod Itali *organzino* dicunt: aurum quoque argento commixtum, item pannos auro & argento intextos: byſſum deinde, & non unius generis carbaſa, tum & alias quaſdam conſimiles merces, magnam pecuniæ ſummam reddentes. Nos Bononienſibus mittimus omne genus ſubſerica, *ſemioſſettas*, aulæa, lintea, tum & pauculos pannos.

Venetiis adferuntur in iſtas partes omne genus aromata, caryophylla videlicet, cinnamomum, nuces myriſticæ, zingiber: item pharmaca ſatis multa, ut rhabarbarum, aloë, caſſia fiſtularis, agaricum, cinnabaris, vulgo ſanguis draconis, piſſaſphaltum, folia ſenæ, lazer cyrenaicum, myrrha, thus, ſtorax, colocynthis, ſcamonæa, tutia, mithridaticum, atque theriaca, quæ aro-

mata pharmacaque Veneti maximam partem nanciſcuntur ex Oriente. ſolebant autem (ut ſupra meminimus) ante commercium iſtud ſibi ab Luſitaniæ Rege præreptum, omnia prorſus aromata, ac tantumnon etiam pharmaca in hunc tractum allata, ipſi olim mari nobis ſubvehere. unde comperior, anno jam tum milleſimo trecenteſimo decimo octavo, quinque naves Venetas, aromatibus pharmaciſque onuſtas, & ad mercatum profectas, appuliſſe in hujuſipſius Opidi portum. Adferuntur inſuper nobis à Venetis pulcherrimi & pretioſi admodum panni ſerici. adfertur & ipſum ſericum coctum juxta & crudum. item panni undulati, *grograni*, *mocajarri*, tapetes, panni holoſerici plane mirabiles, coccinei quoque perquam eximii, goſſypium, cuminum, ebenum, multæ merces è ſerico, aliaque materie: color præterea Indicus, ut & alii quidam colores, tinctoribus pariter & pictoribus utiles. Mittuntur iſthinc Venetias primum cimelia & margaritæ complures: hinc panni & lanæ Britannicæ ſatis multæ, etſi magnam partem via maritima ſibi ex ipſo loco de iis proſpiciant. mittuntur etiam varii panni in his oris contexti, tum *ſajæ*, quas vocant, Hondiſcotanæ, Inſulenſes, Atrebatenſes, Valentianenſes, Montenſes, & aliorum locorum, *oſſettæ* denique, *ſemioſſettæ*, magna vis linteorum, peripſtromata, color coccineus, varii generis mechanica & ſupellex domeſtica: mittitur ſæpe & ſaccharum, nonnumquam etiam piper.

E regno Neapolitano mittuntur panni aliquot ſerici, item ſericum coctum & crudum, tum rariores nonnullæ pelles, crocus Aquilanus, & manna perquam excellens. Deferuntur eo panni domeſtici ſimul & Anglicani; largiſſima copia linteorum, *ſajæ*, *oſſettæ*, *ſemioſſettæ*, aulæa: plurima denique utenſilia ex metallo, aliaque materie facta.

E regno Siciliæ magna copia nobis ſuppeditantur gallæ, cuminum, goſſypium, ſericum: nonnumquam & genera quædam generoſiſſimi vini, qualia ſcilicet Græcum, *vernacia*, quam vocant, & iis ſimilia. Nos eo ſubmittimus adfatim linteorum, tum pannorum quoque, *ſajarum*, tapetum, & innumeras merces è metallo, aliaque materie factas.

Mediolano, & ex toto ejus dominio, quam plurima nobis

nobis mittuntur bona, nomitatim vero aurum & argentum filatum, pro magna ſatis pecuniæ ſumma: panni auro & argento intexti; tum & varii generis ſerica; infiniti plurium generum panni fuſtanei; item coccina, & ſtametti quos dicunt, aliique conſimiles panni ſubtiliores: oryza valde laudabilis; armaturæ perquam egregiæ, variæ magni pretii merces: quin & caſeus ille, quem Parmenſem vulgo appellant, non pœnitenda profecto merx. Mittitur eo piper, ſaccharum, gemmæ, muſcus, aliaque odoramenta, plurimi tum domeſtici tum Anglicani panni, *ſajarum* varia genera, *oſſettæ*, *ſemioſſettæ*, linteorum immenſa vis, periſtromata, color coccineus, ac tam Anglicanæ, quam Hiſpanienſes lanæ.

Florentia mittunt pannos auro & argento intextos, eoſque vel criſpatos, vel planos; mittunt veſtes Attalicas; varios item pannos è ſerico, pretioſos valde & pulchros: aurum & argentum filatum; pannos qui vulgo *raſi* dicuntur, bonos admodum atque durabiles; ſerici genus, quod *capitoneum* nuncupant, duplici ſimplicique ſubtemine; pelles aliquot rariores martium Scythicarum ſimul & domeſticarum; denique varias operum ſubtiliorum delicias: Nos contra Florentinis ſubmittimus plurium generum *ſajas*, *oſſettas*, *ſemioſſettas*, pannos linteos, linum; pannos villoſos; & lanas Britannicas, etſi de ultimis iſtis ex ipſa Britannia, beneficio maris, ipſis magnam partem proſpectum ſit.

Genua nobis ſubmittunt admirabilem plane holoſericorum non unius pretii copiam, quibus non alii meliores vel & magis elaborati huc importantur, imo ne ullibi quidem conficiuntur: mittunt inſuper *raſos* quam optimos, *ormuzinos* aliosque pannos è ſerico. adfertur indidem & corallium, adferuntur mithridaticum & theriaca perquam excellens. Genuenſibus ſubmittuntur panni cum Anglicani, tum & domeſtici, *ſaja*, *ſemioſſettæ*, panni lintei, aulæa, merces minutiores & ſupellex domeſtica.

Mantua pariter nobis ſuppetunt panni è ſerico, ſericum item coctum & crudum, pileorum in magnam ſummam abiens multitudo, & complures minutiæ: Mittuntur eo merces domeſticæ, ſupra ſæpius repetitæ.

Luca ſubmittuntur nonnumquam panni auro & argento

gento intexti, numquam autem non variorum generum panni è ſerico, magna quidem ii frequentia, verum ut plurimum leviores, & ſerici admodum inopes. Mittuntur eo merces jam ante nobis enumeratæ.

Advehuntur præterea & aſportantur extra & verſus alias quaſdam Italiæ civitates, Veronam puta, Brixiam, Vincentiam, Mutinam, prædictorum & aliorum quorumdam generum merces, brevitatis ergo hic non adſcriptæ.

Adferuntur denique ex eadem Italia, & maritimo quidem itinere, alumina Civitatis vetulæ; olea terræ Apuliæ; item Genuenſia & Piſana; gallæ; plurium generum gummi; goſſypia; cuminum; folia ſenæ; iris, quam Florentini dicimus *diaggivolo*; ſulphur; auripigmentum, aliæque id genus merces grandiores. Deferuntur contra in illam, maris ejuſdem via, ſtannum, plumbum, rubia, lignum Braſilienſe quod vocant, cera, corium, linum, ſebum, piſces ſale conditi, tum pulcherrimum quoddam genus materiæ fabrilis, nonnumquam & triticum, item ſecale & faba.

E Germania, via terreſtri, ſubmittunt nobis argentum ſolidum; argentum vivum; cuprum crudum & repurgatum; omnia incredibili pæne luxurie. lanas item Haſſicas præſtantiſſimas; vitrum; magni valoris fuſtaneos: glaſtum; rubiam; crocum tinctorium: nitrum; multiplices merces minutas, & varia genera domeſticorum utenſilium ex quovis metallo, adfabre admodum facta, & in magnam pecuniæ ſummam abeuntia: arma cujuſvis generis pretiique tam propulſando, quam offendendo hoſti idonea, denique alba illa non unius generis vina Rhenenſia, magni profecto momenti mercem! ſunt enim & guſtu admodum ſuavia, & ſaluti digeſtionique vel maxime conducibilia, gaudentque privilegio quodam peculiari, quod videlicet duplo largius ea poſſis haurire, quam aliud quodvis vini genus, priuſquam vel caput, vel ſtomachum ulla ex parte lædant. In Germaniam vero ex hoc tractu mittuntur gemmæ & margaretæ: item magna pharmacorum & aromatum copia; crocus; ſaccharum; panni Anglicani, vel pro juſto theſauro; tum domeſtici quoque complures: *ſajæ* denique, *oſſettæ*, *ſemioſſettæ*, tapetes, linteorumque & multiplicium mercium minutarum immenſa vis.

E Dania,

E Dania, terris Hanſaticis, Livonia, Norvegia, Suecia, Polonia, aliiſque regionibus & provinciis Septemtrionalibus, adeoque ex ipſa Moſcovia, ſubmittuntur nobis quantivis pretii merces: & primo quidem triticum atque ſecale, quorum ratio in immenſam abit pecuniæ ſummam: adfatim cupri; nitrum; glaſtum; vitriolum; rubia; lanæ Auſtriacæ ſanequam excellentis; linum; mel; pix; cera; ſulphur; cineres ſaponarii, mercimonium neutiquam contemnendum; pellium pretioſarum eximiæ pulchritudinis compluria genera, ut zibellinorum, martium, murium alpinorum, lyncum, luporum cervariorum, pantherarum, muſtelarum, vulpium candidarum pariter & communium, luporum item alborum & communium; imo & multæ piſcium non unius generis pelles: item ingens copia coriorum variarum ferarum, nominatim vero bubalinorum, adeoque & urſinorum in uſum belli: ligna item pulcherrima, & cum ad alios quoſvis uſus fabriles, tum ad naupegiam in primis idonea: eſtque inter alia genus quoddam materiæ, Belgis Wagheſchot dictum, bellum ſane, & virgulatum pæne ad inſtar nucis, quod in frequenti hic admodū & multiplici uſu eſt; ſive ob pulchritudinem id contingat, ſive quod ipſum lignum diutiſſime perſeveret, ac neque ex facili agat rimas, neque cariem, niſi extrema demum vetuſtate, ſentiſcat. mittitur autem hoc genus uſque in ipſam Italiam. adferuntur etiam indidem genera quædam cerviſiæ generoſioris, & quantivis pretii; multæ carnes ſalitæ; multum inſuper piſcium ſalitorum, & vel fumo, vel ſole, vel vento, vel ipſo denique gelu induratorum. adfertur deinde & ſuccinum illud flavum, quod vulgo, licet improprie, Gedanenſe vocant, ſeu Dantiſcanum, quia nempe in ea urbe magno artificio induſtriaque elaboretur, etſi centum & amplius millibus diſtet illinc ejus piſcatio. Quia vero hæc cognitu digna & non parvi momenti res eſt, ſuper qua tam multa hucuſque ab antiquis ſimul & recentioribus diſputata ſunt, ſententiis quidem adeo inter ſe diſcrepantibus, adeoque ab omni veritate alienis, ut jam lapſis tot ſæculis (veluti copioſe diſſerit eruditiſſimus Matthiolus) nondum tamen habeatur fortaſſe quidquam certi; non erit alienum ab inſtituto, ſi & nos breviter eam attingamus, idque ex indubi-

indubitatis illis relationibus, quas à mercatoribus perhoneſtis, nominatim autem Ioanne Achelio, oculato plus ſemel locorum illorum arbitro, nacti ſumus: qui omnes jam multis annis in hoc mercimonii genere verſati ſunt, mihique & rude illud & elaboratum crebro exhibuerunt ſpectandum, aliis atque aliis â natura coloribus præditum, quos ipſi aſſerunt eſſe plures quam centum, omnes tamen ad argenteum alique, aureumve colorem vergentes; poſſe autem ab arte & alios quoſvis ei colores adfingi. ſed quid ultra protollo? vidi nuper opuſculum, ſcriptum lingua Germanica, quo argumentum hoc velut ex profeſſo tractatur, auctore, ut titulus habet, Adriano Aurifabro, medico tractus illius eximio, quod à relationibus hiſce mercatorum haud multum abludit. Dico igitur, & in ipſo adeo loco piſcationis, iſtam rem à nonnemine quidem *ambram* vocari, at uſitatius tamen Bernſteyn/ quaſi dicas petram ardentem, igneſcit enim reapſe, ac gratiſſima quadam & continua flamma exardet, donec picis in morem conſumatur tandem & evaneſcat. Dicitur etiam alio nomine Agſteyn/ lapis attrahens, quia non paleas tantum & frondes aliaque id genus arida, ſed magnetis exemplo etiam ipſum ferrum, ut acus & ſimiles reſculas, attrahit, prout non ſemel ipſe expertus ſum. Latini *Succinum* appellarunt, à ſucco ut putem; quod videlicet crederent eſſe ſuccum, ſive lachrymas potius arborum, &, ut plures quidem volebant, pinorum: calefactum etenim ſimilem fere odorem exhalat. Et ſane nihil eſt aliud quam lachryma quædam, ſeu gummi, ſed nimirum ex petra promanans, quæ naſcitur, pæne ad inſtar corallii, in monte quodam maris Balthici, aquis ad paucas tantum Italicas ulnas cooperto. quare & naves ea prætervehentes tribus ut minimum leucis, necubi forte impingant, ab ipſo monte ſe abſtinent. monte ſatis ingenti, & octoginta circiter ulnas alto, qui ſuccinum iſtud, ſeu ambram (ô arcanam Divini nunimis gratiam!) magna fœcunditate producit. unde porro, cum alias ſemper, tum Septembri maxime atque Decembri, quibus menſibus validis tempeſtatibus agitari ſolet id mare, ea ipſa concuſſione velut refigitur, & littoribus tum vicinis tum & longinquis adpellitur: ita ut pluribus quidem Principibus atque Dynaſtis obtingat, nominatim

tim vero Regi Suecorum, Duci Pomeranenſium, ſed plus quam cæteris omnibus Duci Boruſſiæ, ubi copioſius ſcilicet homines prorſus nudi in ipſo, dum vel maxime ſævit, mari, illud piſcantur; oſtendente ſe prius multa alga, & emergente deinde ſuccino. quod porro ab illo Duce largiter coëmunt mercatores Gedanenſes. eſt enim, & merito quidem, omnibus plane populis uſque adeo grata merx, ut diſtrahatur in omnes mundi partes, præſertim vero Venetias. neque conſtat, quidquid alii dicant aut ſcribant, eam alibi uſquam terrarum gigni, quod & Cornelius Tacitus hiſce verbis ſignificat: *Germanos, hujus maris accolas, ſolos omnium ſuccinum habere & legere.* Fuit in maximo ſemper pretio apud Romanos, veluti hodieque eſt apud Afros & Turcas: nec minori quidem virtute, quam decore & ſpecie pollet. nam præter attractivam illam plurium rerum, ut jam diximus, facultatem, efficaciter etiam ſolet mederi infinitis propemodum morbis, quorum peculiariter meminit Medicus ille jam dictus, ſpeciatim vero omni generi febrium, & præſertim quartanæ: cuivis profluvio ſanguinis, ſive ſuperne is accidat, ſive inferne: peſti: cujuſcunque generis toxico: aquæ intercuti: epilepſiæ: nephritidi & calculo: dolori colico: cephalalgiæ: doloribus ſtomachi: ſed in primis aurigini, ſive morbo, ut nuncupant, regio, quando ſcilicet, bile per totum corpus diffuſa, homo flaveſcit & fit ſuccino concolor. unde facile colligas, ne quid dicam de venuſtate, quantum utilitatis & adjumenti, ſi perpetuo illud, veluti olim obtinuit, nobiſcum circumferamus, ſuccinum nobis ſit allaturum. Atque hæc quidem hactenus ſuper pretioſo hoc gummi, ſive potius gemma, diſſeruiſſe ſufficiat. Adferuntur deinde ex jam dictis terris aquilonaribus tot tantæque aliorum quorumlibet generum merces, idque ut vocant ſolidiores, ſive magnariæ, ut ſi fingillatim eas velimus referre, & nomenclaturæ fortaſſis & tempus nobis ſit defuturum. Mittimus contra in eas oras adfatim pharmacorum: item aromata: crocum: ſaccharum: ſalem: pannos quoque & Anglicanos, & domeſticos, ſajas, oſſettas, ſemioſſettas, fuſtaneos, lintea: hinc gemmas etiam, & cum ſericos, tum & auro intextos pannos: undulatos, grogranos, mocajarros, tapetum nonnihil, & quam plurima vina, maxime autem Hiſpa-

nica:

nica: alumen denique, lignum Brasilienſe, merces minutas,& utenſilium pæne immenſam vim.

Ex Gallia nobis via maris ſubmittunt maximam copiam ſalis; plurimum glaſti Toloſani valde laudabilis, cannabacea aliaque id genus lintea craſſiora in Britannia Gallica Normanniaque contexta, & ingentem pecuniæ ſummam reddentia: vina cum rubra tum alba in variis terræ illius tractibus nata, præſtantiſſima ſane, ſalubria, & vel maxime nutritiva: oleum, crocum, & coccinum è Provincia Narbonenſi, mella, reſinam terebinthinam, picem: plurium item generum & in variis terræ partibus factam papyrum: vitrum; pruna paſſa, non adſpernabilem prorſus mercem: magnam inſuper copiam ligni Braſilienſis, quod genus Galli, non ſine magno periculo atque certamine, ſucciſum eunt in ea Americæ parte, quæ ab hiſipſis arboribus vulgo Braſilia dicitur, cujus maritima, ut jamante monuimus, juris Luſitanorum ſunt, etſi & Galli jampridem in iis locis nidulentur, adeoque & propugnaculum ſanequam validum ſtruxerint. Adferuntur deinde ex Gallia via terreſtri inaurraturæ, quas dicunt, pulchræ imprimis & elaboratæ, item panni aliquot tenuiſſimi Pariſienſes & Rhotomagenſes: ormuzini Turonenſes: multitia Gallocampana: plurimum fili Lugdunenſis, item & cannabis, magni utrumque pretii mercimonium: ærugo Mompelienſis ſanequam præſtantiſſima: magna denique mercium minutarum paſſim ibi factarum vis, quæ & ipſæ in ſat magnam pecuniæ ſummam ſolent abire. Nos in Galliam mittimus gemmas, margaretas, argentum ſolidum, hydrargyrum, cuprum, æs fuſile, orichalcum, & laboratum & rude: ſtannum, plumbum, minium, colores Indicum & coccineum, ſulphur, nitrum, vitriolum, pannos undulatos, grogranos, mocajarros: varia panni Anglicani genera, maxime cariſæas: tum faſciolas illas extremis veſtium oris aſſui ſolitas, vulgo *frangias* dictas, & filum illud, quod vulgo ſajettam appellant: multimodos inſuper pannos noſtrates, quales ii qui Gallis *outre-fins* nuncupantur, tam criſpatos, quam planos: plurimum linteroum, multiplices ſajas, oſſetras, ſemioſſettas, aulæa, lanas Auſtriacas, pelles, alutam, ceram, rubiam, lupum ſalictarium, ſebum, carnes dinuratas, & denique ſale conditos piſces.

Ex

Ex Anglia largiter nobis ſubmittunt pannos, ut cariſæas, & alia tum tenuia, tum & craſſiora quædam eorum genera: ſajettam inſuper, frangias, & conſimiles aliquot merces: tenuiſſimas lanas, crocum valde præſtantem, etſi exigua copia: ſtannum, plumbum: pellium ovillarum & cunicularium aliorumq; aliquot rariorum non exiguam vim: coria inde, cerviſiam, caſeum, & id genus annonam, adeoque & vinum Arviſium, vel ſi mavis Malvaticum, quod beneficio maris Angli ex Creta quotannis petunt. Quibus viciſſim hinc mittimus gemmas, argentum, argentum vivum, pannos auro & argento intextos, item ſericos, aurum & argentum in fila diſſectum, undulatos, grogranos, mocajarros, aromata, pharmaca, ſaccharum, goſſypium, cuminum, gallas, lintea fili tenuioris, quædam & craſſioris: ſajas, ſemioſſettas, tapetes, rubiam, lupum ſalictarium, vitrum, piſces ſalitos, merces minutiores ex quovis metallo aliaque materie factas, & magnam ſummam reddentes: arma & tela, cæteraque præſidia bellica: utenſilia denique infinita propemodum copia.

E Scotia plurimas nobis ſubmittunt & arietum & cuniculorum pelles; tum & rariores nonnullas aliorum aliquot animalculorum, & præcipue martium, omnium quotquot uſquam inveniantur longe pulcherrimas. ſubmittunt & coria; item lanam, & viliores aliquot pannos; margaretas etiam, ſatis grandes & pulchras, verum orientalibus illis & ſplendore & candore, ſicut etiam pretio multo inferiores. In Scotiam, quia tenuiores fere ſunt incolæ, & ex Anglia Galliaque ſibi de neceſſariis fere proſpiciunt, vix alicujus momenti merces mittuntur; præter aromata quædam, ſaccharumque & rubiam: item pannos aliquot ſericos, undulatos, grogranos & mocajarros, tum & genera quædam ſajarum, & linteorum, denique merces quaſdam minutiores.

Ex Hibernia ſuppetit nobis immenſa pellium bubularum & ovillarum vis: ſuppetunt pelles aliquot rariores: panni craſſiore filo contexti, & id genus aliæ quædam haud magni momenti merces. mittuntur autem in inſulam illam eadem fere quæ diximus mitti in Scotiam; ſed ex Anglia ſibi maximam partem proſpiciunt.

Ex Hiſpania fere innumera mercium genera nobis ſubmittunt,

ſubmittunt, gemmas nempe & margaritas variantibus formis & pretiis: quas ex Indiis ſuis occidentalibus, Peruano nimirum & Mexicano tractu, quibus Americæ, vel & novi orbis vulgo cognomen eſt, Hiſpani in has oras important. ſuntque occidentales iſtæ gemmæ & margaritæ magnitudine quidem & forma conſpicuæ, bonitate vero ad orientales haudquaquam accedunt. important præterea auri & argenti puriſſimi, partim ſolidi, partim ſignati, non exiguam quantitatem, quam & ipſam majori ex parte in novo illo & felici orbe conquirunt: ſicuti & colorem coccineum, quem ipſe *cuchenillam* appellant. advehunt illinc & coriorum lectiſſimorum incredibilem multitudinem. quin & invenerunt non ita pridem in iiſdem Provinciis laudatiſſimum quoddam genus zingiberis, quod videtur ex facili evaſurum in rem magni momenti. adferuntur indidem etiam ſerica: tum & radix illa maximi uſus in medicina, quam *ſalſaparrillam*, & lignum illud, quod *ſanctum*, ſive *guaiacum* indigetant, inter alias quaſdam virtutes expugnandæ lui Venereæ, quam Itali morbũ Gallicum, etſi improprie, dicimus, longe accomodatiſſimum. quod lignum, ut dixi, ſuppetit nobis ex India, unde per navigationes Chriſtophori Columbi Genuenſis invecta etiam fuit in noſtram Europam, anno circiter 1492 lues illa quam dixi. Omnia vero etiam pretioſiſſima illinc advehi ſolita fortaſſis exuperat eximium illud balſamum, tam rari in medicina pariter & chirurgia tamque præſtabilis uſus, ut quod omnibus fere morbis & ſymptomatibus corpori humano infeſtis medeatur: ceu peculiariter docet Nicolaus Monardes medicus Hiſpalenſis præſtantiſſimus, utili illo & pulchro opuſculo, quod una cum aliis aliquot ſimilis argumenti libellis Italice vertit Annibal Brigantinus medicus perquam excellens. Iam vero ex illa ipſa Hiſpania mittunt plurimum crocum: item pharmaca quædam & coccum: ſericum rude, & pannorum ex eo compluria genera, maxime holoſerica Toletana, & bombycinam illam ormuzinæ adſimilem: ſalem inde, alumen, & plantam illam Canarienſem, quam Hiſpani *orcillam*, Florentini *raſpam* appellant: lanas omnium optimas: ferrum, corium Cordubenſe, alutam: plurima etiam plurium generum vina, & nominatim ea quæ vulgo *baſtarda*, Latine paſſa

dixeris,

dixeris, quod ex uvis paſſis & ſole ſiccatis exprimantur, romaniam quam vocant, & quædam alia generoſa pariter atque ſalubria: oleum perquam eximium; pinguem illam arvinam pannis linendis idoneam: acetum, mel, favos, gummi Arabicum, ſmigma; tum multiplices illos fructus tam recentes, quam paſſos, puta mala quæ vocant aurantia, citrea, punica; olivas, capparim conditaneam, palmulas, ficus, uvas, amygdala: tanta omnium copia, ut non exigua inde exurgant commercia. Adferunt inſuper nobis Hiſpani vina ſimul & ſaccharum è Canariis, ſive, ut eas antiqui vocabant, Inſulis Fortunatis, à quarum meridiano Ptolomæus & cæteri fere Coſmographi ſumunt initium longitudinis orbiſterræ. parent autem hæ inſulæ Regi Hiſpaniæ, cujus imperium quoque dici poſſunt agnoſcere Indiæ omnes orientales & occidentales, una cum tot Inſulis illis ac dynaſtiis, quæ monarchiam & magnitudinem iſtam Hiſpaniæ junctim inter ſeſe conſtituunt. Nos in Hiſpaniam mittimus argentum vivum, cujus maximam copiam tamen ipſi olim inde petiimus: id autē vel ex eo procedit, quod exaruerit ibi aliqua ejus metalli vena, vel quod crebrius eo, quam ſolent, Hiſpani utantur. mittimus inde & cuprum; item æs fuſile, orichalcum tam rude, quam laboratum, ſtannum, plumbum: pannorum in hiſce Provinciis & præſertim in Flandria contextorum ingentem vim; item & Anglicos quoſdam: ſajas, oſſettas, ſemioſſettas, tapetes, lintea tum tenuia, tum & craſſiore filo contexta, & vel in juſtum theſaurum abeuntia: undulatos, grogranos, mocajarros, linum, filum, ceram, picem, rubiam, ſebum, ſulphur: denique triticum ſæpius & ſecale; carnes & piſces ſalitos, adeoque butyrum etiam, & caſeum: hinc omnigenas illas merces minutiores è quovis metallo, ſerico, ſubſerico, & id genus materie: unde non minima redit pecuniæ ſumma, multam præterea ſupellectilē ex argento adfabre elaboratam, multa arma & tela, alioſque apparatus bellicos; utenſilia denique infinita & à minimo uſque ad maximum. Et ut dicam ſummatim, bona Hiſpaniæ pars, ex hoc noſtro tractu, de iis omnibus rebus quæ in manufactura cottidiana inque induſtria & labore humano conſiſtunt, ſibi largiter proſpicit. Sunt enim infimæ ſortis Hiſpani, laboris omnis atque moleſtiæ, in patria ſaltim, inimiciſſimi.

Ex

Ex Luſitania ſuppetunt nobis gemmæ & margaretæ orientales omnibus numeris abſolutiſſimæ: item aurum tum rude, tum in bracteas ſuas diſſectum: aromata, pharmaca, præſtantiſſimum ſuccinum, muſcus, zibethum, eboris, id eſt dentium elephantinorum, non exigua copia, rhabarbarum, thus, myrrha, aloë, color Indicus, quem Luſitani dicunt *anil*, goſſypium, radix Chinenſis: lignum Indicum, vulgo dictum Guajacum; aliæque id genus pretioſiſſimæ merces, ea quidem abundantia, ut majori parti Europæ de iis ex hocipſo tractu proſpiciatur. important autem hæc omnia Luſitani ex India orientali & Calicuto, primum quidem Olyſſipponam, inde vero in hoc noſtrum Belgium. important præterea ſaccharum Inſulæ Divi Thomæ, lineæ æquinoctiali ſuppoſitæ, & cum aliis aliquot Inſulis, ſaccharum & id genus merces gignentibus, jure belli in poteſtatem Luſitanorum redactæ. Important præterea lignum Braſilienſe, quod nanciſcuntur ex ea Novi orbis Provincia, quæ ab hocipſo ligno Braſilia dicitur. important denique melagettam & alia quædam pharmaca ex maritimis terræ Guineæ, ſitæ in Africa, ubi non mediocri gaudent imperio. neque vero ſilentio involvendum eſt præſtantiſſimum illud ſaccharum & generoſiſſimum vinum Maderenſe, quod utrumque ex Inſula illa Luſitanico ſceptro ſubjecta in has oras important. vinum adeo generoſum, ut ad Malvaticum pæne accedat. Ex ipſo autem regno Luſitaniæ ſubmittunt nobis plurimum ſalem, vinum, olivum, glaſtum, coccum, orcillam, alutam, & præterea tot ac tam varios fructus recentes, paſſos, & conditaneos, ut maximam inde pecuniæ ſummam corradant. Nos Luſitanis ſubmittimus argentum rude, argentum vivum, minium, cuprum, æs fuſile, orichalcum tum rude tum laboratum, ſtannum, plumbum, armaturas & machinas tormentarias, aliaque ad bellum idonea; aurum item & argentum filatum, & cæteras omnes mercium ſpecies in Hiſpaniam ſubvehi ſolitas.

Adjiciemus poſtremo ex Barbaria quoque, Africæ non incelebri regione, recta nobis ſubmitti ſaccharum, Indicum, gummi, colocynthidas, coria, pelles, & cum aliarum aliquot avium, tum ſtruthionum in primis, omnium longe pulcherrimas plumas, ex iiſque conſertas criſtas,

criſtas, Mittuntur eo panni lanei ſimul & linei, ſajæ, & merces minutiores è metallo aliaque materie.

Quod reciprocum inter ſe mercatorum commercium quanti ultro citroque momenti ſit, quantaſque ſecum trahat appendices, æſtimari profecto non poteſt, imo vix cogitari quidem, tantum abeſt ut digne deſcribi: adnitemur tamen in genere aliquod rei adferre lumen: quod ut commodius fiat, exprimemus in ſpecie ſingularium aliquot mercium pretia: deligemuſque ex unaquaque Provincia hujus Belgii ſingularem aliquam mercem, non eam quidem è pretioſſimis ſemper, ſed ex iis, quarum, non una de cauſſa, optimam, ut ſic dixerim, conſecuti ſumus notitiam. Reliqua ex immenſo hoc Chao, nequa oriatur confuſio, magno capacium hujus rei lectorum judicio, ſeu potius capaciſſimi alicujus Scriptoris curæ atque induſtriæ relicturi ſumus.

Auſpicantes itaque ab Italia, dicimus, pannos auro intextos & ſericos, aurum item atque argentum filatum, undulatos, grogranos & mocajarros, ſericum denique rude & coctum, omiſſis tot aliis mercibus ex ea Provincia ſolitis in hanc noſtram tranſmitti, annuatim excedere tres aureorum milliones.

Ex Germania tanta nobis ſuppeditatur copia fuſtaneorum, ut vel ad ſexcenta & amplius millia ſcutatorum ſumma ex iis conflata quotannis adſcendat. Vina vero Rhenenſia, indidem in Provincias haſce mitti ac diſtribui ſolita, etiam admirationem merentur. conſtat enim, annum anno penſante, ſupra quadragies mille vaſa, ut vocant, quorum ſingula ſenos cados, ſive *ames* Antverpienſes, id eſt denos octonos *barriles* noſtrates contineant, annuatim huc importari. computatis ergo in quodque vas triginta ſex aureis, in ſeſquimillionem plus minus abitura eſt ratio.

Ex Dania, terris Hanſaticis, Livonia, Polonia, aliiſque ad aquilonem ſupra jam recenſitis Provinciis, importantur quotannis in terram Hollandiam ſexagies mille vel circiter *laſta* frumenti, & præſertim ſecalis, ſingulæ vulgo taxatæ quadragenis, groſſorum ſex & quinquaginta, floremis; ita ut ſumma excreſcat in quingenta & ſexaginta millia libras Flandricas, quarum ſingulis cum reſpondeant terni ſcutati, fiunt centū & octoginta ſupra ſeſquimillionē aureorum noſtratium millia.

E Gallia tum maritimo tum terreſtri itinere quotannis plerumque in has oras important quadraginta vel circiter millia cadorum, ſive (ut receptis utamur) vaſorum vini, anno annum, ut ſupra, penſante. pretium vero, communi æſtimio, ſingulis vaſis viceni & quini ſcutati. fiunt igitur annuatim decies centena millia ſcutatorum. Important præterea ſupra quadragies mille faſces, ſeu *balas*, ut loquimur, glaſti, ſingulas fere ſeptenis & ſemi ſcutatis taxatas: ſunt trecenta millia ſcutatorum. Important denique ſexies mille vel circiter centenarios ſalis, quorum ſinguli conſtant centenis modiis, ducentenas ut minimum & vicenas quinas, vel & tricenas, pro ſalis ipſius candore puritateque, libras pondo pendentibus. ſena igitur illa centenariorum millia, computatis in ſingulos aureis nummis tricenis, centum & octoginta referunt aureorum millia.

Ex Hiſpania Brugas olim mittebant ſupra quadragies mille ſaccos lanarum. quia vero ab annis aliquot retro majorem ipſi quam ante contexunt pannorum vim, fit, ut lanas tam copioſe nunc non ſubmittant, utque præſenti hoc anno 1560. non fuerint plures viginti & quinque ſaccorum millibus, reſpondentibus ſingulo ſacco vicenis & quinis ſcutatis. Vina vero illinc allata hodiernam lanarum ſummam longe exuperant: olea, fere exæquant: cocco, ſeu *cuchenilla*, paullo minus reddente.

E Luſitania conſtat importari Antverpiam, anno annum penſante, tantam aromatum multitudinem, ut in millionis & amplius aureorum ſummam rationes eorum quotannis excreſcant: ſacchari vero in ſexcenta ut minimum millia.

Tandem vero de Anglia quoque differraturi, nam de Scotia quidem, deque Hibernia item & Barbaria, quia paucula tantum eaque levis momenti dicenda ſint, hic agemus ſilentium, dicimus, ejus regni lanas, quarum ſuperioribus paullo temporibus apud Calætienſes, hodie vero apud Brugenſes conſiſtit emporium, annuatim excedere mille ducentas *ſcerpilleras*, quæ ducenta quidem & quinquaginta reddunt aureorum noſtratium millia. Pannorum vero ex eo regno in haſce Provincias invehi ſolitorum admirabilis plane eſt numerus. liquido enim conſtat, eorum, anno annum penſante, & cariſæis

& cariſæis aliiſque panniculis ad integros pannos reductis, ducenta & amplius millia annuatim nobis diſtribui, quorum ſinguli minimum æſtimentur vicenis quinis ſcutatis, ita ut in quinque & amplius milliones ratio tandem excreſcat. quem è lana & pannis aliiſque compluribus rebus ab Anglis huc importatis provenientem theſaurum ipſi erogant rurſus in eas merces quas ex hoc tractu in illud regnũ ſubmitti paullo ante commemoravimus. unde conſiderato beneque expenſo iſto tam ingenti inter Belgas & Anglos commercio, comperior, inter utramque hanc gentem permutari quotannis (ecquis obſecro crediturus eſt ?) ſupra duodecim aureorum myriadas, tanta quidem cum utriuſque partis commoditate, tamque notabili quæſtu, ut vix ſine alterius ope altera queat ſubſiſtere. Neque vero prætermittendum eſt, quod ad merces quidem mari committi ſolitas attinet, ſolere ut plurimum mercatores, ne videlicet nimium videantur tentare fortunam, certis inter ſe pretiis convenire, uti navium circumquaque emiſſarum pericula alter alterius nomine in ſeſe ſuſcipiat, & ea caute ſagaciterque inter ſe dividant.

Iam vero ut tandem concludam, & quæ de pulchritudine, majeſtate, potentia & ſplendore nobiliſſimæ hujus urbis hactenus ſcripſi dixique, in parte, corroborem, viſum eſt hoc in loco ſubjicere pulcherrimos hoſce verſus Latinos, ipſo urbis Antverpiæ nomine factos ab illuſtri Poëta Iulio Cæſare Scaligero Veronenſi: tum & rhythmos quoſdam Italicos jam ante annos complures celebrandæ urbis ejuſdem laudi compoſitos à doctiſſimo piæ memoriæ viro Franciſco Peſciono Florentino. qui poëtæ, cum, non ſecus ac ego, ſint alienigenæ, minus erunt ſuſpecti & majorem quam ipſimet cives inventuri ſunt fidem. Et certe, cum primum hoc opus ederetur in lucem, talis erat Antverpiæ, & in reliquo Belgio, rerum ſtatus. progreſſi autem ad annum editionis poſtremæ, invenimus plura Provinciæ membra, quod ad fortunam quidem & proſperitatem pertinet, multum mutaſſe, tantumq; inter veterum illum & præſentem hunc ſtatum eſſe diſcrimen, quantum inter diem & noctem. Vnde jure quis cum Terentio dixerit, *Omnium rerum (heu!) vicissitudo est:* ut in commentariis meis abunde ſuo loco & tempore commemoraturus ſum.

Iulii Cæsaris Scaligeri.

*Oppida quot spectant oculo me torva sinistro,*
*Tot nos invidiæ pallida tela petunt.*
*Lugdunum omnigenum est, operosa Lutetia, Roma*
*Ingens, res Venetum vasta, Tolosa potens:*
*Omnigenæ merces, artes priscaque novaque,*
*Quorum insunt aliis singula, cuncta mihi.*

Sonnetto del Pescioni.

*Godi Anversa, & humil' gratie à Dio rendi*
*Di si preclaro & cosi amplo dono,*
*Onde da quante terre al mondo sono*
*Richezze accogli, & lieta in alto ascendi.*
*Segui il tuo corso, & vittoriosa tendi*
*d'Ogni grandezza al sommo, ma sia buono*
*Che quanto piu (nota cio ch' io ragiono)*
*Sormonti & forze & aumento prendi,*
*Tanto piu vegli & gelosa procuri,*
*Ch'in si ricca fortuna ebbri i tuoi figli*
*Non forse evertan si felice stato.*
*Perche si fien' superbi ingiusti impuri,*
*A Bacco additti & di rapaci artigli,*
*Breve harai vita (eh lassa!) & diro il fato.*

# SYLVA-DVCIS.

BVSCVM-DVCIS, Gallice olim dictum est *Bois le Duc*, voce cum Flandrica prorsus consona, ut quæ sylvam Ducis significet, quia scilicet fuerit prius eo loci pulcherrimum quoddam nemus Ducum Brabantiæ. postea vero, emolliendo vocabulo, corruptum paullatim est nomen, &, quod aliis quoque perpluribus accidit, ad recentem hanc appellationem redactum, diciturque opidum ipsum *Bolduc*. Situm est autem ad fluviolum Desam, duabus quidem ab Mosa, quatuor Ravestenio, Antverpia vero duodecim leucis semotum. opidum amplum, pulchrum, adeoque & situ & arte industriaque humana munitum, ut dici fortasse possit inexpugnabile. frequens præterea, opulentum, bonisque & commodis ædificiis luculenter instructum. Templum ejus primarium, cathedra Episcopali insigne, dedica-

1 De Marct
2 St Ians kerck
3 Vuchter poort
4 St. Ians poort
5 Den Boom.
6 Orten poort
7 Hintemer poort
8 Water poort
9 De drie heeckelen
10 kistemaeckelen-tooren
4
3
10
9

's HERTOGENBOS.
5
6
7
3

dedicatum eſt Divo Ioanni: ſplendidum, ſumtuoſum, & eleganti imprimis adfabreque elaborato horologio nobile. Populus Buſcoducenſis admodum bellicoſus, & ſive pedites quiſquam, ſive equites forte deſideret, in utrumque ſemper paratus eſt, plus fortaſſis è veteri illa ferocia retinens, quam cæteri ulli horum tractuum populi. quod non obſtat tamen, quo minus & politia civilitateque & commerciis quoque opidum hodie floreat, ſitque & artificiis ſimul & opificiis denſum. Conficiuntur hic inter alia plurimi panni è lana: linteorum vero tam ingens vis, ut connumeratis iis quæ fiunt in territorio circumjecto, annuatim aſcendant ad vicena millia faſcium; quorum in ducenta circiter millia ſcutatorum facile abeat ratio. neque vero diſſimulandum eſt, aquas linteis candificandis in hujus opidi finibus longe quam alibi meliores magiſque utibiles eſſe. conficitur etiam hic pæne innumerabilis numerus optimi temperamenti cultrorum: tum & incredibilis fere acicularum ſcite & induſtrie laboratarum multitudo: quod utrumque mercium genus diſtribuitur iſthinc per totum orbem. Atque his quidem de cauſſis opidum iſtud adeo dignum, & inter Belgicæ prima, in Epiſcopatum nuper erectum eſt. cui dignitati quidem & muneri, ob egregias ſuas virtutes & non vulgarem doctrinam, merito ſane præfectus eſt vir probitate religioneque laudabilis Clemens Crabbelius. Natus fuit Bolduci Guiljelmus Enckevordius, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, præſulum ſui ſæculi decus. Buſcoducenſis etiam fuit Georgius Macropedius, ſummæ eruditionis vir, & trium linguarum Profeſſor. item Ioannes Vladeraccius, ſanguine & virtutibus nobilis, cui patria, ob eximia viri in ſe officia, multum erat addicta. Theodoricus item Nopenus, Conſiliarius in Senatu Brabantiæ, Iuris utriuſque Doctor, & in Athenæo Aurelianenſi per multos annos, ſumma cum laude, profeſſor. Arnoldus Arlenius, eruditione & virtute inſignis. Goſuinus Steganus, vir domi nobilis, doctus, & exacti judicii: unde in patria quoque ad ſummos quoſque dignitatis gradus aſcendit: reliquit autem duos melioris ſexus liberos: quorum alter quidem Ioannes, varias ſummi momenti dignitates, regio nomine, laudabiliter ſimul & feliciter obiit: alter vero etiamnunc ſuperſtes, Nicolaus vi-

delicet, perhoneſtus & nobiliſſimus vir, Conſiliarius in Senatu Brabantiæ, plures etiam habet filios, valde quidem eos adoleſcentes, ſed eo jam-inde ingenio eruditioneque dotatos, ut ſummam de ſe præbeant expectationem. Guiljelmi deinde, Venius atque Breugelius, uterque Iuriſconſultus, & ejuſdem Senatus Conſiliarius. Obtinet autem hoc Opidum, inter primarias quatuor urbes Brabantiæ, quartum, ſive extremum locum: habetque quadranti ſuo ſubjectas quatuor regiones, ſive potius membra, Campaniam nempe, Pelandiam, Maſlandiam, & diſtrictum Oſtervicanum. Continentur ſub ejus quadrante urbes Helmonda, Eindovia, Mega, Raveſtenum, & Gravia; una cum aliquammultis pagis.

ADD. [*Vrbs hæc originem ſuam repetit ab anno* CIↃC LXXXIV; *quo à Godefrido Lotharingiæ duce ejus nominis tertio (ut volunt) circa aggerem Ortidunum vallum duci cœptum: quod anno* CIↃCXCVI *ab Henrico Godefridi fil. una cum foſſis perfectum: unde quidam hunc Henricum urbis authorem faciunt, & natales urbis ad hunc annum referunt.*

*Forma urbis primum rotunda fuit, tribuſque portis à tribus præcipuis Brabantiæ urbibus, Lovanio, Bruxella, Antverpia, ornata; quæ poſt pomerium productum aliis uſibus ſunt dicata. manente hodieque nominum licet levi memoria: murorum quoque reliquiæ viſuntur juxta forum piſcarium, inter pontem telonii, forum, & retro antiquam curiam. Pomerium urbis primum productum anno* CIↃCCCXVIII *à porta S. Crucis, quæ quondam Bruxellenſis audiebat, ad finem plateæ Vuchtia, aduſque Ortdunum, indeque ad portam Pineam; concluſaque hoc ambitu via Hinthamica & Vuchtia: licet etiam ante ſuburbia vallo variis locis ſepta fuerint, & multis annis poſt muri adjecti. Ad extremum producti fines anno* CIↃCCCCLIII, *& variæ partes adjectæ: licet anno demum* CIↃIↃXIV *Hinthamenſis, & biennio poſt Vuchtenſis finis legantur muro lateritio circundati, hinc verſus Antverpiam inter meridiem & occidentem. illinc verſus Graviam inter aquilonem & orientem; ita ut nunc longe aliam formam à primitiva induerit, utpote triquetra, tribus in longum ſpatiis excurrens, tanto gyro, ut vix ſeſquihoræ ſpatio ab expedito pedite ambiri poſſit. Muros habet firmiſſimos, cum ſeptem vaſtis propugnaculis; foſſas altitudine & latitudine eximas,* Dommelæ & Aadæ *amnium allapſu. Portas habuit ſeptem; quarum duæ ſuperioribus annis occluſæ; quinque*

*hodieque*

hodieque patent; Ea sunt: Vuchtensis, ante Picardorum dicta, quæ versus Antverpiam ducit; operis elegantis, fossa & duobus pontibus subliciis à vallo murorum discreta: Ortensis, è qua Bommeliam tenditur: Hinthamensis, è qua Graviam; duobus item pontibus à muro sejuncta: Vaccina, aut S. Ioannis: è qua Heusdinum: denique S. Anthonii, vulgo de Dijcki-poort/ Helmonda Endoviaque venientibus opportuna. Plures canales urbem permeant; quidam etiam navium feraces: super quas strati pontes lapidei publici LI, lignei XXXVIII, privati pene totidem. Forum habet pulcherrimo adificiorum ordine circumdatum, in quod decem platea totius urbis latissimæ desinunt. Ad duo millia pulcherrimarum ædium hic numerantur, præter casas & secundi ordinis habitacula. Munitissima est à natura & opere: nam tota humilibus agris pascuis incincta est, qui maximam anni partem rigui, hyeme autem alto cæno & vasta uligine pene impervii sunt, præterquam ad Vuchtensem plagam, quæ africum adspicit, ubi ager paulo editior est. Ideoque hic duo castella superioribus annis ab Hispano adjecta. Quorum illud, quod urbi propius, S. Antonii dicitur, ad Dommelæ ripam situm, circiter CLXXX perticis Rhenolandicis ab extimo oppidi propugnaculo juxta portam Vuchtensem; quatuor prominentibus propugnaculis & latissima fossa, aliisque vallis & operibus permunitum. Alterum, quod Isabellæ nomen præfert, ad cornu ejusdem Vuchtensis, quinque validissimis propugnaculis, duplici fossa, aliisque vallis & operibus, quæ hodierni belli necessitas invenit, ita munitum, ut oppidi invicti instar haberi possit; distans à minori castello tantum perticas Rhenolandicas LXX. Ad ortum autem ab oppido circiter perticas CCXXXV, situm est & tertium castellum, quod Petter-schans dicitur, quinquangulare, & totidem validis propugnaculis, lata fossa & extra illam alto vallo & fossa incinctum. Atque hæc quidem oppidi securitati extra pomerium adjecta. Ipsum oppidum lata fossa & profunda cingitur, cujus aquæ duobus locis ingenti mole objecta concluduntur: duo valida propugnacula adjecta vallo ubi Diesa ex oppido elabitur; totidemque ad Vuchtensem portam; plura autem juxta & ad Hintemensem, & ubi Aa fluviolus urbem subintrat. Denique nihil pene factum reliquum, quod ad urbem permuniendam nuperus belli usus adinvenit. Aut si quid ab Hispano aut ignorantia aut negligentia peccatum, id nunc à Belgis abunde corrigitur.

Forma oppidi, prout nunc se habet, fere triangularis est, & ob varios munitionum mæandros ab expedito pedite vix unius

*horæ ſpatio ambiri poteſt: complectitur enim ambitus illius, cum ſeptem propugnaculis majoribus, ſeptẽ millia paſſuum* IↃ CLX.

## De urbis regimine politico & cilivi.

*Regimen hujus urbis eſt primo penes duos prætores, eosque fere claris natalibus ortos; quorum unus de civilibus, alter de criminalibus cauſis cognoſcit; licet interdum utriuſque munus uni mandetur. De utriſque cauſis jus dicunt Scabini, primæ in hac urbe dignationis. qui primum quidem ſeptem tantum fuerunt, & ad annum* 1336, *anno exacto, feſto S. Remigii, novos ſibi ſubſtituerunt. poſtilla, ipſis haud invitis & ultro cedentibus, Princeps provinciæ quotannis Scabinos creavit. Carolus V Imper. binos adjecit anno* 1525. *His indulto principis permiſſum anno* 1335, *accedente prætoris aſſenſu, multas pecuniarias, quæ delinquentibus infliguntur, augere, minuere, mutare; vectigal potorium & annonarium pro re nata uſque ad* 46 *ſolid. vel augere vel minuere. Carolus V anno* 1531 *vetuit nulla immobilia bona in diſtrictu Silvaducenſi gravari aut alienari, niſi coram Scabinis, aut Tribunali, & in loco ubi bona cenſuque ſiti ſunt. Cognoſcunt autem ad requiſitionem partium de perſonis & bonis civium atque incolarum. Ad ſententiam quoque eorum recurritur non tantum à tribunalibus ſubalternis totius territorii, ſed & à Landen vetuſtiſſimo Brabantiæ oppido, itemque à Dormaten limitaneo Brabantiæ vico & vicecomitatu. &c. Habet præterea urbs Conſules ſuos, & juratos, uti fere in aliis urbibus. Ad Senatoriam autem dignitatem non aſſumuntur niſi indigenæ, & toto anno in urbe habitantes nec niſi elapſo biennio fere ad eandem reſumuntur. Porro Scabini hi Conſuleſque conſtituunt primum magni Senatus membrum; Senatorii autem & Conſulares ſecundum; tertium Tribuni & Iuratiopificum. Hi quum diu incerto numero fuiſſent, à Carolo nuper anno* 1525 *definiti fuerunt, ſtatutumque, ut eſſent ferrariorum, æratiorum, & cultrariorum decani* III, *jurati* XII; *molitorum & oleariorum dec.* III, *jurati* VIII; *piſtorum dec.* IV, *jurati* VIII; *aciculariorum dec.* III, *jurati* X; *frumentariorum dec.* IV, *jurati* XVI; *laniorum dec.* III, *jurati* VI; *viſcariorum & cerariorum dec.* III, *jurati* VI; *ſutorum & coriariorum decani* IV, *jurati* XII; *inſtitorum decani* III, *jurati* XXVIII; *lanificum decani* II, *jurati* VIII; *ſartorum & mercatorum laneorum dec.* IV, *jurati* XXVIII; *pellionum dec.* II, *jurati* VI; *chirothecariorum & ligulariorum dec.* III, *jurati*

*jurati* XII ; *capſariorum, ſcriniariorum , carpentariorum , & vietorum dec.* III , *jurati* X ; *tinctorum dec.* II , *& totidem jurati.*]

Deſcribamus vero deinceps tres velut minorum gentium capitales: & primo.

Thenas, ſeu Tillæ-montem , ſitas ad flumen Getam, qui haud procul inde exortus , eas interfluit , unde porro Halam provectus , in Demeram tandem aquas ſuas exonerat. Diſtat autem hoc opidum Lovanio pariter atque Centronibus pari trium leucarum intervallo : eſtque amplum ſatis & grande. quin temporibus paullo magis remotis fuit maximi nominis , & commerciis florida civitas. idque cum legitur paſſim, tum vel ex eo colligitur , quod ter adeo ejus pomœria fuerint olim producta. aſſerente nonnemine , priuſquam , hac inclinante Buſcoducum adipiſceretur hanc dignitatem, Thenas fuiſſe quartam inter primarias urbes Brabantiæ. Diruta vero pluries & crudeliter lacerata fuit atrocibus horum hominum bellis cum Gallo & Leodicenſibus: ita quidem ut hodieque maneat magna ex parte deſerta, & cultoribus vacua. quatenus tamen habitatur , non omnino eſt adſpernabilis. Inſigne in ea & memorabile ſane collegium Canonicorum eſt , æde Divo Germano, Pariſienſium olim Antiſtiti , ſacra. Denique inter tres capitales minores primum obtinet locum , eximiis , adeoque iiſdem magna ex parte cum illis primariarum quatuor urbium, privilegiis exornata.

ADDIT. [*Thenæ horario fere itinere in circuitum patent. muri variis turribus ſunt conſpicui. flumen duodecim pontibus ſtratum eſt. tres in urbe communes , ſeu publici fontes. ſex portæ interiores , exteriores autem quatuor. ſeptem denique fora: inter quæ frumentarium, omnium, quotquot uſquam occurrunt, pulcherrimum. ager urbi vicinus omnigeno frugum genere, tum & fructibus admodum felix. caſei quoque Thenenſes , ob eximiam bonitatem; apud multos in pretio.*]

Lewia ſita eſt ad torrentem Gefam , qui haud longo ab opido in fluvium Getam influit. diſtat autem Centronibus quidem una , Thenis vero duabus vel circiter leucis. opidulum validum , probeque adverſus hoſtiles inſultus munitum , quia videlicet limitaneum , & Eburonum agro conterminum. unde & capitalis minoris dignitate ac privilegiis fruitur. In eo eſt magnus ille

Prioratus, quem vocant, Ordinis Divi Auguſtini. cujus Prior unus eſt è duodecim Antiſtitibus Brabantinis. eſt præterea collegium Canonicorum in æde pulcherrima Divi Leonardi. Extra portam ampliſſimus quidam & pulcherrimus lacus eſt, ad quem aſſerunt olim fuiſſe validam arcem, limitaneum in Eburones propugnaculum, cujus etiamnunc deſerta quædam ſuperſunt veſtigia. Coquitur in hoc opido, & quidem ea luxurie, ut in alias paſſim oras diſtribuatur, præſtantiſſimum quoddam genus cerviſiæ, bonitate vel vinum interdum vincens. Lewia oriundus fuit Dionyſius Richelius Carthuſianus, vir doctus, & variorum operum ſcriptor.

Nivella diſtat Bruxellis quinque horarum itinere. opidum eſt ſic ſatis munitum, & non una de cauſſa plus quam mediocre: in quo magna contexitur tenuiſſimorum linteorum, Cameracenſibus adſimilium, imo hiſipſis pulchriorum, ac fortaſſis & meliorum, vis. eſtque (ſcribente Paullo Æmilio) una è quatuor urbibus conſtituentibus Marchionatum Sacri Imperii: una item è tribus minorum gentium capitalibus, quæ, ut diximus, luculentiſſimis gaudent privilegiis. ager opido circumjectus omnium rerum bonarum ferax. non procul ab opido multæ paſſim occurrunt ſaxifodinæ boni & pulchri ad architectonicam lapidis. Hujus opidi civis fuit fortunatus ille Ioannes Tinctor, ſacellanus primarius & ſymphoniarcha Ferdinandi, regis Neapolitani: cujus meminit inter illuſtres ſcriptores Trithemius, tanquam viri inſigniter docti, *polygraphon*, Muſici excellentis, & præclari pictoris. Sepultus eſt in hoc opido Pipinus primus, Carolomanni filius; pater autem Gertrudis, illius, quæ propter ſanctiſſime actam vitam meruit aggregari Divorum conſortio.

Fundavit ſanctiſſima iſta mulier primariam ædem Nivellenſem, conditricis ſuæ vocabulo nobilem. ædem ſane auguſtam, variiſque tam intus quam foris ornamentis decoram. in qua deinde inſtituit celeberrimum illum ordinem Canonicarum, quem hodieque tanta cum majeſtate, tamque laudata æconomia inibi eſt conſpicere. conſtat autem hic ordo definito duarum & quadraginta religioſarum, libere ſatis viventium, numero. ordo quidem egregius, optimeque

& in magnum nobilitatis ſubſidium inſtitutus. nec enim in ſodalitium hoc admittuntur niſi magnatum & virorum principum filiæ, quæque quadruplæ minimum nobilitatis membra paterni ſimul & materni ſtemmatis numerent, ſintque, ex inſtitutionis præſcripto, legitimo thoro prognatæ, & ingenuæ, generoſæque virgines. unde nobilis aliquis paterfamilias, ſi plures habeat ſequioris ſexus liberos, ſtudeatque domeſtico iſto onere in parte ſaltim levari, unam ex iis in collegium iſtud tranſſcribit. Sunt vero, ut ſuis infra locis dicetur, etiam alia quædam hujuſmodi ſodalitia, & illuſtres conventus, varie per hunc tractum diſperſi. Virgines quæ hic degunt, & Canonicæ alias appellantur, ſeu *domicellæ*, ſuas quæque ſeorſim ab aliis habent ædes, eaſque circum juxtave Divæ Gertrudis: in quo templo preces ſuas horarias ipſæ decantant, ceremoniaſque & ritus ſacros ſolenniter peragunt: mane quidem, & dum religioni operantur, cultu ſpirituali, ſive eccleſiaſtico, ſed qui nobiles deceat, &, ut ipſæ ſunt, candido, pellibuſque pretioſis ſuffulto; à meridie vero, ſæculari, ut vocant, veſte, è ſerico vel id genus materie, nobilium puellarum in morem, ornatæ. quod ſi vel ad epulum aliquod magis ſollenne, vel ad privati alioqui alicujus vocari contingat convivium, licet, impetrato conſenſu, accedere. licet, oblata occaſione, & pro arbitrio, etiam nubere. & niſi contingat conditio, perſeverant porro in nobiliſſimo illo ſodalitio ſancte religioſeque vivere: ordine eos ſubminiſtrante cenſus, quibus commode ſeſe convenienterque tolerent. Caput habent Antiſtitam, quæ vulgo audit *Madame de Nivelle*, Domina Nivellenſis, Principis auctoritate atque conſenſu ab ipſis è collegio ſuo in ætatem electã, & approbatam deinde à Pontifice Maximo. Eſt autem hæc ipſa Antiſtita non ſacri tantummodo hujus collegii caput, verum etiam Domina ſpiritualis ſimul & temporalis, ut vocant, Nivellæ, & territorii ejus, haudquaquam exigui. Inſtitutum præterea eſt in eadem æde religioſiſſimum ſane collegium triginta Canonicorum, qui & ipſi laute honeſteque habentur, & à Pontifice, Dominaque Nivellenſi alternis vicibus eliguntur. Alia denique in hocipſo opidulo paſſim occurrunt templa, & religioni dicata loca. Sed deſcribamus deinceps, prout ſupra promiſimus, urbes ti-

tulo aliquo & ſuprema dignitate conſpicuas. & primo quidem Marchionatum Sacri Imperii.

## MARCHIONATVS S. R. IMPERII.

MArchionatus Sacri Romani Imperii, ſcribente Cornelio Grapheo, inſtitutus primum fuit ab Imperatore Iuſtiniano. aliis eum facientibus magis antiquum. Narrat graviſſimus ſcriptor Germanus Ioannes Aventinus; Vtilonem, Theodonis Bavariæ Principis fratrem, ob egregias ſuas virtutes, à Theodorico primo Francorum Rege præfectum fuiſſe ei horum tractuum parti, quæ continetur Oceano mari, & Scaldi, Moſa, Rhenoque fluminibus. idque reprimendis, ut addit, Danorum, maria, per id tempus & terras late vaſtantium deprædantiumque incurſibus. Vtiloni additus titulus Præfecti limitis Antverpienſis, quod videlicet ibi jam-tunc Romani Imperii fines. Hunc autem gradum & dignitatem ſcribit lingua Germanica dici Marckgraef/ id eſt idiomate noſtro, *Marcheſe*. Ioannes itidem Marius docet inſtitutum fuiſſe hunc Marchionatum ante Iuſtinianum, dictumque Marchionatum Sacri Imperii ad Scaldim, qui initium ſumſerit inde fere ab media urbe Valentianarum, & pertinuerit porro ſecundum flumen uſque ad ipſam Antverpiam, atque hinc rurſus ad mare. E cujus quidem Marchionatus veſtigiis duo potiſſimum hodieque Valentianis ſuperſunt monumenta. alterum aula, ſive *Sala*, quam vocant, Imperialis, cui peculiaris ſuus præfectus & adminiſtri, jus pro tribunali reddentes: alterum vero immunitas, ſive aſylum, quod per bonam opidi partem extenditur, & vulgo *Banc lieu* appellatur. in eo autem aſylo, tanta ſcilicet ejus tamque late patens immunitas, etiam homicidis, modo tamen excuſabilibus, undecumque (ut ſuo mox loco latius differetur) eo confugientibus, tuto licet ſubſiſtere. Narrat inſuper idem Marius, Marchionem, qui omnium primus hanc Dynaſtiam, ab Iuſtiniano jamdicto obtentam, ad filios ſuos tranſmiſerit, Anſelmum fuiſſe, Senatorem Romanum: cui ſucceſſiſſe facit Arnoldum filium. Paullus vero Æmilius teſtatur hunc Marchionatum inſtitutum fuiſſe ab Othone ſecundo Imperatore, anno circiter nongenteſimo ſeptuageſimo tertio, datumque

in dotem

in dotem Reginæ Gerbergæ, Imperatoris amitæ, Lotharii Regis Gallorum matri. continuiſſe autem Nivellam, Lovanium, Bruxellam, & nominatim Antverpiam. narratiunculæ nihil penitus inter ſe diſcrepantes. mutant etenim Principes, augentque & minuunt ditiones, prorſus pro libitu: prout ſpiſſo fecerunt de Ducatu Lotharingiæ. atque hinc eſt quod Scriptores novas iſtas mutationes non raro ſumant pro creationibus, ut ſic dicam, primiſque inſtitutionibus Dynaſtiarum, attribuantque eas non primo, ſed ultimo ſæpe auctori. Vtcumque ſit, in eo omnes conveniunt, ut Antverpiam dicant eſſe Marchionatus Sacri Imperii metropolim. unde jam ab illis uſque temporibus, eluceſcit urbis illius ſplendor. Tandem vero in eo quoque Aventinus cum Mario convenit, Marchionatum hunc perveniſſe poſtremo ad Anchiſem, ſive Angiſum, patrem Pipini ſecundi. qui Anchiſes deinde, ut infra dicetur, fuit primus Brabantiæ Dux. quo titulo cæteri poſtea Duces Brabantiæ in nobiliſſimum iſtum Marchionatum ſucceſſerunt.

# ARSCHOTANVS DVCATVS.

SItum eſt Arſchotum ad fluviolum Demeram, Lovanio juxta & Dieſthemio pari trium leucarum intervallo abjunctum. Mechlinia quatuor, & prægrandibus quidem, leucis diſtat; Lira itidem quatuor. Erat autem hoc opidum & cæterea ejus ditio non ita pridem Marchionatus. ſed ornatum poſtea fuit dignitate Ducali ab Carolo Quinto Imperatore. idque Dominorum magis, & opum quas in Hannonia poſſident, quam ditionis ipſius adſpectu. etſi mediocre tamen eſt opidum, & antiquus admodum Baronatus ut vocant ſeu Dynaſtia. Dynaſtas agnoſcit Principes Illuſtriſſimæ gentis Croiæ, ortæ primum è Gallia. prodierunt autem ex ea ſtirpe plurimi ſane heroës: ſed clariſſimus omnium fuit Guiljelmus, Dominus Cerviæ. qui uſque dum moreretur, ſumma cum auctoritate, direxit Imperatorem jamdictum: unde & opibus ſimul & potentiæ Croiorum luculentum acceſſit augmentum, idque cum aliis hujus tractus Provinciis, tum præſertim in terra Hannonia, ubi,

ubi, qui nunc Ducatui præeſt, Philippus, Guiljelmi nepos, ampliſſimæ ditionis & complurium opidorum eſt Dominus, Chimaci imprimis & Bellomontii. ita ut amplos poſſideat cenſus, ſitque Eques aurei velleris, & non ita pridem adlectus in Senatum quem dicunt Status.

Quoniam vero ſupra in Deſcriptione generali promiſimus nos facturos mentionem regiminis, ſive imperii, quod hujus tractus Dynaſtæ in ditiones ſuas & toparchias exercent: liberabimus hic potiſſimum, utpote loco ſatis idoneo, idque brevibus noſtram fidem. & principio dicimus, Toparchas iſtos Principi ſuo obſtrictos, Principemque viciſſim ipſis devinctum eſſe, iiſdem fere legibus & conditionibus, quas in aliis locis feudarius, ſive cliens, & patronus, ſeu Dominus feudi, reciproce inter ſeſe obſervant. Itaque pacis juxta & belli temporibus Princeps eos habet in clientela, & cum in urbium regionumque regimine, tum in militaribus quoque præfecturis, uti ſolet eorum opera: quam ipſi contra pari alacritate & fide Principi ſuo libenter præſtant. Iam quod ad ipſa dominia, vel, ſi mavis, toparchias, & Dominorum in eas jus & imperium pertinet: omnia prorſus alicujus nominis opida, arces, & pagi, juriſdictioni eorum ſubjecta, ob varia quibus gaudent privilegia, ſuis ut plurimum legibus, ſuiſque moribus vivunt, politiam & reliqua eo ſpectantia ipſi per ſe adminiſtrando. unde non aliud fere Toparchis in loca ſibi ſubjecta præeminentiæ jus, neque ſubditi aliter iis obſtricti, quã Antverpiam ſupra diximus Principi ſuo eſſe obnoxiam. ita quidem ut illi nec vectigalibus hoſce, nec alio quovis modo, niſi ſponte conſentientes, & accedente Regis permiſſu poſſint gravare, ſed patrimoniis ſuis & conſuetis reditibus acquieſcere debeant.

## MARCHIONATVS BERGOZOMENSIS.

BERGA, quam & Bergozomium vocant, antiqua ſic ſatis dynaſtia, ſeu Baronatus eſt: ſed Marchionatus poſtea dignitate ab Carolo Quinto Imperatore ornata anno ſalutis 1533. ſita eſt autem in colle,

BERGEN, OP

ZOOM.

colle, ad fluviolum Zomam. unde, ad differentiam cognominum aliquot hujus tractus locorum, Teutonice dicitur Berghen op Zoom. naſcitur Zoma haud longe ſupra ipſum opidum, & media fere infra id leuca in Scaldim influit. opidum in extremis Brabantiæ ad occaſum finibus poſitum, mari ita propinquum eſt, ut non immerito dici poſſit maritimum: portu inſuper nobile, & Antverpia quidem, terreſtri itinere, ſex, iiſque prægrandibus: Middelburgo vero Zelandiæ, via maritima, octo circiter leucis abjunctum eſt. Edidit Berga Ioannem Latomum, Priorem ad Divi Throni, juxta Grobbendonquium pagum, & Lira non procul, Præſulem eruditum & venerandum, ac Poëtam cultiſſimum. Opidum hodie quidem non contemnendum: ſed longe olim celebrius: cum videlicet ejus nundinæ, variis privilegiis inſignitæ, quibus jam-inde ab aliquot ſæculis gaudet, negotiatoribus magis frequentarentur. hodie parum hic vigent commercia, vicinia ſcilicet & magnitudine urbis Antverpiæ finitimum omnem tractum inundante. ita quidem ut nullæ uſquam ſint nundinæ anniverſariæ, nulla uſquam extra ordinem habeatur panægyris, quam non ordinarius iſte mercatus Antverpienſis multis partibus ſuperet. unde fit, ut ad quotidianas haſce Antverpiæ nundinas homines malint confluere, quam anniverſarias illas expectare. & quidquid tentaverit hactenus Marchio; quidquid hodie ſummo etiam ſtudio tentet; quidquid denique faverit ipſi & obſecundaverit momentoſa illa natio Anglicana; nequit tamen hoc opidum (adeo ſcilicet arduum eſt revocare ſemel amiſſa) priſtinæ proſperitati reſtituere. territorium Bergozomenſe late, quod ſatis ſit, patet, & complures in eo non adſpernabiles pagi, tum & inſulæ quædam miræ fertilitatis in Scaldi. Marchiones Bergenſes veteri admodum & illuſtri ſtirpe prognati ſunt, è qua plurimi prodierunt viri illuſtres. hodie vero gente in meliori ſexu extincta, per uxorem, è Bergenſibus illis priſcis progenitam, Marchio Bergozomenſis eſt vir illuſtris Ioannes Withemius, Comes Walheinii, Dynaſtaque Berſſelii.

Leucæ circiter via Bergozomio diſtat Wouda, arx longe pulcherrima, & amœniſſimus Principum Bergozomanorum ſeceſſus, aëris mira ſalubritate, venationiſque

que commoditate laudabilis, imprimis autem sanequam munitissima, & velut totius territorii propugnaculum.

ADDIT. [*Hanc Ordines provinciarum generales multis & validis operibus communiverunt; sed prodita fuit à præsidiariorum Legato anno* CIↃIↃLXXXVII *Parmensi Duci; & multis annis latibulum præbuit latronibus & piratis, qui ultro citroque inter Hollandiam & Zelandiam navigantibus ingentia damna superioribus annis intulerunt; donec à Principe Mauritio anno* CIↃIↃCVI *arx reciperetur; qui munitiones illius omnes dissecit, & arcem cognato suo Hermanno restituit, ea conditione ut neutrarum esset partium, pariter cum arce Hoogstratana.*

*Porro forma oppidi quondam pene orbicularis fuit, ut videtur, aut pentagona; sed longa nec admodum lata appendice aucta fuit versus portum & Scaldim; ut forma jam anomala sit, non tamen ideo minus situ valida, quia promitentem hanc partem utrimque adjacent paludosa & alto cœno impervia loca. Portus illius aditum tegunt utrimque munitiones; quarum septentrionalis & portum adeuntibus læva exigua est, & aditu difficilis; australis justæ magnitudinis quinque propugnaculis munita, dein fossa, rursus lorica, & propugnaculis binis, & lata denique fossa prætexta. Ab hisce munitionibus duplex canalis (portum veterem & novum vocant) ad oppidum ducit; quod tot tamque validis propugnaculis intra & extra fossam, tot aliis operibus, quæ recensere longum esset, jam ante & post postremam obsidionem, omnibus modis adeo permunitum est, ut nihil jam addi posse videatur. Accedit, quod post ultimam obsidionem, quam fortissime aliquot menses adversus maximas Hispani copias sustinuit, & felicissime elusit, varii colles & altiora loca, è quibus in oppidum & munitiones illius despici poterat, sunt complanata; & post opera illa inter Steenbergam & oppidum hoc perfecta, etiam aditus ad oppidum hoc præclusus est ea parte quæ maxime violentiæ hostili videbatur opportuna, eique aditum ad portum occludendum facere. Postremo Scaldis ramulus, qui inter Brabantiam & Tolam Zelandiæ labitur & Vossemaer appellatur, aliquot minoribus castellis ad oram communitis, securam Belgis ad oppidum ultro citroque commeandi opportunitatem subministrat. Præsidio ut plurimum valido tenetur, atque aliquot cohortes equitum hic perpetuo agunt, qui magnam Brabantiæ partem Hispanis intutam reddunt, atque adeo usque in Lutzenburgensem agrum prædabundi solent excurrere; & non raro opima spolia ab iis referre.]*

HOOG-

# HOOGSTRATA
## COMITATVS.

HOogſtrata, Comitatus prærogativa inſignis eſt, ab Imperatore Carolo Quinto obtenta. opidulum ipſum mediocre, ſed murorum & mænium expers, Antverpia ſimul & Berga pari ſex leucarum ſpatio diſſidet. Hoogſtratanus fuit Antonius Schorus, vir doctrina clariſſimus. Hoogſtrata ad leucæ plus minus triente abjuncta eſt arx; validiſſima illa, & probe adverſus hoſtiles inſultus munita, ac ſollennis Comitum ſedes. ſita eſt autem ad torrentem Mercam, haud procul inde exortum, & Bredam perlapſum, paullo infra Sevenbergam, Moſæ aquas ſuas miſcentem. Subſunt comitatui aliquot pagi, tum & territorium ita amplum, ut non pœnitenda inde exurgat ditio. Comites Hoogſtratani è clariſſima gente Lalainia. atque hodie quidem præeſt opido Guiljelmus, qui & Rennenburgii Comes eſt, ac dynaſta Leuzanus: vir multis nominibus clarus, quique inter alias ſuas opes luculentiſſimam habet bibliothecam. Leuca circiter abeſt Hoogſtrata ampliſſimus & pulcherrimus pagus Lonhoutium, patri viri doctiſſimi & Mathematici perquam inſignis Ioannis Stadii, plurium operum ſcriptoris, ut conſtat ex Bibliotheca docti viri Conradi Geſneri, aucta nuper ab Ioſia Simlero: in qua non nomina modo veterum & recentium ſcriptorum, ſed peculiariter etiam omnes operum titulos, invenire in promtu eſt. rem profecto laboriosam, nobilem, & ad varios uſus, ſtudioſorum imprimis, apprime utibilem!

# MEGA COMITATVS.

MEga etiam Comitatus titulo clara eſt, ſita ad ripam ſiniſtram Moſæ, tribus à Buſco-ducis, vel circiter, leucis. opidum ſatis lautum, ac dominio juriſdictioneque illuſtre. Comitem habet fortiſſimum Principem Carolum à Brimeu, Equitem aurei Velleris, Regiumque Ducatus Geldriæ, & Comitatus Zutphaniæ Gubernatorem. qui non ita pridem defunctus,

ctus, hæredem reliquit cognatam, nuptam uni è filiis Domini Barlementii, quæ priore marito extincto, nupsit postea Principi Chimacensi, ei cujus infra quoque fit mentio.

## BREDA DYNASTIA.

BReda sita est ad fluviolum Mercam: Hoogstrata quidem tribus; Busco-ducis autem sex, iisque prægrandibus; Antverpia denique octo ejusdem mensuræ leucis abjuncta. Opidum sane lautum, amœnum, quodque inter alia quædam pulcherrimi operis ædificia, habet sumtuosissimũ illud & regium prorsus Dynastæ sui palatium, magnifice, admodum splendideque exstructum & duplici undique fossa, arcis plane in morem, circumdatum. quod si esset omnibus numeris absolutum, merito sane censeri posset inter pulcherrima Belgii hujus prætoria. conditum autem & ædificatum est non ita multis abhinc annis ab Henrico, Comite Nassoviensi, Dynastaque Bredano.

ADDIT. [*Munivit hic idem Comes opidum Bredam validissimis omni ex parte vallis. quibus deinde, anno* 1534 *adjecit quinque amplissima propugnacula, à lateribus opidi simul & arcis exstantia. accesserunt his, per hæc bella, novem antemuralia, seu valla, ut vocat Ammianus, antemurana: & ad singulas portas singula propugnacula semilunaria. ita quidem ut inter mediterranea Belgii opida, Breda hodie censeatur omnium munitissima.*]

Gaudet opidum dignitate & titulo *Baronatus*, estque luculenta in primis & magni momenti ejus ditio, cujus jurisdictionem agnoscunt pagi complures ampliſſimi, præter viculos quosdam minores. annexum deinde est ei opidum territoriumque Stenobergense, una cum Rosendalia municipio, & Oosterhoutio, nobili & antiqua Toparchia, veteri arce conspicua: è quo loco oriundus est Iurisconsultus clarissimus Ioannes Boisotus, doctissimus sane & magni ingenii vir: unde & ad maximas quasque dignitates evectus est: fuitque regius primum apud Anglorum Reginam Legatus: inde Consiliarius in Senatu privato, & Thesaurarius, sive Custos tabularum archivi Vilvordiensis. Est insuper Breda, jam ab annis aliquot

BRE

D A.

aliquot retro, ſedes ſeu domicilium in hoc tractu Principum Arauſinorum, qui & Comites Naſſovienſes, ad quos devolutum eſt ejus dominium. Sed non erit fortaſſe abſurdum, etſi proprie quidem ad Spartam noſtram non pertinet, ſi curioſis talium rerum lectoribus explicemus, ubinam terrarum Principatus iſte quem diximus ſitus ſit: tum qua ratione pervenerit ad illuſtriſſimam gentem Naſſoviam. eo magis quod Principes Arauſini habeantur velut indigenæ hujus tractus, & in eo fixerint domicilium. Principatus igitur Arauſinus ſitus eſt inter Delphinatum & Provinciam Narbonenſem. metropolis ejus Arauſio, vulgo *Oranges*, ſeptem plus minus leucis Avenione, pontificiæ ditionis urbe, abjuncta. principatus equidem nobiliſſimus. & tam venerandæ antiquitatis, ut non alium, præter Deum, ſuperiorem agnoſcat. devolutus eſt autem à multo jam tempore ad illuſtriſſimam gentem Chaloniam, unam è quatuor primariis Comitatus Burgundiæ, ac Nazarethi & aliorum in eo locorum dominam. tandem vero per lineam fœmininam, & Henrici, Comitis Naſſovienſis, hodierni Principis patrui, cum hærede domus Chaloniæ matrimonium, pervenit hic Principatus ad Gentem Naſſoviam, ortu Germanam. Ita ut hæc quidem ditio nobiliſſimos ſemper habuerit Principes, & non ſanguine modo ac ſtirpe, ſed & propria laude virtuteque illuſtres. qualis adeo nuper Philibertus Chalonius, is, qui poſt crebras victorias, Cæſari, cujus copiis ſummo cum imperio præerat, in Italia partas, ſclopi tandem ictu, dum præliatur cum Florentinis, & Florentiam obſidet, rebus humanis ſublatus eſt, anno Domini 1530. extinguebatur in eo ſtirps & domus Chalonia, verum ipſe propagandæ illius percupidus, teſtamento hæredem ſibi inſtituit Renatum, nepotem ex ſorore, & prædicti Henrici Naſſovii filium: cum lege, ut is adſumeret retineretque nomen & titulum domus Chaloniæ, quam legem, alia omni conſideratione poſtpaſita, Renatus accepit neque dum vixit tranſgreſſus eſt: & virtutibus ſuis Carolo Quinto Imperatori probatis, dum una cum Cæſare eſt in obſidione Fani Sancti Deſiderii, repercuſſo tormenti majoris ictu exanimatus interiit, anno ſupra ſeſquimilleſimum quadrageſimo quarto. Renato autem improli ſucceſſit ex teſtamento, ab ipſomet

Cæſare

Cæſare approbato, hodiernus Princeps Guiljelmus Naſſovius, ejus cognatus. qui nomen tamen & titulum domus Chaloniæ non adſumſit, ſed illud familiæ ſuæ retinuit. Gaudet autem hic Princeps luculentiſſima ſane ditione, & in eminenti admodum dignitate conſtitutus eſt. præter enim Principatum hunc Arauſinum, & tot loca Burgundiæ, poſſidet varia etiam bona juriſdictioneſque & toparchias in diverſis partibus Galliæ: poſſidet Comitatum Naſſovienſem in ſuperiori Germania: poſſidet denique in hoc noſtro tractu, præter hancipſam Bredam, Dieſthemium quoque, Sichemium, Stenobergam, & Graviam opida, una cum plurimis municipiis, pagis, & vicis. ita ut latiſſime pateat ejus imperium, & ampliſſimos domino referat cenſus. eſt præterea Regio nomine Gubernator Hollandiæ, Zelandiæ, & ditionis Vltrajectinæ; Eques aurei Velleris, & Conſiliarius Status: juvenis hercle primarii ordinis, animoque excelſo, ac magnæ prorſus exiſtimationis & famæ.

## DIESTHEMIVM BARONIA.

Dieſthemium ſitum eſt ad Demeram flumen, Hala tantum unius, Tillæmonte vero trium leucarum itinere diſſitum. opidum ipſum concinnum, & territorio late diffuſo inſigne, ubi plurimi fiunt panni, & alterius generis merces. Gemina habet Collegia Canonicorum, alterum Divi Sulpitii, alterum vero Beati Ioannis. Dieſthemii natus fuit Nicolaus Clenardus, vir trium linguarum doctiſſimus, & variorum operum ſcriptor, inter quæ Grammaticæ Græcæ, illius, quæ tam decantata paſſim & apud ſtudioſos omnes in uſu eſt. ſcripſit idem & Inſtitutiones in linguam Hebræam, magna ſua cum laude & ſtudioſorum bono. quin Arabicas quoque litteras Granatæ in Hiſpania didicit, quas ut uberius poſſet percipere, in ipſam adeo Africam, & celebrem ibi Feſſam trajecit, anno circiter 1540. ubi ab ipſo Rege, ob eximias ſuas virtutes, in maximo habitus fuit pretio, & beneficiis multis affectus. Conceperat animo pereximius iſte vir rem uſque adeo arduam, adeoque heroicam ſimul & piam, ut digniſſimam putem cujus ſeorſim à me fiat mentio: ſi non

alio,

alio, ſaltim ut alios forte excitem atque accendam ad ſuſcipiendos id genus conatus. conceperat, inquam, linguam illam poſtremam, quam dixi, ita exacte diſcere, ut uſui ſibi eſſe poſſet vel in ſcribendo adverſus Mahumeticam ſectam. ajebat enim, lectum ſibi, & diligenter quidem, Coranum, ſcriptum (ut ſcimus) Arabibice; lectum item & alium quemdam ſectæ illius ſcriptorem, Sunnam nomine: ſeque inveniſſe in iis quædam ita ridicula, & refelli facilia, ut omnino ſtatuiſſet argumentum hoc aggredi, cum indubitata ſpe de felici ſucceſſu, ac fore, ut ſcribendi iſthac & differendi via, obtineretur id quod armis huc uſque & vi impetrari non potuit. at vero mors, ſolita ſæpe præſtantiſſimos quoſque humanos conatus abrumpere, ſe, non ſine graviſſimo Chriſtianæ reipublicæ damno, huic quoque incepto oppoſuit. Habet Dieſthemium dignitatem & titulum Baronatus, ſeu Dynaſtiæ, eſtque ejus Dynaſta, veteri quadam prærogativa, Vicecomes, vel (ut vulgo vocant) Burg-gravius Antverpienſis. Præeſt hodie Dynaſtiæ, uti ſupra jam diximus, Princeps Arauſinus. cujus nimirum majoribus, permutatione facta cum Duce Cliviæ, in vicem opidi Sittert / obvenit. adjacet opido nobiliſſimus ille Conventus Beckenvordius, Ordinis Equitum Teutonicorum. ager illi vicinus amœniſſimus plane, & vitibus paſſim, vinum copioſe ſatis ferentibus, plenus.

## DYNASTIA GRIMBERGENSIS.

DIſtat Vilvordia quidem vix ſemileuca, Bruxellis vero duabus plus minus leucis, pagus Grimberga; pulcherrima ille & egregii operis Abbatia inſignis. eſt autem Dynaſtia, ſeu Baronatus maximi nominis, ampliſſimæque juriſdictionis & territorii, pagos complures & parœcias magni momenti complexa: ſuntque Dynaſtæ illius valde antiquæ nobilitatis. habet vero hæc Dynaſtia ſtatutum quoddam reliquis hujus tractus dominiis prorſus contrarium, quod videlicet filio natu minimo, non (quod alibi ſolet) primogenito, ejus obtingat hæreditas. qui mos inolevit anno jamtum 1140. quia nempe Gualterus, tunc primogenitus, aliaque

aliaque hujus familiæ Capita, vehementer offenderant Principem ſuum Godefredum, armis contra eum arreptis. ſed poſtquam ventum eſſet ad prælium, Grimbergii omnes ad internecionem occiſi: ſolo filio minimo natu excepto, qui tam fædæ rebellioni non participaverat. unde & Godefridus, cum alioqui omnem eam ditionem redigere potuiſſet in fiſcum, expenſis ſollicite ſingulorum promeritis, legem eam inſtituit. quæ hodieque non ſolum in ipſamet Dynaſtia, ſed in omnibus quoque illi annexis toparchiis & feudis, quæ non pauca ſunt numero, inviolate ſervatur. Diviſa eſt hoc tempore Dynaſtia in duas partes: & alterius quidem Dominus eſt Princeps Araufinus; alterius vero domus Glimeſia, penes quam titulus ipſe & nomen Grimbergiorum eſt. alii tamen, poſt eam diviſionem, duplicem Dynaſtiam agnoſcunt.

## TRAIECTVM AD MOSAM.

TRAIECTI ad Moſam, quidquid alii ſcribant, & nomen juxta, & etymon vetus eſt, inde videlicet ductum, quod trajiciatur ibi id flumen, voce Teutonica Latiari omnino & ex amuſſim, quod ajunt, reſpondente. Latini, ad inferioris Trajecti, Utrecht Belgice dicti, & in Hollandiæ finibus poſiti, differentiam, vocarunt quoque Trajectum Superius. Opidum oportune prorſus & commode ſitum: nempe ad ipſum flumen, quod medium fere interluit, ponte magnificio & pulcherrimi operis, eoque è lapide, ac vel Cornelio Tacito nominato, & Leodico quatuor leucis diſſito, ſtratum. eſt autem urbs ſolo ampla, antiqua, & probe adverſus hoſtiles inſultus munita, pulchris denique & crebris ædificiis denſa. duo in ea potiſſimum templa: quorum alterum, ipſomet Rege, qua videlicet Duce Brabantiæ, gaudens Canonico, Divo Servatio ſacrum eſt ei, qui populos iſtos omnium primus ad fidem Chriſtianam convertit, primuſque hic egit Antiſtitem. quod munus tam ſancte adminiſtravit, ac tot tantiſque miraculis claruit, ut merito obtinuerit Divi vocabulum. obiit præſul ſanctiſſimus anno nonageſimo quinto ſupra trecenteſimum. viceſimus vero, idemque & ultimus



WYCK

MAESTRICHT.

mus Præſulum Trajectenſium fuit Divus Lambertus, is, qui martyrio inibi coronatus eſt. quam ingratitudinem quidem & crudelitatem iſtius gentis graviter & indigne ferens Divus Hubertus, Pontificiam ſedem, Summi Pontificis nutu & auctoritate, uti latius infra narrabimus, Leodicum tranſtulit, anno ſeptingenteſimo decimo. In æde Divi Servatii plurimæ adſervantur ſacræ Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Divorum reliquiæ, quæ ſtatis anni temporibus, & per alias quaſdam occaſiones, magna cum gravitate ſollennitateque populo exhibentur ſpectandæ. Alterum è primariis templis Divæ Virgini dedicatum eſt. Habet inde Trajectum nobiliſſimum illud & peramplum Cœnobium, quod Biſſen vulgo appellant, Equitum Teutonicorum, ordinis Divæ Mariæ Hieroſolymitanæ. locum, vel frequentiſſimæ aulæ excipiendæ, non idoneum minus, quam capacem. Quia vero maximi nominis & momenti eſt iſtud Sodalitium, ac Teutonicæ genti præ cæteris proprium: cujus gentis hic noſter tractus non exiguum membrum eſt, in quo quatuor ordinis ejus cœnobia, arces multas & pagos ſub ditione ſua tenentia: extra ſcopum non erit, ſi breviter referamus ejus originem, ac deinde nonnihil dicamus de progreſſibus, atque præſenti ſtatu. Sed quo melius clariuſque intelligatur & ea quam diximus, & conſimiles aliquot illi conjunctæ res, altius paullo exordiendum eſt. Dico itaque anno jam-tum milleſimo nonageſimo nono, & ante recuperatam ab exercitu Chriſtiano Hieroſolymam, mercatoribus Italis, ab infidelibus inibi Satrapis, factam fuiſſe templi in honorem Deiparæ Virginis ædificandi poteſtatem. qua illi obtenta, gemina, vicem unius, templa, geminaque, alterum viris, alterum vero fœminis, condiderunt cœnobia. quæ ab exteris quidem religionis ergo, ad ea loca ſe conferentibus, inibique ſigentibus ſedes ſuſtentabantur. Cœnobiis paullopoſt acceſſit & Xenodochium, Divo Ioanni ſacrum. cujus illi præfectis, religioſis nimirum & idoneis viris, curandos commiſere pauperiores Chriſtianos. eos autem Religioſos loci tunc temporis Patriarcha candidæ crucis ſigno ad dexteram inſignitos Hoſpitalarios nominavit. atque à tenui iſto & levi principio originem traxit ordo Equitum Divi Ioannis, qui, quod ob egregia merita

rita (ſicuti pie credendum eſt) Domino Deo eſſent cordi, ad tantam deinde potentiam ſunt progreſſi, ut inter alia quædam præclare geſta, Saracenis manu armata eripuerint Inſulam Rhodum, anno Domini 1308. unde & Equitum Rhodienſium titulo ſeſe ipſi inſignierunt. tenuerunt autem & valide propugnarunt hanc Inſulam: donec terribili tandem exercitu, formidandaque potentia ab Solimanno Turcarum Imperatore obſeſſi: poſt toleratam ſex ipſos menſes obſidionem, & horribilem illam tempeſtatem: cum non ferrentur ipſis à cæteris Chriſtianis, perniciosis inter ſe & civilibus bellis implicatis, ullæ prorſus ſuppetiæ: duro neceſſitatis telo coacti, & ab uno è ſuis inſuper proditi, compoſitione cum hoſtibus facta ſe dediderunt, & locum illum, ſub finem anni Chriſtiani 1522 Turcis ceſſerunt. Atque hoc pacto amiſſa eſt, non ſine graviſſimo damno, maximaque Chriſtiani nominis ignominia, noſtra illa ad Orientem rupes & propugnaculum, quod tutiſſimum plane præſtabat Latinis in Aſiam Palæſtinamque tendentibus commeatum. Equites autem ipſi, in Italiam inde tranſgreſſi, obtinuerunt non multo poſt ab Imperatore inſulam Melitam, inter Africam & Siciliam ſitam. eamque hactenus quidem feliciter occupant, glorioſa ſæpe pro ſanctiſſima noſtra fide ſuſtinentes certamina. quinimo nuper anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, admirando plane & inaudito animi robore, propulſarunt inſtructiſſimam illam Turcici Principis claſſem, tanto in ipſos impetu, tamque acri obſidione, licet irrito prorſus conatu, ſævientem: cæſo interea hoſtium archithalaſſo Draguto, ipſoque hoſtili exercitu mirum in modum afflicto. uti plenius ipſi in Commentariis noſtris exſequimur. Tradit libro operis ſui viceſimo primo clariſſimus ſcriptor Raphael Volaterranus, Equites iſtos Rhodienſes, vel ſi mavis Divi Ioannis, eſſe Ordinis Sancti Auguſtini. quod ipſum teſtatur & Hiero Paullus, libro, cui titulus, *de Eccleſiis*. at non obſtat tamen hoc votum, quo minus in bonis, ſibi hæreditate relictis, ſuccedant. nec enim nullum omnino habent cum mundo commercium: ſed cœlibatus dumtaxat lege obſtricti ſunt. reſtringitur vero eorum ſucceſſio intra ſimplicem uſumfructum, neque ad proprietatem extenditur: quia ſcilicet aliunde, & per

*Commendas*

*Commendas* quas vocant, de rebus ad vitam tolerandam neceſſariis, ipſis abunde proſpectum eſt. ita quidem ut directum rerum dominium revertatur ſine ulla omnino controverſia ad proximos quoſque agnatos. prout pluribus quidem ſententiis deciſum fuiſſe refert doctiſſimus Iuriſconſultorum Paponus, natione Gallus, in celeberrimis illis collectaneis deciſionum, libro viceſimo primo, titulo primo.

Anno deinde milleſimo centeſimo viceſimo octavo inſtitutus fuit eadem in urbe, nobiliſſimus Ordo Equitum Templariorum, idque à novem raræ virtutis & pietatis hominibus, quorum præcipui quidem Hugo Paganus, & Godefridus à Sancto Alexandro. eos autem inhabitantes peculiarem quamdam in templo partem Patriarcha vocavit Templarios, & rubra, ut tradunt, cruce ſignavit. Inſtitutum eorum & ſcopus, ut auxilium ferrent ac defenderent peregrinos, religionis ergo ea loca viſentes. unde factum, ut labentibus luſtris maximam ſibi auctoritatem & famam, nec minores opes & dignitates paraverint. ſedenim annis præterpropter ducentis elapſis, cum prolapſi eſſent in hæreſim, & ex hæreſi porro, ut fieri amat, in obſcœna quædam & nec nominanda peccata: tandem Pontificatu Clementis quinti, Imperatore Alberto Auſtriaco, cæteriſque Principibus Chriſtianis conſentientibus, cæſi paſſim ipſi atque extincti, opes vero eorum & facultates Rhodienſibus illis in parte ſunt attributæ.

Nec multo ab inſtitutis Templariis tempore, fundatus fuit in illa ipſa Hieroſolymitana urbe ſub præſidio Divæ Mariæ Virginis, ordo Equitum Teutonicorum, pari prorſus intentione, parique cum ſuperioribus illis pietate. excipiebant enim & ipſi tenuiores peregrinos, eoſque diligenter fovebant, & ſanctiſſimam fidem manu armata propugnabant. Primus ordinis conditor natione Teuto fuit, cujus & patria ſimul & vocabulum ignoratur. is, cum aliquot popularibus, Hieroſolymæ jam à Chriſtianis receptæ ſubſtitit. cumque & uxorem haberet, & ab opibus ſatis eſſet inſtructus, populares ſuos pio animi motu ad ſacroſanctum ſepulchrum, magno indies numero confluentes, linguæque illius & itinerum parum gnaros, caritate ſuadente commiſeratus, & fortunis ſuis & tecto benigne impertiebatur.

adjunxit hic poſtea domui ſuæ ſacellum dedicatum Deiparæ Virgini, quo concurrentes paullatim infiniti propemodum Chriſtiani, alius quidem hoſpitibus ibi curandis, alius vero fidei defendendæ, Equitum Divæ Mariæ vocabulum nacti ſunt, & nigra ſuper candidam veſtem cruce à Patriarcha ſignati. Inde & numero ſimul & opibus auctiores crearunt inter ſe Magnum Magiſtrum, ſtatueruntque in primis & ante omnia, ne quis admitteretur in Ordinem, niſi & Teutonicæ nationis, & nobili ſtirpe prognatus. voven t autem, inter alia quædam, perpetuo ſeſe paratos fore, defendendæ ſanctiſſimæ Crucis & Chriſtianæ religionis ergo, quodvis ſubire rerum ſuarum diſcrimen. barbam, iis tantum qui ſacris operantur exceptis, promittunt. loco precum horariarum orationem Dominicam recitant: neque vero tenentur litteras diſcere. quas eorum leges & inſtitutum approbavit auctoritate ſua Pontifex Maximus. Tranſierunt hi Equites, poſt amiſſam à Chriſtianis Ptolemaida, quo Hieroſolyma capta ſeſe receperant, in Superiorem Germaniam. ubi virtute & armis belli ſubjecerunt ſibi Provinciam illam ad ſinum Balthicum, cui nomen Boruſſiæ. quam, ſublatis ex ea profanis & idololatricis ritibus, introductaque vera Divini cultus ratione, jure belli ad noſtra uſque tempora poſſederunt: reſidente Magno ipſorum Magiſtro in urbe, quam ipſimet condiderunt ad Viſtulam flumen, & de nomine Divæ Mariæ; cujus nempe auſpiciis militant, Mariæburgum dixerunt. Creſcentibus vero deinceps mirum in modum eorum opibus atque potentia, tres tandem creati ſunt Magni Magiſtri. quorum unus apud Germanos; alter in Livonia; tertius denique, qui & totius Ordinis caput, in Boruſſia ſibi haberet ſedem. Iamque in eum locum res ipſorum redierant, ut vel magnis Principibus potentia nihilo eſſent inferiores. unde non raro cum ipſis Poloniæ Regibus, orta utrimque contentione ſuper confiniis, aperto Marte auſi ſunt decertare, & inſignes interdum reportarunt victorias: nihil veriti, quotieſcumque poſtularet neceſſitas, vel univerſum ſuum imperium fortunæ arbitrio intrepide objectare. Incipiente vero recentioribus paullo temporibus inter eos regnare faſtu, & ſuccedente poſtpaullo diſcordia, quæque dira imperiorum & gentium omnium peſtis eſt, ambitione,

cito

cito facileque attriti ſunt. ita quidem ut ad ultimum præliantes cum Caſimiro Rege Poloniæ, magna ſua cum ſtrage Equites noſtri ſuccubuerint, fuerintque coacti in verba Regis jurare, & patronum ipſum agnoſcere. Accidit inde anno undecimo ſupra ſeſquimilleſimum, ut electus in Magnum Magiſtrum Albertus Marchio Brandeburgenſis, excelſus atque magnanimus juvenis, Sigiſmundo, Caſimiri in regno ſucceſſori, præſtare noluerit debitum fidei ſacramentum. unde aſperrimum inter eos exortum eſt bellum: quod magna utrimque contentione perſeveravit uſque ad annum 1521. quo tempore quadriennales inducias pacti ſunt. Interea vero Magnus Magiſter Albertus, poſt adhibitum aliquod impetrandi ab Imperatore ſubſidii ſtudium, ipſe Noribergam ad Comitia, cauſſam ſuam commendaturus, profectus eſt. ſed viſo nimirum, Germanos Imperatoris cum Gallis bello, ac Turcarum in Pannoniam impetu, tum & ruſticorum tumultu, plus ſatis diſtringi, neque poſſe ipſius rebus attendere, captata fortaſſis occaſione, cum Polono tranſegit, ſeque obſequium illi & obſervantiam præſtiturum juravit: mutato interim, præter jus & fas, in Boruſſia rerum ſtatu, admiſſaque doctrina & ritibus Lutheranis. factus inde à Rege, ex Magno Magiſtro, Dux & Princeps Boruſſiæ, uxorem duxit Dorotheam, filiam Regis Danorum. unde concitatus in hominem univerſus Teutonicorum Equitum Ordo, eum, etſi Boruſſiæ compotem, & magno illo Rege ſuffultum, titulo tamen & dignitate Magni Magiſtri privavit, ſuffecto in ejus locum Gualtero Crombergio. Ipſe, quia varie lacerabatur in omnibus fere Germanorum comitiis, & videbat implorari contra ſe opem imperii, ſcripto ſeſe utcumque apud hunc mundum purgavit. ſed proſcriptus eſt tandem Cæſaris Cameræque, ut vocant, Imperialis ſententia, & judicatus imperii hoſtis, anno 1537. quæ ſententia tamen executioni numquam mandata eſt. imovero Albertus numquam poſtea deſtitit ab incepto, ſed ubicumque potuit nobiliſſimæ Sodalitatis opes attrivit. Atque talis eſt hodiernus Teutonici Ordinis ſtatus, etſi divitis adhuc ſatis & præpotentis. in Livonia ſiquidem, & per utramque Germaniam, Superiorem dico & Inferiorem, multa hodieque poſſidet opida, plurimas arces, & pagos, innumera denique

agrorum jugera. præcipua ejus ſedes Mergethaliæ viſitur, non incelebri Franciæ Orientalis opido, Magni ejus Magiſtri hodiernum nomen & titulus, *Wolfardus Dei gratia Adminiſtrator in Boruſſia*, &c. Sed ut revertamur deinceps ad intermiſſam deſcriptionem Trajecti, ſciendum eſt, Opido duos Dominos eſſe. partem etenim, quatenus Dux Brabantiæ, poſſidet Rex Philippus: partem Leodicenſis Epiſcopus. quæ poſterior opidi pars, ſcribente Ioanne Placentio, antiquitus data fuit in feudum à Poro Lovanienſium Comite, Divo illi Servatio, cujus ſupra meminimus. quod videlicet Comitem liberaſſet ab virulento quodam è naribus exhalanti fœtore. atque hinc eſt, quod tranſlata Leodicum cathedra Pontificia, Pontifices Leodicenſes in hanc Opidi partem ſucceſſerint: quodque duplicem juriſdictionem & duplex tribunal, abſque notabili ulla finium differentia, cives Trajectenſes agnoſcant. quo vero & ſubditos ſuos Princeps, & ſubditi viceverſa Principem ſuum dignoſcant, invaluit inde à priſcis temporibus conſuetudo, ut præferatur in filiis genus maternum. hoc pacto; ut ſi alterutrius, ſive Regiæ, ſive Epiſcopalis juriſdictionis mulierem, duxeris tibi uxorem, filii eo conjugio nati, illius futuri ſint ſubditi, cui ſubjecta eſt mater. exteri autem, ſiqui ſuas hic figant ſedes, primo ſtatim ingreſſus die profiteri tenentur utri Principum velint eſſe ſubjecti, & ſub eo poſtea vivunt, ejuſque ſequuntur auſpicia. Sciendum tamen, ſupremum Opidi Dominum eſſe Ducem Brabantiæ: qui & multos ſupremi dominii ſui actus in eo exercet. inter alios quidem, ut ſolus curet ſignandas pecunias: ſolus, primo ſuo in urbem ingreſſu (quod in aliis quoque ditionis ſuæ opidis ſolet) exulibus Trajectenſibus faciat gratiam, & exilii pœna abſolvat: iis inquam, qui caudam Principalis equi, vel ſi major eorum numerus, funem è cauda ſuſpenſum, manu contingunt, & una cum Principe Opidum ſubeunt. Verum quidem, de ſuperioritate & juriſdictione urbis Trajecti varias inter Ducem Brabantiæ & Epiſcopum Leodicenſem, eaſque non veteres modo, ſed recentes quoque & nuperas ventilari controverſias, nullo umquam tempore ſatis plane deciſas. quare, quidquid hactenus ſcripſerim, nolim tamen alterutri partium ullo modo præjudicatum, ſed

refero

refero me ad juſtitiam cauſſæ. Trajectenſes fuere Matthæus Herbenus, Gerardus Marbæſius, & Matthias Minneconius, viri docti, & ſcriptis clari.

Trajecto circiter ſemileuca diſtat ingens quidam & amœniſſimus mons, Moſæ pæne contiguus. in vertice arcem habet fabre admodum factam, unde pulchro ſane adſpectu agros undique circumjectos latiſſime deregas. umbilicum occupat religioſum Ordinis Divi Franciſci cœnobium, in quo rite & ordine celebratur cultus Divinus. Mirum vero, quod cum ſummum montis ipſius ſolum & fructuum omne genus & frugum mire ſit ferax, viſcera tamen ſcateant lapide quodam molli, arenoſo, & parvo negotio ſectili. cujus ingens aſſidue hic effoditur copia, idque tam accurata conſervandi & montis & fodientium cura, tamque altis, longis, flexuoſis, & periculoſis quoquè meatibus, tanta denique (vide quid non uſus efficiat!) fodiendi, educendi, & vel ad navim uſque vehendi facilitate, quantam, niſi oculis uſurpaveris, ne mente quidem concipias, tantum abeſt ut credas. diſtribuitur porro hic lapis, adminiculo fluminis, in Provincias circumjectas, magno Trajectenſium quæſtu.

Deſcribamus vero deinceps opida Brabantina minoris dignitatis & famæ. inter quæ, ſervato quem inſtituimus ordine, prima nobis occurrit Stenberga.

Stenberga adjacet mari, duabus à Bergozomio leucis abjuncta. fuit olim opidum potentiſſimum, mirabili prorſus & famoſo portu inſigne. verum & bella, & inſolitæ maris tempeſtates, eam miſere mutilarunt, & in humilem plane atque abjectam redegerunt fortunam. Paret Principi Araufino.

ADD. [*Oppidum exiguum & diu invalidum, quodque ita ſitum eſſe crediderant ut permuniri non poſſet. Itaque varias vices ſuperioribus bellis fuit expertum, ſemel atque iterum ab Hiſpano captum, & eadem facilitate à noſtris recuperatum. Nam quum D. D. Ordines confœderati Belgii deſperarent ita muniri poſſe ut obſidionem aliquandiu toleraret, nulla opera adjicienda putabant; idque tantum caverant, ne, ſi Hiſpanus illo potiretur, excurſionibus piraticis inter Zelandicas inſulas omnia infeſta faceret, valido munimento ad oram freti Zelandici ſtructo; quod quinque habet propugnacula, & foſſam duplicem, aliaque opera militaria, &, quo tutior ad illud eſſet ab Hollandiæ*

*partibus acceſſus, ex adverſo ad appoſitam elicis, ab oppido venientis, ripam, minus caſtellum, cum duobus propugnaculis agrum verſus, & foſſa. Verum anno demum* CIↃIↃXXVII *ratio fuit inventa oppidum hoc muniendi, & agrum omnem qui inter hoc & Bergas ad Zomam interjacet ab hoſtili incurſu defendendi: in quem finem tres paludes, quæ utrumque oppidum interjacent, foſſa conjunctæ, & terna caſtella, qua maxime ſuſpecti aditus, poſita; ſeptumque immunitum; quod ſub mœnia Steenbergæ ſitum, in exteriora agri ex Flita (id nomen ad Steenbergam alveo eſt) immiſſis aquis in ſtagni ſpeciem verſum; oppidoque ea opera adjecta quæ hodierni belli uſus invenit, ut jam inter munitiſſima oppida cenſeri queat. Ager illius fertilis, multaque in vicino alluviones ſuperiorib. annis aggeribus clauſæ, magnam omnis generis frumenti & aliarum frugum copiam ferentes: quarum quæ oppido proximæ, comitis Henrici alluviones vocantur, vulgo* G. Hendzicx polder; *maximæ autem Principis nomen referunt, vulgo* Printen land: *quæ ut à ſubitis hoſtium excurſionibus tutiores eſſent, in vicino & in aggerum nexu reductus aliquot & minora caſtella ſunt excitata.*]

# LIRA.

LIRA poſita eſt ad flumen Nitham, duabus, & prægrandibus quidem leucis Antverpia, totidemque Mechlinia diſſita. opidum ſitu & induſtria munitiſſimum, pulchrum, amœnum, & benignis valde, humanis, ac moderatis civibus habitatum. quin propitia faventeque Antverpia, atque incolas ei & quæſtum ſubminiſtrante, non domibus tantum & ædificiis, verum opibus quoque fit indies locupletius. gaudet anniverſariis nundinis: gaudet mercatu boario, celebri valde & momentoſo. ut qui inde à Divi Ioannis, uſque ad Divi Martini, uno hebdomadatim, die quotannis continuetur, ingenti interea, adeoque mirabili boum numero diſtrahi ſolito. conficiuntur ibidem & panni, & aliæ quædam id genus merces.

ADD. [*Venierunt olim interdum Liræ, & quidem unico die, quindecies mille bubuli pecoris capita. dena quidem & duodena millia, ordinarius inibi numerus, & ſollennis. Floruit quoque urbecula ſtudioſorum atque ſcholarum frequentia, quarum ad triginta & duas aliquando fuiſſe commemorant.*]

Vilvordia

Vilvordia assidet flumini Zennæ, medio fere inter Mechliniam & Bruxellam itinere, quarum utraqe parī duarum leucarum intervallo abjungitur. opidum situ magis, quam arte munitum. arcem habet satis antiquam, conditam anno 1375. in qua Principis nomine adservantur ut plurimum & habentur in vinculis captivī quidam præcipui nominis: de quibus ipsemet Princeps, nullis omnino Magisttatibus opidanis intervenientibus, proprio nutu, & ex causſæ cujusque meritis, facit decidi. Adservantur in ea & autographa privilegiorum, Brabantiæ & annexis ei dominiis à Principibus suis, & hisce rursus à Pontificibus, Imperatoribus, aliisque supremis Dynastis, concessorum. item contractus & pacta, inter Ducem Brabantiæ, & quoscumque alios Principes, inita. quorum quidem privilegiorum & id genus munimentorum custodiæ præfici solet à Rege commissarius quidam, seu delegatus, qui vulgo audit *Custos*, seu *Thesaurarius Chartarum.* fungitur hodie dignitate Ioannes Boisotus, Legum Doctor, & à consiliis Sanctioribus. Vilvordia oriundus est Theodorus Lisveldius, Dominus Hammæ, vir litteratissimus, & primarii nominis, qui ob raras suas virtutes & rerum peritiam, allectus fuit ab Ordinibus generalibus Belgii in Consilium Status, & paullopost creatus Cancellarius Brabantiæ.

Gemblacum, vulgo *Gembloux*, Namura circiter tribus, Nivella quinque & quidem minoribus leucis distat. fuit olim Comitatus, sed in Abbatiam conversa veterem illam dignitatem amisit, ita ut vulgo vix fiat ulterior ejus mentio. at in conditoris tamen, Divi nempe Guiberti, nobilissimi viri, memoriam, Abbas successor, in conventibus hujus terræ, inter nobiles quidem primus, inter vero Antistites Brabantinos postremus rogat sententiam, estque & ecclesiasticus simul & politicus opidi dominus. Ipsum Cœnobium longe amplissimum, & magnis, iisque augustis valde & sumtuosis operibus, structum ævo jam tum Stephani septimi, Pontificis Maximi. meminit ejus cum laude doctissimus Platina. cujus verba sic habent: *Hujus quoque Pontificis merito adscripserim Sanctum Vigibertum nobilem Lotharingiæ Principem, qui Gemblacense cœnobium propria impensa, magnis operibus, brevi extruxit.* Est in hoc cœnobio celeberrima bibliotheca, in qua plurimi libri veteres manuscripti,

ſcripti, nec umquam typis excuſi, ad quos ſæpe confugit Eraſmus Roterodamus. unde & multi Scriptores, ope codicum horum adjuti, honorificam ſæpe faciunt bibliothecæ mentionem. Prodierunt quoque ex hoc monaſterio complures docti & celebres admodum monachi, inter quos velut familiam ducit Sigebertus, magnus in primis hiſtoriographus, & variorum præterea bonorum operum auctor. In confiniis hujus Opidi commiſſum eſt pridie Calendas Februarias anno 1578. memorabile illud prælium inter regium, duce Ioanne Auſtriaco, & generalium Ordinum Belgi exercitum, cui, abſente Comite Lalainio, præerat Dominus Gogniacenſis. ubi, virtute potiſſimum Principis Parmenſis, Regii, nullo plane accepto damno, facti ſunt victoriæ compotes. quam victoriam ſubſecutæ ſunt mox cum hujuſipſius opiduli, tum Lovanii quoque, Tillæmontis, Arſchoti, Sichemii, Dieſthemii, aliorumque haud parvi momenti locorum deditiones.

Iudonia, quam & Geldernacum appellant, ſita eſt ad torrentem Giam, & Gemblaco quatuor leucis abjuncta. vetuſtam hic videre eſt arcem, in qua, ob egregiam cœli temperiem, trandunt Duces Brabantiæ liberos ſuos in puerili ætate educandos olim curaſſe.

Hanutum Iudonia diſtat duabus, iiſque prægrandibus leucis, amœno undique & fertili agro circundatum. opidum mire antiquum, & Comitatus, ut volunt, dignitate quondam inſigne, qui dictus fuerit Comitatus Daborenſis, & à quo hodieque in uſu menſura, quam Daborenſem appellant.

Tillæmonte atque Hannuto pari duarum leucarum intervallo abjuncta eſt Landa, Brabanticarum, ut quidam aſſerunt, urbium vetuſtiſſima. Ioannes Le-Marius conditam ſcribit à Lando, Tungrorum & Brabantiæ Duce, regnante in Gallia Childerico. Mirum vero, prima, quam vocant, inſtantia provocari hinc potius Buſcumducis, opidum tanta intercapedine diſſitum, quam vel Lovanium, vel Tillæmontem, utrumque longe propinquius. Iuxta Landam eſt nobiliſſimus pagus Hougardia, ubi coquitur optimum illud genus cerviſiæ, quod, ceu potus quidam eximius, celebratur ac diſtribuitur per univerſum hunc tractum. Hougardiæ adjacet pagus quem dicunt Stappes/ accerrimo illo anni 1213. inter

inter Brabantos & Leodicenſes prælio memorabilis, in quo cæſi pæne ad internecionem Brabanti, & tria eorum millia capta. qua victoria aucti Leodicenſes invaſere poſtea miſereque diripuere Hannutum & Lewiam, omnibus in propinquo pagis exuſtis.

Hala, quæ & Halena Latine ſcribentibus dicitur, poſita eſt ad jamdictum torrentem Getam, Lewia quidem duabus, Landa vero quatuor leucis abjuncta. & quia ſita eſt in extrema parte Brabantiæ, Leodicenſi terræ vicina, nec admodum longe à Geldria, ſæpius quoque per bella fuit vaſtata, miſereque attrita. unde, quo reſarciri poſſet & inſtaurari, luculentis admodum privilegiis à Principibus ſuis ornata eſt.

Herentalia Lira quatuor tantum minoribus leucis diſſidet, opidum hodie munitiſſimum, ſitum ad flumen Nitham. Ortus hinc famoſiſſimus ille per totum hoc Belgium medicus Petrus ab Herentalia. qui reconditam quamdam cognitionem arcanarum in plantis virium, quibus plurima edidit peritiæ ſuæ ſpecimina, cum profeſſione ſollenni conjunxerat. patri vita functo ſucceſſerunt plures ejuſdem diſciplinæ filii, inter quos Petrus & Theodorus jamnunc in laude & fama.

Eindovia ſita eſt in tractu Campaniæ, opidulum lautum & ſic ſatis munitum, ad flumen Dommelam, quatuor Buſcoducis abjunctum leucis, & tractus quem dixi metropolis. ædem habet Divæ Catharinæ ſacram, & in ea Canonicorum collegium. Dynaſtam agnoſcit Comitem Buranum, Principis Araufinifilium.

ADD. [*Sequitur Sichemium opidulum ut teſtatur Lipſius ad Demeram fluvium ſitum, inter exigua, ſed vetera Brabantiæ habetur. Sane* Sichemium, *quaſi* Ægrorum domus *dicta vedetur, quia forte ibi Valitudinarium,* Sick-heim: *an meliori nomine* Sig-heim, *id eſt Victoriæ domus? Faciat, quod propinquum opidum* Dieſt-hemium *dictum: quid niſi Martis & belli ſedes? quiane ibi caſtra, an ipſe ille bellicus Deus olim cultus?* Dieſtum, *aut* Dienſtum *certe eum vocavimus: & dies ab ejus nomine etiam nunc adfirmat. Quid, quod finitimum opidum* Areſcotum (*ita vetuſtiores dicunt*) *notas item Romani hujus ævi & ritus præfert? Eſt enim* Aquilæ repoſitorium, *aut* ſedes. *Sed utcumque iſta, Sichemium vetus opidum, & quinto milliari â Lovanio noſtro, uno circiter a* Dieſthemio *abjunctum. Paret & proprium eſt, cum finitimis,*

Nassoviæ genti; & in ea tutela diu floruit, donec nuper & civilibus his bellis, non florem solum, sed vitam pæne amisit. Captum, receptum; præsidiis aut prædonibus insessum; ignes etiam passum; ad eam infrequentiam deductum est, ut paucos cives habeat, relictos velut in senem. Sed in ejus opidi finibus, medio illinc milliari, Collis exsurgit, leni fastigio: quem Acutum vulgo dicunt, nun quia in verticē talem aut conum desinat (imo aquabili fere planicie est, & satis lata:) sed quia idiotismo rustico & metaphora, terram scabram, aridam, horridam, Acutam etiam dicunt: quam Latine Asperam, vere & pro ingenio loci reddas. Ita enim est. exsuccum, macrum, amarum ibi solum, frugum & pæne herba vacuum, arbustis quam arboribus gaudet. In ejus parte verruca sive colliculus fuit, & in eo quercus: & in hac Divæ Virginis adfixa icuncula: qua culta accolis à tali initio fertur. Ajunt ante annos centum (& constans ita fama habet) fuisse pastorem, qui oves in eo tractu pasceret: atque is repertam, nescio quo casu, humi imaginem sustulit, in sinum condidit, certus eam domum secum auferre. Parva enim erat, & privato cultui videbatur opportuna. Sed dum agitat, ecce membra ejus omnia stupere, pedes utique non movere, & quasi frutex aut stipes ibi stare. Ipse mirari, & animo quoque stupere, nec ad caussam adsurgere: herus autem villicus absens, requirere pastorē suum & gregem. nam hora jam reditui lapsa, & Sole romoto nox propinquabat. Itaque infortunii anxius, eo accurrit: & repperit defixum stantem, & quæ gesta simpliciter narrantem. At ille mentis melior, imaginem statim recipit, & timida religione in veteri sua sede & quercu reponit. Eoque facto, pastor velut vinculis liberatur: & venerati uterque Numen domum abeunt, rem denarrant, & viciniam totam religionis implent.

Ab hoc deinde Miraculo, in fama jam multa & cultu imago fuit: & auxit, quod morbis, & præsertim febri, sollennis ac pæne certa ibi medicina. Confluebant undique Sichemio, Diesthemio, Areschoto, locis finitimis, cives, pagani, milites, & salutarem illic opem poscebant, & ferebant. Hoc qui vivunt boni senes, aut nuper vixerunt, ex fide tastati sunt: & liquet communi suffragio, ante hos viginti annos sic fuisse. Itaque locus frequens & celeber, ut dixi. sed enim evenit, & candide fatendum est, ut dicta imago illa sive statua perierit; incertum qua vi, aut casu, nisi quod suspicio prædones culpat, in iis lustris assiduos per hæc bella, non solum crebros. Ea amissio incidit circa annum CIↃIↃLXXX ut ajunt: & conspici ibi Diva desiit, sed non coli.

*coli. Veniebant enim nihilo ſegnius ad locum loculumque vacuum; & opem ac ſolatium etiam inveniebant. Quis miretur, aut culpet? Perſæ, regis ſui ſellam veneratiſunt, quia majeſtas illa inſediſſet, & atactu velut ſacraſſet: cur non liceat piis locæ Numini electa, & conſecrata? Nec tamen quercum illam (nemo cenſeat) ob ipſam; ſed in ea ſtatuam, in ſtatua Divam; in hac Deum veneratiſunt, & adorarunt. Nec in ſtatua ſane proprie vis aut virtus; quod res hic docuit ea amiſſa, & mox mutata. Nam poſt annos ſeptẽ, id eſt annos* CIↃIↃLXXXVI *religioſus quidam ſenior & Senator Sichemienſis, conſpecta affluentium multitudine & ardore, qui inter ſicarios & tela prædonum, non abſiſtebant locum hunc petere; ſuffecit imaginem arculæ lignea impoſitam, & quercui ibidem affixit. Manſit, donec anno* CIↃIↃCII *majore in dies concurſu,* Godefridus *Paſtor Sichemienſis, veneration augendæ, detractam arbore, in ſacello modico, quod è tabulis juxta ſtruxerat, rite & pie collocavit. Sed enimvero, cum id angustum turbis (ita loquendum eſt, & ſine numero jam concurrebant) eſſet: ſacellum e lapide ſecto inchoatum abſolutumque eſt, &* Divæ *dicatum ſacratumque ab Illmo & Revmo* Matthia Hovio, *Mechlinienſi Archiepiſcopo, tanto hominum, è diſſitis etiam locis, conventu, ut id quoque inter Miranda, ſi non Miracula, cenſeri mereatur. Hoc factum anno iſto* CIↃIↃC. IIII. *Idibus Iunii, die quæ S S. Trinitati eſt ſacer: & ex eo, ipſa illa imagunculaibi perſeverat. At quercus paullo ante, conſilio & decreto, à ſtirpe excisa eſt: idque vel ideo, quod trunco varie ſciſſo & imminuto, cum fragmenta & aſſulas quiſque ſibi peteret, caſum jam minabatur. Excisa itaque, & Sichemium, quod ejus ſuperfuit tranſlatum. Vnde quidam, & icunculas ſibi fecere, & pie colunt: alii fruſtulis in potu uſi, & conſtat quod cum morborum medela.*]

# HELMONDA.

HELMONDAM alluit fluvius Ada, opidum tribus Eindovia leucis abjunctum, & eleganti quod ſatis ſit arce conſpicuum. in qua degit vir quidam primarius è nobiliſſima gente Cortenbacquia, opidi hujus Dynaſta, & eo nomine Vicecomes, ſive *Burg-gravius* Vurniæ atque Duſburgi. Natus fuit Helmondæ doctiſſimus ille Andreas Helmontanus. Aſſidet opido pagus

Beca, patria Ioannis Goropii Becani, medici perquam eximii, & in omni litteraturæ genere verſatiſſimi, ut è ſcriptis jampridem excuſis abunde conſtat, etſi ea nonnulli inſolentia nimis & exorbitantia judicent.

## GRAVIA.

GRAVIA ſita eſt ad ſiniſtram Moſæ ripam, Raveſtenio quidem duabus minoribus, Buſco-ducis vero quatuor grandibus leucis abjuncta, & cum ſitu, tum aliis quoque de cauſſis, magni in primis nominis atque momenti. Canonicorum in ea collegium templo Divæ Elizabethæ ſacro. ipſum opidum Dynaſtam habet Principem Arauſinum, qui adeo nuper illud, clientelari deinceps jure poſſidendum, ab Hiſpaniæ Rege mercatus eſt, ſed cum Ordinum tamen Brabantiæ, ſine quorum ſuffragiis Duci patrimonium ſuum neque vendere neque obligare ullatenus fas eſt, conſenſu. Sed pergamus deinceps ad opidula quædam minorum gentium.

ADDIT. [ *Gravia caput provinciolæ Cuykanæ: ambitu quidem exiguum intra vallum; quippe quod quarta horæ parte circumiri poſſit, ſed opere & induſtria munitiſſimum. Oppidum hoc anno* CIↃIↃLXXXVI *in Hiſpanorum manus deditione pervenit, ignavia (uti tunc fuit judicatum) præfecti, qui culpam capite luit. Manſitque in eorum poteſtate ad annum* CIↃIↃCII, *quo, virtute invictiſſimi Principis Mauritii ab illuſtr. D.D. Ordinibus fuit recuperatum, poſt duorum menſium obſidionem. Licet autem vel tum munitiſſimum eſſet oppidum, quippe terreo vallo & firmiſſimis & magnæ molis propugnaculis cinctum; tamen poſtquam in manus confederatorum rediit, omnibus modis permunitum eſt. Nam undique valido vallo cingitur, cujus lorica ad octodecim pedes lata eſt; cui annexa ſeptem ingentia propugnacula ſibi invicem reſpondentia: una cum vallo ad pedem; & ſuper foſſæ labrum vepreto ſepta, quinque quidem pedes lato, ſupra decem autem alto: deinde latiſſima profundiſſimaque foſſa; & extra illam varia opera cornicul ata, quaque alia hodierni belli uſus invenit, ſingula ſuis rurſus foſſis præcincta, & univerſa denuo generali foſſa ſuperiore anno concluſa; ut nihil humana induſtria jam addi poſſe videatur. Quibus accedit quod & natura ſit munita. Nam maxima parte à Moſa lambitur; qua autem Brabantiam aſpicit, humiles*

humiles undiquaque agri, partim ab amniculo, qui è Peela palude exiens (den Raem vulgo vocant) hoc oppidum allabitur & perlabitur, & uliginosi & rigui redduntur; hybernis vero mensibus Mosa flu. alveum suum regressus, magnam suburbani agri partem ita inundat, ut modica navigia transire possint, & hac tempestate oppidum obsideri nequeat. Ager illius humilis & fere pascuus, atque optimi fœni ferax, magno equitum, qui hic fere æstiva atque hiberna habent commodo, Circiter hora itinere versus eurum aliquot sylvæ caduæ jacent, & perampla palus bituminosa, ita ut oppidanis & lignatio peropportuna sit, & cespitum bituminosorum copia. Caterum antiquum est oppidum, habetque in arce sua cameram feudalem, ad quam pertinent supra trecenta quinquaginta feuda, præter aliquot nobiliora feuda; quæ à Ducibus Geldriæ, præsertim ab Arnoldo, (qui hic tam ante quam post captivitatem suam agere consueverat, & hic diem obiit anno CIↃCCCCLXXXIV, & una cum fratre suo Wilhelmo Egmondæ Comite & Domino Iselsteynii jacet sepultus) supra modum sunt aucta.

Habet oppidum suum Amptmannum atque Scultetum: itemque Consules sive Burgimagistros duos, Scabinos septem. quorum munus annuum est; quotannis enim kalendis januariis à Principe Arasionensi eliguntur. Præter hos Magistratus sunt & Iurati octo, qui non vocantur in Senatum nisi quum de nova oppidanis imponendo tributa, aut alioquin re maximi momenti, agendum est. Deniq; oppidani Gravienses magnis immunitatibus perfruuntur: sunt enim liberi pene ab omnibus portoriis in Brabantia, Hollandia, Geldria, Zelandia, Frisia, atque aliis locis quam plurimis.

Porro provincia Cuyckana superioribus seculis Comitatus fuit, licet perangustis limitibus contenta. nam haud supra IV milliaria in longitudinem patet, nusquam pene supra milliare & dimidium lata. Complectiturque præter urbem sedecim aut septemdecim pagos: in duas partes divisa, superiorem & inferiorem. Illius Dominus Comitis titulum amisisse dicitur tempore Lotharii Imperatoris. exinde multis annis sub Geldria fuit. & tandem cum illa ad Burgundos devenit; qui illam Brabantiæ univerunt; cujus secunda Baronia censetur. Maximilianus denique Egmondanus Buræ Comes, à Duce Brabantiæ, Ordinibus illius haud invitis, oppidum cum territorio, pignori accepit, quum magnam pecuniæ vim Duci mutuam dedisset. Cujus filiam unicam & haredem quum Illustriss. Arausionensium Princeps Wilhelmus in oxorem duxisset, hujus dominii hereditatem adiit;

*in cujus familia hodieque manens, jam dominum ſuum agnoſcit Fredericum Henricum Arauſionenſium Principem.*]

*Opida muris carentia, vulgo* Dryheden *dicta.*

OStervicum, duabus à Buſco-ducis leucis abjunctum, haud pœnitendum ſane & ædificiis luculenter inſtructum eſt municipium, in quo magna conficitur pannorum inſignium copia.

Orſchotum inter Buſcum-ducis atque Eindoviam, pari trium præterpropter leucarum intercapedine ab utroque opido diſſidet, nobiliſſimum habens Canonicorum Divi Petri Collegium.

Turnhoutum diſtat Antverpia ſex leucarum intinere, fuitque ante aliquot annos in ditione Reginæ Hungariæ, cui in ætatem conceſſerat Carolus Quintus frater. unde factum, ut ejus favore locus plurimum auxerit, qui alioqui & venationi & cæteris Principum voluptatibus ſanequam commodiſſimus. arcem habet mediocrem, ſatis tutum in repentino aliquo motu perfugium. regina defuncta rediit ſub imperium Regis. Collegium ibi Canonicorum Divi Petri, locuples valde & celebre. tenuit autem Turnhoutum primarium ſemper locum & dignitatem inter municipia Brabantina, & fuit tempus, cum in flore hic eſſet lanificium, & magna conficeretur multitudo pannorum: ſed poſt artem hanc, uti ſupra jam diximus, in Angliam ex hoc tractu tranſlatam, immigravit huc ejus vicem ars culcitaria, quas ea quidem dexteritate ſimul & copia Turnhoutani conficiunt, ut per totam fere Europam diſtribuant. Turnhoutanus fuit Ioannes Driedo, pereximius & famoſus valde Theologus: quod egregia viri opera pridem orbi vulgata teſtantur. Turnhoutii quoque inter eos qui hodie ſuperant Ioannes Gevardus natus eſt, vir inſigniter doctus & magni judicii, hiſtoriarum præſertim, tum & aliarum in genere diſciplinarum peritus, cui pulchra apprime & ampla eſt bibliotheca, ſchidis & ſingularibus aliquot monumentis manu exaratis, aliiſque id genus rebus luculenter inſtructa. ita quidem ut magno cum deſiderio expectentur ab eo ſcripta & opera quædam egregia, typis propediem evulganda.

Dufflia

Dufflia adjacet Nithæ flumini, medio fere inter Mechliniam atque Liram itinere, magni profecto nominis & dignitatis dynastia.

Walhemium item eidem flumini assidet, Mechlinia tantum unius, Antverpia trium leucarum intervallo abjuctum. pontem habet egregii operis, flumini transmittendo, magno sane commeantium commodo, nuper extructum. Pessime mutilarunt hunc locum Longavallius & Martinus Roshemius, cum exercitum anno 1542 eo traducerent. hodie vero restitutus fere est in pristinum statum, & lanificio potissimum floret.

Merchta tribus Bruxella leucis abjuncta est.

Ascha dissidet Merchta tantum unius, Bruxella duarum & semi leucarum itinere.

Vurnia sita est in ingressu silvæ Sogniacensis, Lovanio & Bruxella pari duarum leucarum intercapedine dissita. gaudet hoc municipium titulo Vicecomitatus, habetque arcem longe pulcherrimam. in quam, ob venationis & aucupii commoditatem soliti olim crebro secedere Duces Brabantiæ. quorum tres inibi etiam funerati, Antonius nempe & duo ipsius filii, patris in hanc ditionem ex ordine successores: Ioannes, conditor Academiæ Lovanienſis, & Philippus. Hocipso loco, ex præscripto Ducis Brabantiæ, fovendo nimirum inter utramque gentem amori & benevolentiæ, certant quotannis, depositio levi aliquo & exiguo pignore, quo videlicet contentionibus obvietur & rixis, certant (inquam) inter se Lovanienses & Bruxellenses, utri certius & peritius jaculentur baliſtis è ligno & veteri more confectis, magna utrimque hilaritate & animorum oblectatione.

Dusburgum una dumtaxat Vurnia, Bruxella tribus leucis semotum est, Vicecomitatus dignitate conspicuum, omniumque municipiorum Brabantiæ vetustissimum.

Over-Isca duabus & semi leucis Bruxella disjungitur, silvæ Sogniacensi pæne contigua.

Hulpnia dissidet Over-Isca tantum unius, Bruxella trium & semi leucarum itinere, collegiata, ut vocant, ecclesia, eaque insigni, conspicua.

Wavria distat Bruxella quatuor ipsas leucas, estque locus admodum celebris, partim ob Prioratum, quo præ-

lauto

lauto quidem insignis est, partim ob reliquias sacras, quas asserunt, populari morbo grassante, multa sæpe patrasse miracula, quare & singulis annis sollenni ritu & ordine Bruxellam eas deportant.

Brenniæ vulgo addunt cognomen *alleud*, voce antiqua & Gallicanæ originis, quam Latine verteris pensionem. ita ut hoc quidem loco significetur Brennia pensioni obnoxia. antiquis enim temporibus, quod & hodie moris est, vel reservabat sibi patronus clientelaris possessionis in eam aliquod jus, vel immunem prorsus & oneris omnis expertem, pro clientium scilicet meritis, eam dabat utendam, fruendam. unde factum, ut prædium pensioni obnoxium diceretur *alleud*, liberum autem *Franco alleud*. quasipsas voces, aliasque vel subjectionem vel immunitatem clientium denotantes loquendi formulas, opere singulari illustravit Stephanus Paschasius, Doctor & Advocatus eximius in augusto Senatu Parisiensi, tractant idem argumentum & doctissimus ille Gregorius Turonensis, & Aimonius Monachus. quorum scripta, partim hacipsa de caussa, partim ob alia quædam selectiora lectu sane digniſſima. Sita est Brennia tertio circiter à Bruxella lapide, in introitu silvæ Sogniacensis, exiguum quidem, sed antiquissimum plane opidulum, in cujus vicinia arx est, vulgo *Breine le Chasteau* appellata. & tribus supra hanc arcem leucis, in terra Hannonia, jacet opidum *Breine le Comte*, prout latius infra suo loco dicturi sumus. Conditum autem, ex Neotericorum scriptorum, adeoque recepta passim opinione, ac denominatum fuit utrumque hoc opidum à famosissimo illo Brenno, urbis Romæ quondam devastatore, cujus apud Livium libro quinto Decadis primæ fit mentio. is, cum à Romanis lacessitus fuisset, traducto numerosissimo è Gallia in Italiam exercitu, eos ad Alliam flumen fudit, indeque porro victoriam prosequens, ipsam urbem, anno ab ea condita trecentesimo sexagesimo quinto invasit, & postquam cremasset, Capitolium ipsum obsedit. ubi lascivientem nimis & vitulantem una cum omnibus copiis Camillus Dictator duobus præliis ita attrivit, ut, teste jamdicto Historico, ne nuntius quidem cladis relictus sit. Polybius narrat eosdem Gallos, post Romam captam, bello civili & intestino revocatos, pace cum

Romanis

Romanis facta, reverſos fuiſſe in partiam. Polydorus autem Virgilius, libro hiſtoriæ ſuæ primo, Brennum hunc, urbis everſorem, Britannum fuiſſe contendit, etſi regulum, ſive Ducem Gallorum: verum centum & decem poſt eum annis extitiſſe alterum quemdam Brennum, natione Gallum, eumque cum ingenti exercitu in Græciam ſeſe & Macedoniam effudiſſe. Videri autem poſſet hic Polydori Brennus idem fuiſſe cum eo, cujus libro hiſtoriarum vigeſimo quarto meminit bonus auctor Iuſtinus, comitem ei aſſignans Belgium. qui duo Gallorum duces in magna apud ſuos laude & fama, coadunatis in Gallia, & præſertim hoc noſtro Belgio, unde videlicet oriundi, plus trecentis hominum millibus, partim per Pannoniam, partim etiam per Italiam, in Græciam, inque Macedoniam irruperunt: ubi poſt non pœnitendos progreſſus, cum vultum tandem vertiſſet fortuna, uterque, ob nimiam forſitan inſolentiam, una cum copiis ſuis extinctus eſt. nam Belgius quidem cum exercitus ſui reliquiis è Græcia profugiens, brevi interiit: Brennus vero, dum deprædari conatur famoſum illud templum Delphenſe, ab hoſtibus ſuperatus, & graviter laucius, cum dolorem vulnerum ferre non poſſet, pugione vitam finivit. unde Propertius:

*Torrida ſacrilegum teſtantur lumina Brennum.*

Vtcumque ſit, videtur utrumque hoc opidum & conditum & denominatum fuiſſe ab alterutro horum Brennorum. ſuntque digna plane conſideratu ea quæ in hanc fere ſententiam ſuper Gallica natione, cujus hic noſter tractus adeo momentoſum eſt membrum, idem ille quem dixi Iuſtinus commemorat: *Gallorum* (inquiens) *ea tempeſtate tanta fœcunditatis juventus fuit, ut Aſiam omnem velut examine aliquo implerent. Denique neque Reges Orientis ſine mercenario Gallorum exercitu ulla bella geſſerunt; neque pulſi regno, ad alios, quam ad Gallos, confugerunt. tantus terror Gallici nominis & in victa felicitas erat, ut aliter neque majeſtatem ſuam tutam, neque amiſſam recuperare ſe poſſe ſine Gallica virtute arbitrarentur. itaque in auxilium à Bithynia Rege invocati, regnum cum eo, parta victoria, diviſerunt: eamque regionem Gallograciam cognominaverunt.* Vnius à Brennia noſtra leucæ itinere, & quarto circiter à Bruxella lapide, circa toparchiam Clabbecanam, eruitur

terra

terra genus quoddam ſatis nitidi lapidis, cui nomen ab ipſo Clabbeca. is autem lapis & colore ſimul & ſpecie ita prope accedit ad adamantem, ut auro eum claudere nefas ſit. ſed videlicet mollem eum & tenerum eſſe, neque alium ſui uſum præbere, quam ut ſpecioſo illo nitore ſimplicibus & incautis imponat. Melius poſtea ejus genus una hinc leuca in confiniis pagi Henaſti repertum eſt.

Genapum diſtat Nivella grandi dumtaxat leuca, verum habens & pulchram ſic ſatis arcem. in qua forum eſt, ſive tribunal, quod vulgo audit *la haute Cour de Lothier*, id eſt, ſuprema Lothariæ Curia. hic adminiſtrari ſolet juſtitia, idque tam in civilibus ſimul & capitalibus, quam clientelaribus cauſſis. at provocatio tamen datur ad Cancellariam Brabantiæ, præterquam in capitalibus & clientelaribus, quæ decidi hic ſolent decretoriis, ſeu definitivis, ut loquuntur, ſententiis: ſalva tamen actoribus optione, utrumne cauſſas moveri & diſcuti velint Genapi, an vero in Bruxellenſi rerum clientelarium curia. Continet porro hocipſum Genapum quidquid hodie in hoc Belgio ſupereſt ex maguo illo nomine tituloque Ducatus Lothariæ, quatuor tantum opidula, centum & ſexaginta quatuor pagos, duodecim baronatus, & octo Abbatias ſub ditione ſua complexæ: reliquum enim, uti jam diximus, Lotharingiæ finibus reſtat incluſum. In hoc opido & finitimis ei locis, ob miram cœli temperiem, terræ amœnitatem, & venationum delicias, domicilium ſibi elegerat Delphinus Galliæ Ludovicus, poſtea rex eo nomine undecimus, quo tempore patris Caroli ſeptimi iram & indignationem veritus, ad Philippum Bonum confugerat, & quinque amplius annos in hoc tractu una cum thori conſorte, plures in Genapienſi hac arce natos enixa, moratus fuit. quo beneficio tamen poſtea non obſtante, uti nec aliis plurimis in Delphinum collatis, ille Rex (adeo ſcilicet amicitia ſæpe potentior eſt ambitio) maximus atque aſperrimus, ſiquis alius umquam, fuit domus Burgundicæ hoſtis, illatis ei graviſſimis bellis, & Burgundia ipſa cum tot aliis terris opidiſque ereptis.

Gela, duabus ab Herentalia leucis abjuncta, peramœnum eſt municipium, in quo, ante paucos hos annos,

nos, inſtitutum eſt collegium Canonicorum, honori & memoriæ Divæ Dimpnæ, nobilis olim è Scotia virginis.

Arendonquium leucis duabus abeſt Turnhouta.

Dormalia grandi tantum leuca diſſidet Landa, & cum ea prima, quod vocant, inſtantia, Buſcum-ducis, etſi procul abjunctum, appellat.

*Pagi aliquot præcipui in Brabantia nominis.*

SVnt inſuper in Brabantia & pagorum in ea catalogo loci quidam & baronatus ac toparchiæ haudquaquam exigui nominis. nos præcipua tantum eorum enumerabimus, & in cæteris, brevitatis ergo, nos referemus ad peculiarem illam tabulam Geographicam ſupra operi noſtro inſertam. præcipui itaque pagi ſunt iſti. Et primo quidem

Fanum Sanctæ Odenrojæ, quod ad flumen Dommelam ſitum eſt, tribus leucis à Buſco-ducis. nobiliſſimum hic & opulentum cum primis Canonicorum collegium eſt, cujus Decanum ferunt cenſu & opibus vel ditiſſimo etiam terræ Brabantiæ Præſuli parem eſſe.

Boxteliam alluit idem fluvius Dommela, locum duabus leucis à Buſco-ducis abjunctum, & cum titulo baronatus, tum inſigni Canonicorum collegio nobilem.

Roſendalia diſtat Bergozomio quidem duabus, Breda vero quatuor iiſque prægrandibus leucis. eſtque pagus admodum lautus, aquarum & crebræ navigationis aliarumque rerum commoditate ſpectabilis.

Huckela leuca tantum diſtat Bruxella, locus equidem memorabilis, ut in quo olim fuerit antiquiſſimum forum, ſive conventus juridicus, univerſæ Brabantiæ: ubi & ipſemet Dux ut plurimum ſolitus degere. ac licet poſtmodum aula commigrarit Bruxellam, habet tamen hodieque hic pagus ſeptem adſeſſores, ſive Scabinos, & celebre eſt etiamnunc tribunal Huckelenſe.

Lilloa poſita eſt ad flumen Scaldim, tribus ab Antverpia leucis, opulenta & pulchra admodum toparchia, ditionis viri illuſtris Pauli Van-dalii. locus per hæc bella civilia multum inclaruit, & cum ſitu, tum aliis quoque munitionibus, fortaſſis inexpugnabilis factus eſt.

ADD.

ADD. [*Lilloum locum* III *ab urbe Antverpia milliaribus, Antverpiani jam ante annum* CIↃIↃLXXXIV *muniverant, ut navigationem per Scaldim tutam præstarent, eique munitioni delectos ex urbe cives imposuerant. E regione item illius in altera fluminis ripa in Flandria alterum munimentum, cui Liefkenhoeckæ nomen, excitaverant. Quod quum nondum ad eam altitudinem perductum esset ut defendi posset, Parmensis Antverpiæ obsidionem moliturus eo mature Risborgium marchionem cum* VICIↃ *peditum mittit. Præsidiarii locum dedere jussi cum ad defensionem se pararent, dissplosis statim* CCC *tormentorum ictibus una & altera oppignatio tentata. Primo repulsi regii, dein æstu usi Itali, qui Gasparino Lucensi Duce vim faciebant, currus fœno onustos ad id paratos incendunt, & fumo præsidiarios strangulante eos loco pellunt; atque ita Parmensi, qui forte supervenerat, animos militi faciente, munitione potiuntur. Deprehensi in ea omnes trucidantur. Ioannes Pettinus Attrebas, qui præerat, fide & rei militaris peritia clarus, post certamen ab ipso Risborgio interficitur, multum succensente Parmensi. Multi in flumen præcipites se dederunt; pars aquis hausti, pars natando evaserunt. Id in eundem quo Arausionensis cades, diem incidit Casus is Antverpianorum studium acuit; qui Lilloæ metuentes, qua tantum* CXXX *præsidio tenebatur, cohortem ex urbana juventute eo mittunt, ac* LXXX *delectos ex sagittariorum collegio. Lilloam deinde missus cum Gallorum cohorte Odetus Lanovius Telinius, Lanovii captivi dignissimus filius; qui jam in illa ætate magnum virtutis paternæ specimen ea obsidione edidit, & experti ducis jam tum in illa ætate vel Hispanorum & Italorum judicio meruit. Adeo ut Hispanus, supra bis mille suorum in illa obsidione desideratis, eam deserere coactus fuerit. Postilla arx in fide confœderatorum Ordinum permansit, & post deditam Antverpiam multis operibus communita fuit; & altera quoque è regione munitio Liefhoeckena denuo excitata; qua utraque Belgis Scaldis navigationem tutam, Hispanis infestam faciunt. Crevit ex illo Lilloa, & justi oppiduli formam induit. Magnum autem discrimen adiit anno* CIↃ IↃCXXVII: *parumque abfuit quin ab omni subsidio è fœderatis provinciis abscinderetur. Rem gestam hoc modo describit Grotius in obsidione Grollæ cum annexis illius anni. Transfuga (inquit) spem fecerant, invadi posse Bevelandiam australem, & aperto ad Irsicam aquarum septo, & perfossis quæ obstabant, oppidum Goesam atque ei proxima mergi, partem vero insula Honta adsitam etiam retineri, defensam quippe suis aggeribus,*

geribus, qui olim in pace ſtructi ad coercendam eluviem nunc pro belli munimento erant valituri. Anni effluxerant dum expectatur tempus idoneum quo exhauſta præſidio Goeſa nudam inſulam præberet: quod evenit, dum Principem & exercitum muniendæ Grollæ cura retinet, & audita pridem per exploratores regios conſilia ſui vetuſtate in oblivionem venerunt. Ergo Antverpiæ contracta vis ſcapharum, & quæ alia navigia plano alveo facile vadis inſidunt. pars adacta per æſtuarium quod retro Lilloum multus uliginoſi ſoli fruticibus obumbratur, pars curribus eodem pervecta: quinquaginta omnes; bis mille inſtructæ militibus. Per merſa terrarum inter Scaldim Hontamque Bevelandiæ auſtrali accedunt, captato tempore quo maxime vacuus ager, ad ſolemnem Goeſæ mercatum profectis inhabitantium pleriſque. Sed mare ſperato citius recedens inter eos qui advenerant & Bevelandiæ auſtralis aggerem medium fecerat ſpatium, quod gravi cœno tenax, nec ſcaphis nec pedibus tranſiri facile: Attamen egreſſi ſcaphis pedem inferebant, quum militum pauci emiſſi oppido, humenti extra aggerem ſolo ſemet oſtentantes, & in ipſo aggere vexilla, quibus ad publicas voluptates indigena uti ſolent, pro ſignis militaribus collocata, falſa imagine verum metum fecere. Interim conciti plures feſtinabant, nullo religionis diſcrimine, quum Catholicis plena ſit regio, communi cunctis ſua defendere. Queis illi viſis, cum ſe ſcaphis reddidiſſent, apud Rillandiam unam ex minoribus inſulis expectant æſtus, qui hærentes levaret, reditum; & proprio Scaldis alveo ſubvecti inſulam advenere modicam, & tantum pecori nec multo paſcendo utilem, proxime ſub eum locum in quo Scaldis Hontæque divortium eſt. Hogevverva huic inſulæ nomen eſt, cujus parte dextera quod fluit Scaldis, Aggeram, altera, Cromflitam vocant. Hic quarto auguſti die caſtellum excitavere. mox & propius Aggeram receptum, quo trajectus muniretur, initia premendi undique Lilloi. ſimul Santflitæ caſtellum magna mole ac ſpecie, (propugnacula ei ſeptem deſtinabantur,) aggeri veteri, qui firma terrarum ab alluvionibus dividit, adſitum. aliaque in itinere Antverpiam, partim in quæ diximus conſilia, partim continendis militum excurſibus è Bergis ad Zomam, & parandis quæ utilia, ſi quando ejus oppidi obſidium placeret: quo fine & foſſa duci cœpiti à caſtello Crucis, quod non longe Antverpia eſt, Stabroucum ac porro Santflitam verſus, qua commeatus tuto ac levi impenſa tranſirent. Sed hos conatus & fortuita & Hiſpanorum molitiones haud parum turbavere. Nam primum octobris ſecundo die in Santflitiana munitione improviſus

*visus ignis tuguria & quicquid flammam alere natum inerat absumsit. Infra Lilloum æstuaria complura ex Scaldi introrsum fusa alluviones varie intetrumpunt. Proximum ex his Blaugarium dicitur, unde agger novus ad Lilloum pertingit. In eo aggere & inter æstuaria Batavi cuncta munimentis implent, quo & hostem arcerent & amni latius incumberent. Quod imitatus hostis & ipse in ultima ora, quæ Santflitæ objacet, ubi æstuarium Stofa nomine, castellum locat: sed & huic & cæteris Hispanorum operibus, ipsi etiam aggeri veteri qua Stabroucum fert, multum nocuere fluctus, præcipiti jam anno violentiores. Ac Princeps cuncta quæ ibi gerebantur edoctus, insulam, quæ maxima inter Stofam ac blaugarium æstuariis circumfusa amni imminet, justo castello, cui progugnacula quatuor & intra fossam munitiones duæ, occupari, & propius recepto flumine contrahi ejus spatium, ac militari aggere ambiri jubet. Imperio successus adfuit; quanquam qui Santflitam magnis cum copiis tenebant, & tormentorum jactu & præliis operi intentos incursabant. Atque ita hic arx, quæ Frederici Henrici nomine insignitur, perfecta; distans ab hostili arce ad Stofæ æstuarium, intermedio veteri aggere variis locis perrupto, virgas quingentas quinquaginta: uti jam denuo Lilloi securitati abunde prospectum videatur.* ]

Gaasbeca distat Bruxella duabus leucis, fertili admodum solo circumdata, & ampliſſima sane dynastia, seu baronatus, ut quæ præter territorium longe lateque porrectum, septemdecim pagos sub ditione sua complectitur.

Revesia distat Nivella duabus leucis, estque & ipsa ampliſſimæ dignitatis & jurisdictionis Dynastia.

Leefdalia duabus circiter leucis abest Lovanio, baronatus prænobilis, & Brabanticorum omnium antiquissimus.

Wesemalia propinquam habet Rosselariam, Lovanio vero duabus leucis abjuncta est: baronatus adeo nobilis, ut ejus dynasta sit Magister equitum, vel ut vulgo vocant Mareschalcus Ducatus Brabantiæ. Baronem habet Casparum Schetsium, eum, cujus & supra fit mentio. cui nuper defuncto succeſſit filius Lancelottus.

Perversia medio fere inter Gemblacum & Iudoniam itinere pari duarum leucarum intervallo ab utroque opido dissidet, estque antiquus valde & late patenti

ditione

ditione baronatus, adeo quidem ut ejus Dynaſtæ priſcis illis temporibus ea fuerint potentia, ut cum Epiſcopis Leodicenſibus interdum belligerati ſint. locus hodie eſt in ditione Domini Merodani, baronis præterea in hacipſa terra Dufflæi, toparchæ Walhemii, & aliorum quorumdam tum intra tum extra hunc tractum locorum.

Walheinium diſtat Gemblaco grandi dumtaxat leuca, pagus admodum amplus, & pro opidulo, arce & late patenti ditione conſpicuus, ita ut Comitatus gaudeat dignitate.

Cantacrucia, vulgo *Cantecroi*, leuca tantum Antverpia diſſidet, eſtque & pulchra & munita quod ſatis ſit arx, cui & agri complures adjuncti, & in octo pagos circumvicinos eſt juriſdictio. quare ut digna & honeſta ditio nuper ab Rege Philippo in Comitatum erecta eſt. Dynaſtum habuit Cardinalem Granvellarum, qui moriens eam reliquit nepoti atque hæredi ſuo Franciſco Perrenoto, toparchæ Granvellano, juveni perilluſtri.

Roſſelaria duabus circiter leucis Lovanio diſſidet, baronatus tantæ dignitatis, ut ejus Dynaſta ſit Cubicularius Ducis Btabantiæ.

Molla, pagus inſignis & magnæ nobilitatis, Gela quidem unius, Herentalia vero trium leucarum itinere diſſidet.

Santhovia diſtat Antverpia tribus leucis, pagus notabilis, ut in quo ſedem habeat una ex antiquiſſimis clientelarium rerum Brabantiæ curiis.

Putta duabus Mechlinia leucis abjuncta eſt, pagus etiam ipſa notabilis, & una è vetuſtiſſimis terræ Brabantiæ curiis, quam curiam Befferæ dicunt, ſpectabilis. exercent autem hæ tales curiæ juriſdictionem ſupremam in circumjectos aliquot pagos, qui ad eas prima, quod dici ſolet, inſtantia, inde vero Cancellariam appellant.

Rumpſtum, leuca tantum majuſcula Mechlinia diſſitum, adjacet flumini Rupelæ, unde & nomen videtur adſumere, pagus valde inſignis, & nobili ac vetuſta juriſdictione, aliiſque prærogativis conſpicuus.

Bierbeca, Cranendonquium, Cuquia, Bouterſhemium, Iancia, & Sombrevium baronatus ſunt non exiguæ dignitatis & famæ, quos tamen, dum brevi-

tati

tati consulimus, obiter tantum attingimus.

Gozelisia tribus leucis distat Nivella, maximus & ampliſſimus pagus, pæne ad instar urbeculæ, validaque arce spectabilis.

Hilverembeca inter Turnhoutum & Buscumducis amœniſſimus locus est, honesto Canonicorum collegio nobilis.

Welwicum in Brabantia, & ex adverso Besoja, quæ jure merito accensetur terræ Hollandiæ, duo sunt pagi, etsi illud haud dubie multo sit ista præstantius, longa tantum & continua quadam via, silicibus strata, divisi, quæ ipsa & alios aliquot pagos complectitur, & propterea vulgo audit de Langhe straet / ubi bis anno celebrantur memorabiles nundinæ & mercatus equorum, undique huc cum ingenti populi concursu solitorum adduci.

Subjiciemus hic denique, uti rem consideratione digniſſimam, ac cum ipso situ, tum aliis quoque de caussis notabilem, opulentam illam & amplam Posteliam, xenodochium in media ipsa Campaniæ solitudine positum, ubi viatores quoscumque illac prætereuntes hospitio debent excipere, ac pro sua quemque conditione & dignitate tractare, nullo pretio præmiove interveniente.

## DITIO RAVESTENIENSIS.

RAvestenium, ad siniſtram Mosæ ripam, Graviam inter & Megam positum, ac pari duarum leucarum intervallo ab utraque abjunctum, opidulum est & concinnum, & ampla sic satis jurisdictione conspicuum, validaque insuper arce munitum, etsi muris tamen orbatum: qui ultimis istis inter Carolum Quintum & Cliviæ Ducem bellis, ex pacto fuere disjecti. Dynastam habet eumdem Clivium, ultimi Domini sui Philippi, clari & inclyti Principis, ac Ludovici duodecimi, Galliæ regis nomine, Præfecti Genuensis, hæredem: qui Brabantiæ tamen Ducem, velut feudi patronum, agnoscit.



LIMBURGUM
Pars
Leodiensis
Diœcesis.
27
SEPTENT
51
OCCIDENS.
30
27
MERI.
Stochem
Berg
Sittart
Mechelen
Beeck
Geul
Hons:brouck
Rekam
Bundt
Loenaken
Berg
Maestricht
Montenaken
Esdem
Sichem
Viset
Bern
Dalem
Hermal
S. Remy
Herstal
Hous
Luyck
Seef
Huy
Mosa fluv.
Chenay
Fleron
Ioze
Charneu
Bane
Donne
Andrim
Ensival
Neufville
Beaufoys Ab.
Han
Lince
S. Severin
Iuslemuil
Damre
Bavigne
Chapelle
Pollenur
Monfort
Franchimont
Houxenay
Houtain
Neuf Chasteau
Sougne

TRIO. 30
28
51
30
ORIENS.
IULIA=
CENSIS
DU
CA
TUS
PARS.
Milliaria Germanica
1
2
3
Horix
Prumeren
Linnich
Vrelenborg
Rumborch
Wels
Merxsteyn
Roer
Gulick
Aldenhoven
Wilmsteyn
Palant
Haren
Hetsenich
Duren
Frankenborg
Nieuenhof
Staeberg
S. Cornelis
Munster
Han
Nideck
Meroels
Oepen
Clermont
Limborch
Tzart
Herle
Wilre
Simpel
Wittem
Aken
Epen
Chief
Monioe
Gelekirchen
Marienborg
Schatberg
Wilmsteyn
Rolduc
Bocholt
Hockerken
Partey
Morresent
Bus
Nerat
Bale
Perviers
Polleur
Worm
Roer
flu.

# LIMBVRG.



# DVCATVS LIMBVRGVM.

DVCATVI Limburgenſi nomen eſt à Limburgo, opido lauto ac ditionis ſuæ primario, ſito ad Weſerim flumen, & valida admodum arce munito. denique Aquiſ-grani tribus, iiſque prægrandibus, Leodico vero quatuor itidem grandibus leucis abjuncto. Natus eſt in hoc opido Ioannes Flemingius, civis Antverpienſis, eruditiſſimus vir & inſignis poëta. Eſt item hic ortus Remaclus Fuſchius, vir doctus & variorum operum ſcriptor. In vicinia vero Limburgi natus eſt D. Nicolaus Weſtenradius, Canonicus, Archidiaconus & Cancellarius Leodicenſis, eruditione & virtutibus ornatiſſimus præſul. Eruitur in hoc tractu non mediocri copia ferrum; ut & plumbi nonnihil præ cæteris laudatiſſimi. Sunt præterea media fere ab urbe leuca fodinæ quædam ſeu venæ lapidis illius leucophæi, metallo magis, quam alii cuicumque materiæ ſimilis. Plinius Cadmiam vocat, & lapidem æroſum. conſtat autem adminiculo hujus lapidis ex ære fieri orichalcum: cui quidem metallo ille nativa quadam proprietate adeo pæne eſt geminus, ut multa prius ignis vi præparatus, dum orichalcum conflatur, cum eo ſeſe commiſceat, & coaleſcat velut in unum corpus, adeoque tertia circiter parte ipſum exaugeat. in medicina etiam multiplex ejus eſt uſus, & præſertim in ſymptomatibus aliquot oculorum: prout idem ille Plinius, & cum eo Galenus in ſcriptis ſuis teſtantur. Simile fere lapidis genus in Italiam noſtram adportari videtur è Cypro: at in partibus tranſalpinis vix uſquam eum invenias, præterquam in Limburgenſi hoc territorio. ubi ab annis jam ſexaginta & amplius, repetito ſubinde cum Principibus terræ contractu, eſt in manu & poteſtate Schetſiorum, qui in eruendo eo & repurgando ac denique perficiendo ingentem aſſidue hominum turbam occupant: eo quidem ordine, tamque ad normam diſtributis operibus, ut proprie videatur parvula quædam reſpublica.

ADDIT. [*De provincia autem hujus poſſeſoribus nihil inve-nitur antiquius, quam in quadam Geldrenſium hiſtoria manu ſcripta, de quodem Henrico Comite Limpurgi, qui tempore Henrici III Auguſti, anno 1050 cum Walfranno Abbate Prumienſi diſſidium habuit: de ejus autem ſtemmate variant auctores; Wolfangus enim Lazius ad Duces Lotharingiæ originem refert, à Theodorico Guilielmi Comitis Bononienſis filio in Hermannum Lotharingum, quem ex duabus uxoribus Gerberga Burgundica, & Heduiga Hannonia Comitiſſa, Henricum & Fridericum Comites Limburgenſes, genuiſſe deſcribit, & eorum priorem, Henricum & Hermannum ſtirpis ſuæ ultimos reliquiſſe. Alii autem genus Henrici Limburgici ad Lotharingicum ſtemma quidem referunt, ſed Guilielmum Bullionium Euſtathii filium, Gothofredi Solymorum regis fratrem, illi patrem attribuunt, parum tamen veriſimili argumento, quia ejuſdem Guilielmi utriuſque ſexus liberi à Ducum Lotharingiæ ſcriptoribus, & à Richardo Waſſeburgio recenſentur: Theodoricus nimirum, qui poſt patrem Lotharingiæ ſuperioris Ducatum tenuit, & continuata ad poſteros ſucceſſione ad Sereniſſimum Carolum tertium tranſmiſit, Principem Galliarum hoc ævo ſapientiſſimum. Deinde Henricus in Guilielmi filiorum albo reperitur, qui Thereſiam Alphonſi VI, Caſtellæ & Legionis Regis filiam duxit, accepta loco dotis & præmii Luſitania, quam heroica virtute à Saracenorum furore liberarat. Ex hoc autem toro Alphonſus ille natus eſt, qui Rex in caſtris à ſuis ſalutatus, regni Portogalliæ fundamenta primus jecit. Quod quidem magis credibile eſt, quam eorum ſententia, qui Henricum Limburgenſem, Henrici Exducis filium Thereſiæ maritum dant, neque ullam tamen rationem afferunt cur idem Henricus à paterna hereditate vel à titulo abſtinuerit, cum eundem deſcribant tanquam primogenitum, nec alium ejus fratrem uſquam commemorent; vel ſi per injuriam aut pater aut ipſe Limburgo exactus fuit, cur Luſitaniæ regnum adeptus, Regiſque Hiſpaniæ affinitate ſubnixus, res ſuas armis repetitum non venerit. Tertius autem filiorum Guilielmi, Gothofredus vocabatur, Ioanvillæ Dominus, Ioannæ, Harcurtii Comitis filiæ, maritus. Quartus fuit Albertus, Archiepiſcopus Moguntinus. Reliqui fuerunt: Theobaldus, Ida, Agnes, Bertha & Eliſa. Obiitque idem Guilielmus anno Domini 1125. Quiſquis igitur pater fuerit Henrici Limburgenſis, Gothofredi Bullionii nepotem fuiſſe, tradit Chronicon Brabantiæ, qui cum fratre Balduino cruce initiatus & in Paleſtinam ad bellum ſacrum profectus eſt, eorum fratre Guilielmo præfecturam fraternæ ditionis gerente. Verum mortuo Gothofredo,*

fredo, abſente in longinqua ditione Balduino, & rejecto Guilielmo Henricus Limburgenſis inferiorem Lotharingiam & Brabantiam obtinuit, dono Henrici IV Cæſaris Auguſti, qui expugnatis ejus caſtellis (quia orto inter patrem & filium Henricum diſſidio & bello, filii partes Limburgenſis ſequebatur, totamque Lotharingiam miris cladibus affligebat) deditionem facere compulerat; cui gratiam ſuam cum Ducatu Lotharingiæ magna vi pecuniæ redimenti conceſſit. Sed cum patrem Imperii inſignibus ab Henrico filio ſpoliatum, profugumque Henricus Limburgenſis recipere ret, ab Henrico V Auguſto, quod patrem foviſſet, ceu reus Majeſtatis exauctoratur, eique Ducatus inferioris Lotharingiæ abjudicatur, & Gothofredo Lovanienſi poſſidendus traditur. Poſt in gratiam cum Cæſare Limburgenſis tandem redit, quia Sigefridum quendam Palatinum perduellionis accuſaſſet, Ducatum vero non recuperavit. Quem cum armis à Gothefredo ſecundo repetere tentaret, ab eodem obſeſſus & fugatus eſt. Hoc autem diſſidium per Margaretæ Henrici filiæ nuptias, Gothofredo III elocatæ, eſt compoſitum. Hujus Henrici Comitis Limburgenſis meminit Meyerus, refertque Balduinum Hannoniæ Comitem quartum Henrico Namurcenſi, avunculo ſuo, auxilia tuliſſe contra Limburgenſem, fines Namurcenſium graviter infeſtantem, anno 1172. Manſit autem Limburgenſis ditio in Henrici familia, primo quidem Comitatus titulo, quem ab Henricis Imperatoribus Ducatus honore fuiſſe inſignitum Munſterus annotavit. Hoc in prædicti Henrici perſona accidiſſe liquet: nam eum Meyerus ad annum 1194, bello Namurcico Ducem vocat Lemburgenſem, cui Henricus filius, ejuſque frater Valeranus ſucceſſit, qui Othoni Cæſari cum ſeptingentis equitibus militavit, anno 1214. Poſtremus horum Ducum Hermannus fuit, teſte Lazio, cui adſtipulatur Aquilius, diſſentiunt manuſcripti Geldrenſium annales, qui Henricum eum vocant, quemadmodum & Brabantiæ Chronicon. Quicunque autem is fuerit, ne ad conjecturas incertas dilabamur, ſine maſcula progenie defunctum eſſe conſtat, filia unica Ermgarde relicta, Geldriæ Comiti, Reinaldo primo nupta. Itaque jure dotali & hæreditario Ducatum Limburgenſem ad ſe pertinere Reinaldus contendebat. Dux vero Brabantiæ Ioannes primus jus ſucceſſionis in Ducatu Limburgenſi, ab Adolpho Comite de Monte, qui ultimo Duci Limburgenſi defuncto conſanguinitate proximus erat, certa pecuniæ ſumma comparavit, ipſa Ermgarde ante patrem defuncta. Orto ea de cauſſa bello, Reinaldus, priuſquam manus conſererent, actionem ſuam, ſi quam habebat in Ducatu Limburgenſi, Henrico Comiti Lucemburgenſi vendidit. Sed pra-

*lio inito, Dux Ioannes victoria potitus est. Lucemburgensis cum fratribus suis, qui à Reinaldi partibus stabant, & cum aliis nobilibus in acie cecidit. Geldrensis in Ioannis potestatem vivus venit, non ante dimissus, quam omnem actionem in Ducatu Limburgensi, Duci Brabantiæ absolute cessisset. Hanc inter hos Principes controversiam de Lucemburgensi Comitatu exortam scribit Paulus Æmilius, & Principum nomina historiamque confundit: sed nostris fidem scriptoribus adhibemus, qui de Limburgensi Principatu certasse Dynastas illos tradunt. Hunc igitur titulum Ioannes secundus à patre accepit, & ab illo tertius, quem filius ejus Henricus vivo patre obtinuit, cum Machlinieusis Dominii possessione: sed illo sine liberis legitimis defuncto, Limburgum ad Duces Brabantiæ rediit, & cum reliquis Germaniæ inferioris provinciis ad Duces Burgundiæ, postremo ad Austriacam domum augustissimam serie nunquam interrupta pervenit.*

## FALCOBVRGVM.

FAlcoburgum, Gallice *Fauquemont*, opidum est mediocriter lautum, ac valide satis munitum, in agros & pagos aliquot circumjectos imperium obtinens, & Aquis-grani tribus majoribus, Trajecto vero ad Mosam duabus minoribus leucis abjunctum. Subegit hanc ditionem Brabantiæ Dux Ioannes, ejus nominis tertius, ademtam armis & vi Reinoldo Falcoburgensi, homini inquieto, turbido, ac Trajecto & finitimis locis infesto, ideoque ab Duce devicto, & in carcerem tandem compacto.

## DALEMIVM.

DAlemium, perexiguum alias opidum, munitissimam habet arcem, & Aquis-grani tribus majoribus, Leodico vero duabus item prægrandibus leucis disjungitur. Habet titulum Comitatus, & jurisdictionem in agros & pagos aliquot Transmosanos. subjugavit locum, & imperio suo adjecit Brabæntiæ Dux Henricus secundus.

RHO-

## RHODIA DVCIS.

RHodia Ducis, Gallice *Rode le Duc*, Belgice Hertogenrode/concinnum eſt, etſi parvum, opidulum, & veteri arce conſpicuum. Falcoburgo leucæ circiter ſpatio diſſidet, eſtque quarta ex Tranſmoſanis Brabantiæ ditiunculis. quæ omnes quidem exercent ſupremam juriſdictionem, ſed unde ad Cancellariam tamen, uti jam dictum, conceditur provocatio.

## Carpia.

CArpia, inter terram Iuliacenſem & Coloniam ſita, duabus ab Rheno leucis abjungitur, eſtque amplus in primis & opidulo pæne ſimilis pagus, collegiata, ut vocant, eccleſia, item mercatu & nundinis anniverſariis celebris. aſſidet pago arx, valide ſatis adverſus hoſtiles inſultus munita, & junctim conſtituunt peculiarem nec pœnitendam utique ditionem, cui & ſuus olim peculiaris dynaſta. atenimvero Dux Brabantiæ Ioannes primus, viſo, quam utilis quamque oportuna ditioni ſuæ futura eſſet hæc ditio, oblata forte occaſione, à Gymnicis Dominis eam mercatus eſt, & cum reliquis Tranſmoſanis conjunxit. peculiarem tamen ſibi habet præfectum, & valido ſemper præſidio communitur.

## ORDINES LIMBVRGENSES.

ORdines Limburgenſis Ducatus & ditionum jam deſcriptarum tribus perpetuo conſtant membris; Antiſtitibus nempe, Nobilibus, ſive Equitibus, & Conventibus, ſive foris juridicis. Gubernat hoc tempore ditiones omnes Tranſmoſanas, nomine Regis Catholici, Claudius Withemius, Dynaſta Ruisbroecanus, & Eques aurei velleris.

Obtinent autem hæc omnia nobis deſcripta cum majora, tum minora quoque Brabantiæ opida, ut & pagi plerique, ordinariam atque ſollennem in civilibus juxta

 & capi-

& capitalibus cauſſis juriſdictionem: provocaturque à minoribus primum ad majora, & hinc porro ad Cancellariam Brabantiæ.

Sunt præterea duo generales, ut ſic dixerim, in capitalibus cauſſis Miniſtri, ſeu Magiſtratus. quorum alteri quidem, Droſſarto nimirum Brabantiæ, per totum ejuſdem tractum qui ſermone Teutonico utitur, & potior longe provinciæ pars eſt, reos in carcerem conjiciendi jus & facultas: alter vulgo audit, *le gran Baillieu du pays Romain de Brabant*, Magnus Prætor agri Romani Brabantiæ, cujus incolæ ſcilicet linguam uſurpant Gallicanam. Nefas autem his Magiſtratibus, reos, aliter quam legitime & ordinaria juris via, damnare: & prior quidem in Senatu Brabantiæ, vel coram ejuſdem delegatis; poſterior vero coram Genapienſibus clientelarium rerum judicibus actiones ſuas inſtituit.

Habet inde Brabantia, ut & cæteræ fere Belgii hujus Provinciæ, Magnum Venatorem, *le gran Veneur*, ampliſſimæ quidem dignitatis auctoritatiſque, etſi pro regionum conditione alibi alium, magiſtratum, regiæque venationis ſupremum præfectum.

Habet denique Saltuarium, vulgo de Gzuper/magiſtratum aucupio & piſcatui regio præſidentem, ac de controverſiis in his talibus circa immunitatem & juriſdictionem regalem exortis cognoſcentem, quodque erratum eſt, emendantem.

## *Præcipua quæque Brabantorum privilegia.*

VTuntur Brabanti & Ditiones, quas diximus, Tranſmoſanæ, Limburgum videlicet, Falcoburgum, Dalemium, Rhodia Ducis, & quidquid præterea ſupremo Brabantiæ noſtræ imperio ſubjacet, cum eaque (ut dixi) conjunctum eſt, luculentis admodum & utiliſſimis privilegiis.

Ac primo quidem habent ab Romanorum Imperatoribus privilegium longe ampliſſimum, impetratum ipſis per Ducem Ioannem, ejus nominis tertium, ab Carolo Quarto Imperatore, & approbatum deinceps ab inſecutis Cæſaribus: quo cavetur, ne quiſquam Brabantus, vel alioqui oriundus è ditionibus illis jamdictis, neve etiam res ejus aut bona, per univerſos quam late patent Romani

mani Imperii fines, fisti aut sequestrari, vel prima, quod vocant, instantia, conveniri aut detineri ullatenus possint.

Habent deinde à propriis suis Principibus varia magni momenti & gratiosa admodum privilegia: inter quæ septem ista sequentia comperio esse præcipua. ac primum quidem, adspectu aviditatis simul & imperiositatis Antistitum, etiam Principi ipsi præscribit, ne Ecclesiasticum Ordinem, quod ad sæcularia quidem attinet bona, possit vel debeat, supra quam olim ab aliis Terræ Principibus factum est, collocupletare, nisi cum ejus, in quo sita sunt ipsa bona, non autem aliorum, terræ quadrantis, & pro eo, primariæ urbis, permissu.

Alterum est, quod non liceat Principi, subditos suos, sed nec extraneum ullum Brabantiæ incolam, vel agere reos, vel civilem aliquam capitalemve litem iis intendere, nisi libera prorsus & ordinaria juris via, ita quidem ut reo & utendi Advocatorum præsidio, & coram populo sese purgandi, caussamque dicendi indelibata potestas sit.

Tertium; quod non liceat Principi subditis suis imperare vectigalia ulla, sive tributa, cujuscumque demum sint generis, & quocumque appellentur vocabulo: sed nec innovare ullam alicujus momenti rem, sine Ordinum terræ ipsius consensu.

Quartum; quod non possit Brabantis præficere magistratum aliquem, sive ministrum alienigenam, salvis tamen paucis quibusdam exceptionibus: ut in Cancellaria Brabantiæ, ubi inter tot Senatores indigenas, duos aliquos, at qui hujus tamen sint idiomatis, peregrinos potest inserere. potest item aliquis non Brabantus, modo in ipsa terra per aliquot annos possederit jus & titulum Dynastiæ, ad Cancellarii dignitatem extolli.

Quintum; quod omnibus terræ Brabantiæ subditis jus & fas sit de bonis suis, etiam fiduciariis, neque venditione dumtaxat, verum etiam testamento, sine ullo vel Principis, vel alterius cujuscumque consensu, disponere. item canibus avibusque adhibitis, modo quinque regales illas supra nobis descriptas silvas exceperis, libere passim venari & aucupari. quod in aliis utique terris non temere solet permitti.

Sextum; quod convocatis à Principe generalibus harum

rum Provinciarum Ordinibus, sive id fiat subsidii postulandi, sive alia quavis de caussa, non teneantur Brabanti patriæ suę finibus egredi: imo vero nõ possint, (ea legum est efficacia,) extra territorium suum quidquam statuere. quod cæteris tamen aliarum Provinciarum Ordinibus, quocumque demum à Principe convocentur, integrum atque permissum est. atque hinc fit, ut negotiorum eo facilius expediendorum gratia, imo (ut diximus) necessario, cæteri Ordines ad Brabantos semper accedant.

Septimum denique: quod si forte vel vi, vel alia quavis injuria, privilegia ista Brabantorum Princeps infringat; ipsi, debitis tamen obnuntiationibus excusationibusque præmissis, à fidei sacramento Principi præstito, & clientelaris officii sponsione, protinus solvantur, & ceu liberi prorsus ac sui juris effecti, aliam sibi pro arbitratu quærere possint conditionem. Instituta vero atque concessa sunt & hæc ipsa quæ retuli, & tot alia terræ Brabantiæ privilegia, non in populi tantum, sed in Principis quoque ipsius usum & securitatem.

Enimvero dum considerant secum majores, & diligenter expendunt, quantas sæpe tyrannides, aliasque naturaliter insitas nobis cupiditates, si non isto, at alio forsitan sæculo, si non isto, at alio forsitan Principe, si denique non in ipsis Principibus, at in præfectis eorum & consiliariis, qui vel imprudentia sæpe, vel privatæ rei adspectu, ad deteriora quæque consilia eos inclinant, nasci atque oriri contingat: excogitarunt, pro ea qua erant prudentia, & elegerunt inter sese & Principem eam reipublicæ administrandæ rationem & formam, quæ ex triplici illo statu, Monarchia nempe, Aristocratia & Democratia composita, ad politiam illam, qua pacifice cum Principibus suis aliquot sæculis usi sunt Lacedæmonii, proxime accedit, quamque ut legibus olim Spartani formarunt, ita privilegiis isti, quæ non secus quam leges servantur, & servari debent, stabilierunt: unde ita compositus status, ut & Principi salva maneat sua Majestas ac præeminentia, & populo sua gradatim securitas constet & quies, eam gignere solet concordiam, eamque reciprocam & perpetuam unitatem, quę humanitus quidem dissolvi aut frangi vix queat.

Vtitur universa Brabantia, id est opida simul & pagi, supra nobis descripti, tam in foro atque judiciis, quam

in

in familiari colloquio, lingua Flandrica: eo tamen exiguo tractu excepto, qui Nivellam potiſſimum & Genapium habet, & à gallicana, quam incolæ fere uſurpant, lingua, vulgo *pays Romain*, id eſt ager Romanus nominatur. quia enim ſermo eorum eſt gallicanus, & ex corrupta Latina lingua deductus, ipſi Romanum eum indigetant, & regiunculam ipſam Romanam. Etſi autem in reliqua omni Brabantia Flandrice vulgo, ut dixi, loquantur; vix ullum tamen invenias alicujus nominis virum, imo vix ullam mulierem, quæ non & gallice calleat: quin innumeri etiam Allemannice ſonant & Anglice: multi denique Italice etiam, atque Hiſpanice. rem percommodam ſane & admiratione digniſſimam! Dixi Flandrice vulgo loqui Brabantos; quia, quod ſupra jam monui, ſicut exterorum pleriſque univerſum hoc Belgium Flandria dicitur; ita & vulgaris Belgarum lingua, (quæ, excepto ubi Gallicus, ſive Germanicus obtinet ſermo, parum admodum, ac non aliter quam per varias Tuſciæ partes Italicus noſter, inter ſe differt) Flandrica paſſim apud eoſdem audit. ideoque, quantumvis non ignoremus ſingulas quaſque Provincias, & præſertim Brabantiam noſtram atque Hollandiam, peculiarem facere dialectorum ſuarum mentionem, ſequemur tamen communem conſuetudinem, & quotieſcumque in hac noſtra deſcriptione facienda erit rei iſtius mentio, Flandricam linguam ſumus nominaturi.

Legimus in annalibus Brabantinis, & præſertim illis Barlandi, primum hujus Provinciæ Ducem Pipinum fuiſſe, filium Carolomanni: Carolomannum vero natum Brabone, ejus nominis tertio, tertioque Brabantiæ, nondum adeptę ducatus vocabulũ, Principe. ex Pipino deinceps orti feruntur Grimaldus, Pipinus ſecundus, Carolus Martellus, Pipinus tertius, & Carolus Magnus. Ioannes Aventinus, hiſtoricus alias nobis laudatus, de hoc ſtemmate tradit aliquantum diverſa, dicitque Vtilonem, Theodonis Bavariæ Principis fratrem, Marchionem Sacri Imperii fuiſſe, & natum ex eo Hugobertum, ex Hugoberto Aſobertum; & ex hoc rurſus Arnulphum, ex Arnulpho Angiſum: omnes Sacri Imperii Marchiones. Angiſum vero narrat uxorem duxiſſe Beggam, filiam Pipipi primi, obtinuiſſeque à Dagoberto Francorum Rege ducatum Brabantiæ: ex Angiſo & Begga natum Pipinum

num ſecundum, ex Pipino Carolum Martellum; & ex hoc Pipinum tertium, poſtea Regem Francorum: ex Pipino denique Carolum Magnum. erunt igitur uſque ad Ludouicum Pium, Caroli filium, ex illuſtriſſimo illo ſanguine Duces ſex. Barlandus, connumerato Grimaldo, ſeptē eos commemorat. A Ludovico Pio uſque ad Godefridum Barbatum, id eſt per annos plus quam ducentos, nihil uſquam habetur certi de Brabantiæ Ducum vocabulo. quod videlicet ipſa terra ſub Auſtraſiæ primum ac deinde ſub Lotharingiæ nomine contineretur: ſicuti ſuo ſupra loco & ordine fuſe à nobis expoſitum. Is igitur Godefridus, recepta inferiori Lotharingia, abdicaſſe videtur titulum Comitis Lovanienſis, & vel à cognomine ſuo adſumſiſſe nomen Ducis Brabanitæ, vel priſtinum potius & intermiſſum terræ vocabulum renovaſſe. Et ex hoc quidem tempore, tot veteribus illis omiſſis, ſumtoque ab Godefrido iſto initio, ad hunc uſque Philippum II Regem, novemdecim numerantur Duces Brabantiæ, intrante in numerum & Maria Duce Burgundię. principes quidem adeo celebres, adeoque illuſtres, ut ſi ſplendorem illum & majeſtatem Pipini, Carolorumque Martelli & Magni, qui omnes ex hoc tractu & finitimis ei locis prognati ſunt, cum poſterioribus hiſce conjungas, nullum omnino tractum in Ciſalpinis inveniri exiſtimem, qui nobilitate & ſtemmatum claritudine ſit hoc noſtro felicior.

Connexa fuit Brabantia una cum Ducatu Limburgenſi cæteriſque ditionibus tranſmoſanis Comitatui Flandriæ, matrimonio inter Ludovicum Malanum, Ludovici Niverniі filium, Flandriæ Comitem, & Margaretam, filiam Ioannis tertii Brabantiæ Ducis, contracto. ea ſiquidem Margareta Ioannæ ſorori natu majori, Wenceſlai, filii Regis Bohemiæ, conjugi, ſine liberis anno 1406 defunctæ, in ditiones iſtas ſucceſſit: idque diſerto Philippi ſecundi Romanorum Regis privilegio, quo conceditur, ut meliore ſexu deficiente, ſequior in Ducatum hunc poſſit ſuccedere. Rediit tamen poſtpaullo, ſed non niſi ad tempus, Brabantia noſtra ſub peculiarium Ducum imperium. idque hoc modo: Ex Ludovico Malano & Margareta jamdictis unica tantum nata eſt filia, matri cognominis: quæ cum eſſet Brabantiæ, Flandriæ, & aliarum aliquot ditionum hæres, nupſit Philippo Audaci, Duci

Duci Burgundiæ, Caroli Quinti Galliæ Regis fratri: qui inter alios liberos, Ioannem ex ea & Antonium tulit, quorum Antonio quidem, Ioanne primogenito conſentiente, pater aſſignavit Ducatum Brabantiæ, cum lege, ut, deficientibus ipſi legitimis hæredibus, ducatus reverteretur ad domum Burgundicam. Antonio duo fuerunt filii, Ioannes nimirum & Philippus, ambo ordine duces Brabantiæ, amboque improles tandem extincti. unde cum Ordinum terræ ſuffragiis devolutus eſt hic ducatus ad Philippum, cognomine Bonum, Burgundiæ Ducem, & ſuperioris Ioannis filium. atque hoc demum pacto Brabantia una cum membris ſibi annexis ad Principes ipſos Burgundos reverſa eſt. Poſtea vero Carolo Duce fortiſſimo, tertio cum Helvetiis Lotharingoque ad Nancejum prælio, anno Chriſti 1477 miſere cæſo, pervenerunt hæ ditiones, matrimonio inter Maximilianum, poſtea Imperatorem, & Mariam Burgundam, unicam Caroli filiam, inito, in poteſtatem Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ: ſub cujus umbra feliciter hodie conquieſcunt. Simili plane modo & ordine explicatum inveniet lector ad uniuſcujuſque non Belgii tantum, ſed aliarum quoque Belgio adjacentium regionum, ſucceſſiue nobis deſcribendarum, exordium, quonam tempore, quaque ratione & modo ſingulæ prius diſperſæ paullatim inter ſeſe cohæſerint, tandemque omnes ſimul in unius poteſtatem redactæ ſint. Neque vero ſilentio hic involvam, me cum alias ſæpe, tum præſertim per bella iſta civilia, quibus ſi alias umquam, magna paſſim ſermunculorum licentia, interveniſſe nonnumquam ubi diſſertaretur de ſucceſſione Ducatus Brabantiæ, perceptiſque multorum, circa prætenſiones in futurum fortaſſis exorituras, ſententiis, recurriſſe tandem ad Dominum Indeveldium, Principi ab arcanis conſiliis, exploraturum, ſi fieri poſſet, hujus negotii veritatem. qui Indeveldius libere mihi narravit, diſputatum aliquando fuiſſe hoc argumentum, & contendiſſe nonnullos, alteram quidem Brabantiæ partem primogenito Ducis filio, alteram vero poſtgenitis ejus deberi: cæterum conſtitutum fuiſſe atque decretum tempore Caroli Quinti Imperatoris, ut in poſterum univerſa hæc Belgica cedere debeat ei, qui futurus eſſet Rex Hiſpaniæ: cui cedunt & reliquæ omnes ditiones & regna, ſupremo illi ſceptro ſubjecta: ad-

ſervari

ſervari autem hujus decreti autographum in arce Vilvordiana. ubi (ut diximus) privilegia omnia, & quidquid præterea talium rerum & munimentorum eſt, cuſtodiuntur, facileque petentibus exhibentur legenda. Atque hęc de Brabantia noſtra, deque appendicibus ejus & membris commemoraſſe ſufficiat. ubi ſicui forte videamur fuiſſe prolixiores, ipſa dignitas & conditio rei facile nos excuſabunt.

Monemus autem lectorem, nos in cæteris quoque Belgii hujus Provinciis deſcribendis, peritorum aliquot & prudentium amicorum hortatu atque conſilio, ſuperſediſſe ab ampliore omni & fuſiore ſingularium terræ toparchiarum & familiarum illuſtrium mentione: idque gemina maxime de cauſſa, altera, quod mutaverint multæ familiæ, ac in locum earum & ditionem aliæ ſubinde aliæque ſurrogatæ ſint, atque ſucceſſerint. unde qui vel inopia, vel alio quovis caſu, ditiones ſuas abalienaſſent, vel pignori forſan oppoſuiſſent, & aliquando eſſent recuperaturi, dolerent fortaſſis ſe prætermiſſos: alii contra prioribus ſurrogati, ſi viderent commemorari ſe velut præſentes atque legitimos Dominos, inſoleſcere poſſent, & plus equo ſibi tribuere: atque hinc porro & inter ipſos exurgerent ſimultates, & ego utriuſque partis reprehenſionibus eſſem obnoxius: altera cauſſa, priore nihilo eſt levior, quod Antonius Olivarius, eruditus atque induſtrius vir, ſingularis cujuſdam & copioſi tractatus ſuper hoc argumento ſcribendi provinciam ceperit, fuſe in eo expoſiturus non illuſtrium modo in hiſce Provinciis, ſed in Gallia quoque univerſa familiarum originem atque progreſſus. opus revera laborioſum & perinſigne, quod ſi abſolviatur tandem ac prodeat in lucem, ſigillatim explicaturum eſt & clariſſimam nobilitatem & rariſſimas plurimorum illuſtrium hujus tractus virorum virtutes.

LVC.

MECHELEN.

# MACHLINIA DOMINIVM.

MACHLINIAM aliud aliquando, quam quò nunc utitur, nomen gessisse, nec apud veteres ego scriptores, sed nec apud recentiores, certis quidem vestigiis, etsi fabulæ tamen non desint, usquam invenio.

ADDIT. [*Narrat in Itinerario Abrahamus Ortelius, extitisse olim ad sacellum Divi Romboldi, medio inter Antverpiam atque Bruxellam itinere, diversoria quædam, ubi stabularentur viatores, diverterentque ad Michaëlem quemdam, Brabantis* Mächiel: *qui cum celebraretur passim & innotesceret, loco postea fecerit nomen: atque hinc porro surrexisse tandem hanc urbem.*

*Ioannes vero Bochius in Narratione sua de Belgii Principatu hæc scribit: Ejus* [*Machlinia*] *antiquitas ex etymo elicitur, in S. Rumoldi vita, civitatis ejusdem Apostoli apud Surium tomo VII, his verbis: Locum incolæ Machlinam dicunt propter Malinam & Ledonem, quæ certis temporibus cum corniculantis Lunæ consonantia, nunc maris accessum nunc recessum faciunt, nec ultra quam ad hujus loci fretum, vel damnum vel lucra sua commutant. Nobilium quidam Odo nomine, vel ut alii volunt, Ado comitatum gerebat, cum aque moribus & genere nobili conjuge. Hactenus auctor ejus vitæ apud Surium. Porro vocabula Ledonis & Malinæ etiam apud D. Augustinum leguntur, libro* I. *de Mirabilibus Scripturæ, ubi sic habetur: Hæc namque quotidiana inundatio bis in die, à tempore ad tempus per horas viginti quatuor semper peragitur, ac per alternatas hebdomadas Ledonis & Malinæ vicissitudo comitatur, sed Ledo sex horas inundationis, & totidem recessus habet: Malina vero grandis fere per quinque horas ebullit, & per septem horas litorum dorsa retegit. Hæc ille. Ceterum quod ad hanc etymologiam attinet, alii enim aliunde derivant, liberum unicuique relinquimus judicium. Non enim in arctas syllabarum angustias, aut in angulos verborum quemquam deducimus, sed à nominum indagine, cui superstitiose plerique immorantur, abstinemus. Non quod eam operam omnino improbamus, qua Platoni quoque placuit in suo Cratylo; verum quod haud magni interesse arbitramur, an à Lotario*

rio dicatur Lotharingia ſive à Clotario, ille à Clodoveo, hic à Clodio ſive Claudio oriatur. Deinde an Brabantia à Brabone nuncupetur, an ipſe a Brabantia, illa à Brachbanto, an pago Brachatenſi, qui Scaldi & agro Aloſtano interjacet, originem ſuam debeat, an ſolo genuino & nativo acceptam ferat, ea lingua vernaculæ nomenclatura, qua novale aut veruactum à reſtibili arvo differt, ut Ioannes Goropius exacte inveſtigavit, vir artium variarum diſciplinis excultiſſimus, & in exquirendis verborum radicibus elegantèr curioſus. Limburgi & Lucemburgi etymon poſterius haud illis obſcurum eſt, qui in Græcis auctoribus aliquid operæ poſuerunt; illi enim πύργους vocant, quos Germani purgos, nos ſono leniori burgos, ſive arces ad pagorum cuſtodiam exſtructas. Reliqua utriuſque Ducatus rudimenta non ſunt æque perſpicua, niſi eo Lemburgi (ſic enim fere ſcribitur) primam ſyllabam referamus, unde poſteriorem civitatis Hollandiæ, quam Haerlem vulgo vocant, deſumpſit Guicciardinus in Belgiographia, & utrumque opidum conditores cognomines habuiſſe arioletur, vel nomen à caſtro Limpurgo aſciviſſe, inter Vangiones & Nemetes ſito, quod Conradus Auguſtus in monaſterium erexit, anno 1034, ut Hermannus Contractus in Chronicis menimit. Nam Ruthenica Leopolis etſi nomine Germanico (Lemburgum enim vocant) & Leonis inſignibus cum noſtro Lemburgo promemodum conveniat, tamen Belgicum Lemburgum Ruthenico eſt antiquius, quod Ruſſorum princeps Leo filius Danielis circa annum 1280, ex Martino Crommero condidiſſe deprehenditur. Lucemburgum truncatim ab Aliſuntia deſcendit, qui fluvius illud rigat, tametſi quidam opinantur Lucisburgum vocari, à Phœbo ſive lucis tutelari quondam Deo. Geldria ditionis prima tyrocinia, ab immanis hydræ conſonanti imagitu, quam Ponticitoparchæ ſumptis animis Hercules confeciſſe finguntur, ad fabulas tranſferemus, vel ad puerilia terriculamenta. Goropii de Geldria primordio ſententiam utramque his relinquimus, quibus placet hoc commentum, ſic enim ipſe vocat. Commodius ergo Geldria & veriſimilius à Gelduba antiquitus finitima nomen habet, ut ex Tacito colligimus. Ingenium autem ſoli ſua uligine fœcundi Zutphania nomen indidit. Flandria porro nomen, tametſi antiquiſſimum, quam variis & incertis ſententiis adhuc fluctuat! Ille à Flandberto, hic à flatu mutuatur, mariſque procelloſis vicinis æſtuariis, alii etymologi ad alia reſpiciunt: ut ex Flandricis Iacobi Marchantii commentariis dilucidius apparebit, brevi in lucem proditurus. Qui vocem Atrebatum à tempore Iulii Cæſaris, Straboni deinde & Ptolomæo haud incognitam, ad originem referet

cum

*cum Goropio in Atvaticis, ſuum permittitur illi judicium. Sicut & de Hannoniæ principiis: quæ ab Hannone Trojano, vel ab Hainæ fluentis, aut ipſos Hannonios ab Hunellis aut Hunnis, vel aliunde deducere per me quidem licet. Hollandiæ ſeminarium (quæ Batavia vocabatur congrua cum Patavio paronomaſia, auctore Goropio in Veneticis) quamplurimi à ſpecu, aut ſolo caverноſo, terraque paluſtri & minime ſolida traductum exiſtimant, ut ex panegyriſta Mamertino Adrianus Iunius percommode obſervavit. Alii Holtlandiam, ab antiqua ſaltuoſa regionis natura, non omnino male, ut opinor, eliciunt. Zelandiæ vero noſtræ, ſive à Cimbricæ Cherſoneſi inſula cognomine, vel à ſitu maritimo incunabula petantur, par nominis imponendi utrobique fuit ratio. Verum Friſiam provinciam omnium vetuſtiſſimam ad fontem revocare quamplurimi conati ſunt: partim gentis auctorem Friſonem quemdam ſtatuunt, partim Phryges ex Aſia novas ſedes hic adeptos, indigenis eam gratiam retuliſſe ſuſpicantur, & domicilii ſocietatem percelebris nominis communione compenſaſſe. Alii Friſios arbitrantur à ſtudio retinenda libertatis, hujus vocis aſſumendæ ex Germanico idiomate artifices exſtitiſſe; Francis quoque ex hoc tractu oriundis exemplum placuiſſe. Sed hæc fuſius explicantur à Siffrido Petri, patriæ antiquitatis & originis præcone. Nec minus eſt incertus Namurci architectus: Nam Dei oraculum, primum opidi incrementum, ut quibuſdam placet, ambigua nutat fide: Neumurcii fundamentum videtur paulo ſirmius, novo muro propinquum: quem Meyerus ex Guilielmo Aremorico fabricatur. Antverpiæ & Rienſis nomenclaturæ, quas inciſe membratimque perſcrutatus eſt Goropius, ex Advaticis ejuſdem ſunt depromendæ. Hæc Bochius de pleriſque etymis Provinciarum Belgii, occaſione civitatis Machlinienſis, cujus antiquitatem indicat, quod anno 775, S. Rumoldum ibi coronam Martyrii adeptum dicit.]*

Opidum eſt antiquum, & inter Belgicæ prima, oportuno admodum ſitu, & cum mira cœli temperie, tum & aliis multis in uſum humanum commoditatibus nobile. interſecat ipſum fluvius Dilia, qui per ſe ſatis amplus, marino æſtu, ad leucæ ſupra Machliniam ſpatium procedente, mirum in modum intumeſcit, ita quidem ut in complures ramos & veluti alveos, ſive canales, dividatur, plurimis intra urbem pontibus ſtratus, & ſatis multas in ea efficiens inſulas, templorumque & domuum privatarum pulchre & oportune diſtinctas areas. unde quæri ſolet nonnumquam, utrumne flumen

am multiplici flexu urbi ſeſe accommodaverit, an vero urbs, jam inde à prima ſui conditione, flumini ſeſe aptaverit? quæ ipſa quæſtio ita tandem, vel oculis teſtibus, ſolet decidi, ut perſuaſum ſit, homines ingenioſos atque induſtrios magna in primis arte & architectura ipſam naturam quodammodo ſuperaſſe, ſibique & uſibus ſuis tam commode providiſſe. Etſi autem Machlinia velut in corde & meditullio ipſo Brabantiæ, adeoque inter Lovanium, Bruxellam atque Antverpiam ſita ſit, ac ab iis, triangulari adſpectu, pari propemodum quatuor leucarum intervallo disjungatur, diſtincta tamen & ſingularis eſt ditio. quare & matronarum pleræque, partui jam vicinæ, quo videlicet liberi ampliſſimis Brabantorum privilegiis gaudeant, Machlinienſe territorium deſerunt, & breviſſimo ſeſe itinere, fœtum enixuræ, in Brabantiam conferunt. Opidum, præter eximiam pulchritudinem, validiſſime quoque munitum eſt, eo magis, quod circumfundi undique aquis poſſit & inundari. Diſtinguitur autem in ſeptem parœcias, elegantibus illas & ſumtuoſis templis inſignes. primaria ejus & cathedralis, ut vocant, ædes ſacra eſt Divo Rumoldo, ædificium plane egregium, & eximia quadam ac præalta, etſi nondum ad finem perducta, turri conſpicuum, è qua plurimas undique civitates, pagos fere innumeros, & amœnum valde agrorum tractum proſpicias. ſelectæ in ea & ſonoræ in primis campanæ, quæ, ceu muſicus aliquis chorus, dulciſſimum, in præambulo maxime, ſive horarum præludio, edunt concentum. Erectum eſt ante paucos annos hoc templum in Eccleſiam Cathedralem, & totius tractus Archiepiſcopatum, ſpirituali ejus juriſdictione longe lateque diffuſa: impletque hodie cathedram Reverendus Antiſtes Ioannes Hauchinus, vir ſublimi illo honore digniſſimus. Habet inde Machlinia, præter tot alia tam virorum quam fœminarum cœnobia, illud Divi Franciſci, quod non elegantia minus, quam capacitate & amplitudine, habetur pro omnium Belgicæ univerſæ pulcherrimo ſimul & abſolutiſſimo. Habet & Divæ Claræ, amplum item & pulchrum, nec ulli Ordinis ejus cœnobio facile cedens. Habet cœnobium Pitzenburgenſe, nobiliſſimi Ordinis Equitum Teutonicorum, quem ſupra fuſe deſcripſimus. Habet item palatia multa & domos tum publicas, tum privatas,

tas, amplas juxta & pulchras. habet denique hortos complures & viridaria, non amœna minus, quam ſpatioſa. Etſi vero infortunium illud graviſſimum, quo afflicta fuit hæc civitas anno 1546, ipſam in parte ad tempus attriverit, adeoque & deformarit; hodie tamen in priſtinum rurſus nitorem eſt reſtituta, imo & meliorata. Infortunium fuit hujuſmodi: ſeptimo Idus Auguſtas exorta horrenda quadam & ſpurca tempeſtate, fuit, ut cœlo delapſum fulmen, haud procul à porta, quam arenariam vocant, in turrim, qua repoſiti erant bis mille & amplius cadi pulveris tormentarii, caſu decideret, eamque ſic à fundamentis convelleret, ut nec vola ejus nec veſtigium ſupereſſet, imo ne ſignum quidem relinqueretur, quod indicaret eam umquam fuiſſe, ipſas inſuper urbis foſſas, etſi latas admodum & profundas, per ſexcentos & amplius in longitudinem paſſus exiccans, piſceſque arſos & ſemicoctos quam longiſſime paſſim diſpergens: atque ita conquaſſato jam muro urbano, tum ſuburbio quoque & innumeris illi contiguis domibus, eam daret ruinam, ut quotquot circumcirca per trecentos & amplius paſſus exiſtarent domus, eas omnes disjiceret. neque vero hic ſubſtitit malum: nam per æëra undique volitantes lapides, non aliter quam procella quædam & nimbus, ea ſparſim per urbem dederunt damna, quæ, non niſi qui oculis uſurparit, induci queat, ut credat. Ipſe non multo poſt ad urbem acceſſi, & ad tantas ruinas novitateſque admirabundus obſtupui, cum ad ſingulos fere paſſus tam inſolita mihi monſtrarentur, tamque inaudita tempeſtatis illius veſtigia, ut *adunata* prorſus viderentur, & omnem fidem excederent. retulerunt enim mihi ex vero ſupra ducentos homines eo caſu extinctos, ſupra ſexcentos afflictos & mutilatos: fuitque tam ingens fragor, ut Antverpiam uſque & Bruxellam, non ſecus quam terræ motus aliquis, ſentiretur, civibus aliquamdiu exiſtimantibus, adveniſſe ſupremum mundi diem. imo fuit, qui poſtquam triduo ſemiſepultus atque jejunus delituiſſet in cella quadam ſubterranea vi tempeſtatis collapſa, ac tum demum educeretur, attonitus totus ac tremebundus quæſierit, ecquid jam cœlum ruiſſet? Machliniæ, præter minora quædam & ſubalterna, ſeptemdecim maxime numerantur collegia, ſive ſodalitates artifi-

cum, quibus & ad Senatum accedere, & deliberationibus ejus intervenire, jus & facultas est. excellunt potissimum inter eos pistores, cetarii, tinctores, coriarii, zythepsæ, sive coctores cervisiæ, & lanienes. quorum omnium tanta est dignitas, tantaque existimatio, ut è singulis horum collegiis singuli eligantur quotannis Scabini. constat etenim Magistratus supremus è sex Scabinis nobilibus, & totidem artificibus. Inter omnia vero ampliſſimum maximique momenti est collegium Coriariorum: ut quod opidanorum fere quadrantem complectatur, suas seorsim mansiones habens & sedes; capaciſſimas illas, & cum variis aquæ vivæ canalibus, tum ædificiis quoque, fossis, instrumentis, aliisque ad tam varias operum & apparatuum species necessariis rebus luculenter instructum. ipsi ejus sodales compluribus, iisque insignibus admodum privilegiis & immunitatibus; inter cætera autem, libera venandi & aucupandi potestate, non secus quam viri nobiles & magnates, donati sunt. Conficitur in hac urbe, præter alia quædam, satis magna pannorum, omnium quotquot toto hoc tractu contexuntur, tenuissimorum simul & præstantissimorum vis. quæ antiquitus quidem tanta, tamque insolita, ut cum intra urbis pomœrium, tum in locis vicinis & suburbanis, supra ter mille ducentas numerarentur lanariorum officinæ. unde inflatum porro & supra modum se efferens illud Collegium, in eam tandem prorupit vesaniam, ut arma in reliquos omnes cives adsumserit, adeoque & manus cum iis conseruerit, eo pugnæ eventu, ut lanariorum complures ceciderint, & non insolentia tantum eorum repressa sit, sed privilegiis quoque & prærogativis suis magna ex parte multati sint. etsi autem exinde non numero tantum atque frequentiæ, sed & auctoritati hujus collegii multum decesserit; eo tamen hodieque est loco, ut magnum vulgo & primarium opidi sodalitium audiat. Contexitur insuper in hoc opido magna vis linteorum, ejus quidem bonitatis & pretii, ut non temere usquam inveniantur vel præstantiora, vel pulchriora. conficiuntur item pulcherrimæ omne genus tincturæ. conflantur aheneæ machinæ, tanta & dexteritate simul & bonitate, quanta alibi usquam terrarum. plurimæ item campanæ, aliaque id genus opera ex ære ad fabre admodum facta. plurima denique

denique omnis formæ & capacitatis navigia. Et quid amplius? adſervantur Machliniæ machinæ omnes tormentariæ cæteraque militaria Principis terræ munimina. & adſervantur quidem in laxo valde & ſpatioſo, atque in hunc ipſum finem extructo armamentatio. ubi tantam tormentorum variæ magnitudinis ex ære ferroque fuſorum videre eſt copiam, tot alterius generis bellicos apparatus & inſtrumenta, tantum denique navium atque pontonum, tantum carrorum, ſcalarum, & id genus munitionum, ut & ſpectatorem in laudem admirationemque ſui abripiant, & innumeram hominum multitudinem occupent. Machliniæ nati fuere memorabiles illi Ioannes Gocchius, & Ioannes de Arundine, celebres ambo ſcriptores. item Nicaſius ille Woerdanus: qui, etſi à tertio inde ætatis anno amiſiſſet oculorum uſum, eos tamen in literis fecit progreſſus, ut, narrante particulatim Trithemio, renuntiatus publice fuerit Iuris utriuſque Doctor, & cum in Lovanienſi tum in Colonienſi Athenæo docuerit, quin & opera quædam prænclara atque in hunc uſque diem extantia dictaverit. unde merito habitus fuit pro naturæ miraculo. obiit autem anno 1492. Machliniæ quoque natus fuit Chriſtophorus Longolius, vir ob raram & exquiſitam doctrinam, aliaſque non paucas virtutes, per omnem Europam famoſus, quem non ſolum homines quidam privati, ſed & varii Principes ſuſpexerunt & venerati ſunt, luculentis illi & perhoneſtis ſæpe oblatis ſtipendiis: etſi ipſe nihil umquam à quoquam acceperit, præterquam à Populo Florentino, cui per aliquod tempus inſerviit: mortuus tandem, poſt edita quædam ſcripta, Patavii, anno Chriſtiano 1522, Eraſmus Roterodamus in epiſtola quadam ad Damianum à Goes, Longolium iſtum adfirmat fuiſſe purum putum Hollandum, & patriam ei adſignat Schoonhovium: attamen ipſe Longolius, oratione aliis ſcriptis inſerta & Senatui Machlinienſi inſcripta, palam teſtatur patriam ſibi fuiſſe Machliniam. quare ipſimet viro plus quam alii cuicumque tribuendum eſt fidei: eo magis, quod ſæpenumero videamus, quantum vel in præſtantiſſimis viris poſſint adfectus. Hodie quidem Machlinia inter celebriores ſuos & doctiores cives non injuria jactat Rembertum Dodonæum, Medicum Mathematicumque eximium, & per-

plurium eruditiſſimorum operum auctorem: Philibertum præterea Bruxellanum, Rudolphi honeſtiſſimi Equitis variiſque dignitatibus inclyti filium, nec virtutum minus quam opum & titulorum paternorum hæredem, equitem nobilem, doctum,& facundum in primis oratorem: item Iacobum Waſtelium, ſupremi Conſilii Regii in hacipſa urbe Senatorem, virum inſigniter literatum & reverendum. Alios quoſdam eruditione virtutibuſque illuſtres viros, brevitatis ergo hic prætermittimus.Machliniæ inſuper tam frequens nobilium familiarum eſt numerus, quam in alia ulla totius Belgicæ urbe. ſuntque in genere cives Mechlinienſes civiles admodum atque tractabiles: ut qui præter indolem ipſam innatam,etiam venuſtatem neſcio quam & urbanitatem ab aula olim apud ipſos commorata adſumſerint, & in hunc uſque diem retineant. Educati fuerunt inde à puero in hac urbe Philippus Hiſpaniæ Rex, ejus nominis primus,& Carolus filius, is qui poſtmodum Imperator: quia videlicet iis temporibus ordinaria illic & ſollennis aulæ Burgundicæ ſedes. Quum autem poſtea Carolus conceſſiſſet hanc urbem Dominæ Margaretæ, amitæ ſuæ, Belgicæ hujus Gubernatrici, ipſa Princeps firmum in ea fixumque ſibi elegit domicilium, tandemque anno Chriſti 1530, in flagranti omnium gratia inibi eſt extincta. Gaudet Machlinia inter alia quædam duobus ampliſſimis privilegiis ſibi à Principe ſuo conceſſis: altero; quod immunes ſint ejus cives per univerſam hanc Belgicam ab iis omnibus vectigalibus, quæ iſti Tollen appellant, & mercimoniis paſſim ſolent imponi: altero;quod bona ipſorum ſtabilia,non in Brabantia tantum, ſed per omnes inſuper haſce Provincias, nullis omnino graventur auxiliis ſive ſubſidiis Principi ab Ordinibus terræ ferri atque ſubminiſtrari conſuetis, quibus tamen aliorum Belgarum bona ſubjecta ſunt. quam utramque prærogativam acquiſiverunt ſibi & impetrarunt à poſtremo Burgundionum Duce & Belgicæ Principe Carolo, ad Nancejum occiſo, propter inſignem operam & officia quædam nequaquam vulgaria ipſi ſumma virtute & animi robore præſtita: unde & magno eos amore proſequebatur, & ſummam in eorum ope reponebat fiduciam. Ordines hujus Dominii conſtant duobus membris: Magiſtratu nempe,& Populo.

Sedem

Sedem habet in hac nobiliſſima urbe clariſſimum illud Magnum Conſilium Regium, inſtitutum ab eodem illo quem proxime diximus Carolo, anno Chriſti 1473, è triginta quinque perſonis conſtans, ipſomet Principe in numerum hunc intrante, quem ſubſequebantur mox Cancellarius una cum altero quodam Conſilii Capite: hinc duo Præſides, quatuor Equites, ſex ſupplicum libellorum Magiſtri, octo Senatores Eccleſiaſtici, & duodecim Doctores, ſive Licentiati, ut vocant, ſæculares. Sequebatur autem initio iſtud Conſilium ipſam aulam atque perſonam Principis: quo abſente, præſidebat reliquis Senatoribus Magnus Cancellarius: recurrebantque ad ſupremum hunc Magiſtratum majoris Belgicæ partis appellationes. Sed cum poſtea Rex Philippus, Ioannæ uxoris nomine, perveniſſet ad ſucceſſionem regnorum Hiſpaniæ, totque aliarum ditionum ab iis dependentium, ideoque via maritima cogeretur eo trajicere, ſtitit tandem & ſtabilivit huncipſum Senatum, anno 1503 in urbe Machlinia, utpote toti Belgicæ commodiſſima, mutato tamen nonnihil ordine, item numero Senatorum, & Senatus ipſius auctoritate. qui hodie quidem conſtat ex uno dumtaxat Præſide, ſedecim Senatoribus, duobus Graphiariis, octo Secretariis, & minoribus aliquot adminiſtris. Provocant porro ad hoc Conſilium, præter ditionem ipſam Machlinienſem, tota quam late diffuſa eſt Flandria, tota Artheſia, Hollandia, Middelburgũ Zelandiæ, ditio Namurcenſis, Lucemburgenſis, Valentianenſis: item opidula quædam minuta inter Flandriam atque Hannoniam media, vulgo dicta litigioſa, eo quod inter Flandros & Hannones hactenus diſceptetur ſuper juriſdictione illorum & territorio. Occidui inſuper Friſii una cum ditione Vltrajectina jam ab aliquo tempore Magnum hocce Conſilium in civilibus cauſſis, ſed non niſi per modum, ut vocant, reviſionis, cœperunt agnoſcere. Equites item aurei Velleris prima, ut loqui ſolemus, inſtantia coram hujus Senatus tribunali citantur. cujus omnes ſententiæ, tam in capitalibus quam civilibus cauſſis latæ, decretoriæ prorſus ſunt, nec ullatenus retractantur, niſi quod permittitur tamen reviſio, idque modo & forma quam in generali noſtra deſcriptione fuſius explicavimus. Obtinet autem in ſupremo hoc tribunali mos, idque in uſum & com-

commodum exterorum, ut & disceptentur causſæ & conficiantur scripturæ idiomate Gallicano, puta quod Flandrico magis commune. morem sane & institutum in primis laudabile! Præsidet hodie huic Senatui Ioannes Burchius, Eques & Senator Consilii Sanctioris: Senatores vero, ut eum hic ordinem servem, quem supra in Cancellaria Brabantina secutus sum, sunt Ioannes Carolus Schetsius Grobbendonquius, & Godefridus Veuselius, uterque Protonotarius Apostolicus: Carolus à Monte Sancti Eligii, Balduinus Iacobi, Ioannes Coomannus, Iacobus Bogardus, Ioannes Caroli, legum Doctor: Guilielmus Grisperius, Consiliarius & Advocatus fiscalis: Petrus Perbusius, Doctor: Iacobus Fromontius, Adrianus Puessius, Doctor: Guiljelmus Vendevilius, Doctor: Ferdinandus de Salinas, Consiliarius & Iudex generalis exercitus: Iacobus Liebartius, & Ioannes Martinius, Consiliarius & Procurator generalis. locus postremus nunc vacat. Graphiarii autem Ioannes Buissettus, & Petrus Esquenius, uterque Licentiatus.

Proxime urbem Machliniam & juxta portam Divæ Catharinæ, petenti Antverpiam ampliſſimum quoddam & memoratu dignum occurrit cœnobium, arcis pæne ad instar constructum, & muris undique late prorsus diffusis circumdatum, in quo pulcherrima etiam ædes est, Divo Alexio Ordinis Præsidi sacra, cum innumeris fere iisque percommodis domibus. Degunt autem in eo perpetuo amplius mille quingentæ, nonnumquam & mille sexcentæ virgines sacræ, unius omnes & ejusdem professionis: quæ honestis admodum exercitiis bonisque vitæ exemplis intentæ, sub quatuor è suomet cœtu electarum regimine atque præsidio, religioni & sacris laudabiliter operantur. Habent autem non circumeundi dumtaxat ac negotiis propriis attendendi, sed & instituto se exolvendi, & nubendi etiam facultatem. unde si forte ducantur primi consilii pœnitentia, vel à parentibus revocentur, aliave se offerat ipsis occasio, libere porro & sine ullo animi scrupulo licet resiliant.

ADDIT. [*Pulcherrimum istud cœnobium, quia urbi nimis vicinum, per hæc bella civilia solo aquatum est.*

Fuit olim Machlinia, ut remotiora nunc omittamus, in ditione Illustrissimæ gentis Bartholdiæ, quæ cum legitimis defeciſſet hæredibus, post varias tandem contentiones

tentiones & bella, alter urbis ſemiſſis obvenit Epiſcopo Leodicenſi, alter Comiti Geldriæ. hi per aliquod tempus poſſeſſam tandem anno, ut vult Meyerus, 1333, unà cum omnibus ſuis juribus atque prætenſionibus vendiderunt atque ceſſerunt Ludovico Nivernienſi Comiti Flandriæ, pretio trecentorum millium, vel circiter, ſcutatorum. unde porro graves exortæ ſunt lites & bellicæ factiones, nolente videlicet Ludovico agnoſcere Ducem Brabantiæ tamquam feudi patronum, etſi habitum agnitumque pro tali, ut quidem ferebatur, à prioribus urbis Dynaſtis. tandem poſt varias rixas coiit matrimonium inter Ludovicum Malanum Flandri filium, & Margaretam, Ioannis tertii Ducis Brabantiæ filiam natu ſecundam. etſi autem ne ſic quidem omnino ceſſarent bella, tamen eopſe matrimonio factum eſt, ut ditiones domus Brabanticæ cum iis familiæ Flandricæ coaluerint, prout paullo ſuperius in deſcriptione Brabantiæ ſigillatim narravimus. At enim Dux Philippus Bonus, Caroli ſupradicti parens, Machliniam poſtea ſeparavit, voluitque diſtinctam eſſe à cæteris ditionem. qualis in hunc uſque diem feliciter perſeverat, cum dominio quidem & juriſdictione non parvi momenti.

Duabus Machlinia leucis, & ſub urbis ejuſdem dominio, ſitum eſt Heiſtium, pagus longe ampliſſimus, vertici montis impoſitus, una cum ſeptem minorum gentium viculis, partim ad montis radices, partim circum eum extructis, Heiſtioque ſubjectis. cujus luculenta in primis eſt ditio, iiſdem cum urbe Machlinia privilegiis, inſtitutis & juribus gaudens. paret autem hoc tempore Heiſtium Domino Melchiori Nicolao Schetſio.

# HORNA

## COMITATVS.

DEſcribemus quoque hoc loco, priuſquam longius abeamus, Comitatum Hornanum. qui etſi imperiale, & ſubalternum quidem ſit feudum, veteremque Comitatum Lotſenſem in terra Leodicenſi velut ſuperiorem agnoſcat, tam arcte tamen Brabantiæ noſtræ implicitus atque innexus eſt, ut præteriri à nobis non debeat: præſertim cum ejus Dynaſta, propter alias ditiones quas in

hoc

hoc Belgio poſſidet, fiduciarius Regis Philippi ſit, eumque agnoſcat patronum. Dico igitur, Hornam arcem eſſe cis Moſam, Ruremundæ non incelebri Geldriæ urbi propinquam, & non Comitatus ſolummodo dignitate, ſed prælauta etiam ditione, cui ipſa nomen ſuum impertit, illuſtrem. Eſt autem in ejus confiniis Werta, opidum luculentum, validaque admodum arce conſpicuum, & diſtinctum ac ſingulare dominium, ubi & ordinaria Comitum ſedes eſt, tribus nempe à Ruremunda leucis. perlabitur Wertam rivus non procul inde ſcaturiens, & ſupra Hornam ad Neram pagum in Moſam ſeſe exonerans. Complectitur autem hic Comitatus, præter Weſſemium & jam dictam Neram, etiam alios quoſdam pagos & toparchias, quæ luculentam inſimul, ceu jam diximus, prælautamque ditionem conſtituunt. Orti ſunt Dynaſtæ Hornani ex illuſtriſſima ſtirpe Montmorancia ſanguinis Gallicani. è qua gente & Annas Montmorancius prodiit, Magnus hodie, (id eſt, *tempore Guicciardini*) regni Galliæ Comes ſtabuli, vel, ſi mavis, Magiſter Equitum. dedit autem & alios plurimos viros illuſtres. qualis adeo ultimus Hornæ Comes Philippus. quo, etſi improli, & ſine melioris ſexus hæredibus, nuper ſublato, non deſunt tamen qui ditionem hanc ſibi vindicent, & inter alios quidem Comes Hoogſtratanus. verum Leodicenſis Epiſcopus, qui & Comes Lotſenſis, contendit eam relapſam eſſe ad Epiſcopatum, ideoque & poſſeſſionem invaſit, qua & hodie fruitur. Proſequemur autem deinceps deſcriptionis noſtræ filum, & ad dexteram verſus ſolis exortum pergentes ingrediemur in Geldriam: inde porro per Septentrionem ad occaſum progreſſuri ſumus, atque hinc per meridiem reverſuri in noſtram Brabantiam, & regiones per viam nobis occurrentes ordine deſcripturi.

LVCEM-

26
30
27
SEPT
Gemblours
Bonef
Falais
Namur
Hoye
Hermal
Jemeppe
Fontaine
Samson
Audenalle
Comble
Modaef
Floref
Maubu
ge
Godin
Fellon
Thuin
Walcourt
Mosa flu.
Dinant
Chyney
Beaumot
Phlippeuil
le
Chanemont
Marieburg
Giuert
Rodefor
Mirwart
Chimay
Beau
reng
Carlin
Fumay
Geme
Fabayart
Rien
Ourt
Reving
Loit
Oclamps
Deuville
Sour
Nufchastel
Moncorne
Campi au
Martele
Fintain
Stramont
Bullon
Masieres
Cug
non
Lumes
Gedain
Dousie
Donch
ery
Ceny
Virton
Yuoix
La Frette
Semy
Longion
Ville Franche
Flabe
Maruil
Dung
Damui
ler
Mentegny
Estaing
Hannouille
OCCIDENS
50
30
SPARS
GALLIÆ
Lutzenburg
26
30
27
MERI

NT. 30
28
30
Limburch
Kerste nich
Genund
Munster eifel
Oepē
Reiche stein
Arwiler
Sleiden
Frachimont
Arenburg
Linttzig
Mal m dir
Blanckenhein
Stap la
Cranne nborh
Monceal
Salme
SVit
Daune
Muster
Pruim
Vlmen
Ourf
Schoineck
Cocheim
Munlebac
Honfalizi
Clerf
Dasberg
Manderschid
Kilburg
Bastoigne
Brompt
Witlich
Cell
Viande
Meßeric
Dalheim
Berncaßel
Esch
Salmeroer
Veldentz
Pfaliz
Dietkirch
Numagen
Waßer bille
Meris
Waßeraw
Arlun
Trier
Greve
GERMA
Lutzen burg
Sarburg
Freudenberg
Longwi
Metloch
Hespugen
Mertzich
Adud
Senouille
Lehach
Konigsmacher
Theonuille
Sarbrucken
Tich mont
Boson ville
Viller Betuoc
Guemund
Mesieres
Milliaria Germanica
Loray
S. Barbe
Metz
2
4
6
8
ORIENS
50
30
DIES 30
28
30

# LVCEMBVRGVM DVCATVS.

DVCATVS Lucemburgenſis nomen ſumi à Lucemburgo terræ ipſius metropoli. Limites ejus ita ſe habent: à ſeptentrione adjacet terræ Leodicenſi & Namurenſi: à meridie, Lotharingiæ: ab ortu habet Moſellam flumen, & Archiepiſcopatum Trevirenſem: ab occaſu denique terminatur partim Moſa, partim Arduennenſi ſaltu, quem majori ex parte includit. Dividitur autem in partes duas; Arduennam nempe, quæ in Famennam rurſus atque Eifaliam ſubdividitur: eſtque montuoſa admodum regio, vini & frumenti ut plurimum ſterilis, etſi juxta Viandam, Dikircham, & Echternacum pauca quædam occurrant vineta. Nec propterea tamen ſua huic parti deſunt dona, ut quæ ſecale quidem mediocri, avenam vero atque legumina ingenti ubertate producat. Supplet præterea defectum iſtum benignitas quædam naturæ, dum ſteriliori huic Ducatus parti copioſe indulget varii generis feras, ea carnium ſuavitate, ut in altera terræ parte captas longe exuperent, quales præſertim cervi, apri, capreoli, lepores, cuniculi. hinc nequid dicam de phaſianis & perdicibus ordinariis, extant hic aliquot avium genera, quæ non temere uſquam invenias. & primo quidem eæ quas vulgo vocant *Caurettes*, perdicibus paulo grandiores, ac coturnicibus pæne adſimiles, ſed diſcolores & grato adſpectu, oculis pedibuſque punicantibus, carne candida, & ſupra quam dici queat ſuavi. ſecundo duplex illud genus pullorum ſilveſtrium, quorum alterum magnitudine fere accedit ad gallinam Africanam, & Lemovicenſium nomine ipſis celebratur, *poulle de Limoges*: alterum audit *de Bruyeres*, ab ericetis & id genus incultis atque deſertis campis, ubi pullos ſuos excludunt. ea quidem utriuſque generis & ovorum ſimul & avium multitudine, ut præter gratiſſimam voluptatem, maximum etiam fructum indigenis adferant. Notandum

vero, per nupera iſthæc & diuturna bella, quibus factum, ut incolis non vacaverit venationibus & aucupiis eſſe intentos, utrumque hoc avium genus ita multiplicatum eſſe, ut per omnes haſce provincias pæne diſperſum ſit, ac vel in finibus noſtræ Antverpiæ, ſaltem illud quod ipſi *Bruyeres* nuncupant, capiatur. Pari modo multiplicati ſunt phaſiani, perdices, aliaque avium genera, locum haud facile commutantia. Item feræ, & nominatim cervi, damæ, lepores, cuniculi, apri, nonaliter quam in horrida prorſus & inculta regione, mirũ in modum, & ſupra omnem fidem ſuum quique genus hic propagarunt. Sed accreverunt ex alia parte & lupi, vulpes, viverræ, ac ſimilia noxiarum ferarum genera, ita ut lupi quidem, magno hominum damno ac metu vel turmatim noctu oberrent. At præcipuus tamen hujus partis fructus in pecore fere conſiſtit, & in ferri, cuprique venis, quibus argenti quoque nonnihil accedit. ſuppetit item maxima vis lignorum, cudendis metallis & extruendis fornacibus, levi impenſa & opera, commodiſſimorum. Altera Lucemburgenſis Ducatus portio,, quam Moſanam vulgo & Moſellanam vocant, longe eſt cultior, ac tum frugibus, tum cæteris ad humanam vitam neceſſariis, & mediocri etiam vino copioſior. Huic ſimilis fere Comitatus Chinienſis; qui etſi tractui huic vicinus, diſtinctum tamen & peculiare, ut mox docebo, eſt membrum. Nec omittendum hoc loco, inveniri verſus Moſellam nonnullos fontes ſali gignendo accommodos, prout exemplo jam oſtenderunt & Badenſium Marchio, & Dominus Rodemacriæ, qui & opus inceptum gnaviter indies proſequuntur. Quoniam vero maxima hujus Provinciæ pars confinalis eſt Galliæ, miſere ſæpius eam multarunt bella: ac modo agros & pagos miles depopulatus eſt, modo unam & alteram urbem occupavit, atque diripuit, ſic ut ipſa metropolis quoque pluries capta fuerit & recepta, multipliceſque calamitates experta. Interluunt regionem varia flumina, in primis autem Moſella & Moſa, ſupra nobis prolixe deſcripti. Patet in ambitum circiter ſeptuaginta leucas. quo ſpatio contineri comperior opida muris clauſa viginti, Lucemburgum nempe, totius terræ metropolim, Arlunum, Rodemacriam, Theon-villã, Biedburgum, Gravemacriam, Coningmacriam, Dikirchiam,

LV

TZENBVRG.

chiam, Viertonum, Echternacum, Viandam, Baſtonacum, Mommedium, Novocaſtrum in Eifalia, Damvillerium. Marvilium, Rupem Arduennenſem, Durbium, Fanum Sancti Viti, Martiam, Sleidam. quod poſtremum tamen municipii potius, quam opidi nomen tueatur, quia nempe murorum expers. Sunt deinde & alia quædam opida, quæ aut belli furore, aut pacis legibus, muros ſolo æquarunt, ut Ivoſium, Chinium, & Fertæa. Sunt & arces quædam, ſeu caſtra, opidorum pæne effigiem referentia, neque nobilitate minus quam antiquitate conſpicua. qualia ſpeciatim, Fanum Sancti Ioannis, & Manderſcheda, illud quidem ſecundo, iſtud vero octavo à Lucemburgo milliari, utrumque Comitatus dignitate præcellens. item Viltzium, una è portionibus Arlunenſibus: Sauvachium, Clarovallium, Hoefaliſium, Bepurgum. Liſtera, Gerolſteinum, Salma, Reiferſcheda, Malberga, Schoneccum, Virneburgum, Bourſcheda, Eſcha, Soya, Villemontium, Mirouartum, Zoleurca, Meiſemburgum, ubi olim & caſtrum & lautum ſatis opidulum; Brandenberga, Rupella, vulgariter *la Rochette*. aliaque complura, peculiaribus terræ Dynaſtis parentia. Mille denique centum & ſexaginta novem ſunt pagi, inter quos inſignes quidam & ampli, ut Rupella, Remichium, Revenhovia, Waſſerpillichia, Avionum, & Fanum Sancti Huberti, quod poſtremum, quia poſitum in confiniis terræ Leodicenſis, ideoque ſæpius inter utrāq; nationem varie ſuper eo certatum eſt, hodieque audit *la terre du debat*, terra contentionis. Continentur hac ditione Marchionatus duo, Comitatus ſeptem, Baroniæ & Toparchiæ quamplurimæ, tum perpetuus Mareſchalcus, ſive Equito cum Latinis, vel Magiſter equitum magis dicendus eſt. Ordines ejus conſiſtunt è tribus membris; Antiſtitibus, Nobilibus. Magiſtratibus. Iam vero progrediamur ad ſpecialiora, & deſcribamus primum opida muris clauſa, initium capientes à Lucemburgo, reliquorum metropoli, atque inde quo melius capiamur, ad ea quæ ipſi propinquiora perrecturi.

## LVCEMBVRGVM.

LVCEMBVRGVM, ut diximus, eſt univerſi hujus Ducatus metropolis, eique à ſe facit nomen, ipſa

illud mutuata, ut volunt, etsi voce nonnihil corrupta, à flumine quē Latini Aliſunciam, vulgus hodie *Alzet* idiomate ſuo indigetat, quod ſuperiorem urbis partem, monti inædificatam, interluit, inferiore planitiei impoſita. Ptolemæo vocatur *Auguſta Romanduorum*. Ego vero nomen ei factum exiſtimo ex ſemilatina voce *Luciſburgum*. quia certum eſt, iſtos populos ſuperſtitionibus olim valde obnoxios fuiſſe: ideoque videri inſigniora quæq; loca Deaſtrorum ſuorum, aut Planetarum nominibus exornaſſe. ſicut per totam hanc regionem hodieque apparet. Lucisburgum itaque nihil aliud eſt quam opidum, ſive caſtrum lucis, hoc eſt Solis, qui pater lucis, & reliquorum omnium Planetarum caput. Arlunum, hujuſejuſdem Ducatus opidum paullo poſt deſcribendum, latine ſignificat *Aram Lunæ*, quia nempe hic ejus Deæ templum olim, ſeu ara, in qua ſacrificaretur. Ivoſium, vulgo *Ivois*, per metatheſin *Iovis* eſt, & ſignificat opidum Iovi conſecratum. Martia, vulgo *Mars in Famenna*, originationem ſuam præfert; fuit enim antiquitus Marti ſacra. Vierton, immutato aliquantum vocabulo *Veneris donum* ſignificat. Sathenejum à Saturno deducitur. Mercurtium, inter nobilem arcem Soyam & opidum Baſtonacum, ampliſſimus pagus eſt, à Mercurio, cui olim ſacratus: deſumtum nomen hucuſque retinens. Sunt & alia hujus tractus loca, vetera, etſi mutata leviter & corrupta, vocabula, à Planetis aut aliis Diis deducta, præferentia. Sed quod ſuperiora omnia vel in primis firmat etiam Theonvilla, opidum tanti nominis & momenti hoc eodem Ducatu, voce partim ex Græco deducta, *omnium Deorum civitatem* ſignificat. exemplo nobiliſſimi illius Panthei Romani, quod conſecratum antiquitus, ut conſtare videtur ex Dione hiſtorico, omnibus Diis, hodie in meliores uſus converſum, & cultui divino applicatum, audit *Sanctæ Mariæ Rotundæ*. Lucemburgum peropportune ſitum eſt, item amplum valde & firmum, ac mediocribus ædificiis, etſi per crebra iſta & diuturna bella, paupertatis & malorum omnium fontem, non male dumtaxat ſartis tectiſque, ſed magna ex parte ab incolis derelictis, hodieque conſpicuum. Primarium ejus templum ſacrum eſt Divo Michaeli. habet item ſat pulchrum Cœnobium Sodalium Divi Franciſci, quod aſſerunt, & ex inſcriptionibus aliquot muris paſſim inſculptis

ſculptis colligitur, inter prima & antiquiſſima ejus Ordinis Monaſteria eſſe, conditumq; ſuperſtite etiamtunc ſanctiſſimo illo Patriarcha, nato Aſſiſii, quod eſt opidum Vmbriæ, in Etruriæ noſtræ confiniis. Sepultus eſt apud hos Sadales Bohemiæ Rex Ioannes, Imperatoris Henrici ſeptimi filius, Caroli quarti Imperatoris Auguſti parens. qui dum militat Regi Galliæ, prælio, anno 1348, adverſus Anglos commiſſo, cæſus eſt. In hoc opido ſedem habet Senatus Provincialis, ex Præſide, Senatoribus aliquot, aliiſque adminiſtris conſtans. Diſceptatur autem coram eo Senatu & Germanice ſimul & Gallice, pro locorum unde cauſſæ huc deferuntur ratione. Sunt enim in iſto Ducatu quædam opida linguæ Germanicæ, ut ipſamet Lucemburgum, Arlunum, Rodemacria, Theonvilla, & alia: quædam Gallicæ, ut Ivoſium, Mommedium, Marvilium, Damvillerium. unde Iudices eorumque adminiſtri neceſſum eſt ut utramque linguam calleant. Provocatur porro ab hoc Senatu Mechliniam, ubi ſcripturæ & munimenta Germanicâ linguâ concepta, fideliter transferuntur in Gallicam. Subjungam vero & hodiernos hujus concilii Senatores, ac primo quidem ejus Caput & ceu Anteſignanus eſt Illuſtriſſimus Comes Mansfeldius, cujus vices hic gerit Carolus filius: Præſes & Theſaurarius Petrus Alphanus, Eques auratus: Senatores autem, Wiricus Dorſweilerus, Dynaſta Crehangefius: Iuſtitiarius, uti vocant, Nobilium: Iacobus Ravillius, Dominus loci cognominis; Ioannes Mercius; Dominus Clemaranus; Ioannes Wiltius, Dominus Wiltii; Ioannes Hatſteinius, Legum Doctor; Antonius Houſtius, itidem legum Doctor, & à Conſiliis Sanctioribus; Ioannes Bertius, legum Doctor; Remaclus Huartus, Licentiatus; Ioannes Marchæus, Procurator generalis, & Ioannes Walthemius, Graphiarius. Splenduit iſtud opidum ante aliquot ſæcula, id eſt anno circiter nongẽteſimo ſexageſimo tertio, dignitate Comitatus, & primũ Comitem ejus fuiſſe invenio Sigefridum, oriundum per lineam Maſculinam, ex Pharamundo Magno, primo Rege Francorum, è Germania, propagandis imperii ſui finibus, in has oras delato, anno jam tum vigeſimo ſupra quadringenteſimum. Sed evectum poſtea fuit ad dignitatem Ducatus, idque ut vult Munſterus, à Venciſlao Romanorum & Bohemorum Rege. a-

lii, & in temporis ratione, & in Principum erectorum nominibus, à Munstero dissentiunt; & historia quidem Belgica Carolum IV Imperatorem laudat: Conradus vero Weckerus, Henricum septimum, in Etruria nostra anno 1313 vita functum. cujus quidem Weckeri auctoritati etiam ego in prima operis hujus editione album calculum lubens adjeci, quia nempe verisimile judicabam, eum Henricum, primum ex illustrissima ea gente Imperatorem, etiam primum fuisse, qui tanta dignitatis prærogativa, cujus abunde capax erat, urbem exornasset. Sed, inventis postea aliis documentis, atque opinionibus, & confusionis omnis ac litium fugitans, veritatisque si fieri posset indagandæ & expiscandæ obstinatus, acu tandem, quod dici solet, rem tetigi, & in manuscriptum instrumenti ipsius erectionis, a Carolo IV Imperatore (qui & ipse oriundus è gente Lucemburgica) in Venceslaum fratrem germanum, ditionis ejusdem Comitem, anno 1352 factæ, casu incurri. quare ut omnibus satisfacerem, visum mihi ad Spartam hanc meam exornandam facere, si ipsissima darem ejus privilegii verba, quæ ita se habent: *Te Frater charissime, non carnalitatis affectu, sed origine tuæ nobilitatis poscente, præsertim cum hoc latitudo tui dominii, ampla subjecta tuæ devotioni spatia, & intemerata fides tua universitatis & populi, qua vetusto jam tempore sacrum honoraverunt Imperium, non immerito requirebant, hodie, in nomine Domini & Salvatoris nostri, à quo omnis Principatus & honor provenire cognoscitur, illustravimus ac illustramus, & in verum Principem ac Ducem Lucemburgensem sublimavimus, ereximus, sublimamus & erigimus, de Romanorum Regiæ plenitudine potestatis. decernendo expresse, quod tam hæredes & successores tui Duces Lucemburgenses, perpetuo omni dignitate, nobilitate, jure, potestate, libertate, honore, & consuetudine gaudere debeatis & frui continuo, quibus alii Sacri Imperii Principes, & nominatim Duces Illustres, freti sunt hactenus, & quotidie potiuntur, &c.* Experta est, ut jam diximus, nullo non tempore Lucemburgum varias reciprocantis fortunæ vicissitudines, & gravissimas sæpe calamitates, quia grassantibus bellis velut scopus aliquis fuit, qui exciperet omnes fortunæ ictus. nam ut nostra solummodo tempora percurramus, capta fuit direptaque à Gallis, auspice Duce Aurelianensi, anno 1542; ac recepta de integro & direpta ab iisdem hostibus

bus anno proxime insecuto. sic & in aliis omnibus bellis extrema quæque passa est. Nati sunt in hac urbe duo illi honestissimi fratres Navesii, Nicolai, cujus mox in Marvilio patria fusior fiet mentio, filii: quorum alter, nomine patri par, virtutibus forte major, eousque se Carolo Quinto Imperatori insinuavit, ut creaverit eum Vicecancellarium Sacri Romani Imperii. in qua tanta dignitate obiit anno 1547. alter, nomine Ioannes, Dominus Chineriæ & Montigniaci, supremus fuit annonæ præfectus, & Consiliarius Status, nobilis vere prudens, & eximiis dotibus exornatus. Natus item hic Nicolaus Mameranus, vir admodum eruditus, & poeta laureatus. qui varia scripsit ediditque. Item Nicolaus Ruterius, ea & pietatis & doctrinæ præstantia, ut ad sublimem illam Episcopatus Atrebatensis dignitatem ascenderit. condito apud Lovanienses Atrebatensi Collegio memorandus. Inter vivos denique recensebo Antonium Houstiū, Legum Doctorem, & Concilii patrii Senatorem, virum eo judicii eruditionisque acumine, ut & multas jam summi momenti dignitates obierit, & cooptatus sit nuper in Concilii Sanctioris Collegium.

Arlunum edito monti superstructum est, in quo templum olim & ara Lunæ, unde corrupta paullatim voce, derivatum (ut dixi) vocabulum Arluni, vulgo *Arlon.* quod Lucemburgo quidem dumtaxat quatuor, Mommedio vero sex leucarum intervallo abjungitur: opidum aliàs lautum, sed per bella destructum. etsi hodie tamen paullatim instauretur, veteremque Marchionatus titulum studiose retineat. Dedit nostro hæc ævo Bartholomæum Latomum, virum eximie doctum, & in omni disciplina versatissimum, pluriumque insignium operum editorem. Andream Heldium, Procancellarium sacri Romani Imperii. Hieronymum Busidium, trilinguis apud Lovanienses Collegii conditorem. & Nicolaum Elchardnium, Sacrosan. Theolog. Doctorem eximium.

Rodemacria Lucemburgo dissidet trium leucarum spatio, estque opidulum lautum, & mediocri arce conspicuum.

Theonvilla, ut diximus, denotat urbem Deorum, estq; opportune admodum sita ad lævam Mosellæ ripam, & Meti pariter Lotharingiæ terræ metropoli, Lucemburgoque quatuor leucis abjuncta. Hanc institutam volunt

à Carolo Magno in tertiam ſedem Imperii per Inferiorem Germaniam. opidum ſane inſigne, ac tam valide contra hoſtiles omnes inſultus munitum, ut ne tentatum quidem, nedum ut expugnatum aliquot ſæculis fuerit, niſi anno nuper 1558 cum Galli, ductu Franciſci Lotharingii, Ducis Guiſiani, incredibili fere & in perpetuum memorabili tormentorum & oppugnationum molimine, amiſſa interim bona copiarum parte, & in iis famoſiſſimo illo Petro Strozzio, uno è quatuor Galliæ Mareſchallis, opidanoque præſidio jam exhauſto, tandem eo per deditionem potiti ſunt. ſed facta mox pace Regi Catholico reddituri. cujus nomine gubernatur hoc tempore à Ioanne, Barone Wiltienſi.

Gravemacria Coningmacriaque modica ſunt ad Moſellam opidula, leucæ tantum itinere inter ſe, Lucemburgo vero æquali quatuor milliarium intervallo abjuncta.

Dikirchia item opidulum eſt permodicum, adſitum flumini Suræ, & Lucemburgo quinque leucis abjunctũ.

Viertonum & Echternacum, Lucemburgo æquali quidem quinque leucarum ſpatio, ſed diverſis lateribus, diſſident.

Vianda metropoli ſua diſtat ſex leucarum itinere, adſita rivo cuidam ignobili, & memorabili ſatis arce conſpicua, ſede olim & domicilio Equitum Templariorum, quorum etiam in ſacello effigies & veſtitum veterem notes. locus ipſe titulum Comitatus inſcribit.

Novo-caſtrum in Eiflia, ſive Eifalia, pulchrum, etſi modicum, eſt opidulum, ſeptimo à metropoli milliari. videtur fuiſſe quondam & munitius multo & pulchrius, at cui elogium iſtud tribuat Paulus Æmilius; *Novum Caſtrum, munitum opidum.*

Baſtonacum imminet Arduennenſi ſaltui, & Novocaſtro quidem dumtaxat tribus, Lucemburgo vero novem leucis abjungitur, opidulum ita egregium, ut audiat vulgo *Paris en Ardenne*, quaſi dicas, Arduennenſis Lutetia. gaudet enim adeo celebri momentoſoque pecudum maxime & frumenti mercatu; ut vicinia omnis ad ditandam eam concurrat. Ex hoc tractu prodiit Eduardus Mercurianus, Societatis Ieſu Præpoſitus generalis, Sacerdos doctiſſimus, qui tot & tanta in rempublicam Chriſtianam & officia ſimul & beneficia contulit,

culit, ut renatus in eo judicaretur genius atque ingenium divini illius Ignatii Lojolæ, natione Hiſpani, primique dictæ Societatis & Ordinis Ieſu fundatoris, circa annum à Chriſto nato 1540, ſedente Paulo ejus nominis tertio. Inter Baſtonacum, Arlunum, & Fanum S. Huberti occurrunt aliquot pagi medio fere Arduennenſi ſaltu, ubi neſcio quonam modo invaluit barbara illa conſuetudo Hiſpaniæ, qua uxores conjugum defunctorum cadavera proſequuntur ad tumulum miſerando & impotenti ululatu, ac immodicis nimis lamentis,

*Pectora plangentes, laceranteſque unguibus ora:*

idque donec ad tumulum ipſum & ædem ſacram perventum ſit. nam hic demum ceſſare incipiunt & conquieſcere. quod tamen ne tunc quidem ſolent Hiſpanæ, quæ inter ipſa divina officia, magna ſane adſtantium perturbatione atque faſtidio, ejulatus illos & planctus renovant. ritu paganos magis atque incredulos, quam Chriſtianos decente. hi enim, cum de animis defunctorum jubeantur ſperare meliora, non eſt quod in funere cujuſquam intemperanter doleant, ſed modeſto tantum & pio luctu ſuos ſinguli proſequantur. Chriſtus, teſtante D. Luca, mulierem viduam filium vita defunctum flere diſerte vetat. & Paulus Theſſalonicenſes admonet hiſce verbis; *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicuti & cæteri, qui ſpem non habent.*

Mommedium, Danvillerio quatuor, Lucemburgo novem circiter leucis abjungitur, ſitum opportune in alto monte, cui radices alluit flumen Chirſus. opidum ſane bonum & munitiſſimum, ſed commeatus tamen & copiarum penuria ſæpius per poſtrema hæc bella à Gallis captum. qui ex nuperæ pacis legibus reſtituerunt Regi Catholico. cujus nomine gubernatur hodie ab Ioanne Dalamonio.

Danvillerium diſſidet Lucemburgo duodecim leucis, Virduno dumtaxat quatuor. opidum quod per eadem bella, extrema quæque non ſemel paſſum eſt, ut quod non captum modo direptumque ſit anno 1542 ab Duce Aurelianenſi, ſed & dirutum prorſus, ac ſolo æquatum. & quamvis inſtauratum deinde ab hiſce hominibus, ac pulchrius ſimul firmiuſque quam antea eſſet redditum; tamen decennio poſt, magno rurſus exercitu ab ipſomet

Rege Henrico cinctum, ac tormentis & machinis valide oppugnatum, deditione tandem ei cessit. sed redditum inde per eadem pacis leges. Gubernat hoc tempore Franciscus Dalamonius.

Marvilium ad eumdem Chirsum est, Lucemburgo duodecim leucis dissitum; opidum, quod pro altero quidem semisse Philippum Regem, pro altero vero Lotharingiæ Ducem, Dynastas agnoscit, ideoque & *villa communis* vulgariter dicitur. Hoc opidum patriam habuit Nicolaus Navesius, supradictorum fratrum parens, vir doctissimus sane & prudens, ita quidem ut Regio huic Concilio aliquamdiu præsederit, in eaque dignitate obierit. natus item hic Ioannes Hemagonius, qui ob raras virtutes ab arcanis consiliis fuit Duci Lotharingiæ.

Rupes Arduennensis, vulgo *la Roche en Ardenne*, itemque Durbium, duo sunt opidula satis lauta, & Comitatus dignitate spectanda, Lucembugo pari duodecim leucarum intervallo abjuncta.

Pari spatio Lucemburgo abjungitur Fanum S. Viti, opidulum peramœnum.

Sleida, altero supra id Fanum milliari, apertum quidem & muris carens, sed prælautum est opidum, titulo Comitatus & insigni in pagos aliquot Iurisdictione conspicuum.

ADDITAM. [*Patria celeberrimi viri Ioannis Sleidani.*]

Martia. vulgo *Mars en Famenne*, nomen habet à Marte, & Lucemburgo itidem abest decimo quarto milliari, opidum mire antiquum, nec usquequaque pœnitendum. Agamus vero jam tribus verbis de opidis illis murorum expertibus: nam quod arces quidem & pagos attinet, eos, quia brevitati consulimus, satis est generatim & obiter attigisse.

Ivosium ergo adsidet Chirso flumini, & Mommedio non nisi quatuor, Lucemburgo duodecim leucis abjungitur, opidum aliàs bonum ac validum, sed quod captum sæpius ex insidiis, ac receptum: tandem vero exercitu cinctum ab Rege Henrico, anno quem dixi 1552, ac tormentis atrociter impetitum, expugnatum fuit ab ejus milite, sola Imperialium vilitate, qui pugnam omnino detrectarunt, nec induci potuerunt ad obsistendum, etsi acriter partes suas agente, & exhortante eos, sed frustra,

frustra, Illustrissimo Petro Ernesto, Comite Mansfeldensi, ditionumque Lucemburgensis & Namurensis Præfecto. cui a Gallis capto, quo redimias commode magis persolveret, Rex Philippus bonam pecuniæ summam gratificatus est. Restitutum est Regi per eandem pacem etiam istud opidum, sed muris prius ac mœnibus spoliatum, cautoque ne in posterum iis clauderetur, idque in vicem & veluti permutationem Terravannæ, Gallis eadem prorsus facie, iisdemque non remuniendi legibus restitutæ.

Chinijum dissidet Lucemburgo leucis duodecim, fuitque magni nominis & momenti opidum, sed per bella misere mutilatum, & murorum in hunc usq; diem expers, etsi tamen paulatim instauretur. habet titulum Comitatus, & peramplam in opida quædam pagosque jurisdictionem. nec Ducatui Lucemburgensi subest. sed cum eo tantum conjungitur, singulari atque distincta jurisdictione & auctoritate pollens, ita ut peremptorie causas decidat, æque ac Lucemburgum. quare & communium utriusque membri Iustitiæ generalis Administratorum inscriptio tituluque; *Gubernator, Præses & Senatores Concilii Ducatus Lucēburgensis & Comitatus Chinienſis.*

Ferteam alluit Chirsus flumen, opidum Lucemburgo undecim leucis abjunctum, olim haud contemnendum, hodie vero etiam infra mediocritatem, ut quod mœnibus spoliatum maneat, arce magna ex parte destructa. Atque hæc de opidis: istis murorum expertibus attigisse sufficiat.

Incolæ hujus regionis tam horrenda sæpe per nupera isthæc bella sunt passi, ut quamplurimi verterint solum: alii vero militiæ nomen dederint; sic ut varie passim sparsi sint, Sed per auram hanc tranquillissimæ pacis fit ut frequentetur iterum tellus, incolæque ad intermissas artes & officia redeant. Nec est alia Belgicæ hujus Provincia, quæ ἀναλόγως quidem frequentiorem habeat quam hæc nostra nobilitatem. nam ut omittam clarissimam illam stirpem superiorum terræ ipsius Principum, è qua orti tot augustissimi illi supra nobis relati Imperatores, multi quoque sunt peculiares Dynastæ, & innumeri pæne magnates, qui in sua quisque seu magna seu modica ditione, nobilem plane & heroicam exigunt vitam, etsi adeo tamen imperiosam, ut severis quibus-

dam legibus, cæterorum Belgarum immunitati libertatique ex diametro repugnantibus, clientibus ſuis utantur pro ſervis: nec audeant iſti, niſi bona Dominorum venia, vel matrimonii fœdus inire, vel ullum majoris momenti negotium agere. retinent ſcilic. iſti Principes veterem illum morem, quem cum clientibus ſuis natio omnis Gallorum uſurpabat. prout è ſexto Iulii Cæſaris commentario diſerte colligitur. Sed in reliqua omni vita & actione ſe quam integros ſane ac vere generoſos eſſe oſtendunt. ſunt enim, & fuere perpetuo erga Principes ſuos fideliſſimi & conſtantes. ſplendide & magnifice vivunt. armis ſeſe & venatione exercent. familiares admodum inter ſe & conjunctiſſimi, ſic ut crebro ſe inviſant in arcibus ſuis & villis, ſive mavis prætoriis, magna invicem libertate, civilitateque & comitate utentes, matrimonia etiam & affinitates contrahentes abſque ullo vel leviſſimo avaritiæ ſigno, ut qui qualitates magis, quam facultates generorum ſpectare ſoleant. In cæteris porro ea ſinceritate & candore, ut ſi quis forte commiſerit turpe aliquod atque indignum facinus, eum adeo omnes abhorreant, ut ne conſortio quidem aut præſentia ſua dignentur, omnis aditus ei ad honores præcludatur, nec vel jurato credatur. Quod ſiqua forte naſcatur inter eos contentio, aut vel leviſſime inter ſe ſuper quacunque re diſſentiant, ipſi, ne in odia tandem aut ſimultates prorumpant, cauſſidicos omnes & legulejos, ceu hoſtes mortales averſantur, & bonorum virorum arbitrio ſe permittunt. itaque & jucunde ſimul & feliciter vivunt, vino tantum plus æquo addicti.

Inter alias ſuas calamitates, experta eſt iſthæc terra crebras mutationes Dominorum. qua de re, ut exactius demonſtremus quando & qua ratione ad Burgundos, atque inde Auſtriacos porro delata ſit, quambreviſſime diſſeremus. Dico itaque poſt Henricum, ejus nominis ſeptimum, Imperatorem Romanum, in Etruria rebus humanis exemtum, idque anno 1313. obveniſſe cum tempore hunc Ducatum Venciſlao Regi Bohemiæ, Caroli Quarti Imperatoris fratri: ei inquam, qui nomine Ioannæ uxoris, Ioannis Brabantiæ Ducis filiæ, Brabantis item ad tempus præfuit. Venciſlao ſub annum 1383 ſine liberis mortuo, ceſſit ditio Lucemburgenſis Caroli

Quarti

Quarti liberis, qui duo tunc numero, Venciſlaus & Sigiſmundus, uterque ex ordine Imperator. Venciſlaus cognatam ſuam Iſabellam Gorbicenſem nuptum dedit Antonio à Burgundia, Duci Brabantiæ, & in dotem ei attribuit (acceptis tamen viginti aureorum millibus) iſtumipſum Ducatum. Is Antonius, prælio anno 1415 inter Gallos Angloſque ad Terrovannam commiſſo, à Gallo pugnans occubuit. Iſabella, dotali jure Ducatus compos, nupſit alteris nuptiis Ioanni Comiti Palatino, Duci Bavariæ; Sigiſmundo Venciſlai fratre, dotem ei collatam approbante. Verum iterum vidua, ac diſſolutæ admodum vitæ, varias poſtea cum Principibus aliis Dynaſtiſque affinitates contraxit. unde & varia ei mota ſunt bella, idque à propriis ſubditis, ægre indigneque ferentibus ipſam plus æquo ſibi adſumere. Ita ut tandem anno 1442 ipſa Philippo bono, Burgundionum Duci, cæterarumque Belgicarum Provinciarum Dynaſtæ totam ſeſe permiſerit, non dotalia tantum jura, ſed & illud quod adipiſci poſſet è melioris ſexu defectu, in cujus unius beneficium ditioni ſe renuntiaſſe, nec alia via quacunque à neptibus ſuis, filiabus Imperatoris Sigiſmundi, excludi poſſe, adſerebat, in eum tranſcribens. Atque hoc pacto conſecutus eſt ille Dux dignitatem & titulum Gubernatoris Tutoriſque Ducatus Lucemburgenſis, quem geſſit uſque ad Iſabellæ ipſius mortem, id eſt annum 1451. Tunc propoſitis Ordinum Lucemburgenſium cœtui rationibus ſuis & jure, fuſceptus eſt ab iiſdem in ceſſionarium uſufructuariumque ditionis, & ceu tali præſtitum ei & fidei & obſequii ſacramentum. Quia tamen hæredes Sigiſmundi vindicabant ſibi in eam proprietatis atque dominii titulum, & cauſſam hanc varie apud indigenas agitabant, extitere perpetuo lites, & continui quidam nec negligendi motus: uſquedum Carolus Audax, Dux Burgundiæ, decidendo ſi fieri poſſet negotio, mercaretur ab Iſabella, ultima Imperatoris Sigiſmundi hærede, & Caſimiri Poloniæ Regis cõjuge, rationes omnes & jura ipſi quomodolibet competentia. veluti & à Rege Francorum pretio ſibi acquiſivit neſcio cujus ceſſionis, paulloante ab ipſo obtentæ prætenſiones. Quare impoſito jam controverſiis omnibus fini, convocandos curavit idem Carolus Ordines Lucemburgenſes, in opidum cui nomen *Mars en Fa-*

*menne*. ubi examinatis de integro tranſactionibus omnibus atque pactis à Principibus ſuper hac ditione celebratis, ſuſceptus ad ultimum & inauguratus eſt in legitimum propriumque terræ Lucemburgenſis Ducem. Qui Ducatus hoc denique modo, ac ſine ulla controverſia, ut & terræ hactenus nobis deſcriptæ, in Auſtriacæ gentis poteſtatem devenit. Atque hujus Ducatus titulum, parens, inde à ſacro fonte, impoſuit Carolo V Imperatori, qui ſeſquianno poſt creatus eſt Eques aurei Velleris. Præfuit huic regioni tum temporis nomine Regis Philippi, ſupradictus Comes Mansfeldius, Eques Ordinis aurei Velleris, magnanimus ſane ac fortiſſimus Princeps.

[ADDITAM.] *Nunc Ducatui præeſt Comes Embdanus.*]

# FLANDRIA

## COMITATVS.

ORIGINATIO nominis Flandriæ ſupra modum obſcura eſt, nec deciſum adhuc inter Scriptores, è Latinane, an Teutonica Gallicave lingua id derivetur. Alii namq; deduci tradunt à neſcio qua ipſiuſmet Provinciæ urbe, pridem (ut aſſerunt) diruta. Alii à Flamberto, Clodionis Francorum Regis ex Bleſinda ſorore nepote: quem ab Rege avunculo creatum volunt Flandriæ Dominum, circa annum ſalutis 436. Anonymus quidam auctor, qui & optima ſane methodo & magna cum gravitate, veteri Gallica lingua ſcripſit terræ hiſtoriam, narrat Lidericum quemdam, inſtitutum à Carolo Magno primũ Flandriæ Comitem, Comitatui indidiſſe hoc nomen de nomine conjugis ſuæ Flandrinæ. Alii, urſus originem vocis ex lingua Latina petunt, & à *flatibus*, ſive *fluctibus*, id eſt perpetuo illo Oceani motu, ſeu ventorum ex alto ſpirantium. Zephyrorum in primis hic præ cæteris ſævientium, flatu, terram denominari contendunt. eo magis quod vetuſtiſſimi quique Scriptores Flandrias fere multitudinis numero efferant, nec ſingulariter umquam eam vocem uſurpent. Mejerus,



23
24
SEPTENT
Blankeberg
Wendunen
Cnoc
Ermuy
Damm
Oostende
Midelkercke
Nieuport
Ten Duynen
Dunckerck
Soutcote
Mardic
Oudenborch
Seuecote
Praet
Winendale
Wing
Dixmude
Vuerm
Thorout
Greuelinge
Borcho
rch
Bergen
Hondscot
Nor
tscote
Tielt
Roußelare
Watene
Bambeck
Poperingen
Ingelmunster
Iperen
Meenene
Caßel
Eeke
Meeßene
S. Omar
Belle
Comene
Lumbres
Teroane
Haeskerck
Mergem
Eiteren
Torquoy
Armentiers
Rijßel
Arien
Robeque
Lilers
Baßy
Allene
Orchies
Pont a Vendin
Lens
Flines
Douay
Souchies
FLANDRIA
20
51
OCCIDENS
40
20
23
24
MERIDI

RTO
25
26
Sluijs
Ardenborch
Brugge
Maldegem
Vrsele
Poucke
Deinse
Eekelo
Aßene
t'Sas
Axele
Hulst
Lillo
Antwerpen
Steken
Beueren
Doreceele
S. Niclaas
Repelmonde
Lokeren
Ghendt
Baesro
Der monde
Gonterro
Aelst
Viluorde
Asthe
Nazarette
Gaueren
Waregem
Haerelbeec
Sottegem
Cortrijck
Oudenarde
Nieuoue
Brußel
Geerdsberge
Rönse
Halle
Leßines
Aeth
Molenbal
Engien
Lenßen
Soignies
Brame
Chieure
Mortaigne
Conde
S Giſlain
Roeulx
Mons
S Amand
Miliar. Flandriæ Commu.
5
10
20
40
51
ORIENS
25
26

rus, terræ ipſius hiſtoriographus, varie ſuper hac quæſtione variis ſuæ hiſtoriæ locis diſputat, & innumeras pæne opiniones in medium profert. ex quibus tamen incertitudinem potius, quam veritatem rei concludas. ipſo præſertim nulli omnino ſententiæ ſubſcribente, ſed in aſſeverādo ſimul & judicando etiam ſecum haud raro pugnante. Cornelius vero Scepperus, de quo fuſior infra fit mentio, doctus ſane & magni judicii vir, derivari cenſebat hoc nomen à Germanica voce Flaudren qua ſagittas ii ſignificant. quod etymon multis video placuiſſe, & in ſpecie Petro Nannio, laudato ſcriptori; qui libro operis ſui decimo, & ſagittas ſimul & arcus, cum neceſſitatis, tum & voluptatis fine, in frequenti admodum uſu apud Flandros fuiſſe oſtendit. Vtcumque ſit, nos, expenſis rite & examinatis perpluribus monumentis, & cum publicis tum privatis ſcripturis calamo exaratis, necnon commentariis Iulii Cæſaris, eo tandem propendimus, ut credamus, bonam interioris Flandriæ partem, & ejuſdem illius Cæſaris, & inſecutis aliquot ſæculis, habitatam fuiſſe à Morinis, populis ipſi nominatis, inſeſſamque majori ex parte, prout ipſe & alii quidam ſcriptores teſtantur, immenſis quibuſdam & vaſtis ſaltibus: atque indè uſque ad paullo remotiora tempora ſolitam nuncupari *Flandriam Nemoroſam.* qua ipſa tempeſtate crediderim tractum ejus maritimum, ob perpetuum illum reciprocantis Oceani æſtum, & ex alto aſſidue flantes ventos, magna ex parte coopertum fuiſſe marinis fluctibus: ſicuti præter alia quædam evidentia ſatis indicia, palam oſtendunt reliquiæ quædam marinæ variis per hunc tractum locis temporibuſque in lucem erutæ: atq; inde Latinis dictam *Flandriam Æſtuariam*, quod ipſum vel hoc argumento evincimus; quod videlicet uſque ad annum ſalutis 1340, quotieſcunque in maritimo illo tractu vel venderentur vel alioqui alienarentur aliqui agri, exprimeretur diſertis verbis in contractibus ea conditio, ut ſi intra decennium proximum contingeret eos inundari, alienatio ipſo facto eſſet invalida, habereturque pro irrita prorſus & nulla. quid? an non hoc ſatis clare oſtendit, quantopere per id tempus ea Flandriæ portio fuerit mari obnoxia? Sed videlicet miram gentis & incolarum frequentiam, tum induſtriam quoque & experientiam ſuſtuliſſe paullatim

& ex-

& extirpaſſe potiorem illorum nemorum partem: atque Oceanũ porro latiſſimis & creberrimis foſſionibus, aggeribuſque & id genus operibus ita tandem coercuiſſe, ut noſtris temporibus Flãdria omni fere ex parte ſit culta, & à procelloſo undarũ impetu pęne ſecura. Iam quod ſpectat ad inſtitutionem ejus in Comitatum, narrat Paulus Æmilius, Galliæ Regem Carolum Calvum, exemto rebus humanis Edulpho Rege Anglorum, revocaſſe in Galliam filiam ſuam Iuditham, Regis defuncti viduam: Balduinum vero Arduennenſem, Flandriæ ſub id ævum cuſtodem, cui eximium animi corporiſque robur cognomentum indiderat *Brachio ferreo*, captum viduæ redeuntis venuſtate, reverentia omni poſtpoſita eam rapuiſſe. Carolum tam inſigni injuria graviter irritatum comparaſſe ingentem exercitum: ſed in Flandriam, Balduino pro meritis puniendo, trajecturum ab filia ipſa fuiſſe retentum, ad ejuſque & Procerum aliquot preces viro clementer ignoviſſe, & ex hoſte generum ſibi feciſſe, conceſſamque in dotem Flandriam, anno circiter 877, Comitatus titulo exornaſſe, ſed non alia lege, quam ut inſtar feudi obnoxia ſemper maneret Gallorum ſceptro. Iacobus Mejerus in Comitatum erectã ſcribit anno 863, quod anonymus tamen ille Hiſtoriographus, & cum eo alii quidam Scriptores, referre malunt ad Caroli Magni imperium. Quæ omnia, tamquam dubia nimis atque incerta, lectori relinquens dijudicanda, & ad ulteriora porro progrediens, dico, mutatos ſæpe fuiſſe Comitatus iſtius fines. qua de re ut prolixum nimis, nec incertum fortaſſe minus quam ſupervacaneum foret diſſerere, ita illud nunc aſſero, clauſos nempe fuiſſe veteres Flandriæ terminos mari Oceano, ac fluminibus Scaldi & Somona, complexoſque ſeptem omnino primarias civitates, Atrebatum videlicet, Comitatus totius metropolim, Gandam, Brugas, Iperas, Fanum Divi Audomari, Inſulas & Duacum. Sed contractis deinde inter regii Galliæ ſanguinis Principes & Flandrorum Dynaſtas compluribus matrimoniis, avulſæ fuerunt à Flandria quædam urbes, & conflatus ex iis, ut infra dicturus ſum, Comitatus Artheſiæ.

ADDITAM. [*Flandria, poſt avulſam Artheſiam, in tres partes manſit diſtincta, quarum præcipua, Gallico ſceptro ſubjecta, proprie dicebatur Comitatus. quo nomine Flander primus Comitum*

*Comitum audiebat, censebaturque inter Francia Pares, ensem Regi inaugurando præferens. sed cessavit hæc consuetudo, & cum ea Gallorum in Flandriam jura, capto ad Ticinum Rege Francisco primo. Altera dependebat à sacro Romano Imperio, & dicebatur Dominium Flandriæ. Tertia denique celebrabatur vocabulo Proprii, nec superiorem ullam agnoscebat potestatem, sed à Comite regebatur jure optimo maximo.* ]

Pura hodiernaque ut sic dixerim Flandria à Septemtrione quidem majori ex parte clauditur mari Oceano, cætera alluit brachium illud Scaldis quod vulgo vocant de Hont/ & à Zelandia eam distinguit. à Meridie vero contermina est Artheſiæ, Hannoniæ, & Veromanduis populis Picardiæ. ab Ortu partim est Scaldis, partim eadem illa Hannonia. ab Occasu denique partim idem Oceanus, qua Britanniam adspicit; partim Agino fluvius, vulgo dictus de Ha/ cum ea parte Artheſiæ, quæ Calitium & Bononiam spectat. Patet ergo in longitudinem, incipiendo ab ea Scaldis ripa quæ Antverpiam habet oppositam, & Libonotum versus pergendo usque ad magnum illum canalem quem Fossam Novam appellant, itinere præterpropter trium dierum, id est leucis triginta & tribus. latitudo ab Ortu in Occasum, id est Ninovia Gravelingam usque, tantumdem fere itineris, id est triginta circiter leucas complectitur.

ADDITAM. [ *Sunt qui Flandriam olim cum Anglia cohæsisse,*

*Sed loca vi quondam & vasta convulsa ruina*
*(Tantum avi longinqua valet mutare vetustas)*
*Dissiluisse ferant. cum protinus utraque tellus*
*Una foret, venit medio vi pontus, & undis*
*Britannum Flandro latus abscidit, arvaque & urbes,*
*Littore diductas angusto interluit æstu.*

*Quam vere autem id asseratur, non est hujus loci aut temporis disputare. illud quidem iidem extra controversiam ponunt, connexam scilicet aliquando cum Flandria nostra fuisse Zelandiam, & perpetuos antea sabulosos utriusque Provinciæ colles, anno Christi 980, intermedia fossa distinctos, jussu Imperatoris Othonis, ejus nominis tertii, Galliam interfinio isto ab Imperio separantis.*

Cœlum in potiore hujus Provinciæ parte temperatum. clementissimum autem & saluberrimum versus Austrum. Solum magna ex parte planum, & in quo pauciſſimos

ciſſimos videas montes. ſationi & agriculturæ in genere quidem ſatis idoneum, ac mediocriter fertile: alibi vero, & præſertim verſus maritima Galliamque raræ cujuſdam fœcunditatis. gignit mira quadam luxurie ſicut alia pecudum genera, ita ſcitos inprimis & pernices equos. quorum largior multo, quam in alia quavis Belgici tractus parte, apud Flandros eſt copia, tamque inſignis & rara non agilitas modo, ſed etiam forma, ut licet obeſiores aliquanto & craſſiores, multi tamen ad nothos illos (quos vocant) Hiſpanienſes proxime judicentur accedere. Tralatitium inſuper Flandris coemere in Provinciis circumvicinis quamplurimos equos novellos, quos, etſi natura forte deformes & nanos, ſtatim tamen ut cœlo & paſcuis iſtis aſſueverunt, & pulchreſcere videas, & mirum in modum grandeſcere. unde facile colligas, quantum non modo in homine, ſed in pecude quoque poſſit vel recta vel prava educatio.

ADDITAM. [*Certe arborum cujuſcunque fere generis ferax, ſi loca maritima excipias, quæ focum inſtruunt, vel bituminoſis ceſpitibus ſubterraneis ibi foſſilibus, ſciſſiſque in teſſeras pedales, & ſole excoctis, ventoque arefactis, at nitroſa fuligine oculos vultumque mordicantibus, quas* daryncas *vocant; vel lignis ex vicinia advectis ignem accendunt. Cervorum eſt, aprorum, leporum, cuniculorum, apum, variarumque alituum copioſa: pomorum etiam exoticorum, ut Cotoneorum, Perſicorum, Bericocciorum locuples: Cytriorum, Aurantiorum, Limoniorum, ficuumque interdum calidioribus in locis nec inops, nec omnino inſuavis. Granorum leguminumque omnis fere generis fertilis: Frumentum tamen domeſticum ſæpe tantæ multitudini non eſt nutriendæ, abſque ſubſidiario exterorum: Butyri ſapidiſſimi, caſeique multiplicis, tam vaccini quam ovilli abundans, feniciique in locis declivioribus; & luxurians in herbarum odoriferarum, medicarumque ſpecies infinitas; tam eximia ad opimandos boves paſcuorum pinguedinis, & velut arvina, præſertim inter Feurnam, Dixmudam, atque Loam, ubi fere in umbilico Lampreneſa eſt, neque non in Terra Franca ad Occidentem Boreamq; obverſa; ut nulli terrarum herbam porrigere, palmamque cedere debeat, omnibus fere anteponatur: parens etiam atque nutrix, ovium una fœtura quinque aut ſex ſæpe enitentium, tres aut quatuor fere ſemper; in Feurnenſi nimirum caſtellania, ubi ea fœcunditas vulgaris, in catero pene Belgicæ tractu incomperta eſt. Diverſiſſimi generis piſcium copia ex Oceano alluente, lacubus fluviiſ-*

*fluviisque interlabentibus, tam indigenis, quam Arteſiis Hannonibuſque ſuppeditatur.*]

Interluitur Flandria Scaldi, Liſa & Tenera fluviis, tum & plurimis velut minorum gentium amnibus rivuliſque. in reliquis ſupplet pater Oceanus, & cum eo induſtria incolarum, qui perpluribus manu cavatis foſſis terram largiter irrigarunt. Multa in ea ſunt nemora, quæ non amœnitas minus quam fructus commendat; & cæteris quidem præcellunt Niepa & Nonna. Nulli (ut diximus) memorandi montes, ſed amœni complures, in Gallicana præſertim, colles. Maxime autem decoratur hæc tellus pulcherrimis ſuis nobiliſſimiſque & ampliſſimis urbibus, quales nominatim tres illæ primariæ, Gandavum nempe, Brugæ & Iperæ, tum Inſulæ quoque, Duacum, Tornacum & aliæ. ita ut opida muris clauſa numerentur in ea viginti & octo, accedentibus ad prædictas ſex urbes Cortraco, Aldenarda, Aloſto, Hulſto, Teneræmunda, Biervlieto, Sluſa, Neoportu, Dunkerca,, Gravelinga, Burburgo, Damma, Dixmuda, Vurna, Ardenburgo, Ninovia, Winociberga, Gerardomontio, Caſleto, Deinſa, Orchiſa, Lanoia. Præter hæc ſupra triginta ſunt municipia, quæ etſi mœnibus hodie careant, quia tamen partim olim iis circumdata, facatiſque etiamnunc opulenta & populoſa, partim vero id aliquando promerita, pari cum urbibus muro clauſis jure; paribuſque immunitatibus gaudent. & præcipua quidem ex iis Oſtenda, Aldenburgum, Meſſena, Bella, quam & Balliolum vocant, Poperinga, Torhoutium, Oſtburgum, Axella, Middelburgum, Loa, Virociacum, Blancoberga, Houca, Roſſelara, Tiletum, Ghiſtella, Lombartſidia, Eclonia, Stechena, Hondiſcota, Mardica, Harlebeca, Monachoreda, Menina, Halovina, Waſtena, Stegra, Mergemum, Hasbrouca & Armenteria. Habet inſuper Flandria mille centum & quinquaginta quatuor pagos. inter quos multi ſunt ita ampli, opulenti, & cultoribus denſi, ut non temere Europæis ullis concedant. multi maximis etiam dignitatibus ſplendent. Habet plurimas arces, prætoria, toparchias, alioſque honeſtos & eminentes cum Dynaſtarum, tum privatorum quoque nobilium titulos. Virorum denique & fœminarum cœnobia, quas Abbatias vulgò indigetant, numerantur in Flandria octo & quadraginta. Prioratuum

ratuum vero, Collegiorum, & Cœnobiorum communium infinitus est fere per totam Provinciam numerus. unde falsè Hispani cum Philippo Rege in has oras delati, & ad tantam frequentiam opidorum, pagorum, cœnobiorumque obstupescentes, totam Flandriam, unicam modo civitatem esse dixerunt.

ADDIT. [ *Quapropter quantum reliquas provincias præiverit Canonis dominici aliisque emolumentis annuis, palam est ex regesto Ypræ asservato: ubi videre est, quomodo Maximilianus Austrius, statim post aditum per uxorem Belgii principatum, ut indicaret Belgii Ordinibus dotalium redituum decrementa, demonstrat, ad Carolum socerum anno* 1475 *liquide pervenisse, Ex Burgundiæ Ducatu Comitatusque junctis* 27 *milia*, 400 *lib. Turonens. Ex Brabantia* 12 *mil.* 754. *Luxenburgo* 1180. *Geldria* 13 *mil.* 885. *Hollandia* 14 *mil.* 300. *Zelandia* 2685. *Artesia* 17 *mil.* 683. *Hannonia* 12 *mil.* 199. *Namurco* 5936. *Ex Flandria autem* 42 *mil.* 390 *rediisse. Præ cæteris etiam Belgii regionibus, à Principibus Belgicæ & culta fuit & honorata. Quum etenim aurei velleris comitia maxime nobilia sint atque solemnia, nunquam alibi toties habita esse non ambigitur. Nam in aliquot Belgii provinciis nunquam: In* Hollandia, Zelandia, Vtricesio, Turnaco; Burgundia *quoque & Hispania; semel: in* Artesia *bis*; & Hannonia: *in* Brabantia *quater: verum in* Flandria, *& primum instituta sunt, & septies celebrata. Omnesque ferme Belgii Principes Burgundici nominis, & ipse Maximilianus Austrius, nuptiarum suarum festa & apparatus hic potius quam alibi exhibuere. Porro quod ceteri Belgæ in Flandriæ nomen apud Italos, Hispanos, Gallos, multosque alios usucapione transierunt, & nobiliore omnes censentur nomine Flandri (ut Ant. Meyerus cecinit) pervulgatum est: neque prætermissum aut Ambrosio Calepino, scribenti Flandriam esse Germaniæ regionem ad littora Oceani Septentrionalis, habentem varios populos veterum Cymbrorum; aut Francisco Guicciardino, Pauloque Iovio, quorum ille veritatis prudentiæque, hic facundiæ nomine commendatur, historicis, Belgicam Flandriæ voce designantibus. Neque illud magnopere mirandum est. Nam, ut omittam emporii Brugensis, à totius fere orbis mercatoribus, præterquam Iudæis, frequentati, ac ceterorum luminibus obstruentis, celebritatem; & uti sileam bellorum à Flandris domi, in finitimos, in Gallos, in Constantinopolim, & in hostes Mahumedios in Oriente gestorum, quorum etiam annales Græci, Zonaræ, Choniatæ, Gregoræ sæpe meminerunt, famam longissime propagatam; certe*

*Germa-*

*Germaniæ Inferioris, regnorumque deinceps ipsi annexorum, veluti compages, suam Flandriæ basim non temere debet; Margaritæ tertiæ Malensi, Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ, Nivernii Rethelii-que Comitatus, Mechliniam, Antwerpiamque, & certum in Brabantiam terrasque Transmosanas succedendi jus, Philippo Audacì in dotem adferente.*]

Habet Flandria quinque antiquos admodum Vicecomitatus, Gandavensem nimirum, Iperensem, Vurnanum, Winocibergensem & Harlebecanum. Habet tres Principatus, Stenhusium, Gaverenum & Espinoium. Habet quatuor portus maritimos, Slusanum, Neoportuensem, Dunkercanum & Ostendanum. Habet triginta & unum fora judicialia, seu Conventus juridicos, ita enim Latine dixerim suprema illa justitiæ tribunalia, quæ Galli voce à Flandris mutuata *Castellanias* vocant, suntque ut præfecturæ quædam & satrapiæ, quibus pro sua cuique portione ordinaria & sollennis in universum Comitatum est jurisdictio. Habet quatuor illa primaria signa, sive vexilla, ursi effigiem præferentia, & gentilitias totidem primariorum Baronatuum, gentiumve totius Comitatus imagines repræsentantia. gentium dico Pameliæ, Cisoniæ, Heiniæ, & Boulariæ. accedunt his alii Baronatus, omnes (ut scribit Iacobus Marchantius) numero decem & octo. sed videntur tamen instituti omnes hi Baronatus à paucis sæculis retro: nec enim ita diu factum est, cum Flandria, testibus ipsis Flandris, nullum, præter Comitem ipsum, Baronem agnosceret. Habet inde, exemplo Gallorum, duodecim Pares. quos nonnulli adfirmant, sed infirmis nimirum nec verisimilibus argumentis, esse ipsismet Galliæ Paribus antiquiores, & Gallos à Flandris sumsisse exemplum: non aliter (inquiunt) quam nobilissimam illam militiam aurei Velleris scimus Ordinem Divi Michaëlis ætate præcedere. quam litem decidit fortasse Budæus. qui Comitem quemdam Flandriæ refert Gallorum exemplo instituisse aliquot Palatinos, eosque vocasse Pares Nigellanos. Habet Comitem stabuli: duos Tribunos militum, *Mareschalcos* vulgariter dicunt: Magnum Venatorem: Cancellarium: Cubicularium: quatuor denique Receptores, seu Præfectos ærarii, aliosque id genus ministros & magistratus Principales. quorum singulos, dignitatum suarum & munerum ratione, oportet hæreditariam aliquam toparchiam in

Flandria

Flandria poſſidere. prout videre eſt ſingillatim & ordine in vetuſtiſſima quadam & authentica tabula, quam oſtendunt Gandavi Sodales Divi Dominici, pictam (ut volunt) ævo jam tum Balduini Ferreobrachii, primi (ut diximus) terræ Comitis, cum inſcriptione, *Inſtitutio Comitatus Flandriæ, more Quiritum.* Flandria conſtat è quatuor Statibus, vel ſi mavis Ordinibus, Magiſtratibus nempe, Antiſtitibus, Nobilibus, & foris juridicis, ſive Caſtellaniis. at Gandavum tamen, Brugæ, Iperæ, & Franconatus quem vocant, quia ſingulari quadam pollent auctoritate, vulgo audiunt *quatuor Membra*, De vier Leden van Vlaendereu. neque ſolent ii quos diximus Ordines publicis terræ Conventibus, niſi admodum raro intervenire, quia nimirum deſtituuntur jure ſuffragii. Sed pergamus deinceps ad ſingularum quarumque notabilium rerum deſcriptionem. quod ut aptius clariuſque faciamus, proponemus pleniorem terræ diviſionem, dicimuſque diviſam eam in partes tres; etſi admodum tamen inæquales. & præcipua quidem Flandria Teutonica dicitur, quia nempe in uſu hic lingua Teutonica. alteri nomen eſt Flandriæ Gallicanæ, ab uſu videlicet linguæ Gallicæ. tertia denique audit Imperialis, ſicuti mox diſtincte commemorabimus.

## FLANDRIA TEVTONICA.

HÆc Flandriæ portio à Septentrione alluitur mari Oceano, ab auſtro eſt flumen Liſa & Flandria Gallicana, ab ortu Scaldis & Flandria Imperialis, ab occaſu denique Foſſa Nova, & Comitatus Artheſiæ. Solum magna ex parte exuccum & ſabuloſum, ſic ut tritici parum ferax ſit. at ſecale, avena, fabæ, piſa, viciæ, fagopyrum, vulgo Boeckwept/linum denique, & cannabis, item varia optimorum fructuum genera, feliciſſime iſthic & copioſe proveniunt. Continentur hac parte tres urbes capitales: tum & quatuor Flandriæ Membra: omnes ejuſdem terræ Portus: Dynaſtia Winocibergenſis, & compluria primæ notæ opida municipiaque, ac primo quidem, ut mox patebit, Gandavum.

GAN-

1 S Ioañes Baptist
2 S Iacobs
3 S Michiels
4 S Nicolas
5 Ons Vrou
6 S Pieters
7 Templers
8 S grauensteen
9 Vridach mart
10 Core maert
11 Visch mart
12 princen hof
13 Stathuys
14 Schuiter hof
15 S Elizabet
16 Casteel
17 Bagijn hof
18 S Catherine
19 Wal poort
20 brame poort
21 ketel poort
22 Turre poort
23 Ioris poort
24 Rabbot
25 S Lieuns poort
26 Ouer poort
27 S guintin
28 S Ioris gast.
GENT.

# GANDAVVM.

GANDAVVM nonnulli, ante Iulii Cæsaris in has oras adventum, Oduæam, alii Clarinæam: ejus vero temporibus, Gaidam dictam fuisse contendunt, idque ab arce quadam eo adeo loci extructa ubi hodieque est Principis regia, & extructa quidem ab ipsomet Cæsare, qui & templum Mercurio sacrum adjunxerit. Et profecto non tantum plerique Scriptores, sed & populus ipse Gandavensis unanimiter sentiunt, Cæsarem esse hujus opidi conditorem. unde & noster Petrarcha in epistola quadam ad Cardinalem Columnam, agens de suo per utramque Germaniam, superiorem nempe & inferiorem, itinere, his inter alia utitur verbis: *Gandavum quoque Iulio conditore superbum vidi.* Mejerus in historia sua Flandrica recitat istos versus:

*Hanc Clarinæam veteres dixêre coloni.*
*Gorduni, populique truces coluere Sicambri.*
*Mercurio Cæsar, Christo sacravit Amandus.*

Videtur autem & ipse Cæsar in commentariis suis populos istos nominare Gordunos, quos coluisse vult loca saltuosa, fuisseque sub Nerviorum imperio. Occuparunt postea Vandali, à quibus dici cepta est Wanda. quam vocem leviter immutantes Galli ac Flandri, *Gand* & Gent appellarunt, Latini Gandavum, seu Gandam, Itali denique *Guanto.* Posita est præclara hæc urbs sub longitudine quidem graduum 25, minutorum 45, latitudine vero grad. 51 minut. 24, idque loco tam opportuno, ut nihil supra: tum superbo inprimis adspectu, ut quæ mari tantum quatuor leucis abjuncta sit, & ad triplex adeo flumen, Scaldim nempe, & Lisam, & Liviam, condita. præter quos interluitur etiam aliis, & compluribus quidem, aquæ perennis meatibus, qui propinquis hinc illinc locis exorti, vel ipsa sui natura, vel industria quoque & arte humana, in urbem influunt. unde magnis quibusdam fossis, manu & opera hominum factis, corrivantur in novum illum & navigabilem alveum, vulgo dictum de nieuwe Vaert: atque hinc in Oceanum porro evacuantur. hunc alveum nuper renovarunt, & multis partibus ampliatum conduxere, non sine ingenti sumtu & pertinaci quodam labore, usque ad mare Zelandicum,

eum, quatuor ipsas leucas Gandavo dissitum. Perfoditur impræsentiarum, Catholici Regis permissu, ad aquæductus istius ostium, quod Flandri appellant het Sas/ prægrandis quidam & vastus agger, seu verius Insula, quæ importuno sui objectu prohibebat antea naves exitu atque ingressu Oceani. unde porro futurum est, ut per hunc ipsum alveum & corrivatas in eum fossas non emittantur modo multiplices illæ aquæ, ex vicinis & dissitis urbi locis in paluſtria illa, magno cum terræ detrimento, confluere solitæ: sed mediocres etiam naves inde ab ipso mari Gandavum usque transmittantur: cum magno inprimis adeoque inæstimabili & civitatis Gandensis & finitimorum locorum bono. Adspicit Ganda ab aquilone quidem Antverpiam: ab ortu Mechliniam: à vulturno Bruxellam: à cauro denique Middelburgum Zelandiæ, à quibus omnibus urbibus æquali fere decem leucarum intervallo abjungitur. Vrbs situ valida, forma pulcherrima, magnitudine inter primas Europæ, & ampliſſimis undiquaque suburbiis cincta. ita ut Mediolano soleat à plerisque conferri. postremus murorum ambitus, sic ut nuper fuit productus, si introrsus quidem dimetiaris, continebit quadragies quinquies mille sexcentos & quadraginta pedes Romanos, vel si mavis Antverpienses, id est Italica milliaria paullo plus septem: extrorsus vero si metiaris, deprehendes plus novem millia, hoc est tres & quod excurrit leucas. sed immensa quædam in urbe sunt spatia ædificiis & cultoribus vacua. Arcem habet insignem, amplam, & cum situ tum opere munitissimam, strui jussam, ut fusius infra dicturus sum, à Carolo V Imperatore, eo ipso loco ubi alias nobiliſſimum illud cœnobium Divi Bavonis, viri, qui oriundus Hasbania terræ Leodicensis provincia, & sanctissime aliquamdudum hic vixit, & beatissime tandem defunctus est.

ADDITAM. [*Fortalitium quinque propugnaculis & fossis profundis munitum; cui cum præsidio sex cohortum Hispan. præfectus erat Gaspar de Waldeso Hispanus. urbis dicitur frenum; nec injuria: Flandri siquidem sunt turbulenti. Serres ait in vita Caroli VI.* La Flandre nourrit tousjours quelque monstre. *Communi verbo alias quatuor hæ urbes in Europa audiunt rebelles; Parisii, Gandavum, Leodicum & Pictavium. Audi Serrem in vita Caroli V & Ludovici XI.* Ceux de la ville de Gand,

Gand, peuple naturellement motif. *Item:* Grande ville & autant groſſe d'humeur, chagrine & querelleuſe. *Item:* Peuple remuant, & ſecond en inconſtance aux Ligeois. *Exempla rebellionis in vita Caroli VI ponit: Ejecerunt Comitem Dominum ſuum hæreditarium, ob litem coctoris cerevisiæ; Carolus Audax eos ſubegit, ſed Carolus V Imperat. ſubactionem ſigillo munivit, ſecuritatem caſtello perpetuavit, veluti Neapolitanis factum cum caſtello S. Elmi,* la Briglia, *quod vulgari vocant.*

*E turri* Bellaforti *urbs & caſtellum cum ſituatione circumcirca emenſurari poſſunt. Altitudo eſt 500 graduum. in ſe continet campanam horarum nunciam, cui Rolando nomen, undecies mille pondo gravem, olim armatu collegii ſæpius quæ claſſicum ſonuit. In culmine* draconem *cupreum inauratum, alis expanſis, magnitudine tauri, portat, tempore Balduini Flandriæ Comitis Conſtantinopoli huc miſſum.*]

Ædificia civitatis tum ſacra tum profana, ac tum publica tum privata, pro ſua quæque conditione & gradu, ſuperba inprimis & ſplendida: inter alia vero quædam extremæ antiquitatis templa, quæ, ſicut cætera quoque religioni dicata loca, cenſu & opibus valde luculenta, ipſis nempe & adminiſtris laute & commode ſuſtentandis. Tradit Laurentius Surius viſi hic præter alia ſeptem templa à totidem Regibus condita, quibus autem & quando non addit. Numerantur intra urbis pomœrium viginti ſex Inſulæ à fluminibus & canalibus factæ, ac publicis privatiſque domibus occupatæ. Numerantur, præter compluſculos pontes minutos nonaginta & octo majores, qui juſtæ magnitudinis actuarias naves, annona & mercibus oneratas, nulla difficultate tranſmittant. Molæ quæ vi aquarum rotantur, potiſſimum ſex; quæ vento circumaguntur, ſupra centum viginti. omitto innumeras illas machinarias, quas vel homines vel jumenta verſant.

ADDITA M. [*Fora rerum venalium hic videbis tredecim. inter quæ potiſſimum eminet id quod vulgo diebus Veneris, hebdomadario urbis mercatui dedicatis, frequentatur,* der Freydags-marckt, *In hoc foro Hiſpaniarum Infans Iſabella ſtatuam poſuit Carolo V Imperatori avo ſuo paterno, glorioſæ memoriæ Principi, cum inſcriptione:*

D. Carolo V. Imp. Cæſ. Aug. Pio, felici, Turc. German. Gall. Ital, Hiſp. Sicil. & Ind. Regi, Flandriæ Comiti, PP.

Sac.Imp. Vindici, quietis auſpici, D. N. Principi potentiſs. victori ac triumphatori perpetuo Magno; Maxim. univerſi Chriſtiani orbis bono, Deo volente, cælo favente, huic urbi ſuæ Flandr. Max. feliciter innato.

*Altero latere:* Alberto Auſtriaco, Maximiliani II. Imp. F. & Iſabella Clara, Eugenia Philippi II Hiſp. Regis filia, Auſtriæ Archiducibus, Belgiæ PP. hanc urbem lætiſſ. civium applauſu ingredientibus, anno Salut. Chriſti cIↃ IↃ xcIx, &c. Coſſ. S. P. Q. G.

*Sequitur Curia, Foro relicto te in Curiam confer, renovata anno* 1618. *In cujus ſummitate videbis* A *&* I *coronatæ* (Albert. *&* Iſabell.) *ſubtus*, Sol *&* Luna; *item*, Semel *&* Semper, *ſcripta ſunt vocabula. Inferius ingredienti mox obvenit. Iuſtitiæ theatrum: parietibus Fortitudinis imago & Conſtantiæ adpicta:* Pro Virgine virgo: Pro aris & focis.

Virginis æternæ muros & templa tuemur.
Innuba Virgo armis, innuba Virgo ſacris.

*Ibidem ſtatuæ in ſago & toga cum hoc verſu:*

Quam tu olim hanc urbem cernis, non altera Divûm
Auſpiciis cœlo tantum caput efferet alto.

*Ingredienti monſtrabuntur ibidem ſpolia Alberti honoribus ſuſpenſa:*

1. Ardeſio obſeſſo & clementi Marte ſubacto.
2. Viſo, icto, victo celeri virtute Caleto.
3. Hoſtibus erepto Solido, atque è fluctibus Hulſta.

*Omnia vero hæc rurſus amiſſa ſunt præter Hulſtum. Superius ingredere Capellam, ſi licet, & Conclavia, à ſtatus & inſcriptionibus digniſſima viſu: Ibi Neptunus & Ceres, Albertus & Iſabella, ad dextram, & alii: Maximilianus & Rudolphus ad ſiniſtram. Ibidem tabula elegantiſſimæ picturæ matrimonii Auſtriaci, refert Principum, filiorum Manaſſe de ſtirpe Ioſephi, propoſitionem ab una parte: ab altera nubunt filiæ Sulpha familiæ ad tribus patrum ſuorum. Effigies ibidem Iudæorum connubentium ex una, ex altera domus Auſtriacæ, ut Caroli V & Philippi* II. *In medio Albertus cum Iſabella. ſub quibus ſequentia:* Deo jubente, Rege ſequente, Principe obſequente. *& ad latus tranſverſim:*

Volvenda dies
en attulit ultro.

Numerantur denique tum auguſtiores & magis eximiæ, tum minores quædam templorum, cœnobiorum, Xenodochiorum, aliorumque id genus piis & ſacris uſibus dica-

dicatorum locorum moles quinquaginta & quinque. in iis autem ſunt quatuor ordines Mendicantium. tum pulcherrima quædam & ſumtuoſa templa. ac primarium quidem eſt illud Divi Ioannis Baptiſtæ, quod Divi Bavonis hodie vocant. quia ſcilicet Imperator, poſt arcem in ſolo (ut dixi) & fundo Abbatiæ Divi Bavonis conditam, Abbatem & Monachos ejus, cenſu & bonis cœnobii prorſus intactis, in hunc Divi Ioannis conventum traduxit. qui accedente auctoritate Pontificia poſtea dici cæpit Divi Bavonis. quo nomine celebratur & in publicis omnibus inſtrumentis, & in alio omni uſu, niſi quod vetus illud Divi Ioannis non queat è vulgi memoria penitus eximi. Neque nomen dumtaxat mutatum eſt huic templo ſed & Ordo Divi Bavonis, ex Abbatia, prius quidem in Canonicorum Collegium, mox in Præpoſituram tranſiit. quinimo aſſurrexit nuper & evectus eſt locus ad dignitatem Epiſcopalem, qua feliciter hodie fungitur Guilielmus Lindanus, ornatiſſimus ſanè & reverendus Antiſtes.

In hoc templo tinctus eſt aqua baptiſmi Carolus Quintus Imperator anno ſeculari 1500. In hoc templo habuit anno ſuperiore 1559, Rex Catholicus conventum Ordinis aurei Velleris. quod ſecundo tunc & Gandavi & in ea æde, tertio vero & vigeſimo à prima Ordinis inſtitutione, id eſt, anno, ut ante expoſui, milleſimo quadringenteſimo vigeſimo nono, eſt factum. Sunt Gandavi quinque admodum locupletes Abbatiæ. inter quas vetuſtate & amplitudine eminet illa Divi Petri in monte Blandinio, non lautiſſimis tantum reditibus, ſed & eccleſiaſtica ſimul ac temporali in pagos complures & vicos juriſdictione conſpicua. condidit circa annum 640 Francorum Rex Dagobertus. commendat hanc inter alias opes inſtructiſſima ſua & pulcherrima Bibliotheca. quo nomine jactant ſe quoque, nec injuria quidem, ſodales divi Dominici. item Carthuſiani & Carmelitæ. & floret ſane hoc tam honeſto theſauro Gandavum ſupra omnes quotquot ſunt urbes Belgicæ. Diſtributa eſt tota urbs in ſeptem ut vulgo vocant Parochias, ac præcipuæ quidem ſunt eæ Divorum Bavonis & Michaelis. gaudet dignitate & titulo Vicecomitatus, cui hodie præeſt Illuſtriſſimus Maximilianus Melunius, eques maximi nominis, & Præfectus Atrebatenſis, eſt primum

mum è quatuor Membris,& metropolis Flandriæ, cæteras ejus urbes dignitate præcedens. Fuit ſuperioribus aliquot ſeculis omnium belgicæ urbium frequentiſſima ſimul & potentiſſima: ſed cum magnitudine ſua inſolenter ſubinde abuteretur, non ſemel & à fortuna & à propriis ſuis principibus fuit afflicta.ac nuperrime quidem anno ſupra ſeſquimilleſimum quadrageſimo ſevere in eam,ob turbas tunc recens natas, animadvertit Imperator Carolus Quintus, qui, quo melius ditionem ſuam conſtabiliret,ac ſecuritati ſuæ conſuleret, etjam arcem illam extruxit. Annunciata eſt primum hiſce hominibus Chriſtiana religio à Tungrorum Epiſcopo Divo Amando,Dagoberti Francorum regis temporibus, id eſt,anno circiter 638. Habent inter alias quaſdam inſignes ac laudabiles admodum leges ſcholaſticas, unde in ſtudiis alant numeroſum, quod ſatis ſit tenuioris fortunæ,adoleſcentium gregem. Enutriuntur hic,oſtendendo urbis ſplendori,leones,urſi, lynces, aliæque id genus exoticæ & feroces belluæ, ut in uſu eſt apud Florentinos. Et ſunt revera Gandenſes, homines valde civiles, legum & juris ſervantes,ſeveri,graves,& bellicoſi.

ADDITAM. [*Bene hæc omnia, ubi nihil Rebellionis intermiſcetur: hanc Gandavenſibus innatam Meteranus paſſim, Thuanus,& Serres,in hiſtoriis docent: Cauſam adhuc hodie bellorum & omnium malorum hanc vere dixeris. Gandavenſes ob rebellionem à Friderico Maximiliani primi patre obſeſſi, (Met. lib.* 1) *ipſimet membra aliquot e Republ. capite privant & honoribus. ibidem. Pax ei ſancitur, (quam Pacificationem Gandenſem vocant, Thuan. lib.* 68) *anno* 1576, *Met. pag.* 246, *lib.* 6. *mox rurſus rumpitur, anno* 1579 *Met. lib.* 9. *p.* 333 & 358. *Hiſtoriam Gandenſem hic ſcribere mihi non mens eſt; legantur Thuanus & Meteranus, ibi acta & motus ſeditioſi Gandavenſium frequentes; mox cum Auriaco, mox cum Parmenſi, cum Andino, cum Condeo Ducibus rem fecerunt; mox inverſo ordine actis ſe oppoſuerunt: ita ut, Serris mentem ſupra a me notatam heic locum habere, non erubeſcam dicere.*]

Gandavum multas habet illuſtres & per antiquas proſapias, ac nominatim quidem Bettios, Borlutos, Serſanderos, Rimios, Dammannos, Gruteros, Vtenhovios, Varnewiquios,Hembiſas,Caudenhovios, Cawerburgios, Van der Camere,Trieſtios,Eechoutios,Banſtios,Kethullas,Stelandios, plurium ornatiſſimorum virorum matrices.

ces. Reipublicæ regimen & ordinaria juris administratio penes honestissimos quosq; & nobilissimos cives est, tum & Magnum Prætorem urbanum, qui vulgo audit den Hoogh-bailju. qua dignitate nunc fungitur Vir Illustris Adolphus Burgundus, Toparcha Wackenensis, & Archithalassus Belgicæ, Eques sanè clarissimus, & summæ conditionis. cui successit Antonius Ovenbequius, vir multis nominibus ornatissimus.

ADDITAM. [*Politia ejus, & Reipub. gerundæ forma, sæpius per principes immutata est: sed præcipua magisque notabilis & durabilis ea senatus formatio fuit, quæ Philippo Pulcro Gall. Regi, Guydi Principis captivi Flandriaque potienti, asscribitur: is enim anno* 1301 *magistratum sic instituit, civium assensu, ut annuatim octo cives per Principis legatos urbemque ipsam electi, crearent viginti sex honestos idoneosque scabinos, quorum origo anno* 1281 *fuit, qui à Principis vicariis in tredecim curiones, hoc est, status publici electos custodes, legislatores, totidemque, quos partitionum vocant, de hæreditatibus, tutelis, injuriis, similibusque cognoscentes, discernebantur. At plebei post-ea quæstu insolescentes, obtinuere, ut illi viginti sex scabini ita distincti, ex tribus hominum generibus per illos octo apolectos desumerentur:* Civium *puta, de suis reditibus viventium:* Opificum *sive* quæstus: & Textorum: *plebeis numero potioribus: quibus omnibus tres supremi* Decani *præerant: Primus scabinus primis annum: alter opificum* 52 *collegiis, totidemque decanis biennium: tertius annum textoribus, in* 27 *vicos tribusque disparatis. Vnde perturbatio urbis sæpissime scaturiit. Nam orta frequenter levi de causa consternatione, illi tres, cæterique inferiores decani, cum armatis collegiis, sonante classicum campana, horarum nuncia, cui Rolando nomen, undecies mille pondo gravi, in turri Bellaforti, anno* 1317 *primum appensa, vexillisque expansis in forum maximum procurrebant, impares turbis reprimendis. Multitudo enim tumultuosa, novitatis studio, aspectuque virium suarum audacior, præfectis suis facilime obaudiebat: donec Carolus Bellicosus, ejusque pronepos Carolus V Cæsar institutum illud Philippi Pulcri, quod a Maximiliani Brugensi detentione Gandavum resumpserat, abrogarunt atque coëgerunt, ut virorum viginti sex scabinatus, in duo tribunalia, ut ante, divisus, per Principis solummodo vicarios ordinarios, quotannis ad decimum Maij diem, pro arbitrio crearetur. Porro tam ingentibus hæc urbs sub Guydo Dampierro animis fuit viribusque, ad annum* 1297, *ut Eduardum primum Angliæ Regem*

*cum filio florentiſſimum, & 20 peditum, 4 equitum milibus, qui illic & in vicinia Mariakercæ, contra Gallos hiemarant, non ſine cæde expulerint: quia ob inducias cum Gallis pactas, diſceſſuri, inſcio Rege, ejuſque conſilio, ignem aliquot locis ſubmiſerant, ut urbem prædarentur: & tam enormi ſub Lud. Malano licentia efferbuit, ut intra decem menſes quadringenta ſupra mille ibi viciniſque in agris homicidia patrata ſint in ganeis, alea, venere, ebrietate famoſis: tantaque ea tempeſtate multitudine inundavit, ut octogima virorum millia (ſi verus eſt Froiſſartus) cenſerentur, qui per ætatem quindecim annos excedentem, ſexaginta non egreſſam, arma ferre poterant. Carolus Magnus, D. Ludovicus Galliæ, Eduardus primus cum filio, & Tertius, Angliæ Reges, hanc urbem frequentarunt: uxore etiam Eduardi tertii, filium Ioannem, cui Gandavenſi juſſu patris agnomen fuit, Lancaſtriæ poſtea Duci, ibi pariente.*

Neque defuerunt unquam Gandavi viri literis & virtutibus clari. quales præſertim, Henricus Archidiaconus Tornacenſis: Arnoldus Boſtius: Iodocus Badius: Ioannes Abbas Divi Bavonis: Philippus Chersbelius: Ioannes Carnarius, & Chriſtianus Maſſæus, (etſi hunc nonnemo attribuit Cameraco) quorũ omnium meminit inter Illuſtres Scriptores Trithemius. Recentiores fuere Philippus Wilandus Præſes Flandriæ: Lævinus Brechtus, & Franciſcus Himannus, uterq; poeta laureatus: Ioachimus Martinus & Hieremias Thriverus Brachelius, uterque excellentiſſimus medicus: Antonius Schoonhovius, doctus & venerabilis Præſul, ac perplurium operum ſcriptor: Antonius Schuermannus, reipublicæ Syndicus, eruditus inprimis & civilium rerum peritiſſimus vir: & Balduinus Ronſſæus, reipublicæ medicus, variarum diſciplinarum intelligens, & ſcriptor haudquaquam vulgaris. In re militari & alia omni honeſta profeſſione tot perpetuo dedit Ganda illuſtres & excellentes viros, ut prolixum nimis ſit eos referre. qui volet hiſtoricos, adeat, & nominatim Mejerum. nobis, ad illuſtrandam hanc urbem, imo totam provinciam, abunde videtur ſufficere, quod Patricium dederit Carolum Quintum Imperatorem Maximum. Hoc tempore, præter alios quoſdam litteratos, habet Gerardum Rimium, Dominum Eekenbecanum, Regiæ Majeſtati à conſiliis in Senatu Flandriæ, virum nobilem, ac virtutibus juxta & litteris clarum. cui inter alios honoratiſſimos filios nuper ſucceſſit Carolus,

rolus, Bellemii & Schuerveldiæ Dominus, eques eruditiſſimus. quem ob raras ſuas & caras virtutes vocandum curavit inde à longinquis Belgarum oris Imperator Cæſar Maximilianus ſecundus, ac legatum miſit ad Imperatorem Turcarum. apud quem quinque ipſos annos ſumma cum laude verſatus eſt, & præter alia quædam ſummi momenti negotia, octennales inter utrumq; Imperatorem inducias, magno cum utriuſque partis applauſu, pactus. quæ induciæ quidem hodieque inter utriuſque Principis ſucceſſores, maximo ſane reipublicæ Chriſtianæ bono & tranquillitate perſeverant. idem Carolus impræſentiarum non Ceſareæ tantum aulæ, ſed arcani quoq; Catholici Regis conſilii dignus Senator eſt. Habet inde Gandavum Carolum Vtenhovium patrem, Dominum Merckegemii, & cognominem filium, utrũq; inſigniter eruditum & clarum. habet Iodocum Borlutum, primum reipublicæ conſiliarium ſyndicumq; Ioannem Dammannum, Dominum Oomberganum, primum, ut vocant reipublicæ ſuæ ſcabinum: Petrum Torrentium & Levinum ejus nepotem, Protonotarium Apoſtolicum, & Archidiaconum Brabantinum, doctiſſimum virum & poetam inter ſæculi principes, qui (ut diximus) poſtea fuit Epiſcopus Antverpienſis. habet Ioannem Viſbroquium, gravem Philoſophum, & adſcriptum familiæ Cardinalis Moroni: denique Nicolaum Bieſium, artium & medicinæ Doctorem, qui docet in Athenæo Lovanienſi, & multa jam edidit docte & eleganter ſcripta. Dediti ſunt præterea Gandavenſes in mercatura, & perplures in urbe exercent artes, numero quinquaginta duorum collegiorum incluſas. extra quæ eſt collegium illud textorum, quod ſeorſim diſtinguitur in viginti & ſeptem ordines, nec opificum modo collegium eſſe cenſetur, ſed ob amplitudinem ſuam & dignitatem, unum eſt è præcipuis reipublicæ columinibus, adeoq; tertium ejus membrum. texunt autem potiſſimum lintea fili craſſioris, quorum & item tenuium incredibilis pæne conficitur copia, nec id Gandæ duntaxat, ſed per totam paſſim hanc Flandriam. ita ut negotiatio iſta linteorum habeatur pro fulcro & velut præcipuo fundamento Flandricarum opum. contexuntur enim ex ea materie, quam abunde ſuppeditat ipſa tellus. Nec in Flandria tantum, ſed & tota quam late patet Belgica, vel præci-

pua ſolet cenſeri textorum ars. comprehenduntur enim ſub ea omnes qui texunt pannos è lana & lino, tum ſubſerica quoque aulæa, *grograneos*, *mocajarros*, *fuſtaneos*, telas cannabinas levigatas (*boquerales* vulgo appellant) aliaſque id genus texturas. Inſtitutam comperior introductamque in Flandriam hanc textorum artem à Comite Balduino, Arnulfi filio, circa annum nongenteſimum ſexageſimum quintum. Sedem habet Gandavi Provinciale, ut vocant, totius terræ Conſilium, inſtitutum à Ioanne Duce Burgundiæ, Dynaſtaque Belgarum, anno jam tum 1409, & conſtans ex uno Præſide, duodecim Senatoribus, Procuratore generali, Advocato fiſcali, & aliis adminiſtris. deferuntur ad hunc Senatum omnes totius Flandriæ provocationes, ſed provocare rurſus ab eo fas ad ſupremum Conſilium Mechlinienſe. Senatores hodie Nicolaus Dammantius, Cancellarius aulæ Brabanticæ: Iodocus Huiſmannus: Ioannes à Porta: Ferdinandus Verrannemannus; Petrus Cocquius: Guilielmus Corenhuſius: Petrus Stelandus: Hieronymus à Brabantia, & Marcus Hertogius, ordinarii: Ioannes Latorrius, Ludovicus Iodoci filius Damhouderus, Remigius Everardus, & Petrus Prooſtius, extraordinarii, ſive ut vocant Commiſſarii: Franciſcus Roſa, Conſiliarius & Procurator generalis: Maljardus Volderus, Conſiliarius & Advocatus fiſcalis, Henricus Stalinius Iuriſconſultus, Graphiarius: & Dionyſius Harduinus legum Doctor, dicti Procuratoris generalis Vicarius. Sedem inſuper habet Gandavi collegium illud judiciale, quod vulgò vocant de wettighe Camer / quaſi dicas Cameram legitimam, cujus Iudices decretoria ſua ſententia: & ſine ulteriore omni provocatione, decidere ſolēt clientelares omnes, ſeu feudales; ut vocant, regionis totius cauſas, idq; ex veteris inſtitutionis & privilegiorum præſcripto, & adhibitis in conſilium, quotieſcunque res poſtulat, Provincialis conſilii Senatoribus. Prætor hujus Collegii, quem *Baillivium* vulgo appellant, illuſtris vir Cornelius Croëſinius.

ADDITAM. [*Numerari dicunt Gandavi circiter tricies quinquies mille domos. & tredecim rerum venalium fora. inter quæ potiſſimum eminet id, quod vulgo vocant* de Vrydaghmarckt / *quod videlicet maxime frequentetur diebus Veneris, hebdomadario urbis mercatui dedicatis. In hoc foro Hiſpaniarum*

*Infans*

*Infans Isabella statuam nuper posuit Carolo Quinto Imperatori, avo suo paterno, gloriosæ memoriæ Principi. Plura dicere de splendore, magnificentia, amplitudine, opibus, & operibus augustissimæ hujus urbis, instituti nostri ratio non permittit. urbis, quam brevi quidem, sed invidendo elogio prosequitur alibi Magnus ille Erasmus Roterodamus, dum existimare se dicit, non inveniri, quam late patet respublica Christiana, urbem Gandavo comparandam, sive quis amplitudinem & potentiam loci, sive politiam & civium mores adspiciat.*]

Quarta circiter à Gandavo Aloſtoque leuca, via quæ verſus auſtrum porrigitur, inter egregium pagum Sottegemium Velſicamque detectæ ſunt nuper parietinæ ruderaque murorum veterum, tum hypogæa quoque & profundi admodum putei. inventi autem in his ruinis ac finitimis aliquot locis plurimi nummi veterum Romanorum, Neronis præſertim, Gordiani, & Conſtantini. item vaſa, & ſigna ex metallo Apollinis & Mercurii. unde ob tractus fertilitatem, & oportunitatem ſitus, judicatur hic olim fuiſſe vel egregium aliquod opidum, vel caſtrum ſaltim & propugnaculum Romanorum, collapſum poſtea & de medio ſublatum. quæ rudera eò magis referri digna, quod in hiſtoriis aliiſve monumentis nulla fiat eorum mentio.

ADDITAM. [*Caſtellania Audenburgi Gandenſis, Scaldi, Liza, & Mourvvatera interlabentibus opportuna, & Abbatiam Dronghenam, ſive Trunchiniam Præmonſtratenſem viril. anno* 1137 *inſtitutam per Ivvanum Aloſti Comitem, complexa. Pagos quadraginta ſex continet, in iiſque* Nevelam *ampla Barounia, arceque Odonca Illuſtrem:* Zomerghemum, *gentis Snounia, arceque Odonca Illuſtrem:* Zomerghemum, *gentis Snouniæ:* Lovendeghemum, *Trieſtæ:* Vinderhoutam & Merendram, *Woutræ:* Ekam *ad Scaldim,* Scepperæ: *atque* Everghemum, *comitatus titulo magis quam potentia notabile, Abbatiæ D. Petri Gandenſis. Subeſt duobus tribunalibus, à Margarita Conſtantinopolitana, Sledingæ & Deſſeldoncæ affixis. Adjacet illi* Caſtellania, *ſive* Terra Waſia, *olim Hollandiæ Comitum caſtrenſe peculium: Durma fluvio, Winkelæ pago exorto, ad Tempeſcam in Scaldim exonerato, non minus quam ipſo Scaldi alluitur, lacumque habet, & magiſtratum ſeptem ſcabinorum perpetuorum: cujus incolis anno* 1531 *Caroli Quinti Cæſaris ſanctione permiſſæ ſunt, in linea ex tranſverſo, patruorum, avunculorum, amitarum, & materterarum ſolummodo ſucceſſiones, quum antea mos terræ excluderet à latere univerſas.*

*Pagos viginti tres comprehendit, quinque connumeratis, qui habitatores Waſiæ vocantur, ſuiſque peculiaribus toparchis, præter Ruplemondam, parent; ut* Tempſeca, *genti Tracimiæ veteri arce, & D. Amelberga dominatu nobilis, &* Exarda, *Gruteræ. In illis videre eſt S. Nicolai pagum primarium:* Stekenam *oppidi vultu præferentem:* Synayam, *non ignotam Abbatia Bernardina Beuwelonis, cepta, & denominata a Balduino Bocla monacho Blandinienſi ad annum* 1197. Waeſmunſtram, *ubi Abbatia Victorina femin. Waſiæ nomen præferentem. In hujus terræ cubito eſt celebre caput, per Scaldim trajectionis oppoſitum Antverpiæ, cui* Tver *vulgare nomen derivatum a* Varen, *quod agi moverique denotat. Inter Waſiam Scaldimque eſt* Terra Bevera, *complectens arcem vetuſtam validamque, & quatuor pagos, multaſque dynaſtias: nobiliſſimæ quondam potentiſque gentis cognomen, hæreditumque: nunc ex domo Burgundica, Verana ad Croyam acceſſit.*]

## BRVGA.

BRVGIS, ut volunt nonnulli, factum eſt nomen à multitudine magnificentiaque plurimorum ex lapide, & quorundam ex ligno, pulcherrimi operis pontium, paſſim per urbem viſendorum, Brugge ſcilicet Flandris pontem denotante. Alii, quorum ſententiæ, utpote multis veteribus monumentis nixæ, equidem magis adhæreo, urbi ortum ſimul & nomen dediſſe adfirmant unicum quendam pontem olim Brug-ſtock vocatum, & in mediterraneis, adeoque circa hunc ipſum locum extructum, medio fere inter Aldenburgum & Rodenburgum (Ardenburgum nunc nominant) tunc maritimas & commerciis celebres, ſed à Danis poſtea Normanniſque vaſtatas urbes itinere. Ex ruinis autem ejuſdem Aldenburgi ſurrexiſſe annis abhinc præterpropter nongentis primum illud burgum, ſeu arcem Brugenſem, cujus hodieque & formam & reliquias quaſdam unà cum integris aliquot portis eo loci eſt viſere, ubi nunc Divi Donatiani, & cum Senatorum Brugenſium, tum & Franconatum Prætoria. Sita eſt urbs in latiſſima quadam planitie, tribus circiter leucis ab ora maritima. nullum eam interluit juge flumen: ſed ampliſſimum habet alveum, magnis operibus & inſigni quadam induſtria

ſtria factum, in quem per varias foſſas mirabili prorſus artificio non aquæ duntaxat è ſoli ipſius fundo, verum etiam ex finitimis urbi locis, violenter ac velut agmine facto corrivantur. ita ut videatur perennis aliquis & profundus admodum fluvius. Dicitur vero is vulgo de ſiepe/ & compluribus brachiis navigalibus urbem varie paſſim interſecat, quę ad exitum ejus coadunata, junctim Dammam contendunt, atque inde porro ad Sluſam in Oceanum influunt. Quoniam vero is aquæ ductus commode conſervari non poterat ea profunditate quam requirerent naves onerariæ, fecere nuper Brugenſes, immani profectò ſumtu, & mirabili improboque labore, ac loco priori quidem vicino, ſed longe tamen commodiori. alterum quendam alveum, ea & altitudine & capacitate, ut vel quadringentorum doliorum naves ſecundo æſtu ab Oceano Brugas uſque commodiſſime deferantur. atque ad hujus aquagii oſtia, & conſimilis operis Dammæ viſendi exemplum, extruendum curarunt operoſam quandam & admirabilem machinam. ſiquidem dulces alvei hujus aquæ, prægrandi & miræ craſſitudinis ſepto, ſeu cataracte ligneo, portæ inſtar, probè compacto & multa induſtria temperato, coërcentur, ne cum marinis ſeſe commiſceant. ſicuti rurſus marinæ eodem illo aquario obice compeſcuntur, ne uberius quam pro hominum libitu, in dulces illas prorumpant. quocirca cum vel intromittendæ vel emittendæ ſunt ultro citroque commeantes naves (id autem fit, æſtu ad parem omnino cum aquis dulcibus altitudinem enixo) aperitur mirabili quadam facilitate, clauditurque viciſſim hæc porta. egregium ſane ac memorandum opus! videas enim, pro arbitratu & ſumma cum utilitate incolarum, lignea iſthac porta hominum arte extructa & claudi viciſſim & aperiri ipſum mare Oceanum. quod utcunque tumultuetur atque deſæviat (& eſt hoc indomito illi elemento tralatitium fere ac familiare) nihil tamen adferre umqnam poteſt detrimenti. ſiquidem aquæ dulces altitudini ſuæ intra portam innixæ, ita illud repellunt, ut portam ne commoveat quidem, tantum abeſt ut lædat. Brugæ à Vulturno quidem adſpiciunt Gandam, ab auſtro Cottracum, ab Africo Vurnam, ab aquilone vero Middelburgum Zelandiæ, quæ ſingulæ octonarum fere leucarum ſpatio Brugis diſſident, urbs eſt ad mira-

miraculum pulchra, potens, amœna, ampla in tantum, ut introrſus quidem murorum ambitus contineat pedes vicies ſexies mille ſexcentos, id eſt quatuor prę terpropter Italica milliaria cum quadrante: extrorſus vero millia paullo minus ſex. Muris omnium primum eam cinxiſſe comperior Comitem Balduinum Calvum, circa annum ſalutis 893. Ædificia tum cultui divino, tum hominum uſibus deſtinata tam magnifica Brugis tamque ſumtuoſa, quam in alio ullo totius Belgicæ opido. viæ latæ & rectæ. fora crebra ſatis & pulchra, & præſertim illud rerum venalium; undæ & ſex primariæ urbis viæ ad totidem ejus præcipuas portas deducuntur. qui, ut commoditatem omittam, pulcher ſane adſpectus eſt; etſi, meo quidem judicio, non ſatis cautum ſit utbis ſecuritati, ſi tot habeat adeo latas & faciles vias à præcipuis ſuis portis recta in primarium forum ducentes. puta quibus, ſi ferat occaſio, hoſti cum impetu irruenti pateat adeo expeditus ad ipſam arcem acceſſus. Numerantur in iſta urbe ſupra ſexaginta templa & ædes ſacræ. quarum primaria dedicata eſt Divo Donatiano, & ampliſſimo Canonicorum collegio nobilis, cujus caput, Præpoſitus vulgo audiens, in eminenti admodum dignitate eſt. præter enim hanc ipſam præfecturam, gerit etiam illam fori eccleſiaſtici Divi Donatiani, eſtque hæreditarius ſeu perpetuus Cancellarius Flandriæ, ex inſtitutione jamolim Comitis Roberti, cognomento Hieroſolymitani. imovero erectum eſt nuper hoc templum, & ea quam diximus dignitas, ad Epiſcopale faſtigium, quo gradu nunc fungitur clariſſimus vir Remigius Drutius, doctus & religioſæ admodum vitæ Præſul. Videtur autem è monumentis quibuſdam antiquis, in veſtibulo domus Præpoſiti & prægrandi in eo camino inſcriptis, conditum eſſe hoc templum à primo Flandriæ Liderico dicatumque Deiparæ Virgini, anno jamtum 621, imperante Romanis Heraclio, & regnante apud Gallos Clotario: ſed & inſtauratum deinde & lautiſſimo cenſu dotatum à Balduino Brachioferreo, ab oſſibus ejus Divi tunc ſollenniter eo tranſlatis, adſciviſſe ſibi recentius iſtud vocabulum, anno Chriſti 870 imperante & regnante Carolo Calvo. Viſitur in hac æde tumulus viri clariſſimi Ioannis Ludovici Vivis, natione Hiſpani, domo Valentini: qui electa ſibi in domicilium hac præclara civitate &

te,& civis ejus effectus eſt,& dignę ſe conjugii ſociatus tandem anno 1540 vita inibi functus, relictis poſteritati in memoriam ſui compluribus rari cujuſdam ingenii monumentis. Eſt præterea Brugis inter alia templum Divi Baſilii: ubi religioſe adſervantur ſacroſanctæ reliquiæ portionis de ſanguine ipſiuſmet Servatoris & Domini noſtri Ieſu Chriſti,collecto admodum ſedulo, dum in cruce moreretur ab Ioſepho Arimathæo. quæ ſanctiſſimi ſanguinis portio apportata huc a Diderico Alſatio Flandriæ Principe nacto eam in reditu ab expeditione ſacra anno 1148, a ſocero ſuo Fulcone Andegavenſi, Hieroſolymorum id temporis Rege.in cujus rei memoriam ac honorem condidit idem Comes pulcherrimum iſtud templum & cœnobium Divi Baſilii; inſtituta in eo nobiliſſima & primaria ſupplicatione pompaque urbis Brugenſis, repetenda quotannis & in perpetuum quinto nonas Maijas, die Inventioni ſanctæ crucis Servatoris noſtri ſacro, inventioni inquam peractæ ab Diva Helena,Conſtantini Imperatoris, hoc ipſo nomine Magni appellati,matre.Dividitur opidum in ſex partes, & novem quas vocant parochias, concenſitis iis ſanctiſſimæ Crucis ac Divæ Catharinæ: quæ etſi extra pomœrium & in ſuburbanis, ſuas tamen in ipſa Vrbe portiones agnoſcunt. primariæ harum novem ſunt parochiæ Divi Donatiani, Deiparæ Virginis,& ſanctiſſimi Salvatoris.

ADDITAM. [*Præter Abbatiam Claranam Veſtalium, eminet hic Abbatia S. Bartholomæi* Eechoutana *Canonicorum Regul.viril in querceto,tunc ſuburbano,anno* 1058 *inchoata.Vnde tabella membranacea a Luberto Hautſcilto,nobili mathematico,doctoque ejus loci Abbate Latine pridem confecta,pridem exiit,opera Ioannis Othonis,in tantam lucem & celebritatem, ut ejꝰ deſcriptio neutiquam hic omittenda eſſe videatur. Præfert autem figuram mulieris,ſtantis,nudæ,paſſis capillis,pedibus inſtabilibus: capiti ſerpens auritus bipeſque,caudam ſuam mordens,ſupervolvitur,ubera duo lupi ſugunt. characteres* G, *capiti:* B, *manui dextræ:* Y, *levæ:* I, *pedi dextro:* D, *ſiniſtro aſſcribuntur: quibus Gandavum,Bruga,Ypra, Inſula ſive Lila, & Duacum denotantur, Flandriæ matrices. Lateri dextro proxime occurrit hic verſiculus*, Gyb fiet ex Gybid, cum Deca Decas ibit. *Mulieris imago duobus circulis notabili intermedio diſtinctis,circumſcripta eſt; & in propinquiori,hi verſus, magis veri quam terſi,circumeunt.*

Gybid væ tibi, nam de te facis ipſa ruinam.
Deficiunt vires, nec probitate vires.
Vberibus plenis lac noſtrum das alienis.
Lacte lupos refoves, felleque paſcis oves.
Non eſt dum ſpiras, qui noſtras mitiget iras.
Væ capiti, manibus, proh dolor, ac pedibus.
Dextra manus vana, nec lævâ fuit bene ſana.
Pes tuus inſtabilis quilibet, ac labilis.
Heu fortuna mala, cur nos fallit tua ſcala.
Eſt ſedes tibi, lis, & gradus inſtabilis.
Heu viceno bis das anno vulnera nobis,
More modoque ſecas, enſe focoque necas.
Infelix natus à paucis es veneratus.
Nuda cares caris, lacte parente paris:
Gybid dilecta, quia mens mala, nec via recta,
Hoc in perpetuum ſit diadema tuum.
Eſt tibi principium finis, caput ac tibi cauda,
Devorat hoc illam, deſtruit illud eam.

*In ſuperiori circulo duodecim oppida, inter quæ ſunt illæ quinque Flandriæ metropoles, continentur: Supra illam hi verſus:*

Forma cecas clavis, hinc bona ſurget avis.
Hoſtibus introitus, hæ villæ ſunt prohibentes,
Sed nequeunt forte, majorum traditione.

*Inter utrumque circulum hi pentametri:*

Iudaico more, qui legis, iſta lege.
Sena bis ſedis clave reſolve ſeras:

*atque hoc dyſtichon:*

Landria les letu, lectes allacia rena,
Landria los lorum, ormidas raude ruentes.

*quibus ſingulis* F, *litera; tamquam clavis bis ſena præpoſita, hunc ſenſum exprimit;*

Flandria fles flétu, flectes fallacia frena,
Flandria flos florum, formidas fraude fruentes.

*Porro hujus tabellæ Flandriæ, & forſitan ſynecdochicos, Belgica calamitatum, quibus jampridem obruitur, prænunciæ apocalypſim, quidam pro ſenſu, diſſenſuque quiſque ſuo, ut fere contingit in civilibus diſſidiis, medit ati ſunt. hoc tamen non obſcurum videtur per hunc verſum*, Gyb fiet ex Gybid, cum Deca Decas ibit, *præſagiri, Inſulam ſive Lilam, ac Duacum a Gandavo, Bruga, Ypera diſtractum iri poſt decies decem, ſive centum annos, numerandos à tempore ſcripti hujus prognoſtici, ſignificato per literas numerales illius verſiculi*, ForMa CeCas CLaVIs, hInC

hInC bona ſVrget aVIs: *ab anno puta* 1468 : *Conſtat enim centum poſt annos, nimirum ad annum ſexageſimum octavum ſupra ter quingenteſimum, ſonuiſſe funeſti apertique civilis Martis claſsicum, & decimo poſtea anno Inſulam, ſive Lilam, atque Duacum, a ſocietate trium illarum, cæterarumque Flandriæ Vrbium ad Arteſios, Hannonaſque diſceſsiſſe.*]

Dignum vero eſt obſervatu, quod in uno eodemque urbis Brugenſis foro, eo nempe quod *Burgi* appellant, peragantur juſtitiæ ſacra ſenorum Magiſtratuum nomine, ac primo quidem ipſius urbani, hinc Franconatus, & Curiæ rei clientelaris, Præpoſituræ item Divi Donatiani, ac Toparchiarum Siſſeelenſis & Mandaſchenſis. ſic ut uno nonnumquam & eodem die variis in hoc foro ſuppliciorum generibus affici videas ſingularum illarum juriſdictionum facinoroſos. Eſt item Brugis inter alia quædam ſpectatu digna domus illa quam vocant het Water-huys/ſita ad ipſos urbis muros inter portas vulgo dictas de Smee-poort/ quaſi dicas dicas, portam fabrorum, & de Boeberg-poort/portam nequitiæ. in hac domo videas machinam quandam verſatilem, ſitulis aliiſque id genus hauſtris ei quem dicam fini accommodatis plenam.. quæ aſſidue à jumento circumacta, educit quotidie è prægrandi quadam ciſterna, ſive aquarum receptaculo, & in craterem ſubjectum evomit pene immenſam illarum vim. quæ ex eo cratere delabitur porro in magnum tubum. iſque ſubterraneo ſuo per urbem meatu, in varios ramos, non ſecus quam arbor, diviſo, ad ſingulas fere vias & vicos per ſiphunculos quoſdã aliquam aquæ illius partẽ irruptat, deſluit inde in puteos quoſdam cõmunes. atq; ita fit, ut mirabili quadam facilitate, exiguo ſumptu, & eximia plane induſtria, per aquariam illam machinam ſuperiori urbis parti de aquis abunde proſpectum ſit, cum magna ſane quorumlibet tam egregii operis ſpectatorum admiratione, nec minori oblectamento. quod vero ad inferiorem opidi partem attinet, ei conſulitur aliunde & per alios tubos. nec enim ob ſitus humilitatem laudabilis nimis hic aqua putealis. Brugæ alterum Flandriæ membrum conſtituũt. ideoq; ſola Gandavo excepta, reliquas terræ urbes præcedunt, Floruit mirum in modum hæc urbs ante ſæculu unum alterumq; cum videlicet idem fere, qui nunc Autverpiam, exterorum Mercatorum ad eam confluxus, eademque negotiatio,

tio imo in tantum floruit, ut delatus in Flandriam una cum Ioanna uxore anno 1301, Galliæ Rex Philippus cognomento Pulcher, & Brugas ingressus, post consideratum attente splendorem & opulentiam urbis, in stuporem uterque daretur, & exclamaret indignabunda, ac fœmineo quodam livore plena, viso Brugensium fœminarum cultu fastuque Ioanna, *Me miseram! credidi sola esse Regina: atqui hic Reginarum centuriæ.* neque dubium sane quin invidia illa & indignatio Principis (quod politici notent) pepererit postea, ut exacte & ordine narrant historiæ, non urbi dumtaxat, sed & toti Provinciæ, quam gravissimas calamitates.

ADDITAM. [*Philippum bonum cum duce Aureliani Carolo introeuntem, festivo, & sumptuoso octoginta argentearum longarumque buccinarum clangore, & admirabili magnificentia susceptit: Regem Angliæ Eduardum quartum profugum, tam honorifice & liberaliter quinque per hebdomadas in ædibus Gruthusius coluit, ut sceptro restitutus, Brugensibus per literas ingentes gratias seorsim egerit: neque ullis impendiis pepercit anno 1485 mense Augusto ad Fridericum tertium Imperatorem, ut Maximilianum filium, nepotemque ex eo Philippum inviseret, Flandriam ingressum, omni splendore honorãdum. Enimvero opificiorum artificiorumque, quibus 52 Decani præsunt, commoditatis, civilitatisque copiosa, tam principibus accepta fuit, ut duo Philippi, Alsatius atque Bonus, & Carolus Bellicosus, illic potissimum cum regii stemmatis sponsis, incredibili apparatu, matrimonia celebraverit: & Philippus Maximiliani filius Brugensibus ad solemnia exercitia ludosque arcuum chalybeorum, Gandavum introeuntibus, instar indigenæ civis sese admiscuerit. Hic etiam aurei velleris comitia, anno vigesimo nono supra quadringentesimum millesimum, primum decreta esse & instituta, in confesso est: quum antea Ioannes Digeonius, partim precio decem milium coronatorum Francicorum, partim fidelitatis remuneranda augendaque frequentationis respectu, anno videlicet 1414 huic urbi indulsisset, quod omnium urbium privilegia excedit, beneficium: quo Brugenses, hoc est, nativitate, dono, emptione, aut conjugio illius civitatis jus adepti, ab omni & qualicunque bonorum, ubivis sitorum inventorumque, confiscatione liberi sunt, nullo crimine, aut casu excepto;*]

Atque hoc pacto per multos annos floruerat florebatque Brugarum respublica: cum ecce dilapsis paullatim, ut in descriptione Antverpię diximus, circa annum 1516 qno tempore minime tale quid expectabat, sed ut cum

maxime insoleſcebat, mercatoribus exteris, maximum paſſa eſt damnum. Subſtitere tamen in parte Hiſpani, qui hodieq; divites inibi & potentes, ac lanarum præſertim Hiſpanienſium mercaturam exercent: quarum, ceu magni inprimis momenti mercium, in hac urbe eſt *ſtapula*, vel ſi mavis emporiũ. Sicuti poſt amiſsũ an. 1558 ab Anglis Calitium, Anglicarum quoq; lanarum emporium Brugas ex ea urbe tranſlatũ eſt. cum non pœnitendo profecto & urbis & civium fructu. Exercentur etiã prẽter mercaturam à Brugenſibus varię artes mechanicę, & texuntur quamplurimi panni goſſypini, plurimi item ſubſerici, ſerici, lanei, periſtromata: præparatur denique ingens ad quoſvis labores & opera ſerici copia. ita ut omnes hæ artes comprehendantur ſub octo & ſexaginta collegiis: quorum præcipua ſimul & vetuſtiſſima, ſodalitia lanionum, piſcariorum, proxenetarum & nauclerorum. Multa Brugis Nobilitas, multa in omnibus rebus politia, mira urbanitas, & quod caput eſt, ſtricte admodum & ſevere hic dicitur jus, alente inter alios ſuos miniſtros Republica eruditos atque induſtrios Syndicos, quorum plerique propter inſignes virtutes ad ſupremas quaſque dignitates emergunt. qualis adeo nuper Adrianus Burchius, poſtea Præſes Vltrajectinus, Præſes Flandriæ, à conſiliis Status, & tandem Regii magni ſigilli ſumma cum laude cuſtos. cujus filius quoque Ioannes litteratiſſimus ſane eſt juvenis, adeoque digna tanto parente proles: Conſiliarius hodie in Magno Senatu Mechlinienſi, præclaræque expectationis & ſpei, ita ut creatus ſit tandem Magni illius Conſilii præſes. Floruit omni ævo, nec florere etiamnunc deſinit clariſſima iſta Reſpublica doctiſſimis & quantivis pretii viris. qualis præcipue Carolus Ferdinandus, magnus Doctor, & idem poeta eximius, ut ex editis viri ſcriptis conſtat, tum qui tempore eum præceſſit Iacobus Brugenſis, Ordinis Carmelitarum, religioſus probus, & egregius aliquot operum ſcriptor. Ludovicus à Flandria, Dominus Prati, eques auratus, Conſiliarius Status, & ſupremum, ut vocant, caput Financiarum, vir non literis tantum, ſed prudentia quoque & inſigni rerum peritia glorioſus. Item Adrianus ille jamdictus & Carolus ejus filius. Iacobus denique Curtius, non philologus minus quam philoſophus magnus, idemque inſignis Iuriſconſultus. Sed quod commendat inprimis

ac

ac ſplendidam reddit hanc urbem, natus hic anno Chriſtiano 1478, Bonus ille Rex Philippus, Maximiliani Romanorum Regis filius, & Caroli Quinti Imperatoris parens. qui in uxorem ducta Ioanna Hiſpaniæ Regis filia natu maxima, tot illa veteris ſimul & Novi orbis regna cum hac Belgicæ ſuæ ditione conjunxit. Hoc tempore inter doctos & virtutibus claros viros numerant Brugæ Petrum Curtium, venerabilem ſane antiſtitem: Matthiam Laurinum: Guilielmum Pamelium, Conſiliarium Regis in Senatu Mechlinienſi, virum eruditiſſimum, probum, induſtrium, iiſque nominibus factum poſtea Præſidem Conſilli Sanctioris, & Conſiliarium Status, inque magno apud omnes æſtimio, cujus frater, Iacobus nomine, eſt Canonicus & Archidiaconus Audomarenſis, vir & ipſe doctiſſimus ac reverendus Præſul: qui, dum ad exitum ſpectat hoc opus, deſignatus eſt jure merito Epiſcopus Audomaropolitanus in Artheſia. Numerant inde Iodocum Damhouderum, equitem, Doctorem, Conſiliarium Regium, & commiſſarium Financiarum: Iacobum Rævardum, Iuriſconſultum celeberrimum, etſi valde adhuc adoleſcentem: Dominicum Lampſonium, doctum & magnum vatem. Inter nobiles vero præcipue ſplendet Marcus Laurinus, Toparcha nobilis & privilegiis inclyti pagi Water-vlietii, doctus ſane & honoratus admodum Eques. qui inter alias quaſdam præclaras actiones collegit pulcherrimam bibliothecam. conquiſivit item ſumma cum diligentia, nec minori impenſa, incredibilem pæne numiſmatum veterum, ex ære, argento, & auro conflatorum vim. quo fine, non levi tantum favore proſecutus eſt, ſed & obviis ulnis in clientelam ſuam adſumſit Hubertum Goltzium Herbipolitam Venlonianum, ſculptorem & pictorem excellentiſſimum, eundemque vel maximum antiquarium. qui impenſas ſubminiſtrante & dirigente Laurino, magno ſane & admirando conatu, Germaniam omnem Galliamque & Italiam perluſtravit, conquiſitis undiq; & delineatis, quotquot uſquam apud viros Principes invenire ac honeſtis artibus nanciſci potuit, nummorum veterum typis. quo tam raro theſauro ditatus, & poſt menſes octodecim Brugas ad Mæcenatem ſuum reverſus, nunc vel maximè una cum ipſo attendit, magnanimi ſui Laurini impenſa, ut formulis eum excudat, inque ſtudioſorum & communem

nem omnium fructum divulget. qui heroicus urriuſque nec umquam ſatis laudandus conatus & effectum nuper fortitus eſt. Eſt deinde & Guido Laurinus, Marci frater, eruditus & multis virtutibus ornatiſſimus vir. Quoniam vero fecimus obiter mentionem nummorum veterum, nolim ſane committere, quin & alios aliquot hujus Belgicæ viros enumerem, magno ſtudio id genus antiquitatum conquirentes. ac primum quidem ponemus Illuſtrem illum Caſparum Schetſium, ſæpius nobis laudatum: item Doctorem Maſium, & Abrahamum Ortelium, omnes Antverpianos. hinc Iacobum Suſium, Dominum Griſenordæ: Chriſtophorum Aſſonvillium, Senatorem utriuſque Conſilii Regii, Sanctioris nempe & Status: Lævinum Torrentium, Epiſcopum Antverpienſem: Carolum Langium, Leodici ad Divi Lamberri Canonicum: Arnoldum Wachtendonquium, Canonicum ibi ad Divi Bartholomæi: Guilielmum Ronchium: Lambertum Lombardum: Antonium Morillonium, & Maximilianum fratrem: Michaelem Bequium: & Ioannem Vivianum. alios ſingillatim recitatos in theſauro jamdicti Huberti Goltzii, brevitatis ergo nunc prætermitto, & ad librum ejus me refero. Iam quod fœminas attinet, eæ Brugis tam pulchræ, venuſtæ, civiles, & ſobriæ, ut non aliis Belgicæ fœminis quidquam cedant. Sedem habet ut plurimum Brugis Magiſtrâtus ille ſupremus, quem vulgo vocant *Supremum Baillivium Flandriæ*, & eodm modo non munere fungitur cum Droſſarto Brabantiæ, niſi quod dignitas ejus & auctoritas major. præeſt hodie dignitati Ferdinandus della Barra, nobilis ſcutatus, Moucheronii aliorumque locorum Dominus, & virtutibus ornatiſſimus vir, cui nuper defuncto ſucceſſit in Magiſtratu vir Illuſtris N. Croiſellius, urbis præfectus, & Eques fortiſſimus. Sedem etiam habet in hac nobiliſſima urbe ampliſſimus ille Magiſtratus & Reſpublica Franconatium, quem paullo poſt deſcripturi ſumus.

ADDITAM. [*Brugæ, etſi de veteri ſuo ſplendore multum amiſerint, quod ad ædificia tamen attinet, tam privata, quam publica, domos nempe, palatia, portas, muros, templa, vias, fora, & quicquid præterea talium eſt, parē cum priſtina dignitatem & elegantiam obtinent. Spectabile imbi Ieſuitarum cœnobiū, ſuperioribus annis reipublicæ ſumtibus conditum ſpectabiles item excellentium aliquot pictorum tabulæ, quæ ceu pretioſiſſimus*

*quidam*

*quidem Thesaurus studiosissime adservantur. tum & mensa illa prægrandis ex balenæ osse confecta, & in horto, ut vocant, sagittariorum visenda. Sunt qui Brugenses asserant* Grudios *Cæsaris esse, & nomen id Lovanienssib. eant ereptum. sed neq; hic, neq; ibi firmitatem esse, at ventulos tantum opinionum, quibus nimis indulgent, & ferri se iis patiuntur ingenia quadam hujus ævi, Magnus Lipsius adserit. Nec prætereunda est fossa nova Spinola auctore facta, per quam iter Gandavum octo leucarum instituitur commoditas, & pro mercibus ultro citroque vehendis firma securitas: castella siquidem & receptus (quorum nomina adjicere supersedeo) ripam munientes numerantur viginti & amplius; nec minori cohortes sunt numero cum turmis equitum sex ibi in præsidio. Securum hoc ut iter sit, sex militibus opus est pro salvo conductu. (vulgo dicuntur* Körling: *item* waghälser,) *hi effundunt se eam in vias publicas, & ab hoste auferunt quod possunt: si aliquem offendunt sine litteris commeatus, eum abducunt vivum vel mortuum: si vivum non possunt, occidunt, & aurem abscindunt, Præfecto Brugas quam offerunt, à quo pro singulis individuis 50 fl. reportant. milites sunt pedestres, armati gladio curto & sclopo; sed sine igniario fomite; hic enim si noctu aleretur, facile visu & odore à viatoribus observaretur.]*

# FRANCONATVS.

FRanconatui inde factum est nomen, quod Brugensium olim jugum excusserit, & ab eorum imperio in libertatem se vindicaverit. significat autem collegium illud, seu magistratum & ditionem, quæ, ut mox ostendam, quartum Flandriæ membrum constituit: & institutus est iis de causis, eoque rerum successu, quem pauciſſimis explicabo. Solebant olim Gandavum, Brugæ, & Iperæ, sine alio omni concursu, solæ per se constituere tertium ordinem Flandriæ. unde porro ob magnum illud imperium & qua domi forisque pollebant auctoritatem, potentes admodum, & quod sequitur insolentes facti Brugenses, eo superbiæ jam processerant ut non Gandavensibus modo Iprensibus, aliisque terræ Ordinibus, verum etiam ipsis Principibus, privilegiis nempe & immunitatibus suis nixi, arroganter sese opponerent. Fuit autem, ut grassante in urbe summa quadam annonæ difficultate, pagi imperio ejus subjecti, qui & pluri-

plurimi numero erant, & opibus admodum validi, non pecuniis minus quam commeatu civitati succurrerent, sed non alia lege, quam ut in causis juridicis fas in posterum ipsis foret transire à tribunali Magistratus Brugensis, ad illud Præfecti arcis, seu *Castellani* ut vocant, per id tempus in arce Brugensi, Principis nomine, commorantis. Cum annuissent huic petitioni Brugenses, & accrevissent paullatim tam numero, quam auctoritate paganorum Primates, obtulere tandem libellum, supplicem Philippo Alsatio Comiti, petieruntque ut de cætero singularem ipsis & separatam jurisdictionem exercere, permitteret. Comes, reluctantibus frustra Brugensibus. quorum viribus & audaciæ modum aliquem ponere cupiebat & frenum (notent hoc subditi, & principum benevolentiam omnib. modis retineant) occasionem hanc sibi oblatam lubens arripuit, & paganorum postulatibus annuit. Ipsi, obtento hoc privilegio, instituerunt postea bona Principis venia insignem quendam & amplissimum Magistratum, constantem è viginti & septem Senatoribus, seu *Scabini* cum vulgo dicendi sunt, ex Nobilitate & ipsorum deligendis, & in ætatem eo munere perfuncturis. constituerunt præterea ut quotannis deligerentur quaterni Consules, terni quidem ex illoipso Collegio, quartus vero ex populari ipsorum ordine: creato item Prætore, ceu Ministro & executore Iustitiæ. voluerunt autem hunc Magistratum domicilium suum habere in urbe Brugensi, & convocari in ipsam arcem. etsi hodie tamen, ubicunque libuerit, modo intra ipsorum territorium, liceat sedem ei deligere. & in Præsidem hujus Senatus electus fuit ipse Præfectus arcis. Atque ad hoc exemplum Magistratus hic eousque se rexit, donec Comitissa Ioanna, empta Præsidis dignitate ab eo cui tunc forte obvenerat, Ioanne Toparcha Nigellano, anno 1224, vel ut alii volunt decennio post, Franconates alienæ omni potestati exemit, & in liberam integramque ditionis hujus possessionem immisit, collato insuper iis imperio in suburbana quæq; loca & pagos. ita ut omnis Brugensium jurisdictio intra pomœrium urbis coerceretur. Creverũt deinde Franconatibus pari fere cum opibus potentiaq; mensura etiam animi. quare nec prius cessarunt, quam superata omni difficultate, & obstaculis sibi à tribus illis primariis terræ Membris, ut fieri assolet, factis,

obti

obtinuerint tandem à Burgundiæ Duce Philippo bono, circa annum 1436, vel ut alii volunt multo prius, & à Philippo Audace, auctoritatem & titulum quarti in Flandria Membri: ea tamen conditione, ut in bellis omnibus ſequerentur Brugenſium ſigna. ita nempe gradatim ab exiguis primum initiis, niſi valida quædam in tempore objiciantur impedimenta, ad ſumma tandem pervaditur. Gaudent hodieque hac quarti Membri præeminentia Franconates, & imperium obtinent longe lateque diffuſum in pagos omnes & clientelas urbi Brugenſi intra ſeptimam leucam circumjectas. ſed provocare licet ab utriuſque & hujus & Brugenſis fori ſententiis ad Provinciale Conſilium Flandriæ.

ADDIT. [*Hæc terra Franca valde ampla eſt, fertiliſque & opportuna, Iſaræ, Liviæ, mariſque affluxu: Abbatiis Bernardinis, Doeſtii ſive Thoſani viril. Werkenæ, cui nomen Cœleſtis vallis eſt, & Aſylum facinoroſorum: Spermaliaque femin. Victorina Trudonis Veſtalium: cum Benedictinis D. Andreæ virili: ac Merkemi femin. per Clementiam. Roberti Solymi uxorem, inchoatis. Neque hic navigabilis & latifluus lacus à Nieuvveg Houtavienſi, Brugam fere uſque deeſt: neque ampliſſimum nemus Winendalium, neq; alibi inſulæ: inter quas Caſantia, Sluuſa proxima, oppoſitaq; poldris, hoc eſt, agris e mari ſtagniſque recuperatis, perq; aggeres obſeptis, fœcundiſſima eſt: quam Angli olim direptionibus flammiſq;, Oceanus voraci arroſione, non mediocriter detriverunt. Altera Ooſtburgii, nempe Ambacti, inſula fertilitate etiam commendatur: in qua Breskinſantum, ſive Breskinam, à Vliſſinga Walchræ, vix horæ ſpacio, fretum nunc diſcernit: quum Vliſſingæ Flandriæ continenti fere adhæſiſſe exiſtimetur ante annum 980 quo Otho II Cæſar, foſſam Othonianam, ad commoda navigationis duxit, metuenſque ne aliquando mare damnoſe irrumperet, cataractas, quas* wielinghen *adhuc vocant, quot rotis funibuſque elevarentur, extrui juſſit: quæ uſque ad annum 1377 inundatione multos pagos ſubmergente famoſum, incolumes remanſere. Inter illas inſulas media fere eſt Wulpia; quæ noſtro ævo, mari excluſo reſtaurata, & hoc iterum indignabundo, ferociuſque irrumpente abſumpta, periit ſuo dynaſtæ Matthiæ Laurino propinquo meo, terræ Francæ ſcabino conſulari erudito. Includit Terra Franca 35 Ambachta, cum Appendentibus & Contribuentibus. Ambachta ab Aerdenburgo, Ghiſtela, Leffinga, Aldenburgo, ſimilibuſq; nomen ſortita, & pagos nonaginta complexa, unius terræ Francæ tribunalis in Brugenſi urbe atque Burgo per Lud. Creſſium anno 1323 ſtabiliti, judiciis decretiſque parent: Appen-*

dentes Contribuentesq; (sic enim vulgo appellantur) vigintinovem pagis instructi, suis quidem singuli toparchis obsequuntur; sed in publicis comitiis, consiliis, tributisque, Ambachtorum subsidiarii sunt atque partiarii: Appendentibus ad terræ Francæ: Contribuentibus, ad concilii Flandriæ tribunal appellantibus. Inter quos subsidiarios spectare est, Præposituram Donatianam principe viro dignam: Winendalæ, Pratæ, Maldenhemi, Guisæq; Baronias: cum Witkerca & Hardoya gentus Claerhoutæ: Merkemo, Ha'evinæ: Lichtervelda, Heulæ: Pagis autē illis vasallicis, dynastiæ plusquam centenæ, templorum consortio annexæ, jurisdictione sejunguntur. Statuit Lud. Crescius ut exulibus Brugensibus aliorumque oppidorum tutò liceat in terra Franca agere: E diverso, ut Vrilati nusquam captivi distineantur, nisi prius in jus vocati convictique, quod a patre antiquatum fuerat, Ioannes Digeonius indulsit, venditq; terræ Francæ magistratui, 7 scutatorum Francicorum milibus, scribatum tribunalis, h.e. ejus muneris conferendi cui velit facultatem. Ornatur Ludovico à Flandria, Praetæ Woestinæq; Barone, equite aurei velleris, doctrina, magnisque dignitatibus præstanti, ad quē extant Des. Erasmi & Vivis epistolæ honorificæ; qui doctorum præsidium, Nobilitati a literis (vetusto Cacoëthe) absterritæ, facem prætulit, ad scientias excolendas, & Carolo V Imp. cui a cubiculi præfectura erat, auctor fuit, ut in literatos largius propenderet: Marco & Guido Laurinis, quos omnium antiquitatum doctissimos Goropius nuncupat. Penes eos certe fuisse locuples numismatum antiquorum, Romanorum, aliorumq; gazophylaciū, & Hubertum Goltzium, vitæ commoda, calcographiam, famamq; ex veterum numismatum, fastorumq; consularium publicatione ortam, Marco debuisse, in propatulo est: Erat Marcus, cujus hæreditatem Guydus frater Iuriscons. adiit, dominus Watervlieti in terra Franca, Biervlieto fere tenus, ab avo ejus Hieronymo; ex Neptuni tridente, per obsepimenta recuperati: quod ejus industria gratiaque tum oppidi privilegio a Principe decoratum est; tum ut in censu Flandriæ subcenseatur Ypræ, optioni ejus concessu. Illoris patruus Marcus, collegii Donatiani Decan. a Des. Erasmo, frequenter hospitio excepto, a Lud. Vive familiarissimo, ejusq; seculi aliis viris præstantibus, non leviter commendatus est. Victore Ghiseline, Medico, Poeta, & Philosopho; qui in Prudentium commentatus est; & cum Torrentio, Busbequio, Mekercho, Lampsonio, Lernutio, Modio, Vulcanio, Rocasio, Flandris, præconem invenit Iustum Lipsium, phœnicem hujus ævi ingeniorum: Ioanne Loæo, Philosopho, Præposito Abbatico Eversbamii: Ferdinando Veranemano, Iurisconsulto, Regii privatique in Belgio

consilii

*concilii Senatore: Hadriano Pneſſio, ex juris profeſſore Duacæno, Mechlinienſi Conſiliario: Lævino Apollonio, Hiſtorico: Franciſco Rapardo, medico.*

*Terræ Francæ ſubcenſentur Feurnenſis, Bergenſis, ac Burburgia Caſtellaniæ, cum earum appendicibus numeroſis, quæ partim ſunt pagi Vaſallici, partim pagis implexæ dynaſtiæ, quas fiſſuras vocant; quod à Comitis dominio utili, cui videntur poſſe ſalubrius iterum conſolidari, olim ſint diffiſſæ atque diſparatæ.]*

# IPERÆ.

IPERÆ, juxta quoſdam Scriptores, nomen ſumſerunt ab Hyperboro quodam famoſo militum Duce, ex Britannia, nobis Anglia dicta, quondam oriundo. ſed rectius veriuſque ii cenſent, qui ab Iperi flumine urbem interluente, nomen ei factum exiſtimant. Primus opidi conditor, prout tradit Maſſæus, Balduinus fuit, Arnulphi Comitis filius, circa annum ſalutis 960. Diſſidet Brugis novem, Gandavo vero circiter tredecim leucis, eſtque opidum non tam mœnibus aliiſve ab arte munitionibus, quam ſitu & loco firmiſſimum, ut quod non una de cauſa caſtris ſit in acceſſum, & ægre admodum queat obſideri. cætera lautum, pulchrum, amœnum, & ſic ſatis etiam opulentum. ædificia ejus & domus bonæ, etſi ob lignea magnam partem frontiſpicia parum ſpectabiles. templa cœnobiaque pulchra & veneranda. & primarium quidem Divo Martino ſacrum eſt, ac deſtinatum nuper Cathedræ novi Epiſcopatus in hac urbe inſtituti. qua dignitate hodie fungitur Petrus Simonius, doctus, pius & religioſus Præſul. Iactatur vulgo hoc opidum fundum habere ex plumbo, idque ob multitudinem inibi tuborum, ſeu fiſtularum plumbo ductilium, fluvialibus aliiſque aquis per ſingulas fere domos & opportuna quæque urbis loca varie diſpenſandis. Eorum, quod vulgo vocant de Heeren plaetſe / Iperis longe ampliſſimum ac mirabile, ita ut nulli in Belgio foro cedat. in eo ſunt *Halæ* quas vocant, id eſt, receptaculum illud lanificum, vetus ſane & pulchrum ædificium. Texitur Iperis ingens vis pannorum ex lana, item ſubſerica, vulgo *ſajæ, ſajettæ*, aliæque id genus merces. unde florent hic mediocriter mercimonia, & præſertim in anniverſario illo & quadrageſimali urbis mercatu.

ADDI-

ADDITAM. [*Lanificio, pannorumque laneorum copiosa textura, tinctuaque, quas foris intra tertium ab urbe lapidem exerceri Lud. Cressius, sub gravibus mulctis anno 1322. prohibuit, in vastam olim magnitudinem famamque crevit: ut Yprensium pannorum mentio, a Rege Hispaniæ Alphonso nono, in libro Septem partitionum, non prætermittatur; tanto quæstu, & hinc nata insolentia, ut plebs, dulci fortuna ebria & furibunda, anno 1313. magistratum in curia scabinorum, crudelissime fenestris ejectum, trucidaverit, non impunita. Tandem ingentem amplitudinem suam diminuit, & velut deartuavit, dejiciens, quæ ipsa urbe majora erant suburbia; in quatuor cæli plagas obversa, totidemque templis parochialibus ornata, cinctaque muris & fossis (Lud. Cressii tempestate) a populo, quæstu copiaque exuberante, ac ferociente. Diruta sunt autem, ne hostibus in usu essent, quum ab Anglo, Gandensibusque anno 1383. urbs erat obsidenda: quæ novem hebdomadum obsidio valde nobilis fuit, tum hostium oppugnationibus sæpe acriterque repetitis: tum civium, præsidiique militaris fortitudine constantiaque: tum cæsti in primis auxilio, quod anxii cives publicis precibus ardentissime imploraverant. Suburbia Philippus Audax noluit restaurari: quia illinc à textoribus seditiones tumultusque sæpe ebullierant: quos, ut distraheret, misit, veluti in colonias, Poperingam, Menenam, Weruycam, Cominæumque ad pannificium exercendum. Mœnia tamen urbis, cespitibus consepibusque solummodo compacta, & perplexa, lapidibus cingi permisit. Cujus saxei fundamenti, & munimenti primum lapidem ad portam Thorhoutiam, senatus præses (quem tutorem vocant) anno 1388. ex familia Dixmudia, rite imposuit. Quæ situs robori juncta accessio, reddit urbem validam oppugnationis sustinendæ. Ejus autem anno 1473. intra muros circuitus facta dimensio 1173. virgas geometricas nostrates, 14. pedum singulas, implevit, novem portas complectentis.*

*Curiam ostentat, quam Hallam vocant, ab usu custodiaque* (Hal *enim Germanis nihil aliud est, quam id quod rem quampiam conservat*) *amplissime servientem tum scabinorum congressibus judiciisque, tum pannis, aliisque mercibus ab æris injuria custodiendis, venumque exponendis: tam elegantis, spaciosæ, atque sumptuosæ structuræ, ut in foro ingenti, ambiat fastigium admirationis; quod ædificium per aream intermediam, in duo sectum, quadringentos sexaginta duos pedes longum, quinquaginti utrimque latum est. Non destituitur Abbatia Clarana Vestalium: quatuor mendicantium cœnobiis, multisque Xenodochiis. Habuit Abbaticam Prapasituram canonicorum Regul. viril.*

*D. Martini nomine inclarescentem, cœptam anno 1101: omnes urbis parochias tunc procurantium: sed anno 1561. mutatam, evectamque in collegium cathedrale: nam hic sedem Episcopalem esse amplæ diœceseos, quam Petrus Simonius benignissime moderatur, antea dictum est. Nundinas habet quadragesimæ initiis, atque Majo annuas: harum Majalium, quas Ascensionis vocant, jure ac emolumentis, per Oliverium, Templariorum magistrum concessis, Ioannæ Constantinopolitanæ.*

*Ornatur Ioanne Yprensi, Abbate Bertinico, sui cœnobii chronographo, tanti abdominis, teste Thoma Diacono, ut vix progredi, nec aliter dormire, quam sedendo potuerit. Petro Poneto, Balduino Fabro, Francisco Amelryo, Theologis: Iacobo Papa, Poëta; qui scripsit Elegiarum libros duos; quorum priore mendicabulum publicum tuetur; altero tollendum docet. Illis namque temporibus, Yprensis magistratus, egenorum civium alendorum valde studiosus, omne in publico mendicabulum, præterquam quatuor, ut vocant, ordinum eliminabat: quod statutum à concionatoribus mendicantibus reprehensum, demum anno 1530. per Theologos Parisienses approbatum fuit. Gislenio Bultelio Clitio, eruditos sacrorum ac miscellaneorum poëmatum libros evulgare adhuc tergiversante.]*

Iperis, præter solenne & ordinarium Magistratus urbani tribunal, est & illud quod *Curiam Iperensem*, vulgo de Sale van Iperen vocant, cujus jurisdictionem agnoscunt septem *Castellaniæ*, quarum unica illa, quam Castletanam appellant, quatuor & viginti ut minimum sub se habet fora, seu conventus juridicos. Iperæ tertium Flandriæ membrum constituunt, & Vicecomitatus dignitate illustres sunt. quo titulo nuper usus vir Illustris Ogneſius, cui successit unica filia. Magna est hujus urbis jurisdictio, magnum imperium. ager ei circumjectus totius Teutonicæ Flandriæ præstantissimus fertilissimusque. incolæ denique probi, civiles, & pacis magis quam belli amantes.

ADDITAM. [*Castellania Yprensis, Abbatia Zonnebeca canonicorum regul. viril. longeque potentiore ejusdem instituti Abbatica Præpositura Vormesela, ad annum 1100. inchoata, decoratur; & Abbatia Nonneboschi Vestalium Benedictina, nomen adepta, à luculenta silva ejus nominis, cui insidet aut ipsi nomen mutuata: & vetusto latoque nemore Hauthulstio: cujus Prioratu commendatario viril. duobusque sacellis ornati, magna portio in terram Francam extenditur: pertinetque jam ad gentem Bocholtiam,*

*Bocholtiam, Grevenbroucam, vendentibus Abbate Corbiensi, & Philippo Flandriæ Comite, jam regnante. Pagos numerat triginta tres: in iisque* Boesingam, *gentis Witenæ; ubi tria sunt* Overdrachta, *hoc est, transportantia fluminum repagula: quæ statis temporibus naves rotis funibusque attractas, ab una parte in aliam dorso suo transferunt: qualia videre etiam est Nieuwendami, Poperingæ, Oostvleteræ, Coppenollæ: ad eum finem fluviis inædificata, ut eos sistant, ne loca accliviora, ex quibus in humiliora lubenter decurrunt, omnino deserant.* Stadam, *gentis Noyellæ:* Morsledam, *Espierræ:* Hollebecam, *Mourbecæ:* Becelaram, *Woestinæ.*]

Sed describamus deinceps præcipuos hujus Provinciæ portus.

## DESCRIPTIO QVATVOR PORTVVM FLANDRIÆ.

## SLVSA.

SLVSA est urbs maritima, Brugis circiter tribus, Middelburgo Zelandiæ quinque leucis abjuncta, fuit aliquando urbs lauta & potens, sed perpetua fere cum Brugensibus bella, & fortunis eam & viribus exuerunt. quin redacta est tandem in Brugensium potestatem, qui à Principe eam mercati sunt, & cum maxime nunc in eo ut instaurare velint, & benefacere. eo magis quod portum habet (si purgetur quidem & apparetur) inter pulchros & tutos Europæ: qui quingentarum olim & amplius navium capax. opidum satis firmum, duplici fossa cinctum, quodque effici queat vel munitissimum. arcem habet urbi olim contiguam, nunc, post diruta intermedia aliquot ædificia, & consilio quidem, ab ea disjunctam. paret hoc propugnaculum etiamnunc Philippo Regi, qui & ducem in eo habet & præsidiarium militem. Habiti hic aliquamdudum in custodia Bullionensium Dux ad Hesdinum, & Archithalassus Galliarum ac Divi Quintini, olim capti.

ADDITAM. [*Meyerus olim* Lammins Vliete *dictam è publicis monumentis adstruit. Vrbs copiosa olim & opulenta, magnique nominis dum commercia hic florerent; sed illam tum*

offensiones in mercatores Oosterlingos, quorum quadraginta anno CIↃ CCCC XXXVI oppidanorum furiis ibidem oppressi perierunt, tum maxime dissidia cum Brugensibus pessundederunt; in primis simultates illæ ob Ioannem Namurcensem loci dynastam contra eosdem Brugenses susceptæ, à quibus maximam cladem perpessa est, victa, direpta, flammisque miserum in modum fœdata, uti plenius videre est apud Meyerum in annalibus Flandriæ lib. XII. Ex illo rursus celebrari cœpit, ob capacissimi portus, quem vulgo Zuinum vocant, opportunitatem, quem ab omnibus pene Europæ partibus crebris navigiorum appulsibus & mercatorum frequentia superioribus seculis ita usurpatum referunt illorum temporum scriptores, ut anno CIↃ CCCC-LXVIII paulo ante Natalem Domini, CL onerarias ex diversis Europæ partibus hic appulisse memorent: quum ante in eodem portu, & in vicinis stationibus, Carolus VI Galliarum rex, (qui aulam suam hic aliquot mensibus habuit,) mille & quadringentarum navium classem instruxisset, Angliæ invadendæ, sed irrito conatu. Variam fortunam hoc civili bello urbs fuit experta. nam quum constans in fœdere perstaret, à Duce Parmensi anno CIↃ IↃ LXXXVII arctissime fuit obsessa, acerrime oppugnata, & per cuniculos suffossa, adeoque aliquot mille ictibus tormentorum conquassata; quæ præsidiarii fortissime sustinuerunt, donec commeatu penitus exhausto, aliisque ad defensionem necessariis deficientibus, Hispano se certis conditionibus dedere cogerentur, quas non indecoras virtute sua obtinuerunt. Ab eo tempore urbs sub Hispani imperio mansit ad annum CIↃ IↃ CIV, quo Princeps Arausionensium Mauritius eam obsedit, & tertio postquam eam cinxerat mense ad deditionem inedia compulit. Sita est urbs ad oram portus semilunari pene forma, & situ loci, (quippe agro riguo & paludoso pene undique cincta) & multis validis operibus quæ hodierni belli consuetudo invenit, permunita. satis ampla est; quippe quæ pene milliare ambitu complectatur, sed multis locis ædibus vacua, ita ut supra centum vaccæ intra mœnia pascantur. Regimen politicum & civile est penes supremum Ballivum, duos Consules, (quorum alter Scabinorum, qui septem sunt numero, Consul dicitur,) & Graphiarium. Magistratus autem hi quotannis mutantur mense septembri ab Illustr. D. D. Ordinum General. deputatis: Sub quorum auspiciis & Gubernatorem accepit, cui suprema cura oppidi commissa. In eodem oppido & Collegium habetur, quod Franconatui jus dicit, (vulgo Het Vrije; quia Brugensium jugo se subduxit) constans Ballivo, Consule, & septem Scabinis, Pensionario, & Graphiario.]

E regione

# OOSTENDE.



E regione Sluſæ eſt Catſandia Inſula, pagum habens ſibi cognominem: ſed longe olim quam hodie major, nec compluribus tantum iiſque egregiis & potentibus pagis, ſed & opido ſatis memorando inſeſſa. ad hanc Inſulam variæ quondam commiſſæ navales pugnæ. concurrebant enim & ſtabulabantur hic ut plurimum omnes Flandrorum hoſtes, Angli puta, Hollandi, & aliæ nationes. ſed aſſiduus ille & reciprocus maris æſtus Inſulam plus dimidia ſui parte pauxillatim multavit. Catſandia natus eſt Georgius Gaſſander, vir litteratiſſimus, qui multa ſcripſit adverſus Anabaptiſtas & Calvinianos. Atque hic ille eſt locus, cujus decimo quinto cantu Inferni ſui meminit magnus noſter Dantes, etſi mendoſe, & typographi forte incuria, *Cuizzante* eum appellet. extruuntur vero & hodie circa hunc locum continuatis pæne operibus multæ & magnæ aggerum aliorumque id genus munimentorum moles: retundendis videlicet fluctibus maris, quorum inibi & finitimis verſus Brugas locis, propter nimiam ſitus humilitatem, cum alias fere ſemper, tum præſertim ſpirante Cauro, impotens nimis & violenta potentia. Subjiciamus vero ipſos Dantis noſtri verſus:

*Hora cen' porta l'un de duri margini,*
*E il fumo del ruſcel' di ſopra aduggia,*
*Si che dal fuoco ſalva l'acqua & gl' argini.*
*Qual' i Fiamminghi frà Guizzante & Bruggia,*
*Temendo il fiotto, che ver' lor' s'auventa,*
*Fanno li ſchermi, accioche'l mar' ſi fuggia.*

# OSTENDA.

OSTENDA diſſidet Aldenburgo duabus, Brugis vero quatuor leucis & ſemi. hæc murorum quidem eſt expers, ſed amplitudine, ædificiis, & frequentia, tolerabilis opidi locum ſuſtinet, valide ſatis adverſus hoſtiles inſultus munita, & mediocri portu ſpectabilis.

ADDITAM. [*Hæc urbs nomen habet à termino Soli orienti oppoſito, ut è diverſo pagus ad occidentem vergens dicitur Weſtenda. Tecta ædium arundineo tegulo adhuc hodie fere omnia obducta nihil ornati habent. Opidum portu locuples à piſcatoribus primum inhabitato, qui autores dicuntur ſalſilaginis & halecum*

*conditorum. Eſt alioquin exiguæ magnitudinis, ſed magni nominis; vallis & propugnaculis eminens, ita ut munitiſſimus totius Europæ audiat locus. Schola militiæ & altera Troja hodie ab effuſo copioſe ſanguine & longa obſidione. hæc annos tres, menſes duos, dies quindecim duravit. annos obſidionis cœptæ ex hoc lemmate nota:*

OſtenDe nobIs paCeM.

*annos obſidionis ſolutæ:*

OſtenDaM InItIa paCIs.

*Numerus caſorum ibidem à parte Hiſpani refertur 78124: dixerim ego cum Admirallio Galliæ M. de Chaſtillon; Diuturnæ magnarum urbium obſidiones ſunt magnorum caſtrorum cœmeteria & ſepulturæ.*

*Lubet hic in memoriam triennalis, & quod excurrit, obſidionis Oſtendanæ, παρῳδεῖν ad grandiloquos illos Maximi Poetarum verſus:*

*Quanta per Oſtendæ regnis effuſa Philippi*
*Tempeſtas ierit campos; quibus actus uterque*
*Belgicus Hiſpanuſque animis concurrerit orbis:*
*Audiit, & ſi quem tellus extrema refuſo*
*Submovet Oceano, & ſi quem extenta plagarum*
*Quatuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.*]

Capti ſunt in conſpectu hujus urbis anno 1404, Novembri menſe, octo piſces marini, prægrandes illi & vaſta corporis mole, ut qui ſeptuagenos quaternos minimum pedes longi, craſſi vero analogos eſſent & pro rata parte. videbantur autem ex genere balenarum. quales capiuntur nonnumquam in hoc mari, etſi admodum paucæ, nec tam inſolita corporis magnitudine, quam in vaſto illo Oceano, quem Hiſpanicum vocant, maxime qua Biſcajam is & Gallæciam alluit. quibus ipſis tamen majores longe & plures capi ſolent in rigidiſſimo illo mari Septemtrionali, & verſus Moſcoviam. unde, mihi quidem indubium, ſtatis anni temporibus eos piſces per varias mundi plagas diſpergi, plane ut ſolent haleces & alia piſcium genera ſupra nobis relata. Captus item non procul Oſtenda anno 1426, porcus quidam marinus, ex delphinum ut volunt genere, forma & carne quidem ſui domeſtico plane ſimilis, ſed mole vel duplo major. conductus fuit Tornacum, ac venditus inibi lanionibus ſimul & ichthyopolis, quia nempe ambiguum erat, carone eſſet an piſcis.

Neoportus

Neoportus Vurna quidem duabus, Oſtenda vero tribus iiſque majoribus leucis abjungitur, opidulum lautum, ac valida ſatis, etſi exigua, arce communitum. quin & portus ejus ſat commodus, ideoque à mercatoribus frequentatus.

ADDITAM. [*Opidum hoc olim* Zandhooft *ſeu* arenæ caput *dictum. Nomen* Neoporti *trahit à novo porto ſive opido, non à portu. antiquitus ſiquidem Latine* Porti *vocabulo dicimus concluſum mercibus opibuſque recipiendis & exportandis opidum. Portum habet ſecurum, ſed oblongum. Oſtentat Pharum lapideam, è qua ad regendos navium curſus & præcavenda vada ignes ex arundine ſtipulave noctu emicant, quamdiu maris fervor allabitur. Platea ſymmetriam habent & ordinem. Plebecula halecum captura & mercatu alitur. à navigatione ceſſans, in texendis tragulis, verriculis, ſageniſque canabinis, reſtibuſque contorquendis occupatur. Legibus miris à Philippo Alſatio olim dotata, quibus cavetur: Si quis noctu vulneratus, hoc alii imputaverit, ut accuſatus ferro candenti ſeſe purget, ſi ſcabinis dignum videatur; aut recuſans manum amittat. Vt furti poſtulatus ab actore apud judices jurato, vel expurget ſe ferro ſimili, aut laqueo ſuſpendatur. Præter templum ſpatioſum & cœnobia Franciſcanorum hic nihil notabile. Famam vero habet à memorabili prœlio anno 1600; quo Mauritius victoria potitus, Albertus Auſtriacus fugatus, Hiſpani victi fuſique ſunt. Strages hæc comparatur cum illa, qua retrioribus ſæculis anno 1298, eodem menſe & die, Adolphus Comes Naſſovicus Albertum Auſtriacum Imperatorem fudit.* Met. lib. 21, p. 962. *Erepta Hiſpanis centum & quinque ſigna militaria peditum, cum* IV *equitum; & Hagam-Comitis teſtimonium victoriæ tranſmiſſa. Trophæum ſequens Mauritio erectum eſt:* Anno cIↃ IↃ C, 2. Non. Quint. Mauritius Arauſ. Pr. in Flandriam terram hoſtilem traducto exercitu cum Alberto Arch. Auſtr. conflixit, copias ejus cecîdit, Duces multos, primumque Frane, Mendozam cepit: reverſus ad ſuos victor ſigna hoſtium centum quinque in Hagenſi Capitolio ſuſpendit Deo bellatori. *Rem militarem tenentes, ſingularia prudentiæ Mauritanæ argumenta notant ſeptem in hoc prælio, quibus victor evaſit. quæ ſunt: 1. Ventus contra hoſtes. 2. Sol in oculos hoſtium reſplendens. 3. Sex tormenta bellica non in arena ſed in ſolido ligni ſubſtratis bene locata. 4. Nullus fugæ locus. 5. Nulla ſpes ſalutis (juratum enim erat, omnes occidere, præter Mauritium* Wegen der tugendt, *& Henricum Fredericum* wegen der jugendt,

ou pour luy ſervir de trophée. *6. Callide à Principe Mauritio diſſimulata cædes militum Comitis Erneſti. 7. Acies mirandum in modum inſtructa. Locus prælii diſtat uno lapide ab opido, intra pagos Weſtende & Wilkens-kerck, via qua itur Oſtendam. quem & ſequenti luce via ſupra modum moleſta ab arena greſſum ſufflaminante prorependo ſuperavimus: ad ſiniſtram ad colles arenaceos Crux nigri coloris lignea in perpetuam cladis Hiſpanicæ memoriam erecta conſpicitur.*]

Patriam habuit Neoportum Cornelius Schepperus, toparcha Eecanus, Carolo Quinto Imparatori à conſiliis Status, doctiſſimus ſane & eloquentiſſimus vir, ac multarum linguarum gnarus, unde & aliquot annos legatione Cæſarea functus eſt apud Imperatorem Turcarum. hic ſola virtutum via ex humili admodum loco ad maximas quaſque dignitates & auctoritatem emerſit. Neoportuenſis etiam fuit Iodocus Clichtovæus, litterator, Theologus & Mathematicus celeberrimus, ac complurium operum ſcriptor. Seſquileuca ab Neoportu Duinkerkam petentibus occurrit in ipſis tumulis arenariis nobiliſſimum & pulcherrimum illud cœnobium ordinis Divi Bernardi, quod vulgo vocant Ten Duyne/ & bibliothecam habet longe ampliſſimã, copioſaq; omne genus ac cujuſcumque diſciplinæ & linguæ librorum ſuppellectile, tum & manuſcriptis codicibus inſtructiſſimam. quæ propterea magna cura & ſtudio adſervatur, eſtque multis nominibus celeberrima. Gubernat hoc tempore Neoportum Didacus Aquilarius Calderonus.

## DVINKERKA.

DVINKERKAM invenio conditam anno circiter 966, à Comite Balduino, Arnulphi filio. Diſtat autem ab altera quidem parte, Gravelinga tribus, & Calitio ſex: ab altera vero, Neoportu quinque, Brugis, duodecim leucis. Erat hæc nuper bona & pulchra civitas, tum ob ampli & frequentatiſſimi portus ſui commoditatem, tum ob civium quoque & incolarum frequentiam, facultates, atque induſtriam: ſed Galli miſere nimis eam mutilarunt. ſiquidem archiſtrategus eorum Termeſius, cum exercitu ſuo ſuccinctus anno 1558. urbi appropinquaſſet, & jam agerent opidani de placida aliqua & amica deditione (quo ſtratagematis genere homines

mines parum callidi ſæpius eluduntur) militem quaquaverſus in eam propulit, nec deprædandam modo, ſed deſtruendam quoque & comburendam permiſit, civibus violenter concuſſis atque diſperſis. Ita ut, licet facta jam pace, opidum lente tamen aſſurgat, ac frigide admodum inſtauretur. metuunt enim ſibi opidani à vicino nimis Calitio, ex quo fonte derivata fuit in eos clades. Propugnaculi tamen Gravelingenſis jam propediem abſolvendi tutela ſecuriores eos efficiet, & ad patriam inſtaurandam alacriores. quinimo altera hujus libri editione, id eſt anno 1580, (ea eſt iſtorum hominum indoles atque induſtria) inſtaurata jam erat, & in priſtinum pæne ſplendorem reſtituta. Dynaſtam agnoſcit Duinkerka Ducem Vindocinenſem. qui Gravelingæ quoque, Burburgi, & aliorum locorum in Flandria, denique Angiani in terra Hannonia dominus. quæ ditiones obvenerunt ejus familiæ via matrimoniorum cum illuſtribus Belgicæ fœminis contractorum. & pacificis quidem temporibus gaudet iis ac fruitur: ſed cum bellum eſt, non permittit ei Catholicus Rex, ſupremus feudorum Dominus, bonorum iſtorum uſumfructum. ſerviunt enim ut plurimum compenſandis Proceribus Belgicæ, qui & ipſi in Galliis habent id genus bona. quales præſertim Dux Arſchotanus, Princeps Arauſinus, & Comes Egmondanus. Gubernat in præſens Duinkerkam vir illuſtris Franciſcus Aquilarius.

ADDITAM. [*Hæc opidum nomen acquiſivit ab Abbatia* Diinen, (*Græcis Sives, Latinis arenacei litoris colles,*) *quæ uno lapide & amplius iſthinc diſtat, & templi turri excelſa, graduum 273, è cocto latere; ex qua candicantes Angliæ circa Dovuram montes cœlo ſereno clare conſpiciuntur. Tranſeuntes nec parum oblectat opidum nitidum plateis & ordine, inprimis templi altare ſumtuoſum & amplum, ex marmore variegato, lapide Lydio & alabaſtrite in altum ſurgens, impendio pluſquam viginti millium florenorum, tantoque ſplendore, ut adſpiret ad faſtigium admirationis. Eſt heîc cœnobium Franciſcanorum utriuſque ſexus. De cetero, opidum parum eſt munitum; quippe incumbentibus undique arenariis collibus varii rivuli ſabulum ſecum trahentes locum circumfluunt, & portum navium majorum, quæ recedente æſtu plerunque in ſicco deſtituuntur, minime patientem efficiunt. Carolus V, 1535, propugnaculum & præſidium ibi locavit. Illi augmentum dedit nuperis annis Spinola, nova defenſione in mare*

protenſa. iſti, quod erat ſex cohortum e Germanis & Neapolitanis, præerat Antonius Gonzaga Hiſpanus. Famam tamen à captura & ſalitura halecum, mercatu & teloniorum per totam Flandriam immunitate, non tam habet, quam à crebris præſidiariorum piraticorum excurſionibus in Anglos, Hollandos & Zelandos, quorum præda & ſpoliis opimi facti ſunt.

Non raro autem militem extraneum habuit hoſtem. Termeſio etenim Gallo ſucceſſit Chamoſius, qui anno 1583 nomine Ducis Andini ibi legionem ſuam habens in præſidio, rixa de induſtria excitata ob prædam à nautis præſidiariis factam, arma contra opidanos capit, nonnullisque interfectis præſidiarioque Belgico milite ejecto opidum ſibi ſubegit. Qui tamen, non multo poſt copiis Parmenſibus obſeſſus, & ad extremum neceſſitate victus, cum nulla ulterius auxiliorum ſpes eſſet, cum Parmenſi de deditione tranſegit, his conditionibus, ut ipſe cum ſuis vita ſalva, gladiis tantum accinctis, urbe exiret. Mauritius Arauſionenſis, anno 1590, opidum noctu ſcalis admotis invadere animum habuit; ſed vento adverſo res aperta & infecta manſit.]

Biervlietum in hacipſa Teutonica Flandria, opidulum eſt redactum in Inſulæ formam, & Sluſa quinque leucarum ſpatio diſſidet, portu etiam qualiquali inſigne.

ADDITAM. [A fluctu proximo videtur nomen aſciviſſe. Nobile eſt Nicetæ Choniatæ Græcæ hiſtoriæ, Ioanni Zonaræ ſuccenturiantis, teſtimonio; partiſque in vexilli & ſigilli gloriam, inſignibus Conſtantinopolis: cujus muros Biervlietani, ſub Balduino Cæſare inter primos aſcenderunt, ceperuntque turrim portui imminentem. Quorum inſignium characteres vel ipſis civibus obſcuri ſunt, ſignificatio ignoratur. Sunt autem quatuor majoris formæ B Græca, aurea, per rectam crucem, ejuſdem coloris, in ſolo rubicundo, interſecta: atque denotantia βατιλεῦς βατιλεῶν, βατιλεῦσι βατιλευῶν, hoc eſt, Rex regum, reges regens. Oceano ambitur, quum antiquitus continenti annecteretur, & per illud, itinere pedeſtri, Bruga Antverpiam ultro citroque commearetur. In has anguſtias circumciſum fuit, quum longus agger, mariſque oſtium, quod Biervlietenſe foramen dicebatur, fuit anno 1377. interruptum violentia pelagi, ſeptemdecim pagos tunc abligurientis, ob ſocordiam avaritiamque chomarchorum, in cogendo paſſim vectigali marino, privatumque in quæſtum vertendo ſtrenuorum, ſed aggeres, mariſque clauſtra negligentium. Obſidionem contra Gandenſes Anglis junctos, anno 1385. & adverſus Cæſarem Maximilianum

*lianum anno 1488. fortiter fauſteque ſuſtinuit. Nundinis menſe Iunio annuis, non infrequens. Parum antiquæ in mari potentiæ, & civilis opulentiæ retinuit, ſimilitudine æſtuariorum, quæ undique proſpicit, inſtabilium.*]

Obiit in hoc loco Guilielmus Beukelens anno Chriſti 1397, is qui omnium primus fertur excogitaſſe rationem illam ſale condiendæ & in doliis conſervandæ halecis, qua hodieque piſcatores utuntur. ob quod adeo momentoſum inventum, poſteritas etiamnunc reveretur viri memoriam.

ADDITAM [*Vulgo* Biervliet, *è regione Yſendicæ in inſula ejuſdem nominis poſitum, quæ à circumfluis fluctibus nomen invenisse videtur; oceano enim tota ambitur, quum ante continenti eſſet connexa, & per illam pedeſtri itinere Brugis Antwerpiam ultro citroque commearetur. Oppidum quondam non ignobile ob portum opportunum; nunc tantum munimentum quadratum, quatuor in orbem propugnaculis ſeptum; extra quæ nuper tot opera ſunt addita, ut hodie pene totam inſulam munitionibus ſuis complectatur.*]

# WINOCIBERGA

## Dominium & Vicecomitatus.

WInocibergæ nomen eſt à prænobili quodam cœnobio, in honorem Divi Winoci Angli, apud iſtos defuncti, à Balduino Barbato, vel ut alii volunt, Balduino Inſulano, in monte quodam extructo, & in opidum tandem converſo. Diſtat Duinkerka quidem ſeſquileucæ, Iperis vero ſeptem leucarum intervallo. Habet Vicecomitatum & *Caſtellaniam*, ut vocant, plurimis pagis imperantem. ager opido circumjectus mirifice fertilis. texuntur hic ſatis multi panni, & ingens item *ſajarum*, tenuitate præſtantiaque nullis hujus Provinciæ *ſajis* cedentium, vis. Sed incidit etiam iſtud opidum, anno quem dixi 1558, in graviſſimum infortunium. Galli enim cum occupaſſent, miſere deprædati ſunt, & crudeliter exuſſerunt deſtruxeruntque. atqui hodie tamen inſtauratur, & in priſtinam dignitatem reſtituitur.

ADDITAM. [*Celebris eſt Burggraviatu, annuis menſe Octobri nundinis frequentatiſſimis, illuſtrique olim ingreſſu & conventu Eduardi tertii Angliæ regis, ejuſque uxoris ac filiæ Iſabellæ, ad annum 1346: ubi hanc Ludovico Malano ambitioſe, ſed fruſtra deſpondit. Ampliſſima aula proxime periſtylium templi, in eam rem faſtuoſe extructa: unde erat amœniſſimus quaquaverſum proſpectus. Ornatur Thoma Diacono, monacho S. Winoci; qui illam oppidi Bergenſis anno 1383. a Gallis direpti incenſique, & cœnobii ſui calamitatem, ſuamque captivitatem ſcripto publicavit: quod etiam cœnobium decorat Petrus Santomerius, Walomcapellus, nobilitate doctrinaque, Car. Argentæo Abbati ſuo non abſimilis. Scripſit libros ſex monaſticarum, partim Inſtitutionum, partim Illuſtrationum. Iacobo Tetzwerto, milite generoſo qui edidit Aldenardiada, compoſuitque elegias elegantes, nondum evulgatas. Civitatem hic fortunaſque adeptus, diu vixit, ſepultuſque eſt, Gerardus Meeckerus, ſocer Balduini Roni Geldriæ Cancellarii, & Arnoldi Zegherſcaplii, hujus oppidi conſularis, juriſprudentia variiſque diſciplinis exculti: qui architalaſſi maris Flandrici vicarius, ſub Carolo Quinto Cæſare ob victorias in Gallos Danoſque maritimas, celebre in annalibus linguæ Flandricæ nomen acquiſivit. Cujus muneris famæque ſucceſſor Nicolaus Daenus Bredenardius, civitatem, domicilium, ſepulcrumque hic etiam conſecutus eſt. Aperuere hic ludum literarium, maximamque lucubrationum ſuarum partem hic compoſuere viri doctiſſimi Ioannes Deſpauterius, Paulus Leopardus, Chriſtianus Cellarius, Petrus Curius editis doctrinæ teſtimoniis, non ignoti: ac Hadrianus Voſſius, aptus ſcolarcha, ibidem eos imitatur. Medicum habet ut Veurna, ceteraque fere oppida mœnita, publice ſtipendiatum. Cui functioni præmature hic immortuus eſt, ſepultuſque doctrinæ varietate mirabilis, Victor Giſelinus, horæ mortis ſuæ prænuncius, ex artis medicæ prognoſticis.*

*Caſtellania Bergenſis fœcunda pecoris, butyrique ſapidiſſimi; frugum arborumque tam pomiferarum, quam lignationi aptarum, & Agniona, ejuſque emiſſario Colma, ac Oceano affluente commoda, & triginta tres pagos continet: interque eos* Houtkercam, *cujus Comitem ſe inſcribit nobiliſſima gens Hoornia Gaſebecia, in ſumma juriſdictionis potentiaque quam ibi poſſidet, exilitate:* Wormhoutum, *amplitudine, & divi Winoci, qui primam illic cellam ſibi ſociiſque ex divi Bertini conſilio extruxit, olim Abbatia, nunc Præpoſitura clarum; quo nomine non exigua ejus pagi portio ad divi Winoci Abbatem ſpectat,*

ctat, *in templi vicinia.* Herzelam, *annuis in Iulio nundinis frequentem, patriam Iacobi Sluperii, editis poëmatis non obscuri, cum* Eclesbeca *vetusta, castelloque splendido exculta, ad Valentinum Pardievum Motanum, celeberrimum equitem, scholamque ibi Musis erigentem, spectante:* & Honschota, Pitgamoque: *quitres posteriores, quatuorque alii vivunt suis sub toparchis, legibusque; sed in oneribus indictionum publicarum, Castellaniæ Bergensis auxiliares sunt. Inter* Vxemum & Houthemum *illum Bergensis, hunc Feurnensis tractus pagum, lacus est ab æstu maris natus, quam Mouram vocant, in magnam parvamque distinctus, ac septem miliaria in ambitu complexus, piscium que copiosissimus, sed uliginem fundi, canumque in cena sapientium, & navigabilis, sabindeque per tempestates periculosus; paucos enim cis annos in eo periit Iacobus Waveranus, Neoporti consul præstantissimus.* Lacum *vero nuncupamus locum aquis perpetuis copiosisque profundum; sicut* Paludem, *quæ late, sed non alte diffunditur; interdumque siccatur: quemadmodum* Stagnum, *aquam velut stantem habet, hieme collectam, æstate exarescentem. Quum in hanc urbem & Castellaniam Yolantis filia Roberti à Flandria Casletani Comiti Barensi nupta, proprietatem possessionemque jure paterno jam pridem sibi vendicasset, utraque demum* anno CIↃ CCC L. *mense Augusto se illinc subtraxit, & sese Lud. Malano Flandriæ Comiti perpetuum submisit, ambienti & Roberto Casletano propatruo suo, nullum proprietatis, sed hypothecæ solummodo jus illic fuisse asserenti, atque decernenti.*]

Pergamus vero deinceps ad reliqua opida muris clausa, in Teutonica Flandria viatoribus occurrentia, idque initio sumpto à septemtrione & urbecula Damma.

Damma igitur Brugis dumtaxat una, Sluſa vero duabus leucis dissidet perlabitur eam vetus ille Brugensium alveus, quem nos inde ab ea urbe profluere, & Oceanum petere diximus. Habuit olim Damma portum maritimum, mari videlicet ipsos muros alluente, & potens admodum fuit opidum. sed depopulati sunt eam non semel Normanni. nec ab exteris tantum misere fuit oppressa, ac sæpius etiam destructa: sed à proximis quoque vicinis, Brugensibus nempe, in nihilum pæne redacta. ita ut hodie miseranda plane sit ejus conditio, & Brugensibus fere ad nutum pareat. Celebratur quotannis

in ea menſe Majo magnus mercatus equorum. Conditam narrat Mejerus anno 1175.

ADDITAM. [*Situs ejus clavim maris, frenumque Brugenſibus objicit. Tanti olim roboris, ut à Franciſco Ackermano, Gandenſium tribuno militari interceptum, præſidioque mille & quingentorum militum cuſtoditum, reſtiterit Carolo Sexto Gall. Regi exercitum octinginta millium (ſi veri ſunt annales Gallici) adducenti, & fere indies oppugnanti: neque ante ſeptimam obſidionis hebdomadam manus dedit: quum deſtitueretur, tum à mari commeatibus, tum ex lacu Malenſi dulcis aquæ ductibus, tum ab Ackermano, per ſtratagema, evadente: perſuaſos enim cives inſtare poſtridie, ſub crepuſculum, maximam hoſtium oppugnationem, cum mulieribus ceteraque imbelli turba, ne in periculo & impedimento eſſent, in templum curiale introduxit: juſſitque ut ibidem quieti ſe continerent, foribus obſeratis. Ipſe interea, cum præcipuis præſidiariis ante lucem Gandavum incolumis effugit, deceptis hoſtium vigiliis. hinc opidum patuit hoſtium cædibus rapiniſque. Fortunatius anno 1488. reſtitit Friderici Auguſti, & Maximiliani Cæſaris copiis Germanicis, valide, ſed fruſtra aſſilientibus, cæſo Alberti Saxoniæ Ducis filio, intrepide foſſas ad oppugnandū pervadente: quod alii aſſcribūt fratri Badenæ Marchionis.*]

Dixmuda pari fere trium leucarum intercapedine diſſidet Neoportu, Aldemburgo, & Roſſelara, lautum & peramœnum opidulum, frequentatum quotannis Iulio menſe ob inſignem mercatum equorum, & anniverſarias etiam aliarum mercium nundinas.

ADDITAM. [*Archiva antiqua hanc Dicaſmudam nominant, ab aggeris eminentia: ubi eam ſcribunt a Thoma Becketo Cantuarienſi Archiepiſcopo, exule; cui à morte, ſancto nomen fuit; magno calice ac veſte donatam, quibus illic ſacris erat operatus.* Iſara *hic large affluit: qui ex Peena torrente, radicibuſque montis Caſletani natus, ad Bambecam tenuis, ad Roeſbriggam Stavelamque latifluus, Loano fluento, Ipreleto Zarraque acceptis in ſocietatem, & Dixmudam præterlapſus, ad Nieuportum mare ingreditur: unde hoc oppidum Dixmudanum ſubvectiones frequentes admittit, & ab agri circumjacentis valde paſcui ubertate, venalibuſque caſeo butyroque ſingulis ſeptimanis, annuiſque menſe Iulio nundinis triduanis, luculenta emolumenta percipit: ſoletque non inſulſe renibus aſſimilari, per ſe macilentis, ſed adipe involutis. Non caret cœnobio utriuſvis ſexus Franciſcano; Xenodochio, domoque leproſorum. Pertinet ad familiam Sacqueſpeam: Ruarto interim, ſive officiario, jura & emolumenta Principis*

cipis Flandriæ, illic custodiente, per Ludovicum Crescium instituto. Qui hanc in urbem à Nobilitate Flandriæ Occiduæ evocatus, incidisset (civium factionibus) in hostiles manus Brugensium, Berstæ subsistentium, nisi insidiis intellectis, porta vi effracta, relictisque armis, sarcinis & sigillo, fere nudus Odomaropolim aufugisset.

Ornatur Francisco Cæsare Theologo, ad annum 1293. famigerato, quum libros magistri sententiarum in Academia Parisiensi enarraret.]

Vurna distat Dixmuda tribus, Duinkerka vero quatuor leucis, opidum satis concinnum, pulchrum, & Vicecomitatus dignitate conspicuum. natus hinc Paullus Leopardus, vir doctus & scriptis clarus.

ADDITAM. [Veurnam genuine Latine, Galliceque Furnas vocant. Antiquo illustrique Burggraviatu ornata est: quo titulo Gertrudis & Mathildu Flandriæ Principum viduæ, illa ex Saxoniæ Ducibus, hæc ex Portugalliæ Regibus orta, signabantur: jam minori vi est atque functione quam furso dignitatis. Muro lapideo ad annum 1390. jussu Philippi Audacis, communiebatur, fossis apprime ampliatis: præfectis illi cingendi muris curæ, industriis, ex familia Veysa, Crana, Leisela, Viscba equitibus. A Gallis hostibus septem post annos victa, direpta, inflammata: ab incolis demum eleganter fuit restituta. Ex tribus templis curialibus eminet, quod memoriæ D. Walburgis Angloſaxone regiæ stirpis inscribitur: partim quod ejus initia antiquitatem suam à Baldvino Calvo & Pulcrobarbo, vetustis Flandriæ Principibus repetant, tectumque ejus plumbeis tegulis adhuc constratum est: partim ob asservatum, ac magno in honore habitum, frustum veræ (ut annales asseverant) crucis, in qua unicus Salvator noster Christus, generis humani scelera expiavit: partim ob splendidum canonicorum collegium, quod antea gregis Benedictini fuerat. ejusque Prælaturam à viris stirpe generosis geri solitam: uti patris mei urbis baillivi tempore, ea dignitas à Mourbecana & Poitiersa, quæ Pictavica in Galliis domus est, nobilitate fuit administrata: nunc unita est Episcopatui Yprensi, hac tempestate procurato à Petro Simonio: qui variæ eruditioni eloquendi suavitatem, dignitati comitatem, vitæque probitatem annexuit. Interfluitur aquagio ab Oriente in Occidentem, turribus ac repagulis clatratis aditum exitumque hinc inde tuentibus: cui ædes assident cum conclavi, quod Delphini dicitur, in quibus Rex Ludovicus undecimus, quum adhuc Delphinatuum Princeps, patrem vitabundus, apud Philippum Bonum alebatur, diversatus est.

Nundinas

*Nundinas menſe Iulio annuas, & xenodochia habet, domumque leproſorum, cum cœnobiis Franciſcano & Auguſtiniano femin. Alexiano virili, quod mente captis cuſtodiam, & poſte extinctis ſepeliendi officium impendit. Adſpexit pridem ampliſſimæ ſtructuræ Abbatiam virilem S. Nicolai Præmonſtratenſem, foſſis oppidi mœnibuſque adjacentem: anno 1119 erectam, per Nicolaum virum eruditum moribuſque ſanctum, petitis à Norberto, primo illius inſtituti auctore, norma & exemplis. Quum anno 1411. populus Caſtellaniæ armatus huic in forum ſpatioſum procurriſſet, civibus alteram partem occupantibus, propter Cancellarium Ioannis Digeonii magnam pecuniam (prætexta promiſſaque privilegiorum confirmatione) imperioſe armataque manu exigentem, motus periculoſus deferbuit, ſola principis ſtatim Santodomaro accurrentis præſentia benignaque allocutione; plus æris à volentibus impetrantis comitate, quam legati minus fuerat imperatum. Ornatur Ioanne Boudinio, primario Senatore. Scripſit pie doctèque de Ieſu Chriſti Domini noſtri rerum geſtarum, quum in terris verſaretur claritate & gloria: atque de rebus externis ad ejus vitam pertinentibus breve compendium: Chriſtiano Cellario, qui ſe Furnium inſcribit, quum Iſeubergæ in agro Feurnenſi natus ſit, Lovaniique Græce docuit, & Orationem evulgavit pro nova pauperum ſubventione contra publicam mendicitatem: Mathia Becqueto, quorundam verſuum editorum auctore: Maliardo Vuldero, Iuriſconſulto, Regio Gandavi Advocato; cujus eruditæ lucubrationes nondum per filium publicatæ ſunt.*

*Caſtellania Feurnenſis pagos quadraginta duos complectitur, unius magiſtratus plenæ juriſdictioni ſubditos: in iis* Alverghemum *fluento Loano interciſum, amplitudine templi, & ſitus opportunitate ſpectabile: Wulpam xenodochio monialium notam: Haringam cum* Roesbrigga. Stavelam, *nobiliſſimæ ſtirpis cognomen & olim domicilium, monumentum:* Leiſelam, *Honſchotæ anterminam, atque* Lampreneſam: *cui pago à maris æſtuariis olim aſſerto, Græcum vocabulum manſit* λαμπρηνήσος, *quod ſplendidam fertilemque inſulam ſignificat. Eſt autem paſcuis maxime opimis, & phaſianorum, cygnorum, anſerum anatumque ferorum, ex Borealibus regionibus per ſingulas hiemes advolantium, fœcunditate celebris. Opportuna eſt hæc Caſtellania fluento Loano, Iſara fluvio, maris lacuſque appulſu, paſcuorum eximio & famigerato ſumine, agris frugiferis, arboribus omnis generis copioſis, & ubi ad Paperingam vergit, nemore Sinſixio, amplo & luculento: Abbatiis* Dunenſi, *hoc eſt ad maritimi ſabuleti colles Bernardina viril. anno 1107. cepta per Ligerium Anachoritam:*

*tam : Victorina femin. ad Roesbruggam, sive Rorardi pontem, nobilem veteremque dynastiam, anno 1271. instituta per Guilielmum à Bethuna, Roesbruggæ dominum : Præpositura Abbatica* Eversamia, *anno 1091. inchoata per Walbertum canonicum Castetensem, munificentia Roberti Hierosolymitani, ejusque matris Gertrudis.* Dunensis (*cui D. Bernardus Clarevallensis, anno 1139. primum Abbatem præfecit Robertum, ad quem ejus extant epistolæ*) *non ita pridem illustrabatur templo speciosо, vetustis rarisque membranaceis codicibus manu scriptis, turrique nautis in mari de die curiosе observata. Sub hac Castellania (cui anno 1332. Ludovicus Cressius plurimas constitutiones sanxit, Balfartum remisit, concessitque passim vallis ad sex pedes altis, fossisque ad quadraginta pedes latis, ædes muniendi facultatem) subsidiariæ sunt, pendunt que cum suis appendicibus (quas fissuras vocant) non minus quam quadrantem indictionum Principi illa in Castellania solvendarum, licet suum quæque tribunal habent, & jurisdictionem separatim, vulgo dictæ octo parochiæ, pagi opulenti: in quibus* Vlamertinga Elverdinga *fisci Regii : cum* Lokera *gentis Horniæ, ubi mons nomine & re acutus, cujus in apice circumagitur mola pneumatica frumentaria : appendicumque primaria* Nieucapella, *gentis* Montmorencyæ Croisilliæ. *In censu Flandriæ generali hæc Castellania cum Curtracensi paria facit : cedit Alostensi, reliquis antefertur. Ornatur Hadriano Burchio equite, Iurisconsulto, Vltrajectinæ ditionis Flandriæque Præside : qui filium reliquit Ioannem, equitem Iurisconsultum concilii Mechliniensis, deinde Privati Bruxellæ Præside, & Lambertum Vltrajecti Decanum literatum : Ioanne Silvio Iurisconsulto : Petro Mattardo Præmonstratensi : qui carmina quædam evulgarunt, librorum ab aliis editorum encomiastica : Paulo Leopardo, Philosopho, qui scripsit Emendationum & Miscellaneorum libros viginti, & quorumdam Græcorum Philosophorum Apophthegmata. Emendationum vero decem tantummodo libri in lucem emanarunt ex officina Plantini : quos Petrus Nannius vocat accuratissimæ & elegantissimæ eruditionis : & de ipso Leopardo ait, Nemo apud me de eruditione major, neque de humanitate candidior habetur.*]

Burburgum, Gravelinga quidem dumtaxat una, Duinkerka vero & Winociberga pari trium leucarum & semi intervallo abjungitur, opidulum sane amœnum & valide satis munitum, in ditione (ut diximus) Ducis Vindocinensis. Præfectus ei nunc temporis Ludovicus Brussettus, nobilis scutatus, & toparcha Ingilbertensis.

ADDI-

ADDITAM. [*Broucburgus, non eſt in obſcuro, propter agrum paluſtrem fertilemque, cui nominis occaſionem acceptam refert, ac Burggraviatum, præſidium militare aſsiduum, nobilemque Abbatiam Benedictinam femin. anno 1099. foris fundatam per Clementiam Flandriæ uſufructuariam, propter annuas Iunio, Septembrique nundinas; xenodochium, domumque leproſorum, & agros Hoymilianos, limitibus oppidi incluſos; qui, præter morem, ad alterum conjugum, ſuperſtitem, & ab hoc ad liberorum natu minimum devolvuntur. Non caruit anno 1383. inſigni adverſitate: quum enim Angli Gandenſibus juncti, Lud. Malenſi repugnantibus, oppidum hoc acrius oppugnatum quam defenſum, Gallis Ludovici protectoribus dedidiſſent, rapinis, cæde, ignibuſque vaſtatum eſt, donec civium impenſis reficeretur. Erant autem* Burgi *antiquitus, militum in limitibus præſidiariorum, caſtra atque habitacula.*

*Caſtellania Broucburgia, quæ olim Comitum Guineſiorum fuit, prope Grevelingam, Agnionam, ejuſque elicem Colmam & Oceanum ſita,* Pagos *quatuordecim continet: in iiſque* Cranewicum: Loonum, *ornatum Burggraviatu gentis Doiſæ:* Drinchamum, *vetuſta arce nobile, gentis Vilainæ: atque* Holkis, *Comitatus epigraphe ſignatus, ſpectanſque ad Præpoſituram Watenenſem; jam annexam Epiſcopatui Santodomari. Per Agnionam ſeparatur à* Bredenardæ *&* Houkæ *terrenis, quatuor pagorum ſingulis, Flandrici idiomatis, pridemque juris; nunc ad Arteſiam ſpectantibus.*]

## GRAVELINGA.

GRAVELINGA mari non procul abeſt, adſidetque flumini Aginoni, medio fere itinere inter Calitium & Duinkerkam, à quarum utraque pari trium leucarum ſpatio diſſidet. fuit olim urbs magni momenti, & portu ampliſſimo famoſa: ſed deſtructa non ſemel depopulataque à Normannis. quin cum adeo nuper velut ſcopus quidam eſſet, ad quem dirigerentur fere omnes bellorum inter Gallos Angloſque & Burgundos geſtorum ſagittæ, in miſerrimam tandem conditionem redacta eſt. Hodie vero, ob occupatum nuper à Gallis Calitium, & juſtum ex tam propinqua vicinia metum, ita valide communitur, ut & ſitu & arte futura ſit forte omnium Belgicæ urbium munitiſſima. extruitur, namque in ea ſumtibus quatuor Membrorum Flandriæ,

driæ,contribuentibus etiam Flandris Gallicanis,mirabilis quædam arx,& validiſſima propugnacula.Eſt vero & iſtud opidum,ut jam alias diximus,in ditione Ducis Vindocinenſis, regiturque hoc tempore nomine Regis Catholici ab Illuſtri viro Domino Creſſonerio. cui in præfectura ſucceſſit Valentinus della Motta, clarus admodum propter virtutes & famoſus Dux. In conſpectu Gravelingæ,verſus cataractam Calitienſem, nec longe à maris littore, commiſſum eſt anno 1558, memorabile illud prælium inter Burgundos, duce Comite Egmondano, & Gallos, imperatore Mareſchallo Termeſio. quo prælio Galli, magna & miſeranda ſuorum ſtrage, fuſi, ducum plerique capti,reliqui miſere nimis multati ſunt. ut in Commentariis noſtris fuſius ipſi exequimur.

Quod opidum Flandri Caſſele / Latine ſcribentes Caſletum vocant, id antiquis dictum fuit Caſtellum. inſidet autem prælto monti, & Winociberga Morinoque pari quatuor fere leucarum intervallo abjungitur. Fuit olim & ipſum opidum valde potens; ſed communibus terræ mutationibus, in graviſſimas ſæpe calamitates incidit, inque humilem prorſus & vilem conditionem redactum eſt. Hodie tamen tolerabile rurſus opidulum eſt, veteremque illum ſplendorem aliquatenus etiam ſpirat. gaudet celebri quodam mercatu equorum Ianuario & Auguſto menſibus.

ADDITAM. [*Caſletum Cattorum validiſſimæ Heſſorum gentis nomen ſignare videtur,non ſecus atque* Caſſela,*urbs Heſſiæ primaria. Nam* Velliocaſſii *Iulii Cæſaris, aut Plinii* Vellocaſſes, *non hic, ut putat Sabellicus, ſed ad Cauxos, & Sequanæ Heptæque ripas aſsidebant.* Caſtellum *vocatur in* Itinerario: *quod (licet Antonini Pii Cæſaris nomine circumfertur, & antiquiſsimum eſt) tamen Antonini Pii eſſe nequit: Meminit enim Conſtantinopolis, ſic appellatæ à Conſtantino Magno,annis amplius centum, Antoninum ſubſecuto: Hinc à quibuſdam Marciano aſſcribitur: qui,Stephani Byzantii teſtimonio, librum ſcripſit cui titulum fecit,* τὰ ἀπὸ ῥώμης ἐπι τας διοσυμυς πολεῖς, *Itinera à Roma ad clariora oppida. Ex quo Antonini itinerario, antiquitas celebritaſque hujus urbis innoteſcit: quum vias militares tritaſque deducit partim à* Tarvenna *(ſic enim vocat)per* Caſtellum *ad Bajacum,partim à* Caſtello *tum ad Tornacum,tum ad Coloniam Agrippinam. Et etiamnum itinera regia à Romanis,ut creditur, ſilice Bethunienſi ſtrata,plurimis in locis perdurant à Caſleto,tum*

to, tum per Straſelam, Noortberkinam, pontem Stegranum, ad Baſſæam, tum per Poperingam, Vlamertingam, Markemum, Eeſſenam, ad Brugam & Rodenburgum.

Inſidet hæc urbs alto monti, non inculto, cum vetuſta arce emicante, fonte vivo in foro ſaliente, collegiiſque binis canonicorum; præſertim D. Petri, quod Robertus Friſius erexit dotavitque, memor victoriæ illic acquiſitæ ad annum 1071. per quam Philippo primo Gallorum Rege profligato, cæſoque nepote Arnulpho, Flandriam ſibi aſſeruit, ſtabilitque. Fuit, cum Caſtellania, Roberti à Flandria, quem Caſletanum dicebant, portio hæreditaria: derivata ad Comites Barenſes per Yolanthidis ejus filiæ unicæ nuptias: redieruntque ad Flandriæ Principes anno 1433. conventione Renati Lotharingiæ Barique Ducis, ex captivitate eo precio ſe redimentis. Nundinas habet Ianuario, Auguſtoque annuas, aliiſque intervallis. A Gallis anno 1329. & 1385. captum, direptum exuſtumque fuit, ſed ab incolis demum inſtauratum, ruinis parietum, velut cicatricibus, ſuperſtitibus.

Ornatur Nicaſio Ellebodio: qui è Græco quædam philoſophica tranſtulit: cujus ſæpe Manutius, Dioniſius Lambinus, aliique honeſte meminerunt.

Diſtat Tervana Morinorum, Santodomaro, VVinociberga, & Aria quatuor undique miliarium ſpacio.

Caſtellania Caſletana valde luculenta eſt propter Agnionam fluvium, Arteſiæ Franciæque viciniam: ſilvas, tum Niepenſem cum arce Motana, ampliſſimi proventus nominiſque, tum Ruhoutam, agricolarum Caſletenſium contra Tervanenſes olim velut aſylum: Abbaticam Præpoſituram VVatenenſem, canonicorum Regul. fundatam anno 1072. auctore Roberto Friſio, binaſque Abbatias Bernardinas femin. Ravesbergæ & VVoeſtiniæ: non procul ab altera ejuſdem inſtituti maſcula, Clarimareſci, cepta anno 1139. per Theodericum Alſatium, ejuſque uxorem Sibyllam: Ornata Abbate Huberto Rudolpho, Philoſopho, ſcriptore panegyrici, Alexandrum Farneſium Parmenſem, Belgii Rectorem, collaudantis. Vbi lacus prodigioſus, cui nimirum parvæ inſulæ, boum ovium que paſcuæ, & arbuſtis conſitæ innatant. Qualem Plinius Iunior deſcribit pro ſoceri ſui Fabati nomine Vadimonis in prædiis Amerinis: In quo ſe pro miraculo vidiſſe ſcribit innatare inſulas herbidas paſcuaſque, & interdum junctas copulataſque ire, interdum diſcordantibus ventis digeſtas, nonnumquam deſtitutas tranquillitate, ſingulas fluitare. Pagos quinquaginta duos comprehendit, ſuis quidem peculiaribus tribunalibus obnoxios; ſed arma, pecuniam, conſilia conferentes ſub Valuaſorum in oppido

*oppido Casleti consessu : qui, vocante & submonente Bailivo (quod munus stirpis Stavelæ hæreditarium est) congrediuntur, deliberant, statuuntq;. In quibus pagis numerantur* Haveskerca, Watenum, *veteres Baroniæ : &* Watenum *quidem oppidi nomine jam olim cohonestatum, multa antiquitatis vestigia subterranea ostentat:* Steenvorda, *oppidi instar, cum xenodochio, gentis Bellæ:* Mourbeca & Ruuschura, *Mourbecæ.* Noortberkina *cum* Plessieto, *Gribovallæ :* Vletera *VVignacourtæ. Patria Antonii Meyeri, Iacobi ex fratre nepotis, editis variis poëmatiis clari : qui pater est Philippi, paternum dantis.* Peena *cœnobio Gulielmico viril. luculento, dynastaque sui, gentis Halewinæ, Gallicarum jampridem partium, potentia, & Marchionis titulo ornata:* Bollesela *annuis nundinis, ineunte Iulio frequentata, ubi cis paucos annos ab agricola fodiente repertus fuit cantharus ex alba terra, ingens, ore angusto : in quo pene duo millia numismatum includebantur, habentium effigiem ac inscriptionem Posthumi in Gallia Cæsaris, à Lolliano devicti, atque cæsi.*]

Deinsa adsidet flumini Lisæ, cujus alveo separatur à Petegemio, bono & memorabili pago. distat autem Gandavo tribus, Cortraco quinque plus minus leucis: opidulum lautum, antiquum, munitum.

ADDITAM. [*Variæ calamitates; annuæ mense Aprili, Augusto, & Octobri, nundinæ; cœnobiumque Augustinianum femineum, quod plurimum familiæ Laleignæ debet, insighiunt. Ter enim diversis temporibus tempestatum à Gandensibus, Principi obluctantibus, capta fuit, & incensa : præsertim anno 1382. quum nobilitati præsidiariæ extorta, portis ædificiisque dirutis, solo æquabatur. Emicuit tamen ex cineribus in oppidi speciem non contemnendam, nisi in hac luctuosa Belgicæ dilaceratione, quæ ad annum sexagesimum sextum supra ter quingentesimum cepit, immensumque crevit, cum omnibus oppidis non mœnitis, & Abbatiarum, aliorumque similium locorum ædificiis, & Nobilium prætoriis, extra munitiones sitis in Flandria, exarsisset : quam incredibilem dissidiorum civilium stragem, visum est mihi semel hic notare, atque deplorare. Coëmit* Deinzam *anno 1316. Robertus Bethunius quinque millibus liberarum Parisicarum à VValerando Luxenburgio, Lignii Comite, ejusque uxore Guyota, Lilæ Castellana, usufructui suo dotali, coram ecclesiæ Tornacensis officiali, renunciante. Paulo amplius quam miliari hinc disparatur* Gothemum, *agri Curtracensis pagus, ad Lizam vergens, voce sua exprimens Gothorum habitationem.*]

Cortracum opportune admodũ situm est ad eumdem Lisam,

Liſam, qui & medium illud interſecat. circumſtant hoc opidum, & veluti centrum habent, Tornacum, Inſulæ, Iperæ, Aldenarda, quibus omnibus pari quinque leucarum ſpatio diſparatur. Numeratur in vetuſtiſſimis urbibus Flandriæ, crediturque tempore Iulii Cæſaris fuiſſe in ditione Nerviorum. Hodie lautum ſatis eſt opidum, & cum veteri quadam arce, tum domibus quoque & ædificiis publicis ſplendidum. erat id mediocriter quidem jam ante communitum, ſed per civiles iſtos Belgarum motus factum eſt longe munitiſſimum. Fiunt Cortraci perplures panni, & ingens vis linteorum, ad mappas, alioſque menſarum uſus. Commiſſum eſt anno 1301, in vicinia hujus opidi, & loco quem Vanderotam vocant, memorabile admodum prælium inter Gallos Flandroſque. Philippo enim quarto Gallorum Rege, cui Pulchro cognomen erat, in cuſtodia detinente Flandrorum Dynaſtam Guidonem, & Comitatum ejus deferente patrueli ſuo Roberto, Artheſiæ Comiti: is Robertus, exercitu Gallicano ſuccinctus, & jam Flandriæ fines ingreſſus, obvia quæque invaſerat: cum ecce Flandri, auſpiciis utriuſque captivi Comitis filii, Philippi videlicet & Guidonis, manum repente cum hoſtibus conſerunt, & in aciem fortiter deſcendentes, poſt diutinam & cruentam pugnam, victoria tandem potiti ſunt: cæſis (ut volunt) Gallorum duodecim millibus, vel ut alii, longe majori numero, & in iis ſat multa Regni illius Nobilitate, ipſoque adeo Comite Roberto, qui fortiſſime pugnans, cum diutius reſiſtendo non eſſet, occubuit. unde manſit aliquamdiu Cortraco *cœmiterii Nobilitatis Gallicæ* cognomentum. etſi non multo poſt ipſe Rex, novo rurſus ſuccinctus exercitu, acceptam à ſuis cladem quam acerrime vindicaverit.

ADDITAM. [*Collegium habet canonicorum, memoriæ Virginis matris ſacrum, ſub Balduino Conſtantinopolitano inchoatum, xenodochiumque opulentum. Iuxtim eſt Abbatia Groeningia Bernardina femin. anno 1285. ex Marka huc tranſmota per Beatricem Brabantinam, Gulielmi Dampierri, ad Flandriæ Principatum à matre deſignati viduam.*

*Frequentatur nundinis Aprili Auguſtoque annuatim recurrentibus. Ingentes calamitates pertulit anno 1325: quum ſuburbii, Ludovico Creſſio mandante, incenſi flammis Lizam atque mœnia tranſilientibus, magna ex parte deflagravit. Et poſt annos quinqua-*

quinquaginta sub illius filio fere interiit, à Gallis Lud. Malensis contra Gandenses auxiliaribus, clademque Groeningiam, quæ Curtraci annuis mense Iulio cantilenis tripudiisque celebrabatur, ulciscentibus, sine obstaculo captum, cæde ignibusque vastatum: quamvis Ludovicus, ad Regis pedes projectus, pro ejus incolumitate oraviſſet: Civibus, ardente patria. Gandavum, velut in asylum confugientibus: & Philippo Audace Ludovici genero, misere urbi adimente, ac Divionem transferente, eximium specie, raroque iis temporibus artificio, horologium publicum. Ex quibus demum angustiis caput extulit, formamque induit elegantem. Ornatur Ioanne & Raphaële Polletis, fratribus: illo Theologo, hoc Iurisconsulto, per Ant. Meyeri epicedia laudatis.

Castellania Curtracensis, olim familiæ Nevelæ, administratur à magistratu Hooftpoincterum, quibus à capitum censione nomen est: In quo probissime sese dedit Gervasius à Schaga, veteri Gandavi stirpe, & Præside concilii Flandriæ pridem ornata: qua in urbe filius ejus Antonius, non minori integritate Senator est. Liza Manderaque fluviis irrigua est, & Abbatiam Bernardin. semin. Wevelghemi complexa. Pagos sexaginta septem comprehendit: in quibus sunt Englemonstra, arce & Baronia spectabilis: Iseghemum, recenter Comitatus titulo insignitum, linearum telarum textrinis & mercatu celebre, gentis Vilainæ: Dadysela, gentis Croisæ: Sueveghemum, Halewinæ: Zueveſela, Luuxæ: Wackenum, hebdomadalibus nundinis ornatū, & Catthemum, Burgundicæ: Denterghemum, Dolehaingnæ: Mosfcronum, Barræ: Muelenbeca & Grammena Beræ: Heula, Liedekercæ: Putthemum, Claerhoutæ: Olsena, Lanchalsæ. Cum illa in censu generali pecuniam una conferunt, Tiletum, Harlebeca, Deinza, Menena.]

Aldenarda posita est ad flumen Scaldim, quinta quidem à Ganda, septima vero à Tornaco leuca. opidum sane concinnum, munitum, & mercimoniis floridum. fiunt hic inter alia longe plurimi variorum generum pretiorumque tapetes, & pæne immensa vis linteorum.

ADDITAM. [Aldenarda, nominis auspicium traxit ab Ald sive Aud, synonymis vetustatem signantibus, & Naer, per diphthongum, pro Ner: hoc est, ab antiquis Nerviis: quorum curia fuisse existimatur: ad quam Ambiorix, postridie quam Advaticos allocutus esset, scribitur appulisse; & hinc improvisus castra Q. Ciceronis invasisse. Temporum bellorumq; injuriis imminutam, circiter annum 489. Gothi munierunt, ceu repagulum Scaldis contra Gandenses à Vandelis occupatos. Quam opportunitatem

Flandriæ

*Flandriæ poſtea Principes, quoties in Gandenſes belligerarunt, arripuere; magnis hujus oppidi tum jacturis, tum conſtantiæ ornamentis. Fuit enim anno 1379. quatuorque poſt annos à Gandenſibus, principis Malani adverſariis, inopinato capta atque ſpoliata. At, circa eaſdem tempeſtates ab eorum exercitu ex tota pæne Flandria collecto, fruſtra bus obſeſſa atque oppugnata. Decus illi adſerunt tum illuſtria Comitiæ hic indicta; tam à Balduino Lilano, ubi legati Hollandiæ, Roberto minori ejus filio viduam Florentii primi in matrimonium, liberos in tutelam, Hollandiam in adminiſtrationem obtulerunt; quam ab ejus filio Montano, ante mortem liberos nobilitati ſacerdotioque commendante: tum ſedes figendæ aulæ, per Ioannem Digeonium electa; quum domicilium in Flandria ſe conſtituturum, ſub inaugurationem, Flandris ſtipulantibus addixiſſet.*]

Nata eſt in hoc opido illuſtris herois Margareta Auſtriaca, Philippi Catholici Regis ſoror, & Belgicæ terræ Gubernatrix. Natus item Matthias Caſtellanus, vir inſigniter doctus, & poëta famoſus. cui palmæ adſcribitur, quod in hoc quidem tractu reduxerit omnium primus poëſin illam vulgarem ad juſtos ſuos & debitos numeros. Prætor hodie Præfectuſque eſt hujus Opidi vir illuſtris Franciſcus Halewinus, Dominus Suevegemii, qui cum veteri ſua nobilitate litteras quoque & virtutes conjunxit. cui in præfectura nuper ſucceſſit Philippus Caſtellus, Dominus Blangervalliæ, vir multis nominibus ornatiſſimus. Conjungitur intermedio ponte Aldenarda cum Pamela, non pœnitendo prorſus opidulo, & uno è quatuor Baronatibus Flandriæ, urſum in ſtemmate gentilitio præferentibus. habet Pamela peculiarem ſuum Dynaſtam, qui nunc Philippus Locquinginius, eques auratus, & fortitudine prudentiaque clariſſimus Baro, cui nobilis iſte locus una cum aliis aliquot ditionibus obvenit ex matrimonio Annæ Grachtiæ, hæredis antiquæ domus Iogniacenſis. Pamelæ natus eſt David, naturalis ejuſdem familiæ filius, Magnus patriæ terræ Prætor, doctiſſimuſque & ingenioſiſſimus vir.

ADDITAM. [*Caſtellania Audenardenſis celebris eſt, commoditatibus Scaldis, eique adjacentibus paſcuis, & Abbatia Einhamia Benedictina viris, anno 1063. inchoata, auctore Balduino Lilano, Flandriæ Principe, caſtellumque Einhamum attribuente: neque non altera Maegdendalæ (quod vallem virgineam ſonat) Bernardina feminea. Pagos numerat triginta tres: in iiſque*

Heynæ,

Heynæ, *collegio canonicorum ornatæ, & Antoinii Ciſſcaldani, Boſſuutique Baronias*: Vichtam *nobilis domus, Mareſcalco Flandriæ perpetuo decoratæ, cognomen, peculiumque caſtrenſe*: Auweghemum *gentis Trieſtæ*: Nocram, Beveramque *Vichtæ*: Mulhemum, *Cabeliavæ*: & Peteghemum *ad Scaldim, Abbatia Veſtalium Clarana, & pulcro palatio principis Flandriæ Guydi, ejuſque uxoris deliciis exornatum.*]

Duabus ab Aldenarda leucis ſitus eſt pagus Ronſa, ubi natus eſt Doctor Hermes Wingius, Regiæ Majeſtati à conſiliis ſanctioribus, vir eximie doctus & excelſo ingenio præditus. cujus filius quoque Ioannes vir eſt magnæ doctrinæ, & Conſiliarius in Cancellaria Brabantiæ.

ADDITAM. [*Rotornacum Latinis*, Renæſa *Gallis*, Ronſa *vernacule nuncupatur. Guydus Dampierrus a Reynoldo Abbate D. Cornelii Indenſis, diœceſis Colonienſis emptam, in filium ſuum Guydum Ribeburgenſem tranſtulit. Famam opeſque peperit, tanto pannificii, aliorumque artificiorum quæſtu, ut in generali Flandriæ cenſu cuncta oppida, præterquam tres Flandriæ matrices, collatione antecedat: celebritatem etiam frequentiamque ſibi conciliavit, templo collegioque canonicorum D. Hermetis, martyris Romani, ejurandu energumenis famigerato. Quum anno 1519. mulier quæpiam in plateam effunderet aquam, quidam tunc illi dæmoniacus: Tu quidem, ait, nunc aquam abjicis, at ignoras ſtultula quam illa tibi futura ſit ante veſperum neceſſaria: vergente enim die pluſquam ſeptingentæ domus fortuito illic deflagrarunt. Spectat ad Fridericum Perenotum Granvellanum, ærarii financiarum Præfectum, facundum atque literatum. Ronſa & Leſſinæ interjacet* Silva Podsbergia *ingens atque luculenta. Ornatur Hermete Wingheno, Iuris Doctore Lovanienſi, & Privati Concilii Senatore.*]

Ardenburgo antiquitus nomen erat Rodenburgum, opido Sluſa tantum unius, Brugis vero circiter trium leucarum itinere diſſito. fuit olim metropolis primæ illius partis, quæ Flandriæ ſibi nomen invenerat, continebatque præter hoc ipſum opidum, Toroutum, Ooſtburgum, territorium Brugenſe (Brugis videlicet nondum conditis) & maritimam omnem oram uſque ad Picardiæ Bononiam. Hodie ſatis lautum adhuc eſt opidulum, & nonnihil è veteri illa ſua dignitate retinuit: templum habens Divæ Virgini dedicatum, inter pulcherrima ſumtuoſiſſimaque totius Flandriæ. celebratur hic menſe Iu-

nio equorum & aliarum rerum mercatus. Atque hæc quidem ſunt opida muris clauſa, quæ ad exactum hunc ſexageſimum ſupra ſeſquimilleſimum annum in Teutonica Flandria reperiebantur. pergamus deinde ad deſcribenda ejuſdem partis municipia, incipiamuſque ſolenni noſtro more ab Septemtrione.

Ooſtburgum diſtat Sluſa unius, Brugis quatuor præterpropter leucarum intercapedine.

ADDITAM. [*A munitione, Orienti ſoli obverſa, hoc oppidum nomen accepiſſe, vulgo notum, antiquitatem habere annalibus perſpectum eſt. Cujus meminiſſe hiſtorias mediæ ætatis, Beat. Rhenanus aſſerit. Gandenſes, à quibus direptum incenſumque fuerat, agro per aggerem marinum inciſum repente inundato, ad annum 1384. deprehenſos, hujus oppidi cives in ultionem oppreſſerunt, Cum Ambachto, cui nomen fœneravit, valde fertili; hinc Caſantiæ inſulæ aſſidente, illinc Vliſſingæ ad Breskinam & Nieuwerhavum oppoſito, circumcingitur undiq; reciprocantibus. Emporio, vel ante Brugam cognitam frequenti: nundiniſque adhuc non obſcuris menſe Auguſto, annuatim recurrentibus.*]

Middelburgum, ut ſcribit Oliverius della Marche, conditum fuit à Petro Blandelino, Ordinis aurei Velleris Theſaurario, viro divite & potente, anno Chriſti 1446, abeſt autem Damma unius, Brugis, duarum & ſemi leucarum intervallo. fuit olim muris circumdatum, ut è ruinis quibuſdam hodieque apparet. nunc aggeres tantum habet & foſſas. eſtque ex parte uxoris, filiæ Dominæ Middelburgenſis, in ditione viri Illuſtris Ogneſii, equitis magnæ conditionis, Vicecomitis Iperani, & Magni Brugenſium Franconatumque Prætoris. cui mortuo nuper ſucceſſit Dominus Frenſius, nobiliſſimus adoleſcens.

ADDITAM. [*Ædificati illic prætorii non contemnendi auctor, & conditi collegii canonicorum: ſcriptoque hærede Carolo Bellicoſo, quum liberis careret, ante aram templi maximam illic ſepultus eſt. At muris hoc oppidum exutum fuit deſtructumque anno 1488. à Brugenſibus, Maximiliano Cæſari obluctantibus: Ibi videre eſt, uti in ceteris fere omnibus Flandriæ oppidis, cœnobium Franciſcanum femineum: cujus inſtituti mulieres evocantur ad cives domi ægrotantes, ſervitio ſuo refocillandos. In proximo eſt Abbatia Zoetendala, quod dulcem vallem denotat, canonicorum Regul. virilis, anno 1215. erecta: atque Caſtellum, cui Leeſta ſive Forma calcearia nomen eſt, ejuſdem familiæ Bladelinæ opus,*

*opus, in qua neutrum diu permansit: hoc enim ad Matthiam Laurinum pertinet: illud Caroli Bellicosi dono anno 1476. (qui à morte Bladelini quartus erat) derivatum est ad Gulielmum Hugonetum Cancellarium; perque ejus sobolem ad gentem Hamesam ac Ongniesam.*]

Monachoreda dissidet Damma, via qua Slusam itur, paullo minus quam leucæ spatio: antiquum, & olim etiam lautum opidum, sed per bella sæpius dirutum, sic ut hodie vix tueatur opidi nomen, etsi privilegia sua, non aliter quam si incolume foret, conservet.

Blancoberga ad maris littus est, Brugis duarum leucarum intervallo abjuncta, opidulum adprobum, & pulchra satis arce communitum, ubi magna conficitur vis sajarum, linteorum, & id generis mercimoniorum.

ADDITAM. [*Antiquitus* Scarphoutum *dicebatur: quod maris protervia, anno 1334. disperdidit, non secus atque Testreepum, juxta Ostendam. Postea à candore tumuli arenarii & littoralis, cui insidet, aliud nomen auspiciumque comparavit. Stationem maritimam habet & piscationem copiosam. Appulit huc anno 1489. in quadragesima & capta fuit ingens balena. Hic ecclesiæ curio pastorque fuit Iacobus Meyerus, quum opulentissimi sacerdotii splendorem promereretur: defunctus eo munere atque vita Brugæ, sexagenario major, ad annum quinquagesimum secundum supra sexquimillesimum: quamvis Bodinus in sua historiæ methodo perperam asserat Meyerum vixisse scripsisseque (Cominæi coëtaneum) Ludovici XI. Gal. regis tempestate: quod annotandum existimavimus, non vitilitigandi, aut doctissimi viri reprehendendi causa; sed chronographia admonenda. Assidet Blancobergæ pagus* Wikerca, *dynastia, & pridem cognomen nobilis gentis, aurei velleris ornamento illustratæ.*]

Houca sita est ad aquæductum Brugensem, medio fere inter Brugas & Slusam itinere, perexiguum quidem & vix ullius momenti opidulum.

Aldenburgum dissidet Brugis duarum leucarum spatio, unicam tantum habens portam, etsi opidum tamen perantiquum, & famosum olim ac mercimoniis inclytum. gaudet quotannis Ianuario mense equorum & aliarum rerum mercatu.

ADDITAM. [*Aldenburgum pro Audenburgo vernaculo in archivis Latinis vetustioribus inscribitur: ex Germanico idiotismo ejusdem notationis, antiquitatem ipso nomine præferentis. Pro comperto habetur ab initio fuisse oppidum prima nota in*

*Flandria, ac à Balduino Calvo, ad annum 865. Burgum Brugense, quum à Patre ejus muniri cœpisset, lapidibus cinctum esse ex Aldenburgi ruderibus, Hunnicæ sub Attila sævitiæ testibus: Nam ut canit Sidonius Apollinaris:* Terrificis diffuderat Attila turmis In campos se Belga tuos. *Abbatiam habet D. Petri Benedictinam virilem, fundatam anno 1084. per Arnulphum Episcopum Suessionum, assensu Roberti Frisii, donatum sibi à Conone cubiculario suo, templi Audenburgici patrocinium tradentis Rabodoni Novioduni, Tornacique Episcopo, illud postea in Arnulphum illum transferenti.*]

Ghistella duobus leucæ trientibus Aldenburgo, Brugis vero duabus leucis abjungitur, opidulum minime contemnendum, ubi plurimæ fiunt *sajæ*, panni, & similes merces. est autem hæc magni momenti & vere illustris Dynastia, vel ut vulgo appellant *Baronatus*, censeturque domus Ghistellia una cum Halovinia inter antiquissimas Flandriæ. Dynastam nunc habet illustrem virum Cosmum Affaitadum.

ADDITAM. [*Ghistella illustris domus, cui pridem parebat, cognomentum, nuptiis transiit in familiam Bethunienſem, atque Luxenburgiam, una cum Brugensi telonio, Ghistellæ dynastis attributo, ut eo velut auctoramento, Oceanum Flandriæ affluentem, piratarum expertem servarent. A Comite Briennæ, Gallo, ut se facilius captivitate redimeret, in quam anno 1544. inciderat, vendita fuit Ioanni Carolo Affaitado, patricio Cremonensi, qui Antverpiæ negociabatur.*

*Abbatia Benedictina feminea, dedicata memoriæ D. Godelievæ, quod nomen Theophilam signat, anno 1070. hic strangulatæ per duos servos domesticos, cervici faucibusque ejus mantile intorquentes; auctore Bertulpho marito, clari Ghistellæ generis, à matre, nurui infesta, irritato in uxorem, Lonfordia stirpe nobilem formosamque, sed comendi & illecebrarum negligentem, pietatique in Deum, charitati in egenos nihil præferentem: cujus vitam exitumque perscripsit Drogo monachus & sacerdos, id temporis Ghistellanus. Atrocitatem vero illam Bertulphus in eximiam resipiscentiam, cutisque loricatæ castigationem in divi VVinoci Bergensi Asceterio fertur convertisse. Nomine Iudoci à Ghistela, equitis clarissimi circumfertur typis editum Itinerarium Hierosolymitanum, varium atque amplum linguæ vernaculæ: quem Goropius Iustum Ghistelensem vocat, ejusque testimonio oculato utitur, ut doceat montem, vulgo Sinai dictum, nulla aquarum penuria laborare.*]

Lombartſida

Lombartſida leucæ tantum quadrante diſſidet Neoportu, opidum olim muris clauſum, nec omnino incelebre, etſi hodie multis partibus imminutum, pagi magis, quam municipii nomen tueatur.

ADDITAM. [Lombarſida, *à Nieuporto (cui ad Orientem proxime incumbenti, portum olim ſuum vendidit) ſuppreſſa, & ex empto, principe vendente, poſſeſſa. Denotat Longobardorum Idam: Ida vero ruſticam tuguriorum ad piſcationem maritimorum compagem: qualem eo nomine videre eſt mille paſſ. à Nieuporto Occidentem verſus, Ooſtdunckercæ pago Feurnenſi.*]

Toroutum, Ghiſtella quidem duabus, Brugis vero quatuor leucis abjungitur, habeturque opidum perantiquum, & Iunio Iulioque menſibus celebri ſatis equorum & aliarum rerum mercatu ſplendet, ditionis (ut mox ſubjungam) Cliviorum & Iuliacenſium Principis.

Loa diſtat Dixmuda ſeſquileucæ. Vurna vero duarum & ſemi leucarum ſpatio, eſtque & ipſa inter opida Flandriæ vetuſtiſſima, muris olim circumdata, & primarii nominis. ſupereſt hodie una ex ejus portis, & veteris muri fragmentum. quod autem tectorum ſimul & incolarum frequentiam attinet, tolerabilis etiamnunc locus eſt.

ADDITAM. [*Loa, cum Ecloa, Calloa, aſſimilibuſque, olere quibuſdam videntur Latinæ vocis,* Colonia; *reliquias atque teſtimonium: alii eminus hoc petitum, originemque Germanicam eſſe exiſtimant, à* Lo, *quod locum altiorem notat, ſtagnis aut torrentibus adjacentem. Celebrem hic olim mercatum fuiſſe, via lata, rectaque agnominis, quæ à Stegra huc ducit, indicat. Portas adhuc lapideas habet ad Orientem & Occidentem ſolem cum foſſis oppidum ambientibus. Altera pars oppidi, ſpectans Septemtrionem, Præpoſituræ ibi Abbaticæ canonicorum Regul. virili, inceptæ anno 1050. ſubjicitur: præcipuæ dotationis initio orto, ut ex archivis illius cœnobii palam eſt, per Philippum Ypræ Burggravium, Roberto Friſio natum, ejuſque filium Guillielmum Yprenſem: qui Eccleſiæ Loenſi dederunt terram (ut ipſorum verbis utar) præconis, Comitatum, Stallum totius oppidi, telonium, exactionem, cunctumque ibi jus ſuum ſeculare, exceptis gladio & moneta: ut manifeſtum eſt ex diplomatis Caroli Pii & Philippi Alſatii, Flandriæ Comitum: illius, datis anno 1122. hujus, anno 1181. confirmantibus eam, quam dixi, munificentiam eiſdem illis verbis. Vnde & apparet nondum tunc extitiſſe habitatam*

*eam oppidi partem, quæ Meridionalis est, potissimaque Principem Flandriæ respiciens: & mirum videtur Comitatus dignitatem fuisse iis temporibus tam trivialem, ut oppidulo nullam habenti foris jurisdictionem, cingitur enim à Feurnensi Castellania, nullam domi amplitudinem, attribueretur: nisi ille titulus magis ad possidentium, qui ex Flandriæ Principibus emanabant, quam ad possessionis magnitudinem referatur. Indidit nomen tum fluento, hinc Ypram, illinc Feurnam, Dixmudam, Nieuportum ducenti, atque in Oceanum: tum pago adjacenti, templi Loani communioni, Feurnensis Ambacti tribunali, obligato: ubi imprimis comprimuntur, veneuntque caſei præcipuæ notæ ac celebritatis. Parmensibusque lautitiæ gloriam cedere dedignantes*, Nieumolkini *vocitati; quod ex recenter emulcto vaccino lacte, cui cremor non est detractus, coagulescant. Nundinas annuas habet mense Octobri, &* Seneschalkiam, *multorum feudorum matricem, in iisque solummodo nundinis Bailivi munus Loæ exercentem, quæ gentis Pollinchovæ est. Ornatur Iacobis Budsino & Claisso, quem Paulus Leopardus Nicoleon & doctissimum vocat, Iurisconsulti multarum disciplinarum peritis, eorumque propinquis Rolando Arnoldoque Zegherstapliis, & Carolo Claisso fratribus literatis: illo Feurnæ, his Bergæ consularibus.*]

Hondiscota triangulari adspectu intuetur Winocibergam, Vurnam, & Loam, quibus omnibus pari propemodum geminæ leucæ spatio dissidet, bonum sane & peramœnum opidulum, ubi ingens contexitur vis *sajarum*, celebratarum passim, & in varias mundi partes distrahi solitarum.

ADDITAM. [*Hujus loci etymon ex canum venaticorum, aut stabulo, uti Petrus Nannius ad Leopardum scribens,* κυνοικοδὴν *Græce, Honscotam nominat, aut pullulante cremento, aut tributo, velut Cynegium, elapsum est: neque enim ausim hujusmodi nominum originationes ad certitudinis libram appendere. Oppidum vulgo habetur, inscribiturque, sed revera pagus est, collationibus à Principe Bergensi castellaniæ indictis, subjectus: à cujus tribunali non est avulsus, ante annum quadringentesimum trigesimum, supra millesimum: quo tempore Philippus Bonus in Compendii obsidione, pecuniæ modicus, Ioanni Hornio, equiti, dynastæ loci, vendidit quater mille florenis meri imperii, gladiique potestatem. Vbique innotescit per totam fere Europam textoriis officinis tenuium pannorum laneorum, quas Says & Sayettas vocant: quibus consignandis plumbo, & internoscendis, à Malano ad annum 1323. sigillum impetravit. Tanta ibi fuit, ante hoc sacrum & incen-*

*& incendiarium Flandriæ bellum, frequentia adium, populique radio telas percurrentis, incilia calcantis, pedibusque argutantis, & textrinæ fila, cannas præparantis, ut plusquam viginti incolarum milia illic invenire fuerit. Magistratus cura & industria singularis est, egenis pueriſque adjuvandis, & ab ocio, publicoque mendicabulo, ad laborem quæstumque adhibendis. Cœnobia habet Crucigerorum Trinitatis viril. & Franciſcanum femin. atque nundinas hebdomadales binas, & circa ferias Pentecoſtes, annuas. Adjacet illi toparchia luculenta Præpoſituræ Donatianæ Brugenſis: rivo, cui pons lapideus inſternitur, & juriſdictione diſtincta, ſacrorum templique communicatione unita. Erat quondam nobilis familiæ cognomentum hæreditumque; jampridem ſpectans ad gentem Horniam Gaſebeciam.*

*Ornatur Iacobo Navarcho, qui ſcripſit epiſtolam Aſiaticam de ſectis in religione Orientalium populorum.*]

Mardica eſt locus maritimus, medio inter Duinkerkam & Gravelingam itinere, opidum perantiquum, & egregium olim ac famoſum, ſed per bella ſæpius diruetum, atque eo redactum loci, ut vix ipſa ſe agnoſcat, & pauculis tantum domibus tueatur priſtinum nomen.

Poperinga, Iperis quidem duabus, Caſleto vero tribus leucis abjungitur, opidum ſatis lautum, & pulcherrimis templis inſigne. celebratur in eo quotannis Aprili menſe magnus omnigenarum rerum mercatus, fiuntque plurimi panni, & conſimiles merces. Incidit Poperinga, dum hoc opus abſolverem, anno videlicet 1563, tertia feria Pentecoſtes, in miſerabilem valde calamitatem. ſiquidem caſu exortum incendium, vix duarum horarum ſpatio, maximo ſane incolarum detrimento, pæne totam eam abſumſit, templis tamen miraculoſe ſervatis. quod eo quidem viſum eſt mirabilius, quod ante annos tunc quinquaginta eodem omnino die, imo pæne hora, ſimile paſſa fuerat infortunium.

ADDITAM. [*Agnoſcit dominatum Abbatiæ Bertinicæ, ex donatione Balduini Securiculæ, vetus Walberti Arkenſis, potentis reguli, & in monaſterium illud profuſiſſimi, beneficium confirmantis.*]

Bella, quam & Balliolum vocant, diſtat Poperinga duarum, Iperis vero trium leucarum itinere, opidulum ſane concinnum, & lanificio admodum florens. celebratur hic menſe Septembri frequentiſſimus cum pannorum tum & aliarum rerum mercatus.

ADDITAM. [*Aſsidet illi dynaſtia Bellæquintæ, gentis Vaſqueſæ, Luſitanis oriundæ. Suevit alendæ ad diſciplinas Latinas ſcholæ diligenter providere, Ioanne Lottino urbis tutore, eam curam non negligente: cujus germanus Petrus, terræ Francæ ſcabinus, hiſtoriam reparati generis humani explicare meditatur.*]

Bellæ natus fuit Iacobus Mejerus, hiſtoriographus Flandriæ, pluries nobis laudatus, doctus equidem, verax, & ſinceræ fidei ſcriptor.

ADDITAM. [*Ornatur etiam Franciſco Torrio medico & Poëta: Iudoco Courtewillo, equite Calatravæ, primario arcani concilii ſecretario: Guilielmo Cornhuſa, & Franciſca Roſa, Iuriſconſultis conſiliariis.*

*Caſtellania Bellana, pagos decem habet, ſupra quatuor quos vocant angulos, à totidem mundi cardinibus denominatos: In quibus* Eeka, *gentis Bellæ: patria Wulmari Bernardi Iuris Doctoris Lovanii, ejuſdemque academiæ ſubinde rectoris:* Cæſtra, *Thienneſæ: ubi non minus quam Gandavi, Brugæ, Ypræ, Slipæ domum, opeſque non exiguas poſsident hoſpitales Ioannitæ, quos pridem Rhodios, nunc Meliteos commendatores vocant.* Nieukerca, *quod Neocleſiam ſignat, gentis Egmondanæ: decorata ludo literario idiomatis Græci Latinique, impenſis incolarum inſtituto: tam feraci hominum eruditione præſtantium, ut multi inde clariſsimi prodierint: interque eos Iacobi Martinius, Heſſeliuſque indigenæ: quorum uterque ad equeſtrem dignitatem, & ille ad præſidis, hic ad primarii in ſenatu Flandriæ, conſiliarii munus illinc emerſerunt doctrina induſtriaque.* Dreuoutra, *dynaſtia Caroli quondam à Mourbeca, Græce Latineque docti, artritidiſque dolores lenientis, herbarum, piſcium, avium, lapidum naturis in Flandria cognoſcendis, & per domeſticum pictorem exprimendis.* Bertena, *ubi maxima pars montis Cattorum, in vertice geſtantis binas molas, alteram olearian, alteram frumentariam.* Nipkerca *Ermentieræ cis Lizam proxima, ac ornata Prioratu gregis Benedictini opulento, & Henrico Vicquo, Oeſthovio, Iuriſconſulto, Bergæ conſulari, qui ſcripſit de Chriſti deſcenſu ad inferos.* Bellam *cum terreno, Margarita Conſtantinopolitana dedit Ioanni, ex filio Ioanne Dampierro, nepoti: in ſolutum bis mille libratum Pariſicarum patri, in ratam hæreditatis maternæ addictarum annuatim. Illinc emptam patruus Guydus Flandriæ Princeps donavit Guydo Namurcenſi, ſuo ex ſecundis nuptiis filio, Riheburgi domino; cujus morte abſque liberis extincti, ad Flandriæ Comites perpetuo rediit.*]

Meſſina Iperis ſimul & Bella æquali duarum leucarum

rum intervallo abjungitur, opidum satis lautum, lanificio florens, & quam optimo sane ampliſſimoque fœminarum cœnobio nobile, cujus quidem Antiſtita, pariter ut Montenſis & Nivellana, non temporalis minus quam eccleſiaſtica loci Domina, vulgo audit Mevrouwe van Meeſſene / Domina Meſſinenſis. Verum hoc religioſis iſtis peculiare, ut primo ſtatim in Abbatiam ingreſſu in Antiſtitæ manum conveniant, & ſacræ ſodalitatis ſacramentum ineant, nec reſilire poſſint ab inſtituto. Conditum iſtud Cœnobium, ex Mejeri quidem ſententia, anno ſupra milleſimum ſexageſimo altero, à piiſſima illa fœmina Adaleda, Balduini cognomento Pii, Flandriæ Comitis, conjuge.

ADDITAM. [*Meſchinas Galli nuncupant. Cujus initia etymumque veſtales Meeſſeniæ, ex antiqua traditione referunt ad tres puellas, quas vernacule* Meiſen *nominamus, eximiæ pietatis & caſtimoniæ prodigiis, ſub Balduino Lilano celebres, ibi conditas, habitaſque in honore. Vbi etiam annales ferunt Dulciam mulierem conjugatam anno 1347. famigeratam fuiſſe, quia aliquot annos omni cibo potuque nullius fraudis comperta, abſtinuerit; præterquam Euchariſtia, cœnaque Dominica.*

*Ornatur Guilielmo, antiqua familia Meeſſenenſi, dignitate Patriarcha Hieroſolymitano, temporibus Roberti Solymi: Matthæo Ryco, medico: Iacobo Cruquio, literarum humaniorum publice Brugæ Profeſſore; qui ſcripſit in Horatium Commentarios, eorumque in præfatione, urbis Brugenſis Encomion: Carolo Liebardo, Theologo & Poëta.*]

Adſidet flumini Liſæ, non procul ab Meſſina, pagus Cominium, arce valide ſatis munita conſpicuus. ubi pulcherrimam ſane & inſtructiſſimam bibliothecam collegit nobiliſſimus & doctiſſimus vir Georgius Haloviniius, Halovinæ & Cominii Dominus, qui inter alias ſuas præclaras actiones, alebat perpetuo viros aliquot doctos & virtutibus inclytos. Ex eadem hac gente Comminæa originem traxit Philippus Comminæus Dominus Argentonii, qui ſincere admodum & veraciter ſcripſit rerum temporis ſui commentarios. nobilis ſane, experiens, & quantivis pretii vir, laudatus, & quidem cum laude, à compluribus hujus ævi ſcriptoribus, nominatim vero à patruo noſtro Franciſco Guicciardino. Natus item Cominii perilluſtris ille Augerius Giſlenius, Toparcha Busbequius, vir cum in alio omni ſtudiorum ge-

nere, tum Iuriſprudentia maxime & philoſophia verſatiſſimus. ſeptilinguis idem, & Latine, Italice, Gallice, Hiſpanice, Germanice, Flandrice, Sclavoniceque tam dextre ſciens & ſonans, ut ſingulæ harum nationum pro cive eum agnoſcant. præterea tam in rebus tractandis prudens atque induſtrius, ut jam ſæpe functus ſit variorum Principum in graviſſimis rebus legatione, & nominatim ea Ferdinandi Imperatoris ad Turcarum Principem Soleimannum. apud quem octo ipſos annos continuos ea fide & integritate tractavit reipublicæ Chriſtianæ negotia, ut non ad maximam tantum à Principe ſuo dignitatem evectus ſit, ſed apud ipſos etiam Barbaros viri boni cognomen invenerit.

Viroviacum, Flandrice Werwijck/ adjacet flumini Liſæ, medio inter Meſſinam Meninamque itinere, à qua utraque leucæ tantum unius intervallo abjungitur, opidum alias magni nominis & momenti, ſed in tenuem hodie locum & conditionem redactum, at pulcherrimo tamen templo Divæ Virgini ſacro, & ampliſſimo cenſu dotato, inſigne. fiunt hic magna copia tapetes illi viliores, quos Itali fere *Carpettes* dicimus, vel *celones*.

ADDITAM. [*Viroviacum, in Antonini Pii Itinerario (quod, licet antiquiſſimum, Chriſtophorus Longolius videtur primus in lucem typographicam edidiſſe) denominatur. Opulentiam illi ex pannorum laneorum textrinis magnam Froiſſartus hiſtoricus attribuit: quum à Gallis Malani auxiliariis anno 1381. diriperetur atque deflagraret. Cui ſtragi alia poſt acceſſerunt, nam incendium fortuitum anno 1440. ædes ſupra mille abſumpſit: & aliquot poſt annos Veſpillones peſti curandæ adhibiti, amplius quam mille civibus pro remedio venenum contagiumque, pro vita necem porrexere, non impuniti. Ornatur Guilielmo Lapidano, Philoſopho. Scripſit methodum dialecticam.*]

Viroviaci natus eſt Martinus Caſtellanus, homo prodigioſus. cum enim inde à bimulo occæcatus fuerit, nec meminerit umquam ſe vidiſſe, imo ne præceptore quidem uſus ſit, aut à quoquam adjutus, ipſe per ſe, vel ut verius dicam, divino quodam inſtinctu, eximius factus eſt faber lignarius. ita ut non ea tantum quæ manibus palpat, mirabili ſane modo conficiat, ſed & ipſe pleraque ſuopte Marte inveniat, variaque ad artem utilia inſtrumenta excogitet. ſpeciatim vero elaboret omne genus toreumatis: item organa illa pneumatica, clavicymbala, chely-

chelydaſque, neque ſuaviter tantum ea pulſet, ſed concordet quoque & ad juſtam ſymphoniam redigat. multa inſuper alia operum genera palpabundus ea proportione, facilitateque & elegantia abſolvat, ut nec oculatiſſimus quiſque majori vel gratia, vel judicio ea poſſit perficere. unde vere profecto Catunculus ille puerorum:

*Conſilio pollet, cui vim natura negavit.*

Nam ut loquar ingenue, homo eſt prorſus acutus, & ingenio non excelſo tantum, ſed & ſedulo præditus, ut qui dies noctesque labori incumbat, nec inter utrumque hoc tempus ullo modo diſcernat, aut lucerna umquam indigeat. Memini quærere me, ecquid præ aliis omnibus rebus deſideraret videre, & colores cum reſponderet, adderetque uxorem à ſe & filium, quidnam eſſent, palpari, item equum, avem, piſcem, & alia: ſed nec tactu, nec mente comprehendere poſſe, quodnam eſſet inter album nigrumque diſcrimen, ideoque teneri extremo quodam videndorum eorum deſiderio: replicare me, veriſimilius ipſum exoptaturum cœli & Solis, item lunæ, & aliarum ſtellarum adſpectum; ſed reponere ipſum ſuaviter ſapienterque ſubridentem, malle ſe illa manibus poſſe contingere. ita enim fore, ut aliquatenus caperet, quæ alioqui tantum adſpecta, incertiorem eum, quam dudum eſſent relictura.

Menina eſt ad flumen Liſam, & Cortraco quidem duabus, Inſulis vero tribus leucis abjuncta, urbecula ſane mediocris, foſſa, & verſatili contra ſubitos hoſtium curſus ponte firmata: imo & extra ordinem poſtea validis propugnaculis communita.

ADDITAM. [*Porro hoc ſacro & internecino Flandriæ Belgiique bello civilium diſtractionum velut claſſicum erat: quod inopinato à Gallis Belgicis occupata, iiſque erepta ſit & permunita. Græcæ Latinæque literaturæ frequentem ſcholam hic aperuit Petrus Megangus.*]

Conficiuntur hic plurimi variorum generum panni, & in varias mundi partes, Hiſpaniam maxime diſtrahuntur. coquitur item ingenti copia præſtantiſſimum genus cerviſiæ, quæ per totam adeo Flandriam in deliciis fere habetur, & magnopere paſſim expetitur. Procreantur præterea & enutriuntur hoc loco capi, omniũ quotquot uſquam vidi & pinguiſſimi ſimul & maximi, utcumque

ab omnibus passim jactentur Brugenses, sintque altero tanto quam ordinarii nostri majores.

Halewina tantum leucæ unius quadrante, Menina disjungitur, opidum quidem exiguum, sed idem valde antiquum, & lanificio nobile.

Wastena, Gallis dicitur *Warneton*, estque ad flumen Lisam, medio inter Iperas Insulasque itinere.

ADDITAM. [*Habet Abbatiam Canonicorum regul. virilem, arcemque Baillivi habitationem. Illustratur sepulcro Roberti à Flandria, Castetani: erecto Ioannæ uxoris ejus, Arturi Britanniæ Ducis filiæ natu maximæ, propensione. Per quorum filiam hæredemque Yolanthidem, hoc oppidum cum castellania in Barensem familiam matrimonio transiit: Hinc ad prosapiam Nassaviæ Comitum per nuptias accessit. Ornatur Christiano Masseo, quem hic natum Iacobus Meyerus censet: quamvis se ipse inscribit Cameracenatem, ob ejus urbis in qua schola luculentæ diu præfuit, celebritatem. Edidit Chronicorum multiplicis historiæ, utriusque testamenti libros viginti.*]

Contexuntur hic itidem multi panni, & subjecta est loco *Castellania*, cum perampla in agros pagosque circumjectos jurisdictione.

ADDITAM. [*Castellania Wastenia Lizæ intercursu irrigua, pagos quindecim continet: in quibus sunt* Zoetersteda, *arce olim munitissima, & Marschalco hæreditario Flandriæ ornata, gentis Etourmellæ:* Wulverghemum *gentu VVytsæ:* Coudenhemum, *Mourbecæ.*]

Stegra pariter est ad Lisam flumen, medio fere itinere inter Bellam & Armenteriam, à quarum utraque binis tantummodo leucis abest.

ADDITAM. [*Galli Eterram vocant, non ignoratur propter Lizæ alluentis, & pontis ibi lapidei, valde frequentati, commoditates: nam per Stegram, Castetumque via regia, vetusque opus vel Romanorum, vel Brunechildis Francorum reginæ, ut volunt chronica Bertiniana, ac multis locis, etiamnum saxis compacta, ex Atrebatibus ad mare ducit; ut alia quæ per totam Flandriam lapidea dicitur, fuitque magus quam est a Tervana, Treviros versus pandebatur. Itinerum vero militarium antiquorum, quæ illic ceu exercitus viæ,* Herstratæ *vulgo dicuntur, saxea compages, quum aliis tribui quam potentibus Principibus nequeat, & nostris per nullos annales asscribatur, probabile est, Romanos grandium & mirabilium fabricarum studiosos, talium viarum strata procurasse. In Lizæ crepidine arcem habet spectabilem validamque,*

*lidamque, dynastæ domicilium. Pertinet ad gentem Stavelam, lanificii quæstuosa. Non procul monasterio virili Crucigerorum Trinitatis. Stegræ, & Ermenteriæ ultro Lizam interjacet* Laleva, *pomifera fertilisque regiuncula quatuor pagorum, in quibus Leventisa & Gorga; quam, licet jam Artesiæ subcenseatur, Margaritæ Constantinopolitanæ, à Couchii domino emptam, Flandriæ annexuit.*]

Mergemum est ad eumdem Lisam, leuca tantum à Stegra.

ADDITAM. [*Vetustius est quam ditius, quamvis panni ficii quæstuosum. Communis opinio obtinuit, ut pro* Minariaco (*cujus meminit Antonini Pii Itinerarium, habeatur: à Gallis Merville, quasi minor villa forsitan vocitatur. Situm est hinc ad Lizam, illinc ad silvam Niepensem: finitimumque est Abbatiæ Belli prati, Bernardinæ semin. ad Lizam ædificatæ. Olim cœnobio Broylensi ornabatur: cujus Abbas Morandus fuit anno 701. non minus celebri sanctimonia, quam nobilitate: qui Amatum Senonum Pontificem, ab Ebroino magistro equitum, sede sua expulsum, excepit ibi hospitio, mortuumque sepelivit, pietatis fama longe inclarescentem, donec urentibus Flandriam Normannis, Duacum transmoveretur, & in ædæ Virginis matris conderetur, eamque indueret sua nomenclatura.*]

Haesbrouca distat Casleto duabus leucis, estque opidulum satis lautum, & magno linteorum, inibi maxime confectorum, mercatu insigne.

ADDITAM. [*Fruitur hoc oppidum commoditate rivi effossi, ductique in Lizam per nemus Niepense: in quo Niepa, Borraque torrentes sunt, Lizæ incurrentes, & cœnobium Prævenense Crucigerorum Trinitatis, & arx regia ampla, valida, proventusque opulenti, quam coluere, ornaruntque ædificiis Robertus Castletanus, Mathildis, Philippi Elsatii, & Isabella Philippi Boni vidua. Linearum telarum mercatu frequenti est, atque copioso, nundinis annuis mense Iunio, Assidet illi* Mourbeca *pagus, suorum dinastarum prætorio genere, captoque in prælio apud Pictones Ioanne Galliæ Rege, Anglis victoribus, nobilium celebritate illustris.*]

Rosselara, Gallis vocatur *Roullers*, dissidetque Cortracensibus & semi, Dixmuda vero paullo plus quatuor leucis, bonum sane opidulum, & hebdomadario omnis generis rerum, maxime vero linteorum mercatu celeberrimum. Dynastam agnoscit Ducem Cliviæ, cui & ipsa, & opidum supradictum Toroutum, una cum Winendala

pago, aliisque & locis & bonis, obvenere ex hæreditate Illustris viri Philippi Ravesteinii.

ADDITAM. [*Ex Mariæ aviæ paternæ (Ioannis Digeonii filiæ) Adulpho Cliviæ Duci nuptæ, illisque locis dotatæ successione. Qui Philippus templi hic curialis fenestras nobilissimis prosapiæ suæ tam paternæ quam maternæ regiæ Lusitanicæ insignibus depictis, cohonestavit: non incelebris in nostratibus, Gallicis, Italicisque historiis: tum propter Sluusensium arcium, Brugensiumque contra Maximilianum Cæsarem (pro quo Brugensibus spoponderat) infaustam Flandris protectionem: tum propter exercitus Lesbum & Mitylenas illic in Græcia frustra obsidentis, ac Genuæ præfecturam, auspiciis Ludovici duodecimi Gall. Regis consobrini.*]

Tiletum positum est inter Gandam, Brugas & Cortracum, opidulum minime contemnendum, ubi conficiuntur complures panni, & lintea, item telæ cannabinæ levigatæ.

ADDITAM. [*Tiletum, in Flandriæ propemodum umbilico aëre salubri est: linificio frequenti, atque quæstuoso: xenodochio neque inopi, neque ineleganti, cum cœnobio Franciscano femin.; nundinis Septembri annuis. Quum anno 1402. mense Martio, hujus oppidi civis & incola Alexander Spierincus, Margaritæ tertiæ ejusque viro Audaci à consiliis, supremusque Flandriæ Bailivius quendam capitis damnasset, à reo morituro, injuriamque sibi fieri asserente, ut intra octiduum, Dei conspectui sese & judicio sisteret, citatus est. Octavo die, quum pila Tileti lusissent, inter confabulandum, Eram, inquit jocabundus, ab illo reo intra dies octo vocatus ad Dei tribunal. En dies octavus adest, & me sospitem adhuc conspicitis: Vix hæc locutus, subito incidit in morbum tam præcipitem & exitialem, ut ante octavi illius diei & vadimonii terminum, vitam finierit. Quod exemplum neque ridiculum est, neque Ferdinando quarto Castellæ, Petro Ceremonioso, Arragoniæ regibus & Francisco Britanniæ Duci ad eum modum citatis, extinctisque incompertum: neque magistratibus aspernandum, aut oblivisendum, & insontium preces non obscure exaudiri manifestat.*

*Ornatur Iudoco Ravesteyno, Theologiæ Doctore Lovanii, ejusdemque Academiæ subinde Rectore: scripsit adversus Catechismum confessionis Augustanæ, Antverpiæ editum. Petro Simonio in eadem Academia Theologiæ Doctore, Episcopo Yprensi, perquam laudato: ejusque gentili Guilielmo historico: Petro Pantino: qui sacros hymnos publicavit: Cujus agnatus Guilielmus*

Pantinus

*Pantinus fuit diu Brugæ medicus celebritatis non inferioris, quam Guilielmus Bernartius Tiletanus, Lovanii medicinæ Doctor, quem scholastici, ob vultus morumque gravitatem & integritatem, Catonem vocitabant.*]

Eclonia sita est inter Gandam & Brugas, & priore dumtaxat quatuor, altera quinque leucis abjuncta, municipium sane lautum, in quo magno concursu celebratur omni hebdomada forum lintearium.

ADDITAM. [*Ecloa (quod Altiusculum quercetum sonat) vico longo atque lato spaciosa, ac trito regioque itinere, & repotiis, Bruga Antverpiam aut Gandavum transeuntium; xenodochioque, ac subinde ludo celebri literarum frequentata. Magnum fecit anno 1452. dispendium à Picardis (sic enim Philippi Boni, quum in Gandenses pugnaret, omnes milites Gallici idiomatis vocitabantur) directa atque inflammata: quod suspecta esset commeatus clam & sæpe Gandavum missi, classicumque æris campani sonaret, quoties latrones illos, quo nomine Plautus pro militibus utitur, adventare sentiebat.*]

Stechena sita est medio inter Antverpiam Ecloniamque itinere, bonum sic satis opidulum, & assiduo commeantium transitu frequentatum. semileuca hinc distat nobile & prædives cœnobium Boudeloa. Quibus omnibus subjiciemus denique

Harlebecam, ad flumen Lisam, una tantum Cortraco leuca, locum pulchrum, amœnum, & inter Flandriæ vetustissimos. habet enim & Canonicorum collegium, & Vicecomitatus dignitatem, estque propria patria Liderici, Engerani, & Andakeri Harlebecanorum, qui fuere omnium primi hujus terræ Præfecti, sive ut tunc dicebantur, Saltuarii.

ADDITAM. [*Res humanas æstuaria quædam & ludibria esse vicis sortisque mundanæ vel hoc oppidum attestatur: tantæ vetustatis atque olim dignitatis, ut Balduini Ferrei, primi Flandriæ Comitis majores, hinc sibi primarium honoris titulum, annis abhinc octingentis, asscripserint: dicebantur enim Harlebecæ Comites, ut vulgus annalium asserit, certe domini: nam Comitum titulus rarissimo in usu illis temporibus, & regionibus; neque tam protritus erat, ut talibus locis attribueretur. Ceterum qualicumque inscriptione fuerit, hoc constat, Liedericum Harlebecanum ejusque posteros, ad Ferreum usque, Harlebecæ dynastas & fuisse, & audiisse arcem & domicilium ibi fixisse, sepulcrum elegisse. Sunt enim illorum tria ibi ante chorum primarium conditoria,*

*conditoria, humilibus ſaxis obtecta, epigraphe detrita. At Balduini Ferrei ditione potentiaque tantopere augeſcente, decreſcere & jacere cepit: atque ad annum 988. à vicinis Curtracenſibus, Principi Pulcrobarbo reluctantibus, clam noctuque intercepta, & cum arce temploque exuſta, fere interiit: ejuſque cladis veſtigiis nunquam abolitis, direptionibus, noviſque incendiis à Gandenſibus (Philippi Boni adverſarius) fuit diſſipata, civium propenſione reparata, cicatricibus ſemper conſpicuis. Locus hic illuſtri ad annum 1381. conventui delectus fuit, ad Gandenſes Malano reconciliandos: in quo Princeps ipſe, omniumque Flandriæ oppidorum primarii magiſtratus, & Gandenſium deputati, cum Brabantiæ, Hannoniæ, Leodiique legatis interfuere, concordiamque inierunt, à Gandenſibus, legatorum ſuorum acta improbantibus, ſubito diſſolutam. Situm eſt hoc oppidum ad Lizam, ornatumque Burggraviatu, annuis Septembri nundinis, & canonicorum collegio, temploque, cultui Servatoris conſecrato, perquam vetuſto: cujus nimirum initia ad Liedericum Harlebecanum deducuntur, qui anno 808. communi luce privatus eſt. In quo ad annum 1294. ſexto idus Februarii rigidiſſimo in gelu duæ philomelæ cecinerunt ea anni parte melos rariſſimum, forte portentoſum: ſtatim ſubſequentibus ingenti Cometa, Guydi Principis captivitate, belliſque diuturnis ac pernitioſis.]*

# FLANDRIA GALLICANA.

ALtera Flandriæ pars, quam Gallicanam appellant, à ſeptemtrione conjungitur cum Teutonica: ab auſtro cum ditione Cameracenſi: ab ortu eſt Scaldis fluvius: ab occaſu denique Liſa, & Comitatus Artheſiæ. hæc licet ambitu parum ampla, bona tamen & pulchra eſt regio. Solum ejus præpingue, & cum aliarum quarumlibet frugum, tum tritici maxime feraciſſimum. optimam quoque gignit rubiam, & præſtantiſſimum genus glaſti. paſcua ejus uberrima, ideoque uberrimus etiam quæſtus ex pecudum gregibus. Sunt in hac parte nobiles & potentes aliquot urbes, Inſulæ nempe, Duacum, Orchiſa: item præpotens illa ditio Tornacenſis, & Tornaceſii: tum & alia quædam loca minime contemnenda. Ordines hujus Provinciæ conſtant è quatuor illis

Præfectis,

Præfectis, quos vulgo vocant Supremos Iuſtitiarios. Nos ſuper urbibus illis, ut ſic dicam, capitalibus, aliiſque præcipui nominis locis, quam breviſſime fieri poterit diſſeremus.

ADDITAM. [*Hæ Galloflandriæ urbes antequam Francis hypothecæ opponerentur, cum Gandavo, Bruga, Ypra, communia Flandriæ comitia conſtituebant, conſilia, ſubſidiaque tam armorum quam pecuniæ ſimul conferebant, annis etiam pluſquam centenis, poſt Arteſiæ diſtractionem.* Et Lila in Flandris (*ſic enim ab omni ævo appellatur*) *mœnia, pomeraria dilatata, arcem, aulam palatinam, illuſtre canonicorum collegium, templumque & ibi, vicinaque in Marketta, aliquot Flandriæ Principum ſepulcra, leges magiſtratuſque a Flandriæ Comitibus accepit: demque omnia illius tractus oppida agrique ſtabili fide affectuque incolarum, & perpetuis nobilium clientelis, parebant dominis Flandriæ: cum qua, uno feudo homagioque Regi Franciæ debito, comprehenſa, unum corpus compingebant, abſque ulla ambiguitate, aut dilaceratione; donec Guydi Comitis Robertique Bethunii, ejus hæredis cum multa nobilitate, doloſe, injuſteque in Francia detentorum tempeſtate, per patificationem Lilanam, Francis anno trecenteſimo quinto ſupra milleſimum oppignorarentur: quouſque nimiſum pecuniæ, quæ quadringenta librarum Turonenſium milia non excederet, ſumma decerneretur, arbitrio octo apolectorum, regique Philippo ſolveretur. Sed Guydo, priuſquam ex cuſtodia domum rediret, Compendii mortuo, & Flandrorum exercitu, quod captatum fuerat, diſſoluto; Rex ille fidei pactorumque contemptor, ejus filios natu maximos, proceresque dimittere noluit, donec novis iniquiſque conditionibus ſe ſubmitterent: & viginti milia numum Turonenſium annua ipſi aſſignarent: illa interim oppida agroſque pignori habituro: cui violentiæ Robertus Bethunius, ut ſeipſum, cum fratre Guilielmo, ceteriſque optimatibus, captivitate liberaret, annuit: Flandrique Principis recipiendi nobiliumque una captivorum avidi, aſſenſerunt: illiuſque ſummæ ſemiſſem paulo poſt ſexcenties mille libris Turonenſibus, ſupra æquæ ex Flandriæ calculo æſtimationis dimidium, jubente Rege, repræſentatis, diſſolverunt: pro reliquis decem milibus annuis Robertus illa oppida, quæ diximus, cum agris hypothecæ reliquit, ſibi ſuiſque retenta redimendi facultate. At Engherantius Marignyus Longevillæ Comes, Regis potens, mandatariuſque, Roberto perſuaſit, ut regii honoris & munificentiæ reſpectu, luendæ hypothecæ jus a ſe abdicaret, cauſamque totam Regis liberalitati fideique permitteret, interimque illa decem numum millia annua ſibi haberet.*

*beret. Sic ille juratus ſe effecturum, ut perpetua Regis cum gratia hypothecam reciperet, Roberti credulitatem circumvenit: & his Franci ludibriis eas urbes agroſque in pervicacem poſſeſſionem proprietatemque verterunt: Flandris cum Roberto ſemper reclamantibus, & ad Anglos, acerrimos Gallorum hoſtes, ea de cauſa ſeſe adjungentibus; donec Lud. Malanus Roberti pronepos, ad annum trecenteſimum ſexageſimum nonum poſt milleſimum, illa membra avulſa, veteri veroque trunco reposuit, redhibuitque per matrimonium filiæ unicæ hæredisque, cum Philippo Audace; quia (abſque hoc eſſet) Ludovicus conjugium illud non permittebat, vehementer à Gallis expetitum, timentibus ne in Angliam illa nuptum elocaretur; quod in procinctu erat; tantumque ditionum illuc traduceretur. Itaque Franci Lilam, Duacum, Orchieſam, cum agris appendicibuſque reſtituerunt: partim expreſſa conditione, ut cum cetero Flandriæ comitatu unicum feudum corpuſque ex more antiquo efficerent, neque illinc unquam divellerentur partim tranſactione Ludovico oneroſa: qui decem milia numum annui reditus, per Ioannem Regem ipſi addicta, eorumque incrementa, & ſupra centum quinquaginta aureorum coronatorum milia, aliunde ipſi debita, remittere Gallo ob eam reſtitutionem tenebatur, atque aſſentiri, ut, quandocumque filiæ ejus poſteritas hærede maſculo deſtitueretur, Galloflandria ad Francos rediret, decem milia numum Turonenſium annua, Flandriæ Regulo prius aſſignaturos, neque armis, ſed jure acturos. quod poſtremum conventionis caput per Carolum Sextum Gall. Regem, ſtipulante Philippo Bono, ad annum 1420. immutatum fuit, atque intellectum, expoſitumque, de feminis non recta, ſed tranſverſa linea, in Comitatum Flandriæ ſuccedentibus. Tanto annorum (circiter ſexaginta puta) ſpacio, hæc regio Francis aſſueta, & à reliqua Flandria deartuata, quum domum rediit (licet ad concilium Flandriæ adhuc appellet) tamen juriſdictionem ordinariam, cenſum atque ditionem ſeorſim conſtituit, ex propriis Ordinibus, atque tribunali (quod ſupremum Lilæ, Duaci, Orchieſaque Balivagium dicitur) ejuſque gubernatore peculiari ſtabilitam. Quod gubernatoris munus proceres ex gente* Croya, Montmorencya, & Vilaina, *non ita pridem geſſerunt.]*

## INSVLÆ.

INSVLAS Galli vocant *l'Iſle*, voce Latinorum vocabulo plane ſynonyma, atque inde ut volunt orta, quod ſitum olim hoc opidum, velut Inſula quædam, inter

LILLE, *v.* RYSSEL.

inter media ſtagna, quæ labentibus luſtris exaruerint,& aſſidua quadam incolarum induſtria tandem oppleta ſint. Alii nomen derivant à compluſculis Inſulis, quæ extiterint quondam in aquis urbi circumfluis. Alluit muros urbis, qua parte caſtrum eſt, perexiguus amnis, qui ad Lendium ortus, ſeptemtrionem verſus decurrit,& ad Duſelmundam pagum ſeſe in Liſam exonerat. Diſtant hinc, Meſſina quidem tribus, Tornacum quinque, Iperæ vero totidem leucis. Condidit Inſulas Balduinus Barbatus Comes, anno ſupra milleſimum ſeptimo, cujus filio etiam Balduino Pio, eo quod in hoc opido eſſet natus, Inſulani cognomen eſt inditum. qui Inſulanus quidem valde in locum natalem pronus, diligenter eum excoluit. nam ut alia viri beneficia prætermittam: ab eo ſunt urbis muri, ſtructi anno 1066, ab eo magnificum illud templum & Cœnobium Divi Petri. ab eo denique luculentiſſimi illi ejuſdem Cœnobii reditus, bono, quem ipſe inſtituit, cuique Epiſcopos Morinenſem & Cameracenſem accenſeri voluit, Canonicorum numero ſuſtentando.

ADDITAM. [*Cœnobia habet Franciſcanum, & utriuſvis ſexus Dominicanum: juxtimque Abbatias Lozam, ſive Laudis, Bernardinam virilem, anno 1152. atque Marcettæ, ejuſdem normæ femin. per Ioannam Conſtantinopolitanam fundatam, nundinaſque menſe Auguſto annuas. Nobiliſſimus hic conventus anno 1433. agebatur: in quo Renatus Andegavi, Lotharingiæ, Barique Princeps, qui ſe utriuſque Siciliæ Regem ſcribebat, Caroluſque Borbonii Dux, cum Gall. Cancellario, ad Philippum Bonum acceſſere: ditionemque Caſletanam pro captivitate Renati redimenda, filiiſque ejus vadibus recuperandis in Philippum perpetuo tranſtulerunt. Scholam inſtituendæ in literis Græcis Latiniſque adoleſcentiæ, Ioannes Silvius, aliique non ſine fama fructuque Lilæ habuere, à magiſtratu ſtipendiati.*]

Inſulis, præter valide ſatis munitam arcem, monſtrantur uſque in præſens reliquiæ quædam veteris caſtri, quod vulgo appellant de Buck / domicilii quondam primorum illorum procerum, qui à Regibus Galliæ deſtinabantur ad Flandriæ præfecturam, & initio Saltuarii dicebantur, exque humili illo loco tandem (ut ſupra narnavimus) ad ſupremas quaſque dignitates evecti ſunt. Direpta miſere & cremata fuit hæc urbs bello quod Ferdinandus Flandrorum Comes geſſit cum Galliæ Rege Philip-

Philippo ſecundo, & filio ejus Principe Ludovico, patre Divi Ludovici: poſteaque paullatim inſtaurata, capta iterum mutilataque eſt horrendis illis & Flandriæ damnoſiſſimis bellis inter Philippum quartum Regem, & Guidonem Dampetram Comitem. Hodie pulchrum eſt hercle ac præpotens opidum, tectis & civibus ſatis denſum multa in eo nobilitas. magnus varie paſſim negotiantium mercatorum numerus. multi denique induſtrii & ſagaces valde artifices, qui cum alia multa mercium genera, tum *ſajas* præſertim, *ſemiſſettas*, & *mocajarros*, Orientis exemplo, texunt. ita quidem ut quod mercaturam & artes mechanicas attinet, ſi Antverpiam modo & Amſterodamum excipias, vel primarium Belgicæ terræ emporium cenſeatur. Inſulis nati fuere Gualterus, Epiſcopus Maguelonenſis, vir doctus & ſcriptis clarus: & Alanus Theologus, philoſophia, & poëtico ſtudio celeberrimus, qui & plurima magna ſua cum laude in lucem edidit: item Gualterus Caſtilionæus, Theologus ſummus, & idem philoſophus poëtaque dulciſſimus. Hodie inter alios ſupereſt Alexander Blancus, Toparcha Meurchinius, nobilis litteratus, & antiquitatum ſtudioſiſſimus. Domicilium Inſulis habet Camera Rationum quam vocant, Bruxellenſi, quam ſupra deſcripſimus, ſimilis, niſi quod major ſit Inſulenſis iſtius auctoritas, major pecuniarum diſpenſatio, denique major longe prærogativa. ſubſunt etenim ei multo plures Provinciæ, tota ſcilicet Flandria, Artheſia, Hannonia, Valentianæ, Tornacum, Tornaceſium, & Dominium Mechlinienſe. quæ omnes accepti expenſique rationes huic Collegio reddunt. quod ſolebat olim & liber ille Burgundiæ Comitatus: ubi ob loci diſtantiam, inſtitutum eſt poſtea peculiare iſtius rei collegium. Inſtituit omnium primus Inſulenſem hunc Magiſtratum Philippus Burgundus, cognomento Audax, voluitque penes eumdem eſſe & juris ſubditis ſuis dicundi adminiſtrandique poteſtatem, & rationum ſacri Principis patrimonii recenſendarum jus. verum Ioannes Dux ejus filius, comperto Senatum hunc tantis negotiis non ſufficere, ſive, quod magis credam, dignitati iſti cum pluribus locis communicandæ, auctoritatem ejus diviſit: & litium quidem inter ſubditos ſuos decidendarum jus voluit eſſe penes Senatum illum Provincialem Gandavenſem,

davenſem, ſupra nobis deſcriptum: Inſulanis vero reliquit auctoritatem cognoſcendi de patrimonio & reditibus Principis, exigendique illorum rationes, & quidquid horſum ſpectaret adminiſtrandi. Præfecti ſunt huic dignitati nunc temporis unicus Præſes, quatuor Rationum ut vocant Magiſtri, quinque Auditores, tres Graphiarii, & minores aliquot adminiſtri. Adſervantur in hoc collegio autographa omnia privilegiorum terræ à Principe conceſſorum. Paret Inſulis Caſtellania admodum late diffuſa, & ut verbo dicam, eſt hoc opidum Flandriæ Gallicanæ metropolis.

ADDITAM. [*Caſtellania Lilana diſtincta eſt in* Carembaultiam, *undecim*, Pevelam 26. Melanthoiſam 21. Ferrainam 28 Weppeſam 32. Tranſcaldiam 7. & Comitatus 12. *pagorum regiunculas: unde efficitur ut centum triginta ſeptem, eoque amplius pagos comprehendat: frugum populique fertiliſſimos, atque Rubiæ, quam Garanciam vulgus tinctorum vocat, herbæ, lanis coriiſque tingendis, ne color defloreſcat, neceſſariæ. Totaque eſt nobilium toparchiis plena, beneficium recognoſcentibus, à Sala Lilana, antiquo Comitum palatio, feudorum apice: inter quas pro exemplo numerantur* Halewinum, *illuſtris domus cognomentum*: Robailum, *Marchionis titulo nuper inſignitum, ſtirpis Werchiniæ: Haubordinum immunitatibus, dominioque ſtemmatis Borbonii nobile: non ſecus ac Phalenpinum, Abbatia canonic. regul. ornatum*; Ongnyeſum *clariſſimæ familiæ cognomentum, peculiumque caſtrenſe*: Seclinium *caput terræ Melanthoiſæ, collegio canonicorum D. Piati Beneventani decoratum*: Noyella *gentis Noyellæ*, Busbeca, *Giſlenæ*; Monſpevela *Cunctas autem præcedunt atque dirigunt cum Lilæ caſtellano*, Waurinium, *Seneſchalco Flandriæ clarum, gentis Laleingnæ, Cominæum, Croyæ: Ciſonium Werchiniæ, Abbatia canonicorum regul. exornatum. Porro Lilæ Caſtellaniæ nomen & jus prærogativum jampridem ad Luxenburgiam domum Borboniamque Vendocinenſem ſpectat: ex contracto cum nepte Lud. Luxenburgii Gall. Coneſtabilis, luculentiſſimo matrimonio: Franciſca enim Iacobi à Sabaudia, Romontii Comitis, & Mariæ Luxenburgiæ filia poſthuma, hæreſque bonorum maternorum, & Coneſtabilis, nupſit Comiti Vendomiorum, regiæ proſapiæ Borboniæ, ſecumque illuc traxit Lilani Caſtellani dignitatem, & Dunkercam, Burburgum, Grevelingam, Rodiam, in Aloſtano, Baroniam, aliaſque in Flandria dynaſtias.*]

DVACI.

# DVACVM.

DVACVM habitaſſe olim videntur ii populi, quos Cæſar *Catuacos* vocat. Sita eſt urbs ad flumen Scarpam, quod varie eam interluit, & Cameraco pariter Lendioque æquali quinque leucarum intervallo abjuncta. urbs inquam lauta & valida, fontium copia, & domorum quantumvis veterum elegantia & ſplendore conſpicua. templis item pulcherrimis exornata: inter quæ maxime eminet illud Divæ Virginis, ædes mire antiqua, ut quæ condita ſit regnante jamtum in Gallis Clodovæo, id eſt anno circiter quingenteſimo poſt ſalutem humano generi reparatam, ab Arcanaldo, Regni illius Comite-ſtabuli. Duaci natus fuit Robertus Gaguinus, ſodalium inſtituti redemptionis Sanctiſſimæ Trinitatis ſupremus Præfectus, vir inſigniter doctus, & ea præditus eloquentia, ut ſiquis alius ejus ſæculo facunde & eleganter loqueretur vel ſcriberet, is *Gaguiniſſare* à doctis diceretur. Scripſit ſumma cum laude hiſtoriam rerum Gallicarum. Natus item hoc opido Nicolaus Brentius, litterator egregius, & utilium aliquot operum ſcriptor. Eſt Duaci emporium, ſive *ſtabulum* tritici è finitimis aliquot regionibus eo convecti. quæ non contemnenda profecto negotiatio. vigent item hic artes mechanicæ, & præſertim textura. Subſunt denique Caſtellaniæ Duacenæ complures pagi, & territorium longe lateque porrectum. Obtinuit item nunc recens, & dum opus iſtud abſolvo, à Catholico Rege urbs Duacena, ut conderetur in ea, Lovanienſis illius exemplo, ampliſſimum liberalium artium honeſtiſſimarumque diſciplinarum Athenæum. quod indultum approbavit deinde, & variis privilegiis exornavit Romanus Pontifex. unde maxima ſane redundatura eſt in hunc Belgicæ tractum commoditas. filii namque iſtorum, dum ſtudiis litterarum incumbent, Gallicam quoque linguam, cujus adeo neceſſarius iis eſt uſus, una opera iſthic addiſcent.

ADDITAM. [*Duacum magis voce quam ſitu refert Advaticos, a Cæſare inter Eburones Nervioſque, & a Ptolomæo ultra Tabudam, qui Scaldis eſt, in Tungrorum finibus collocatos. Potius videtur à tutelaribus excubiis, quaſi* Du waeck, *id eſt, Tu excuba, nomen accepiſſe: Nervii enim ibi contra Atrebates Ambianoſque*

# DOVAY.



noſque firmiſſima præſidia collocabant. Illuſtri nomine eſt, propter Scarpum fluvium interlabentem, & ex bina ſcaturigine Arteſienſi (præſertim montis Eligii) ſalientem: ejuſque in Scaldim demum affuſi ſubvectiones: ob amplitudinem, munitiones naturæ, artiſque: propter domicilia vetuſta, nundinas Septembri annuas: ſtabile advecti ex vicinis agris, frumenti emporium, atque Gymnaſium; ob ſitus aëris, & idiomatis Gallici opportunitatem, univerſis diſciplinis illic collocatum à Philippo Caroli Maximi filio; evocatis, honeſta per ſtipendia, quæ Græci διδακτρα, Latini Minervalia accommodate appellabant, Lovanio Doctoribus: collegiiſque literariis, quæ Græci apposite σπουδαιτροφεῖα nominant, Regio, & Anchinii (quod Aquicinctum vocant) Marchienæque vigilias & vota ſtudioſorum adjuvantibus: ut quemadmodum aſpectus à circumfuſo aëre lumen accipit, ita mens a doctrina, hæc ab inſtitutione illuſtretur. Quæ beneficentia publice utiliſſima, non minus honorifica tanto regi exiſtimanda eſt, quam M. Antonino Philoſopho, Auguſto, conductos annua mercede omnis diſciplinæ Doctores, Athenis inſtituiſſe: aut Carolo Magno, Academiam Pariſienſem magnis ſumptibus excitaſſe: aut Franciſco primo Gall. Regi, publicos trium linguarum Profeſſores luculentis honorariis illuc acciviſſe, anno 1525. Budæo & Bellaio ſuadentibus: quem eo facto ſcribunt Galli, majorem & diuturniorem gloriam peperiſſe, quam tot geſtis confectiſque bellis. Docendi vero hic principium honorarium, anno ſexageſimo ſecundo poſt ter quingenteſimum, menſe Octobri, auſpicatus eſt Franciſcus Richardotus, Atrebatenſis Epiſcopus, cujus Diœceſi Duacum continetur, magna vir doctrina, probitate, ac facundia. Cujus nepos Ioannes Richardotus, Iuriſconſultus, eques, non ita pridem ſenatus Arteſii præſes, haud minoribus virtutibus ſcientiſque, quam ſenatoria in arcano regis concilio dignitate effloreſcit. Duo hic ſunt canonicorum collegia, Petri & Amati, cum Abbatia Pratenſi femin. Cœnobiu Crucigerorum Trinitatis, Franciſcano, & Dominicano viril. Iuxtimque eſt Abbatia Flinenſis Bernardina femin. à Margarita Conſtantinopolitana fundata, duobuſque Flandriæ Comitum ſepulcris decorata. Neque procul abeſt Abbatia Marchienna Benedictina viril. cepta à Rictrude, Duaci, ut ferunt, domina: quæ anno 687. ad ſuperos tranſiit. Ornatur Roberto Gaguino, generali miniſtro Crucigerorum Trinitatis: ſcripſit lib. Orationum, epiſtol. Carminum: De miſera hominis conditione, & volumen Chronicorum: Hieronymo Franco, concilii Arteſiæ Præſide, equite: Nicolao Brontio, Iuriſconſultis.

Caſtellania Duacenacum Orchienſi viginti octo pagos comprehendit,

*hendit, feneratum ſeminium reddentes, & ubi Scarpo inclinant, apprime paſcuos. In illis* Bovignyum, *gentis Nedoncellæ:* Warleinum, *Longevallæ:* Eeſtreſum, *Ongnyeſæ:* Landaſum, & Flinæ, *patria Simonis Caulerii, Rhetoricæ Profeſſoris Duaci: cujus ingenii monumenta indies in lucem edenda expectantur. Dynaſtiarum illic pars ſplendidiſſima, à Caſtello Duacceno, & curia Orchienſi, motum poſſeſſionemque accipit.*]

# ORCHISA.

## *Tertium Flandriæ Gallicanæ membrum.*

ORCHISA diſtat Duaco dumtaxat trium, Inſulis vero quinque leucarum ſpatio, eſtque bonum quod ſatis ſit amœnum opidulum, ubi maxima copia fiunt *ſayæ*, & id generis mercimonia. tertium autem hoc membrum eſt in corpore Ordinum Flandriæ Gallicanæ.

Sita eſt in hoc tractu & Lanoja, bonum & validum opidum, Inſulis præterpropter duabus, Tornaco vero tribus leucis bjunctum. fiunt hic item ingenti copia *ſajæ*, aliæque complures id genus merces. Ab hoc opido nomen deſumit nobiliſſima illuſtriſſimaque gens Lanoja, cui id alias cum territorio omni & juriſdictione ſubjectum: ſed delata deinde ad ſequiorem ſexum eſt ditio. unde factum, ut obvenerit tandem Comiti Burano, filio Principis Arauſini. Prodierunt ex hac familia continua quadam ſerie multi inſignes & fortitudine aliiſque virtutibus ornatiſſimi Principes. quare & plures inde à primo illuſtris militiæ conditu, (ut ſupra in Ordinis ejus deſcriptione videre eſt) numerat aurei Velleris Equites, quam alia ulla quantumvis excellens gens. Geſſit inſuper quotquot domi foriſque ab Regia Majeſtate conferri ſolent honores & Præfecturas. Et ut alios taceam, ortus erat ex illuſtri hac ſtirpe Carolus ille, Prorex Neapolitanus, cui ſummo Imperialis militiæ Principi dedidit ſeſe in magno illo ad Ticinum prælio, magnus ille Galliarum monarcha Franciſcus primus. ab hoc Carolo autem originem ducit ei cognominis nepos, hodie Princeps Sulmonenſis, & ejuſdem illius ordinis miles, magnus ſane & majoribus ſuis digniſſimus Princeps. Ortus item

item ex hac familia nobiliſſimus juvenis Philippus Lanojus, Dominus loci *de Beauvoir*, eximiis ſane virtutibus præditus, variarum diſciplinarum ſciens, idemque æſtimatiſſimus ordinum ductor, etſi valde adhuc adoleſcens. erant illi duo fratres germani, Molembaſius nempe & Turconius, ambo Equites aurei Velleris, ſed acerbo nimis funere, dum ad exitum properaret hoc opus, ſublati. ſicuti mortuus quoque eſt paullopoſt, ingenti multorum dolore, iſipſe quem dixi Philippus. Lanojæ natus eſt & Franciſcus Raphelengius, gener Chriſtophori Plantini, vir non Latine tantum & Græce, ſed Hebraice quoque Chaldaice, Arabice Syriaceque doctiſſimus.

Eſt in hac parte & Eſpinoja, nobiliſſimus inter Inſulas & Duacum pagus, Principatus etiam titulo dignitateque ſpectabilis, & Dynaſtam agnoſcens Carolum Melunium, Comitem-ſtabuli Flandriæ, clariſſimum ſane & cum ſanguinis antiquiſſimi, tum & affinitatis ſplendore illuſtriſſimum Principem. cui jure conjugii nuper ſucceſſit Nobiliſſimus Barlemontius.

Eſt poſtremo & Armenteria, quæ Baſſæa quidem circiter quatuor, Inſulis vero & Bella paritrium leucarum intervallo abjungitur, municipium tam inſigne, tamque & incolis ſimul & divitiis affluens, ut (quod ſupra monuimus) pari cum opidis muro clauſis jure paribuſque privilegiis gaudeat. texitur hic tam ingens pannorum vis, ut pacificis quidem temporibus in vicena quotannis & quina millia faſcium abeat ratio, maxime vero innotuerunt & ab omnibus expetuntur panni illi quadricolores, qui & in Italiam noſtram, atque inde porro Conſtantinopolim uſque diſtrahuntur. Celebratur inſuper hic mercatus & velut emporium quoddam caſeorum illorum eximiæ bonitatis, qui in iſto & finitimo omni tractu largiter ſolent premi. Locus eſt in ditione Comitis Egmondani.

Armenteriam inter & Stegram ſita eſt peramœna quædam & omnis generis rerum, maxime autem tritici fructuumque feraciſſima regiuncula, vulgo dicta het landt van Love / & quatuor pagis, quorum caput eſt Leventiſium, pari cum opidis muro clauſis jure & privilegiis gaudens, inſeſſa. Præpoſitura inſuper nobilis, & ſubſidiorum omnium Principi paſſim dependi ſolitorum immunis. Donata fuerat olim hæc ditiuncula à Comite neſcio

neſcio quo Flandrorum Pontifici Maximo. ſed utcumque hoc factum ſit, reverſa eſt poſtea ſub imperium Regis. Gubernat hodie Flandriam Gallicanam Philippus de Liques, loci unde cognomen ſumit Dynaſta.

## TORNACVM.

TORNACVM, & univerſa ejus ditio cohæret cum latere Flandriæ Gallicanæ,& Hannoniæ terræ confiniis: opidum tantæ vetuſtatis, ut conditum ſcribant ſexcentis & quadraginta annis ante natum humani generis Salvatorem. De nomine,ſatis habeo dicere, quod in obſcuro ſit ejus ratio: quodque variæ ſuper eo & portentoſæ ſcriptorum opiniones. Sunt enim qui conditum velint à milite Tulli Hoſtilii,tertii Romanorum Regis,deque nomine ejus Hoſtiliam dictum: ſed deſtructum poſtea, iterumque mox inſtauratum, in memoriam Deæ Minervæ, corrupto nonnihil & mutilato vocabulo, Nerviam appellari cœpiſſe. primi autem Neronum temporibus renovatum rurſus à quodam ejus Tribuno, cui Torno cognomen, ac de nomine ſui illius inſtauratoris Tornacum denique nominatum. Alii rurſus pro indubitato tradunt,circa tempora Iulii Cæſaris Nerviam audiviſſe, fuiſſeque metropolim Nerviorum, populorum qui maxime feri inter Gallos tunc haberentur, quique ad flumen Sabin cum ipſomet Cæſare congreſſi, magno & Romanorum periculo, & ſuorum ſtrage, ita ſtrenue & conſtanter pugnarunt, ut cum Cæſari dederentur, è ſexcentis ad tres Senatores, ex hominum millibus ſexaginta, vix ad quingentos, qui arma ferre poſſent,ſeſe redactos eſſe dicerent. Petrus denique Appianus Tornacum interpretatur Ptolemæi *Baganum*. Sed quidquid ſcribant aut commententur, illud ſane veriſſimum, de antiquis locorum hujus terræ vocabulis, nihil veri aut certi adferri poſſe. idque non tantum pænuria quadam ſcriptorum, ſed creberrimis quoque omnium rerum mutationibus, inde potiſſimum ortis, quod paterent hæc loca & expoſita eſſent non diluviis modo & inundationibus,verum etiam bellis,& incurſionibus Barbarorum, Hunnorum puta & Vandalorum, Danorum, Gothorum,Normannorum, & Germanorum, qui miſertime ſæpius ea depopulati ſunt, & extrema quæque perpeti

TOVRNAY, *v*

DOORNICK.


1. Maiſon de la ville
2 Noſtre dam
3 L'abaïe de S Martin
4 S M Magdelaine
5 S Quentin
6 S Pia
7 Labaïe S Marc
8 S Iehan
9 S Nicaiſe
10 S Nicolas
11 S Brice
12 S Catherine

perpeti coëgerunt, quare nec mirum cuiquam videri debet, quod tam denſa hic paſſim obſcuritas: ſed acquieſcendum potius iis quæ adſunt, nec ſophiſtice nimis & curioſe in hæc talia inquirendum. Poſitum eſt opportuno admodum loco Tornacum ad Scaldim,

*Quod per amœnam urbem leni fluit agmine flumen.*

& Orchiſa quidem dumtaxat quatuor, Duaco vero octo circiter leucis abjungitur. opidum ſane pulcherrimum, amplum, opulentum, potens, & contra hoſtiles incurſus munitiſſimum. arcem habet inſignem & firmam, amplas & commodas domos, templa, cœnobia, & id genus ſtructuras ad miraculum pulchras. Primaria cathedraliſque (ut vocant) ædes Divæ Virgini ſacra eſt, condita & ampliſſimo cenſu dotata ab Chilperico Rege Francorum. celebravit in ea anno Chriſti 1531, Carolus Quintus Imperator comitia Equitum aurei Velleris. Viget inſuper in hoc opido mercatura. vigent artes mechanicæ, & inprimis telarum, *ſajarumque* textrinæ. ita ut numerentur duo & ſeptuaginta variarum profeſſionum Collegia. Dedit hic populus Chriſto nomen anno jam tum ducenteſimo nonageſimo, concionibus maxime operaque Divorum Platonis & Chryſolii, qui temporibus Diocletiani & martyrio inibi coronati ſunt. Habet opidum longe lateque diffuſum Epiſcopatum, ita canæ & reverendæ antiquitatis, ut primum Præſulem jactet Eleutherium, creatum à Papa Felice tertio, circa annum Chriſti 494. Paruit inde Eccleſia Tornacenſis per ſexcentos & amplius annos Eccleſiæ Noviodunenſi in Picardia. ſed Eugenius tertius, intercedente Divo Bernardo, urbi cathedram tandem reſtituit, & Epiſcopum ei dedit Anſelmum, Divi Vincentii apud Laudunenſes in eadem Picardia Antiſtitē. Hodie præeſt Epiſcopatui Ioannes Vendevillius, Senator Conſilii Sanctioris, doctiſſimus legum doctor, & digniſſimus Præſul.

Direpta fuit hæc Civitas (ut miſſa nunc faciamus antiquiora) deſtructaque non ſemel per bella cum Gallis, Angliſque & Flandris geſta. etſi enim ad Flandriam proprie pertineret, populus tamen libertatis ſtudioſiſſimus, perpetuo fere, ſed non ſine magno ſuo malo & noxa, conatus eſt ecquid jugum poſſet excutere, mediuſque & neutri parti addictus vivere. unde aliis aliiſque temporibus ſubjugarunt eam & crudeliter ſæpe lacera-

runt ſingulæ illæ quas dixi nationes. Recepit, bello cum Gallis, Philippo ſecundo rege, & cum Flandria ſua conjunxit anno 1213, Comes Ferdinandus. Sed recuperarunt iterum Galli, & aliquamdiu tenuerunt. quorum Rex Carolus ſextus, anno jamtum 1420, ea urbi conceſſit inſignia, quæ hucuſque in ſcuto oſtentat, caſtrum nempe ad modum turris, & tria ſupra idipſum lilia. Interjecto deinde ſat longo tempore, & ſecutis variis rerum eventibus, quòs prolixum ſit ſingillatim referre; obſeſſa eſt tandem anno 1513, ab Anglorum Rege Henrico. cui, quod numeroſo ſuccinctus eſſet exercitu, & tormentis jam undique opidum quateret, nec tentare vellent extremam belli fortunam opidani, poſt levem aliquam ſui defenſionem, capitibus & fortunis ſalvis, at depenſis tamen, ne diriperentur, centum millibus ducatorum, ſe & patriam dediderunt. Angli igitur urbe valido ſatis præſidio communita, etiam arcem illam munitiſſimam conſtruxerunt. Quoniam vero ob longinquam ejus ab imperio ſuo diſtantiam, comperiebantur, eam magno ſibi oneri eſſe & ſumtui, Gallis tandem, pace cum iis facta, & ingentem pecuniarum ſummam pacti, ex fœderis formula reddiderunt, anno 1518. Verum Carolus V Imperator, miſſo ad urbem triennio poſt cum exercitu Henrico Naſſovio, vi & armis eam ſubegit, cumque Flandria rurſus conjunxit, ita tamen ut diſtinctum maneret membrum, audiretque ditio Tornacenſis & Tornacenſii, & in agros pagoſque circumjectos retineret imperium. Conſtant autem Ordines hujus Provinciæ tribus membris, Antiſtitibus nempe, Nobilibus, & quatuor Magnis Iuſtitiariis. Atque ita tandem factum, ut anno 1549, quemadmodum alibi paſſim per univerſam hanc Belgicam, ſic Tornaci quoque ſuſceptus & inauguratus ſit in futurum terræ Dynaſtam Philippus Princeps, dato acceptoque viciſſim juramento, cujus formulas hic ſubjiciam. primum igitur Princeps Civitati juravit in hæc verba:

*Ego Philippus Dei gratia Princeps Hiſpaniarum, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, &c. Comes Habſburgi & Flandriæ, &c. Dominus Civitatis & Provinciæ Tornacenſis, promitto & juro, quod in adventu meo & ſucceſſione hujus Provinciæ, ero bonus & juſtus Dominus incolis Civitatis Tornacenſis, & obſervabo, & obſervare faciam bene &*

*ne & fideliter omnia eorum privilegia, immunitates, leges, libertates, consuetudines & jura, quæ illis relicta sunt, cum sub Serenissimi Parentis mei observandissimi potestatem deducti fuere, & quæ postea illis concessa sunt, quatenus in eorum legitima sunt possessione, & omnia faciam quæ supremus fidelis Dominus, Comes Flandriæ, & Dominus Civitatis & Provinciæ Tornacensis facere tenetur. sic me Deus adjuvet & omnes Sancti ejus.*

Gubernatores vero & Magistratus urbani, approbante populo universo Civitatis & Ditionis Tornacensis, Principi in hæc verba sollenniter juraverunt:

*Nous les Prævosts, Iurez, Eschevins, Conseillers, & Officiers, manans & habitans de la ville de Tornay, tant en nostre nom, que pour & au nom de toute la Communaute d'icelle Ville, promettons & jurons au Tres-illustre Prince nostre futur droicturier & Souverain Seigneur, Philippe Prince d'Espagne, des deux Siciles, de Hierusalem, &c. Archiduc d'Austrice, Duc de Bourgoigne, &c. Comte de Habsbourg de Flandres, &c. Seigneur de Tornay & Tornysis, &c. icy present, & à ses successeurs, de apres, le deces de sa Majeste Imperiale nostre Souverain Seigneur & Prince naturel, que Dieu veuille conserver en longue vie & prosperite, luy estre bons & loyaux. que eviterons, osterons & esloignerons son dommage, avancerons son profit, & garderons, & aiderons à garder son heritage, sa Seigneurie & limites du pays de Tournay & Tornysis, selon nostre puissance & possibilite, & ferons tout ce que bons subjects sont tenuz de faire à leur droicturier & Souverain Seigneur & Prince naturel. ainsi nous veuille Dieu aider & tous ses Saincts.*

Mortania, magni alias nominis ad Scaldim in ditione Tornacesii civitas, diruta sæpe fuit per bella inter Gallos & Flandros gesta, sic ut pagi tandem conditionem formamque induerit, ampliſſima quidem arce conspicui, sed quam, capto nuper Tornaco, dirui jussit Carolus Quintus Imperator, relicto dumtaxat pago tribus circiter leucis urbe abjuncto. Toparcham agnoscit hic locus Philippum Grachtium, Dominum etiam Melsenæ, ac prænobilem sane & virtutibus ornatissimum virum. sed videtur tandem cessisse Mortania Regi Catholico.

In eadem ditione Tornacesii est & Fanum Divi Amandi, perinsignis equidem pagus, portis fossisque in opidi morem clausus, & ad Scaldim eumdem positus, eo adeo loci ubi Sabis id flumen influit, & quarta ab urbe leuca. Abbatiam habet, quæ, si opes & amplitudinem

ſpectes, nulli Flandricorum cœnobiorum cedit. Abbas tam temporalis, ut vocant, quam eccleſiaſticus loci & ampliſſimi ejus territorii Dominus. Gubernat hodie ditionem Tornaci & Tornaceſi per modum proviſionis idem ille Dynaſta Liqueſius.

ADDITAM. [*Caſtellania Tornacenſis, quæ* Torneſiſum, *& Tornacenſe Balivagium, vulgo nuncupatur*, pagos, *quos Flandriæ pagis annumeramus, amplectitur circiter ſexaginta, præter ſeptem Hannoniæ incluſos, ſitus commoditate, ſementis fœnore, paſcuiſque commendabiles: in iiſque* Leſdainum *Lanoyæ gentis:* Pecquum *Langleæ:* Eſtainburgum *Dolehaingnæ:* Markanum, Callonum. *Ad quam etiam Caſtellaniam ſpectant* Mortaigna *cum novem, &* Santamandium *cum octo pagis: illa ad confluentes Scaldim, Scarpumque (olim oppidum arce munitum) nunc pridem bellorum Gallicorum injuriis, in pagi formam redacta: quam Everardus Toparchus anno 1186. eſſe corporis Flandrici portionem fatebatur: Iam ad gentem Grachtiam, ex Wala pertinet. Santamandium vero, cui prius Helnoni dicto, S. Amandus nonagenarius ibi commoratus ſepultuſque, nomen ſuum induit, ad Scaldis dextram, non procul à Mortaigna, fere ex oppoſito, diſſitum, oppidi ſpeciem nomenque, portis atque foſſis præbet. Subeſt opulentiſſimæ illic Abbatiæ virili Benedictinæ. Ex quo cœnobio prodiit anno 880. Hugbaldus qui ſcripſit vitas multorum ſanctorum hominum, librumque epiſtol. atque ad Carolum Calvum Imperatorem carmen 136. verſibus prolixum, & laborioſum, in quo omnia verba ab una litera C, incipiunt: hoc exemplo,*

Carmina clariſonæ Calvis cantate camenæ.]

# FLANDRIA IMPERIALIS.

TErtia Flandriæ pars, quæ Imperialis dicitur, eo quod ſupremam olim agnoverit Imperatorum poteſtatem, quam exigua ſane eſt regio, Scaldi & Tenera fluviis clauſa, Brabantiæque Ducatui confinalis. Audiebat hæc olim Bracantum, à Bracanto arce, diruta pridem à Comite Balduino Pio. Hodie dicitur Comitatus Aloſtanus, ab urbe Aloſto, ditionis totius metropoli. Dicitur quoque Dominium, quia Flandria olim diviſa in

partes

partes tres, Comitatum, Dominium, Proprium. Comitatu videlicet dependente à ſceptro Franciæ: Dominio, à Sacroſancto Romano Imperio: Proprio vero nullam ſuperiorem poteſtatem agnoſcente, ſed Comiti ſuo jure optimo maximo ſubdito. Dominio, præter Comitatum Aloſtanum, adjunguntur quatuor illi pagi, aut potius unus pagus in quatuor regiones diviſus, quos vulgo de vier Ambachten vocant: regiuncula Waſia, & pagi quidam agrique trans Scaldim, Teutonice 't Land van Overſchelde. Sed agamus hic paucis de antiquis illis & obſervatu digniſſimis ritibus, à Comitibus Flandriæ, in præſtando Imperatoribus Gallorumque Principibus fidelitatis juramento, uſurpari olim conſuetis. Cæſarem igitur Imperiali ſolio inſidentem, & ſtipatum undique regio quodam comitatu, adibat pro modulo ſuo ſtipatus Comes, & quidem aperto capite, diſcinctus item & altero genu in terram procumbens. ibi unus è Conſiliariis, Imperatoris juſſu, Comitem adfabatur his verbis: Acceſſiſti huc tamquam cliens & Princeps Sacri Imperii, propter dominium tuum & ſtatum in Flandria, quem Imperio refers acceptum: promittis igitur, bonum te & fidelem futurum Sacræ Imperatoris Majeſtati, ac ſervaturum te illi adverſus quoſcumque hoſtes, uſque ad mortem. Annuebat Comes, & promittebat, moxque humo ſeſe attollens, deoſculabatur Cæſari frontem. Similis plane ritus obſervatur cum Regibus Galliæ. Iam vero ad ſingularem hodierni hujus Provinciæ ſtatus, & rerum in eo viſendarum deſcriptionem pergamus.

## ALOSTVM.

ALOSTVM, opportune admodum ſitam urbem, perlabitur fluvius Tenera. diſtat autem Teneramunda quidem duarum, Gandavo quinque, Bruxellis quatuor, Mechlinia vero ſex leucarum intervallo. munitiſſimum ſane & lautum opidum, frequentatum valde ob celebrem illum & momentoſum mercatum lupi ſalictarii, cujus in coquendo cereali Belgarum potu vel præcipuus uſus eſt. Nati hic Theodorus Martini, vir doctrina clariſſimus, publicus Academiæ Lovanienſis Profeſſor. Cornelius Scribonius Grapheus, eruditus inprimis vir, & jam ſæpius nobis laudatus. Nicolaus denique

nique Stopius, magni in litteris nominis, nec incelebris ſcriptor.

ADDITAM. [*Vtuntur iiſdem privilegiis Aloſtani cum quatuor Membris Flandriæ, & quocumque in tota Provincia viſum eſt, libere commigrant.*]

Continetur hoc Comitatu Ninovia, opidum minime contemnendum, & Aloſto duabus dumtaxat leucis abjunctum, diſtinctaque ab eo juriſdictione conſpicuum. Continentur præterea centum & ſeptuaginta pagi. ita ut limites ejus porrigantur uſque ad muros Gandenſes, muros Aldenardenſes, & ſi leucæ unius intervallum exceperis, etiam Teneræmundanos. Præter hæc adjunguntur illi (ut diximus) regiuncula Waſia, bonis aliquot pagis inſeſſa, & quatuor illi Ambacti, ſive totidem opida, unum muris & mœnibus clauſum, cætera iis carentia, ſita non procul Gandavo, in anguſto quopiam territorio, mari ad ſeptemtrionem contermino.

Supereminet cætera Hulſtum, opidum ſanequam tolerabile, Rupelmunda quatuor leucis diſſitum.

Sequitur inde Axella, quæ, etſi haud undique muris clauſa, mediocris tamen, nec adſpernanda prorſus urbecula, Hulſto non niſi ſeſquileuca, Ganda vero quatuor leucis abjuncta.

ADDITAM. [*Axella, in ea provincia quæ vulgo* 't Iandt van Waes *dicitur, unius quatuor Ambactorum, ut vocant, caput, oppidum eſt mediocre; quod ſuperioribus ſeculis magnas vices ſuſtinuit, ob Gandavenſium vicinitatem; qui quum locum hunc ante nullis mœnibus clauſum munivi ſſent, urbs* anno CIↃ CCCC LII *à Philippi Boni militibus, qui tum Gandavenſes oppugnabant, capta, direpta & flammis deformata fuit, quia Gandavo clam commeatus & ſuppetias miſiſſe accuſabatur: ſed poſtea incolarum & accolarum impenſis fuit reſtituta, & utcunque mœnibus ſepta, ita ut magis adverſus ſubitos incurſus quam obſidionem hoſtilem tuta eſſet. Hanc Illuſtriſſimus Arauſionenſium Princeps Mauritius, cum Philippo Sidneio, adhuc pene adoleſcens, & necdum ſummæ præfecturæ in hiſce provinciis abdicato Leiceſtrio admotus,* (ſed paullo poſt Hollandiæ Zelandiæque præfectus factus) anno CIↃ IↃ LXXXVI *aſtu intercepit,* XVI *Iulii, milite per molem lapideam, quæ in foſſa aquas ſuſtinet & dirimit, in oppidum tranſcendente. Hiſpanus in ea quatuor omnino vexilla in præſidio collocaverat. major terror, quam cædes fuit; munimenta quoque, quæ in vicino locata erant, eodem impetu*

*impetu capta: &, ut oppidi ſecuritati conſuleretur, vicini agge-res perfoſſi, & fluctus marini in campos longe lateque immiſſi. poſt illa urbs, Belgis tam opportuna, etiam vallis & propugnaculis permuniri cœpit; ut jam cuivis obſidioni toleranda par eſſe videa-tur. Superioribus annis aliquot arva, quæ Belgæ conſulto merſe-rant, rurſus fluctibus ducto aggere erepta, annitente inprimis Pe-ronio illius præfecto; qui æſtus, quum urbs caperetur, inventor & actor fuerat.*]

Tertio loco Bochoutum eſt, quod Axella duabus leu-cis abjungitur.

Quartum denique locum tuebitur Aſſeneda, duabus itidem leucis ab Axella disjuncta. Parent autem his qua-tuor locis varii pagi, & purgatur in iis, ob maris propin-quitatem, Zelandorum exemplo, adfatim ſalis.

ADDITAM. [*In hoc tractu eſt etiam propugnaculum illud vulgo dictum* 'tVeer *ad oram Scaldis quod pervium eſt & flu-minis trajectum Liberum præſtat in ipſam urbem Antverpiam Porro Locus hic* 'tVeer *anno 1592, 18 Ianuarii, à milite præ-ſidiario utriuſque propugnaculi Lillo & Liefkenshock de impro-viſo eſt occupatus, miles intus reſiſtens trucidatus; omnibus e ca-ſtello Antverpiano propter rebellem militem eo deportatis bonis (magni æſtimii certe, cum arca inter ea fuerit margaritis plena) ablatis. Sequenti anno Scaldis eo loci non minus infeſtum vidit & habuit Batavum militem, qui triremi Dordracenæ* (de ſwarte Galeye van Dort) *impoſitus, noctu navim prætoriam in Scaldi aqueſcentem prope locum* 'tVeer *invaſit, prædamque inde ave-ctam ſeptem aliis juxta navibus divitem ad Seelandiæ oram ex-poſuit.* Met. lib. 21. p. 970. *Hæ cauſæ Arenbergium move-runt, heic loci propugnaculum poneret multo præſidio munitum pro ſecura navium ſtatione.*]

Continentur denique Comitatu Aloſtano duo Princi-patus, Steenhuſanus & Gaverenus. & Steenhuſa qui-dem, inſignis pagus, peculiarem agnoſcit Principem: Ga-vera vero, pagus longe ampliſſimus, & prænobili arce conſpicuus, primum occupat locum inter titulos Comi-tis Egmondani. Sunt deinde & variæ Dynaſtiæ: qualis præſertim Likercana, & Sottegemia Quæ omnia lucu-lentum ſane Comitatum conſtituunt. quem imperio ſuo, Henrico tertio Imperatore, ſubjecit fortiſſimus Princeps Balduinus Pius. Hodie magnus Prætor, ſeu Gubernator Aloſtanus, eſt Dynaſta Billæus.

PROPRIVM continet Teneræmundam, Gerardo-

montium,& Bornhemium,una cum aliquot pagis. prout infra latius explicabimus.

Teneræmunda nomen habet à fluvio Tenera, Belgis Denre/ & vocabulo mond / Latinis os denotante : sita est enim ad ipsum os,sive ostium ejus fluminis, & qua Scaldim id influit. Distat Gandavo,Bruxella,Mechlinia,pari quinque leucarum & prægrandium quidem, intervallo, Antverpia vero leuca vel circiter amplius. Opidum situ & arte munitissimum, quod & aliæ quædam dotes conditionesque commendant, ac momentosum inprimis & sic satis etiam opulentum efficiunt. Fiunt hic magna copia panni illi gossypini, quos fustaneos vulgo vocant, & celebratur omni hebdomade magno concursu mercatus lini. quali etiam gaudet Fanum Divi Nicolai, perinsignis pagus regiunculæ Wasiæ, Teneræmunda non procul dissitus. Quemadmodum & pleraque non tantum Flandriæ,sed totius propemodum Belgicæ opida, & alicujus momenti loca (quod & toto passim terrarum orbe receptum est) veteri quodam instituto & privilegio, vel general omnium rerum merciumque, vel peculiari hujus illiusve speciei mercatu & anniversariis hebdomadariisque nundinis gaudent. quod ipsum in maximam sane tam publice quam privatim utilitatem redundare, nemo est qui non videat. Natus hic Ioannes de Teneræmunda, instituti Carthusianorum, Religiosus plane doctissimus, ut ex editis viri scripris constat. Teneræmunda una cum territorio circumjecto peculiaris atque distincta est ditio, quæ Dominio Principum Flandriæ,matrimonii jure accrevit, ævo Guidonis Dampetræ. unde avulsam deinde per aliam nescio quam affinitatem,Flandriæ rursus univit Ludovicus Malanus, ducta in uxorem Margareta Brabantina. Gubernat Teneræmundam hoc tempore illustris Ioannes de Rivas.

Gerardo-montium Flandri vocant Geertsbergh/ Galli corrupte *Grand mond*. situm est ad eumdem Teneram, & Aldenarda dumtaxat tribus, Teneræmunda vero quinque leucis abjunctum, perexiguum quidem, sed amœnum valde opidulum, conditum à Balduino Montensi Comite Flandriæ,anno 1068, quo tempore superarat (ut volunt) Illustrem quemdam Dynastam Gerardum, cui opidum recens conditum & cum ditione sua conjunctum voluit esse cognomine. Gerardomontensis fuit Marcus

Marcus Nævianus, vir insigniter doctus, & complurium operum scriptor.

Bornhemium perinsignis & amplus pagus est, arce & jurisdictione in pagos aliquot circumjectos, itemque in territorium illud, quod Borhemiense appellant, spectabilis.

Rupelmunda nomen sumit à flumine Rupela, quod ex adverso in Scaldim aquas suas exonerat, ad quem Scaldim & lævam ejus ripam ipse locus est positus, & Antverpia tribus circiter leucis abjunctus. Est autem Rupelmunda miræ antiquitatis arx. cujus, ut momentosæ olim & insignis rei, crebra valde in Flandrorum annalibus mentio. Sed ab aliquot sæculis retro, archivo magis autographorum Flandriæ terræ privilegiorum, & quorumdam qui Principis jussu in vinculis detinentur custodia, quam alio ullo nomine celebratur. Arci adjacet pulcher & amplus pagus, ubi natus Gerardus Mercator, magnus Cosmographus, ut apparet ex variis viri scriptis, orbi ab ipso publicatis, & in lucem emissis. filius illi Bartholomæus, peregregius adolescens, & scriptis clarus. Solum Imperialis Flandriæ sanequam præstantissimum, & cum fructuum omne genus & frugum, tum rubiæ maxime feracissimum.

Flandri in genere comes admodum & civiles. acres item, & ad honestas omnes ac viro dignas tam pacis quam belli artes idonei. strenui insuper mercatores, nec laborioſi minus quam ingenioſi pæne innumerabilium rerum artifices. Vtuntur passim, si Gallicanam excipias, ubi Gallicus sermo in usu est, lingua Teutonica, sed exculti deinde & scholarum disciplina, & assiduis exterorum commerciis, etiam gallice omnes discunt. adde quod liberos magna ex parte inde à puero fere amandent in Flandriam Gallicanam, imo in ipsam Galliam, ubi una cum artibus opificiisque etiam linguam illam addiscant. quæ propterea omni hominum generi plane familiaris. eo magis quod natura ad gallicismum proclives, nullo negotio eum imbibunt.

ADDITAM. [*Sed proferamus Merchantium de suæ gentis moribus, artibus atque commerciis discurrentem. Gens* Vlamingorum (*sic enim vernacule vocitantur*) *moribus est, vel exterorum scriptorum testimonio, ex Germanica gravitate, & Gallica alacritate temperatis: totam aut servitutem, aut libertatem patì*

 *nescia:*

neſcia: Ædificandi eleganter & commode, curioſa: interſtitio parietum metiente longitudinem cantheriorum, in culmine ſic conjugatorum, ut angulos faciant acutos ad juvandum pluviarum præcipitium, ventorumque impetum extenuandum: Domeſticæ ſupellectilis copioſa, veſtitus apti, ſumptuoſi & variabilis, culinaque in longum tempus, bovina, porcinaque ſalitis, providenda, ſtudioſa: manu prompta, & bellicoſa, niſi opibus luxuque (ut olim, ex Cræſi conſilio, Sardes) enervaretur: nativo & exotico ſermone diſerta, artium rapax: neque, ut quædam fruges, degenerans, imo permatureſcens in alieno ſolo; ac, ceu inter metalla Mercurialis, cunctis ſeſe nationibus facillime accommodans. Pictura, ſculptura, agricultura, ceteriſque artibus manuariis, & Rhythmicorum per homæoptota Flandricæ cadentium, argutia, ac Muſicorum acri dulcique norma efflorescit. Innotuit tum ſuis, tum fere totius Europæ foris, equorum præſtantium, boum opimorum, butyri ſapidiſſimi, alecum, aliorumque piſcium apte ſalitorum mercimoniis: telarumque, partim linearum, varietate, candore, ſubtilitate, & quaſi floſculis; partim xylinarum, quas Arabes bombaxinas vocant, diverſimodu textrinis expetitis, ſericiſque textu non omnino contemnendis: partim pannorum laneorum tum denſorum, tum levidenſium textura tinctuaque proba, & ubique terrarum jam olim laudata; ceteriſque mechanicis artibus ingenioſis ac laborioſis. Aulæorum denique tapetiumque artificiis & velut picturis admirandis. Ex lini & rapi ſeminibus, nucibuſque juglandibus oleum extundunt: Sal crudum, pullum, aſperumque ex Gallia, Hiſpaniaque advectum, in magnum candorem, ſaporem, augmentumque amplis ſartaginibus excoquere non ignorant: Aleces ſub Angliæ Scotiaque ora, ab Auguſto in Autumnum capiunt, illuc infinito exercitu circa littora appellentes, ad evitandum maris Septentrionalis, ubi naſcuntur, gelidiſſimum frigus: dein captos, ſtatimque deſerto Neptuno expirantes, exenterant, condiunt, ſtipantque cadis ſalſamentariis, ſigillo oppidorum unde advehuntur, inuſtis, prius ex lege exploratos; vel leviter ſalitos, fumo durant, inficiuntque colore ſoro; qui Gothis (teſte Hadr. Iunio) ſubrufum ſonat ad atrum accedentem: unde equis Soris in Italia, & Alecibus Soretis in Gallia nomen eſt, & apud veteres, teſte Athenæo, ab æris colore chalcidibus. Viri ſunt ſtatura decenti, vultu flammeo, ingeniiſque ad omnes ſcientias & diſciplinas appoſitis: niſi luxu, velut in herba; aut lucroſis artibus, quaſi ſpinis, protererentur: plerumque aperti, promptumque vultu cor gerentes; ſanguinis enim ſpirituumque motu genuino fit ut cito & virtutis purpura erubeſcant, & aliis perturbationibus

bus commoveantur : at humidiore corporum calore efficitur, ut ad accipiendam & deponendam offensionem sint molliores. Symposiis mutuisque invitationibus gaudent, & incalescunt, sape ad ebrietatem, rixas, cadesque ; sapius ad benevolentiam ineundam, aut recuperandam ; ceu caristiis & philothesiis efficacibus, usque adeo ut illis gravissimæ simultates cadesque datis mutuis dextris obruantur, & absque illis nulla reconciliatio firma sit, & velut sigillata. Hoc gemendum est, tot permitti popinas, ebrietatis, libidinis, aleæ officinas, & patrimoniorum, conjugiorumque carcinomata ; atque etiam multis non modo in usu convivali esse capacium poculorum ingentes mutuosque haustus, sed in gloria poni, ceu probato animi ac cerebri speculo, corporisque firmitate : (quo argumento Cyrus Persa, apud Lacedamonios sese regno, quam fratrem esse digniorem volebat persuadere) defendique exemplu, vel gentium Arctoarum, à quibus ille mos huc serpsisse videtur; vel Græcorum, unde pergræcandi proverbium; vel Romanorum, apud quos Torquati, Pisones, Antonii, Cicerones, Claudii ea laude sese venditabant. Non abhorrent à subitariis conflictibus; Belgæ enim à Belgen, aut Balgen, quorum illud irasci, hoc pugnare significat ; nomen indit doctissimus Goropius, cujus judicium in locorum nominumque originationibus fere sequimur. Longius absunt ab homicidiis præmeditatis : quæ, nisi tutelæ inculpatæ necessitate eluantur, cujuscunque modi sint, supplicio non eximuntur, nisi vel fuga, templorumve asylo, vel Principis condonatione, occisique proximo consanguineo transactione & supplici ingeniculatione placato. Vinum, licet uvas maturas habent, aliunde accipiunt magna copia & diversitate : quamvis dolendum est, vina vulgo venalia tam sape impuneque adulterari calce, sulphureque, & aliis nocumentis, unde in viris arthritici dolores, viscerum corrosiones, renum cruces ; in feminis aborsus sterilitasque oriuntur. Vinique ad imitationem, largissime conficiunt siti ac hilaritati, ex melle aquato coctoque, Medonem : aut ex pomis & pyris contusis expressisque, ex quibus saccaro mixtis, Davidi Prepyto Iano Æthiopiæ regi, potum in calice crystallino porrigi solitum P. Iovius scribit. Sisaram, juxta ac Byriam, sive Cerevisiam; quam non esse tam aspernabilem, ut Byrrhia Terentiano relinquenda sit secundum And. Lacunam medicum Hispanum; sed salubritate, robore & forma bibentes imbuere, Manardus Italus insignisque medicus asserit. Hæc; velut Cereris vinum ; quam olim Hispani Cœlum Ceriamque, Thraces Illyriique Sabaiam, Ægyptii Zythum vocitabant ; communis gentis potus ex hordeo avenaque madidis, dein torrefactis, triticeo farre, lupoque salictar

ctario commixtis, in aqua concoquitur: differens in eo àzytho, teste Hadr. Iunio, quod hic ex hordeo triticove molito, in aqua macerabatur absque coctione, donec ex putrilagine acorem vinique saporem indueret: mira, ut ait Plinius, viciorum solertia, nam inventum est, quemadmodum aqua quoque inebriaret. Feminæ parifere colloquiorum, conviviorumque virilium familiaritate atque pudicitia, formæ, sermonis, amictusque suavitate, œconomiæ procuratione, solertique labore commendantur. nam aut pensa trahunt, aut rotula versatili in cannas fila agglomerant, aut pepla spectabili arte consuunt exornantque, aut lineas vestes ad solem, undarum aspergine, candore inficiunt; aut ruri, lacti emulgendo, butyroque, quod Plinius barbararum gentium laudatissimum cibum nuncupat, extundendo, versandove, & formando, aut caseo coagulando comprimendoque operantur. Literarum formandarum, rationumque subducendarum, præsertim in oppidis, non imperitæ. Improbam mendicitatem plurimi Magistratus excludunt: Senio, morbo, viciove corporis laborantem, admittunt: Civium tenuiorum liberos ex publico alunt, vestiunt, literas aut opificia docent: Alienigenas Xenodochiis recipiunt, validos unam noctem, ægros quoad revalescant. Ex antiqua vereque Christiana institutione & consuetudine. Flandri, si crus fregerint, si felices clamitant, quod collum non ruperint: ac universim, si quid improvisi incommodi accidat, quod durius non affligantur, se dicunt fortunatos. Pecunias in usuras extendere, infame; sed ne otiosæ maneant, fundo hypothecæ oppositio, neque luendo nisi debitoris arbitrio, servatur usura semissu; excepta Mercurii prole, in amplis emporiis mercaturam faciente, cui plus licet aut lubet. Mensuram gravitatemque justam minus hic desideres, quam earum æqualitatem consensumque, sive res siccas liquidasque, sive terras metiamur. Granariæ mensuræ passim differunt nominibus juxta ac vasis mensorii. Vlna Brugensis XXVIII. pollices longa, nunc duobus, nunc uno pollice Gandensem superat: & diverso Gandavi XXVIII. sextarii vini, aliorumque liquidorum, implent Brugæ XXIX. Miliare perticas sive virgas geometricas, M. CCCC. Virga pedes XIV. efficiunt: quamvis virgæ terras dimetientes in Flandria Meridionali varient. Neque in pedum longitudine concors ubique symmetria est. Gandavi enim, Brugæ, Ypraque, & pluribus in locis quisque pedum pollices undecim: in magna parte Occiduæ, Boreæque obversæ Flandriæ, decem tantum constituit. nec in ponderibus æquilibrium est: ubique enim libra uncias quatuordecim explet, præterquam Brugæ, aliisque paucis in locis, ubi sedecim unciarum est: communi libra, quibusdam

*dam in mercibus, Brugæ non excluſa. Quæ varietates & inæqualitates tolerantur, quia inveteratæ, atque mercaturæ ejuſque ſubtili & quæſtuoſæ Arithmeticæ ſunt ſuſtinendæ. Libra pecuniaria, licet diſcordiam ponderis non admittit, utpote certis normis legibuſque conſtricta, diverſas computandi voces, modumque non recuſat. Guldi, ſive aurei, libræque Turonenſes, ſex, libræ Pariſiæ duodecim, ſcellingi viginti, libram Flandricam conſtituunt, quam groſſorum vocant, quorum bini ſtuferum, ducenti quadraginta libram illam efficiunt, exacta ad genus ponderis, quod Troium Campaniæ dicunt, ubi libra duas markas valet; marka octo uncias, quæ Romanæ libræ beſſis erat, libripende.* Auctiones, *hoc eſt, publicæ rerum privatarum venditiones, aliæ auctore, præſenteque judice fiunt, aliæ non item: ſed hæ ordinariam ſolum actionem, illæ paratam executionem, manuſque injectionem adferunt, in non ſolventem tempeſtive debitorem. Exercentur autem utraque diverſis locis, diverſo modo. In quibuſdam enim bona venalia addicuntur propoſitum à præcone pretium augenti, & plus ceteris offerenti: unde auctionis nomen: In aliis præco inſtitutum à ſe pretium tamdiu gradatim diminuit, donec ex circumſtantibus emacibus quiſpiam indubitate acclamet,* meum eſt, *quod vernacule* miinen *vocant. Quo genere Auctionis Piſcatoria fora, mari proxima, in diſtrahendis primo appulſu piſcium potiſſime utuntur.*]

Venerunt iſti ad cognitionem ſanctæ noſtræ & ſalutaris fidei prædicationibus Divi Eligii, Epiſcopi Noviodunenſis, qui Dagoberti Francorum Regis juſſu annuntiare primum eam incepit in loco olim dicto Brug-ſtock/ ubi & templum videtur condidiſſe Sanctiſſimo Salvatori ſacrum, anno jamtum ſexcenteſimo quarto. Secutus eſt eum Gandavi Divus Amandus. atque ita paullatim ſparſa eſt per univerſum hunc tractum religio Chriſtiana.

ADDITAM. [*Legibus Flandri fere utuntur municipalibus, & cuique Oppido aut Caſtellaniæ aſſuetis, tam in judiciis, quam in familiis herciſcundis, & ubi illæ deſunt, Iuſtinianeis. Peculiare hic eſt, quod ad imitationem Senatuſconſulti Orphitiani,* Nullus ex matre nothus perhibetur, *hoc eſt, Nemo ob illegitimos natales materna hereditate privatur: unde ne illuſtris quidem fœminæ concubinæ liberos Flandriæ leges eximunt; niſi illis ſtatutum municipale à Principe ſancitum deroget. Quemadmodum Curtracenſes ad annum 1557. & ſexto poſt anno Gandenſes à ſucceſſione materna liberos adulterio aut inceſto natos, excluſere.*

cluſere. Etenim anno 1532. in Septembri, Provinciale Flandriæ concilium ſententiam tulit, ut Notho in feuda matris ſucceſſio competeret, cum privilegio ætatis ſexuſque, etiam extantibus legitimis. Et anno 1573. Bergæ Winoci magiſtratus ex conſilio noſtrorum Iuriſperitorum, decrevit ut filia ſacerdotis hereditate matris non excideret. Durum, nec à Lege Iulia de vigeſima hæreditatum apud Romanos, cujus vi hæreditatum legatorum, cauſa mortis donationum ad extraneos devolutarum, vigeſima ad Fiſcum pertinebat, alienum eſt Ius Iſſuarum, exituſve, quod appellant, quo hæreditate civis, non civi delata, etiam filio fratrique urbium curatores ex ea decimam bonorum non Feudalium, in publicum vertunt: & quo nemo in alterius cujuſcunque urbis, aut caſtellaniæ jus corpuſque cooptari permittitur, præterquam decimis, eo quo diximus modo, perſolutis magiſtratui loci à cujus jure & quaſi complexu diſceditur, niſi ea ſocietas locorum contracta (quam Hanſam vocant) interveniat. quod ex iis exemplis eſt, quæ aliquid ex iniquo habent, quod publica utilitate compenſatur: quod tributum Plinius ſecundus extraneis dicit eſſe tolerabile, domeſticis grave: itaque his remiſſum, ne lachrymæ parentum aut filiorum ſint vectigales. Videtur enim primitus invaluiſſe ad alendam frequentiam populorum in ſuis ſedibus, & ad familias ibi conſervandas, velut Iſraelitis bona filiaſve extra tribum transferre non licebat. Teſtamento ſupra tertiam bonorum, quibus Feuda continentur, partem legare Flandriæ leges prohibent; exteriſque ad magiſtratus hic gerendos acceſſum, ex Caroli V. Cæſaris anno 1555. ſanctione, illis nimirum qui à ſe Flandros excludunt. Vtuntur jure ſiſtendi, manuſque injectione, tam in perſonas, quam bona eorum, qui cives non ſunt, incipientes, contra Iuris civilis præſcriptum, ab executione: quod mercatorum peregre venientium commoditas introduxit. At peregrinis licet in Flandria adire hæreditatem ſanguine conjunctorum: quod in Gallis, Anglia, Scotiaque illis nefas eſt, ubi Principes, quo jure quaque injuria Albinagii, morientium ab inteſtato, nulliſque ibi liberis relictis, exterorum bona occupant. A ſententia in corpus capitali, omnique interlocutoria civili, reparabili in definitiva, magiſtratus etiam inferioris, fruſtra hic provocatur.

Magiſtratus ſinguli in oppidis, caſtellaniis dinaſtiis poteſtatem obtinentes partim Scabini, partim Baillivi nominantur. Quos vero Scabinos Latine efferimus Galli Eſchevinos nominant. In quorum ordinem Carolus V Cæſar promulgato ad annum 1531 edicto prohibuit ebriioſos cooptari voluitque ut nimiæ potationi aſſuefcentes, ſi per errorem in illam functionem irrepſerint, removeantur:

tur: quod decretum mitium fuit Solonis sanctione statuentis, ut magistratus ebrietatis compertus morte puniatur. Scabini jura & privilegia populi defendunt, lites in judicium deductas, ex norma statutorum & consuetudinum municipalium, aut illis deficientibus ex jure scripto decidunt: tormentis quæstionum adsunt, crimina examinant, vitæ necisque jus & facultatem habent: submonentibus, per concepta verba, Principis officiariis, populo audiente, sed supplicii condemnatos noxæ eximere ipsis nefas est: soli Principi permissum magis, quam usurpatum. Politica edicta scisscere illis licitum & usitatum, Comite sanciente: at tributa similiaque onera subditis indicere, nisi Principe causas necessitatis cognoscente, imponendique oneris facultatem largiente, prohibentur: primum Ludovici Malani, deinde Caroli quinti Cæsaris ad annum 1516. constitutione. Illorum præsides (quibus Senatus convocandi & dimittendi, ad eum referendi, primi consessus & sententias circumrogandi jus & potestas est, quæ numerantur, non ponderantur, Romano more. Neque enim aliud, inquit Plinius Iunior in publico consilio fieri potest, in quo nihil tam æquale quam inæqualitas ipsa: nam cum sit impar prudentia, par omnium jus est. nuncupantur Gandavi, & in Yprensi, Bergensi, Burburgiaque castellaniis, Primi Scabini: Ypræ, Bellæque Voegti, sive Tutores: penes quos nimirum summum jus est rerum ordine suo jungendarum. Vernis enim nostris Voeghen, componere & accommodare denotat, nisi quis forte magis delectetur Græci nominis & significati, βοήθοι, paronymia: Bergæ Portmagistri: In Feurnensi castellania Lanthouderi, quasi terræ custodes, adjunctique illis Scabini etiam Keurheri, ceu electi domini: Keur enim optionem, electionemque signat, appellantur: Brugæ, ceteriisque fere in oppidis, & in terra Franca, Burgermagistri, hoc est, quibus præcipua civium cura incumbit, nuncupantur.

Antiquitus Scabini, licet ob justitiæ, largitione redemptæ, corruptelam, Comitis punitioni cum bonis suis semper subjacerent, dignitatem ante mortem non exuebant: nullamque pecuniæ publicæ administratæ rationem Principi, at inter se tantum reddebant: neque ab eorum sententiis provocare licebat, imo appellantibus sexaginta librarium Parisicarum mulcta imponebatur. Verum Ioannæ Constantinopolitanæ, Guydique ex sorore nepotis industria, aulica prudentia, multoque labore effectum fuit, populo novitatis avido suffragante, ut quotannis per Commissarios Comitis ordinarios, aut removeantur, aut prorogentur, atque ad rationes coram illis populoque purgandas, teneantur. Neque illuc admittebatur ullus manuoperarius, ut vocant, nisi jam anno diutius sese ab opificio

ficio removisset: quia hujusmodi, quos aptius ergasteres Graeci vocant, potius ventris quam reipublicæ commodis & necessitati serviant: quod popularius fuit quam institutum Thebanorum, eum à magistratu eliminantium, qui decem annos a mercatura factitanda non abstinuisset. Tandem Flandri, & Philippi Regis, quem diximus, cupiditate ambituque. Lutetiam sensim attrahebantur: & Philippi Boni circumspectione pedetentim illinc erepentes, hujus contra Gandenses ad Gaveram victoria potentiaque gliscente, coacti sunt, concilio provinciali Gandavi fixo, parere: eoque res devenit, ut à cunctis magistratibus ad senatum Principis, Gandavi collocatum, appellare licitum sit, & Flandria diffusius litibus inundaverit: fori tabe, pecuniam causidicis ut vi morborum precia medentibus, adferente. Porro singulis tum oppidorum tum castellaniarum magistratibus in cogenda, expendenda, & annotanda publica pecunia, subserviunt quæstores: illic Thesaurarii: hic Receptores vulgo nuncupati: exemplo Græcorum, maxime Athenienſium, tales pecuniæ coactores, eadem notatione usuque vocantium ἀποδέκτας: quod subinde signamus: quia delectat, vetustarum nobiliumque gentium, præsertim Athenienſium, quos leges Solonis regebant, consentientem interdum cum nostratibus politiam, intueri: in oppidis frequentius bini, hic singuli sunt, quos in plerisque urbibus, præterquam Ypræ, Principis vicarii, uti scabinos, eligunt: neque non magistratibus perpetuo assistunt assessores & consiliarii per illos cooptati: quos partim Graphiarios, aut Secretarios, partim Pensionarios vulgo nuncupant: illos à tabulis actisque (quales Athenis, eodem significato, γραμματεῖς) graphio, stilove describendis, expediendis, consilioque: hos à pensione, qua honorantur, ore senatus, consiliis, legationibus. Quibus omnibus, utpote juris tam scripti quam municipalis peritioribus, & in continuo, annuaque mutationi non obnoxio verum usu versantibus, multum defertur: neque nobilibus id munus indecorum est. Extra ordinem etiam magistratibus vocati adsunt, ejusdem antea ordinis (quos Notabiles appellant) unaque deliberant plerumque magis quam definiunt: neque quum opus est, illinc absunt Decani opificiorum, & Sodalitates quædam, quas Græci cum Romanis Hæterias, nostri Confratrias dicunt, Gladiatorum & Sagittariorum. Illi enses ancipites, longos, utraque manu perite tractant: hi arcubus, sive chalybeis, sive acernis, spicula; aut sclopis manuariis, plumbeas pilulas ejaculantur; vel saltem illis classibus asscribuntur. Quibus pridem vestis erat bicolor, adjecte emblemate argenteo, ut internoscerentur. Illorum autem usus in subitis periculis & terroribus, tam inte-

stinis,

ſtinis, quam hoſtilibus, opportunus eſt: Flandriaque Comites, antequam tot finitimarum ditionum acceſſione, auliciſque ſtipatoribus augerentur, ab uno oppido in aliud, honoris defenſionisque cauſa ab illis deducebantur: & jampridem ad ornandum Principis vel adventum, vel inaugurationem, adhibentur.

Ballivi nomen à Baila voce Gallica, tutelam cuſtodiamque ſignificante, originem elicere videtur: nam illud deducere a Græcorum βαλιος, quod maculoſum ſignat, turpe: à βαλλω, quod petere & impetere denotat, odioſum: & quia virgas manuſque injectionem Baillivi habent, dicenti periculoſum. Non minus Bailivi, quam Scabini per Principem committuntur, mutuaſque operas tradunt. Quibuſdam in locis, Brugæ inprimis, Schultheti vocantur, à Germanico vocabulo, Schultheſſen, noſtrati Schultheten & Schoutheten, Germanicum enim ſigma ſibilumque nos fere in literam tau emollimus, quod ſcilicet debitoribus juberent, ut creditoribus ſatisfacerent (licet Goropius Schultheiſchen dici malit, quaſi debiti noxaque exactores.) Quæ vox in Lutprandi Longobardorum Regis legibus uſurpatur, nominaturque Schuldahis, judicemque denotabat, de debitis pronunciantem, & creditori ſatisfieri jubentem: nunc autem in aliquot Helvetiæ urbibus, publici concilii caput, peneſque Germanos Principes, locorum præfecti, vocabulo Schultheſſen deſignantur. Noſtris vero moribus, Bailivi Schulthetique, hoc modo, his officiis, a ſcabinis differunt: Scabini judicant, Bailivi judicatum, & ſcabinorum ſcita, Principumque conſtitutiones exequuntur: illi vocationem habent, hi prehenſionem, miſſionem in carcerem, accuſationem: illis quotannis honorarium: ab his Principi annua pecunia dependitur, ex mulctarum ſorte compenſatis: illi annuæ aut biennii mutationi obnoxii ſunt: hi mandati diuturnioris limitibus. Denique Scabini jura populi: hi Principis magis reſpiciunt, eorumque dynaſtarum à quibus committuntur: & Scabinos ad jus in propatulo tribunali dicendum rite & neceſſario ſubmonent, atque tribunalis locum, poteſtatemque velut aperiunt: unde etiam tribunalia noſtrati vocabulo Vierſcharen, hoc eſt, quatriturbæ nominantur: quia nimirum quatuor perſonarum illic uſus eſt, Actoris, Rei, Judicis, & Baillivi. Scabinos Bailivi dignitate & loco præeunt: unde forſitan à cupidis amictus Latini, Prætores communiter appellantur: nulla ſimilitudine functionis: quum Scabini potius Romanos Prætores, juris dicendi, condendique potentes, eminus referre videantur. In aliquot caſtellaniis, præſertim Feurnenſi, & in terra Franca, Baillivis additur Crickhouderus, ſic dictus, quaſi cuſtos ligni, ſuprema ſui parte tranſverſarii, quod axillis ſubjectus,

*ctum, imbecilles ſuſtentat: cujus forma argentea pedalis magnitudinis, illi magiſtratui, munere ſuo in publico fungenti, rite geſtatur. Is Scabinos in tribunali publice tempeſtiveque ſubmonet, verbis conceptis: pupillares facultates inquirit, inſcribit, mulctatque earum interverſores: & auctiones rerum, præſente judice, venalium, maxime nobilium palam proclamat annotatque. Neque ruri in primis deſunt Amani, quaſi* Amptmani, *hoc, eſt, viriofficiarii: quorum partes ſunt, diebus* Dominicis, *peractiſque ſacris, in cœmiterio edicta magiſtratus, privatorumque mandata præconari, triconibuſque debitoribus domi denunciare ut ſolvant, aut uti ultra legis municipalis præſcriptum cunctabundos, ad ſolvendum cogant; eorum bonis, mobilibus inprimis, venundatis in auctione. Poſtremo quemadmodum ceteris omnibus Bailivis certæ metæ unius vel oppidi, vel caſtellaniæ, pagique circunſcriptæ ſunt: ita Lud. Malanus quendam ſupremum rerum capitalium quæſtorem, vindicemque, quem* Souverainum Bailivum *nuncupavit, anno ſeptuageſimo quarto poſt milleſimum trecenteſimum inſtituit ad homicidas exuleſque vagabundos tota Flandria, & Antverpiæ Mechliniæque (quæ illi tunc parebant) apprehendendos, & ex ſententia duorum Comitis beneficiariorum morte plectendos, aut ex merito caſtigandos: quum prius illud muneris à Receptatore generali Flandriæ gereretur, & uni utrumque onus nimium eſſet; tantis præſertim illius ævi commotionibus. Permiſſa illi muneri jampridem, & à Caroloquinto Cæſare anno 1543. approbata, auctoritate atque facultate relegationis abroganda, & furti, neque non homicidii ex caſu aut defenſione, ſimilique occaſione, magis quam inſidiis & præmeditatione reis, caſique proximo conſanguineo, paſſiſque furtum, conciliatis, largiendi non ſolum ultro, citroque commeandi quadraginta per dies ſecuritatem, verumetiam criminis condonationem: modo mulctæ pecuniariæ, ſecundum facultates, enormitateſque illorum reorum, ab ipſo imponendæ; fructus, non ad eum, ſed Principem redeat: Flandriæque concilium de reis an vera faſſi ſint, cognoſcat. Sin autem magiſtratus loci, cujus juriſdictioni reus, qui tranſducitur, obnoxius eſt; ſuæ illum cognitioni ſiſti petat, obtemperandum eſt.]*

Primus hujus Provinciæ Princeps, inter eos quidem qui nomen & titulum ejus geſſerint, ut è nonnullis ſcriptoribus, & antiquis quibuſdam monumentis conſtat, Lidericus Harlebecanus fuit. cui ob raras virtutes, & egregia multa fidaque officia, ſibi & reipublicæ Chriſtianæ præſtita, eam anno ſalutis 792, titulo *Principis Flandriarum* attribuit Carolus Magnus. Erat autem tunc temporis

regio

regio admodum inops, & in qua vix aliud inveniſſes quam paludes & ſaltus. unde & Lidericus ille ultro & jocabundus adſumſit vocabulum *Foreſtarii*, id eſt, ſaltuum nemorumque cuſtodis. quem titulum tamen ſucceſſores honorificum ſibi ducentes, retinuerunt, ac diutiſſime uſi ſunt. neque deſunt qui ſcribant, extitiſſe ante hunc ipſum Lidericum & alium quemdam Flandriæ Saltuarium, qui Brugis anno 621, condiderit templum Divi Donatiani. Liderico ſucceſſit Engeranus, Engerano Andakerus, qui (ut tradit Maſſæus) mœnibus clauſit Gandavum, jactis inibi templi Divi Ioannis, quod ſupra deſcripſimus, fundamentis. Atque hi quidem primi fuerunt Flandrorum Principes. quos alii Comitum titulo uſos, alii vero Cuſtodes tantum, Præfectos, & Vicarios Galliæ Regum fuiſſe contendunt. Poſt *Foreſtarios* vero iſtos, vel Saltuarios, numerantur triginta & duo legitimi hujus Provinciæ Comites, concenſitis quatuor Comitiſſis, veris juſtiſque terræ hæredibus. Inter Comites autem, ſi hiſtorias forte evolvas, paucos invenies, qui non fuerint magni & quantivis pretii Principes. ita quidem ut in gragni & quantivis pretii Principes. ita quidem ut in gragni & quantivis pretii Principes. ita quidem ut in grag

Balduinus Barbatus, juſtitiæ ſimul & litterarum ſtudio clarus Princeps, nobilitatem, ut volunt, in Flandria omnium primus conſtituit, juſtitiæ ſacra reformavit, homines doctos & virtutibus celebres paſſim invexit. mortuus anno 1036.

Balduinus, cui ab optimis moribus nomen Pii eſt inditum, & qui Inſulis natus, Latine ſcribentibus *Inſulanus* dicitur, ditioni adjecit Comitatum Aloſtanum & quatuor illos Ambactos. In matrimonio habuit filiam Regis Roberti, Henrici primi Galliæ Regis ſororem. qui imminente jam fato, hunc ſororium ſuum, notæ integritatis, juſtitiæ & prudentiæ virum, teſtamento inſtituit filii ſui Philippi, immaturæ adhuc ætatis pueri, curatorem, adeoque Protectorem ampliſſimi ejus Regni. quod factum 1061. Suppeditavit idem Balduinus magna navium copiarumque & pecuniarum ſubſidia genero ſuo Gulielmo Duci Normanniæ, in debellanda, & Haroldo, injuſto coronæ uſurpatori, eripienda Britannia. cujus tantæ victoriæ præmium retulit annuam trecentarum marcarum argenti penſionem, Flandris ab eo Regno in perpetuum perſolvendam. etſi pactum illud non diu à poſteris obſervatum. obiit iſte Balduinus anno 1067.

Robertus, cognomento Hieroſolymitanus: is qui ob inclyta ſua & heroica prorſus facinora in Bithynia Syriaque adverſus infideles patrata, ab univerſo Chriſtianorum exercitu ſalutari meruit *Filius Divi Georgii:* quique ab Imperatoribus omnium primum deſignatus fuit Protector Cameracenſis: obiit anno 1111.

Balduinus, cognomento *Securis*, Princeps bello clariſſimus, tam ſevere adminiſtravit juſtitiam, ut, præter primum illud cognomen, etiam dictus fuerit ejus virtutis parens. obiit anno 1119.

Theodorus Elſatius, magno ſuorum comitatu inſtructus, Hieroſolymam, infidelibus inibi debellandis, quater profectus eſt, ac magnum idemtidem nomen lucratus, ad ſuos reverſus. uxorem habuit Sibyllam, Fulconis Hieroſolymæ Regis filiam, præſtantiſſimam ſane mulierem. obiit anno 1169.

Philippus Elſatius, qui ob raras virtutes Magni cognomento affectus eſt, tam familiaris, tamque intimus fuit Ludovico Galliæ Regi, ejus nominis ſeptimo, ut nihil fere is ageret, niſi de hujus noſtri conſilio. hic è ſacro

fonte

fonte ſuſcepit Regis filium, cui à ſe fecit nomen. atque is poſtea fuit Philippus Rex, cognomento Auguſtus. cui, patre jam mortuo, conjugem noſter dedit Iſabellam cognatam. ſed orto poſt (ut ſunt lubricæ admodum & funeſtæ Principum res) ſuper Veromandorum Comitatu, gravi inter eos diſſidio, ad arma & manus etiam ventum eſt. at tranſactum tamen poſtpaullo cum maximo noſtri bono, & in gratiam reditum. Comes, otii impatiens, in Syriam ſe, & ſacram inibi expeditionem contulit. ubi mira illum virtutis ſpecimina edidiſſe, inter alia vero poſt inſignem ab hoſte partam victoriam, inſignia etiam illa, quibus hodieque utuntur ſucceſſores Flandriæ Comites, retuliſſe, ſacri belli ſcriptores commemorant. Inde in patriam rediens, & Luſitaniam forte perviam luſtrans, uxore jampridem mortua, ſecundis nuptiis duxit, & in Flandriam ſecum vexit Machtildim viduam Regni illius Reginam, raræ (ut narrant) formæ & pulchritudinis fœminam. Tandem vero una cum dicto Philippo Auguſto & Richardo Anglorum Rege, in Syriam rurſus & ſacrum bellum delatus, jamque multis victoriis inclytus, Ptolemaide, anno Chriſti 1190, vel ut alii ſcribunt 1191. rebus humanis exemtus eſt.

Balduinus, felicis ejus nomenclaturæ octavus, poſt diutina ſatis in Oriente cum infidelibus bella, capta tandem à noſtris Conſtantinopoli (magno ſane iſtorum hodie nore, ſi quis rem attente conſideret) ſalutatus inauguratuſque eſt Imperator Byzantinus, anno Chriſti 1204, ei vero intra annum defuncto ſurrogatus Henricus frater.

Vltimum inter veteres Comites faciemus Ludovicum Malanum, Ludovici Nivernienſis Flandriæ Comitis filium. qui & ſanguine & virtutibus glorioſus, ducta uxore Margareta, Ioannis tertii Brabantiæ Ducis filia, & Ducatum illum & ditiones ei annexas (prout ſupra in deſcriptione Brabantiæ fuſius explicavimus) cum Flandriæ Comitatu conjunxit. mortuus anno 1383.

Succeſſerunt poſtea ex eadem ſtirpe & ſanguini oriundi ſtrenuiſſimi Duces Burgundiæ. & poſt eos, Imperatores Regeſque domus Auſtriacæ. quorum Carolus Quintus, Imperator Maximus (eo enim honorifico titulo eſt affectus à Paullo tertio Pontifice Maximo) terram iſtam perpetuo quodam favore proſecutus varie ampliavit:

vit: reſtituto ei inprimis Tornaco, ipſaque à jure omni & poteſtate Gallorum atque Imperii penitus liberata. Obiit tantus Princeps in Hiſpania anno ſalutis 1558. Exequiæ Regio prorſus & Imperatorio apparatu celebratæ ſunt Valliſoleti in æde Divi Benedicti, à Principe vidua Luſitaniæ, ejus filia, Hiſpaniarum gubernatrice. quæ Cæſarei tumuli, Regiis undique & Imperatoriis imaginibus ſymboliſque exornati, frontiſpicio inſcribendum curavit glorioſiſſimum iſtud Epitaphium. ſed ſciendum prius, depoſitum aliquot annos fuiſſe defuncti corpus apud Cœnobium Iuſti, juxta Placentiam: atque inde una cum medicato corpore patris ſui Philippi Regis, anno 1506, itidem in Hiſpania mortui, Eſcurialem tranſlatum, locum in cujus vicinia, filius ejus Philippus Rex condidit erexitque Cœnobium inſtituti Divi Hieronymi: quod in magnæ illius victoriæ (qua potitus nuper adverſus Gallos Henrico ſecundo Rege, ad Fanum Divi Quintini, idque die Divo Laurentio ſacro) in victoriæ dico tantæ memoriam, glorioſi illius Martyris nomine inſignivit. cœnobium certe, quod ædificia quidem & ornamenta, adeoque magnitudinem omnem & regium plane ſplendorem attinet, ita magnificum prorſus & ſumtuoſum, ut ſi intra decennium porro ex Regia deſtinatione abſolvitur, & erogentur pro rata parte in fabricam decem auri milliones, numerandum merito fuerit inter orbis miracula. Celebratæ præterea ſunt ejuſdem Imperatoris, necnon Angliæ & Hungariæ Reginarum exequiæ, cum in aliis Belgicæ urbibus, tum præſertim Bruxellæ, illoipſo Philippo Rege præſente, & magna tum aulæ, tum urbis totius pompa. Quin & per totam, quam late diffuſa eſt Chriſtianam Rempublicam, prout ſolet fere in funere Maximorum Principum, veneranda prorſus & regia Imperatori facta ſunt juſta, habitæque in laudem ejus orationes, & id genus ſollennia. Epitaphium autem quod dixi ecce iſtud:

D. O. M. S.

D. CAROLO V IMP. CÆS. AVG. MAX. INDICO, TVRC. AFRIC. GERM. HISPANIÆ, SICILIÆ, ET INDIARVM REGI, P. P. PRINCIPI POTENTISS. ET INVICTISS. SACRI IMPERII LIBERATORI,

TORI, FVNDATORI QVIETIS, CHRISTIANÆ RELIG. ACERRIMO PROPVGNATORI, IVSTITIA, ANIMI MAGNITVDINE, PRVDENTIA, RELIGIONE, CLEMENTIA, PATIENTIA, ALIISQVE INSIGNIBVS VIRTVTIBVS LONGE ORNATISS. QVI POST INGENTES VBIQVE TERRARVM PARTAS VICTORIAS, ET CLARISSIMOS DE GALLO, TVRCA, AFRIS, ITALIS, GERMANIS, ACTOS TRIVMPHOS, TAM MVLTIS INDIÆ PROVINCIIS, ET INSVLIS ETIAM PRISCIS INCOGNITIS, PER LEGATOS MAGNO REIP. CHRISTIANÆ ORNAMENTO INVENTIS, ATQVE LVSTRATIS. DENIQVE POST FOELICITER ADMINISTRATAM ET PRVDENTER CONSTITVTAM REMP. PHILIPPO FILIO TOT AMPLISSIMIS HISPAN. REGNIS, FLANDRIÆ, ET ALIIS PROVINCIIS INAVGVRATO, RELIGIONE DVCTVS EX FLANDRIA IN HISPANIAM TRAIECIT, SEQVE IN IVSTVM HIERONYMIANI ORDINIS COENOBIVM, ÆDIBVS ILLIC IVSSV EIVS CONSTRVCTIS, RECEPIT, VBI RELIQVVM VITÆ, QVOD VIX BIENNIVM FVIT, TRANQVILLISSIME EGIT, ET SANCTISSIME OBIIT XI CAL. OCTOB. M. D. LVIII. IOANNA LVSITANIÆ PRINCEPS HISPANIARVM GVBERNATRIX, PATRI OPT. ET MAX. P. VIX. ANN. LVIII. MEN. VI. DI. XXVII. IMPERAVIT ANN. XL. REGNAVIT ANN. XLIII.

Teutonica simul & Imperialis Flandria gubernatur hoc tempore à Principe Gavereno Comite Egmondano, qui Artheſiæ quoque Præfectus eſt: Gallicanam gubernat (ut diximus) Dynaſta Currerius. quo utroque defuncto, & inſecutis poſtea bellis civilibus, deſtituitur iſta Provincia peculiari Gubernatore. cujus vices propterea ſupplet generalis Belgicæ terræ Legatus, donec aliter ſtatuat Rex. Atque hæc eſt in ſumma deſcriptio Flandriæ, quæ habetur ab omnibus pro ampliſſimo potentiſſimoque totius orbis Chriſtiani Comitatu. quem locum, & inter Regna illud Galliarum, & inter Ducatus, Mediolanenſis ditio non injuria ſibi vindicat. Sed pergamus ad alia.

# ARTHESIA COMITATVS.

ARTHESIA magna ex parte complectitur ejus gentis tractum, quam Cæsar in Commentariis Atrebates appellat, ab Atrebato, & ipsius & nostro ævo, tractus ejusdem metropoli, quam Galli quidem vulgo *Arras*, Itali autem *Arazzo*, Flandri denique Atrecht appellant. Hæc regio terminos varie olim mutavit, & pro variis illis ac reciprocris inter Galliam & hanc Belgicam motibus, modo latior ampliorque modo contractior iterum atque angustior facta est. quæ omnia sicut prolixitate sua multum fastidii, ita parum utilitatis lectori adferrent. quare sufficit si dicamus, Artheſiam hodie terminari, à Septemtrione quidem Lisa flumine, & fossa (quam vocant) Nova, quæ à Flandria eam dividunt: à meridie vero versus Dorlanum cum Picardia; ab ortu cum Flandria Gallicana & ditione Cameracensi conjungi: ab occasu denique versus Monstrolium Picardiæ rursus adfinem esse. regionem equidem peramœnam & præstantissimam; ut quæ cœlum experiatur admodum clemens & temperatum; solum vero habeat omnium rerum, si vinum tantum exceperis, feracissimum. nascitur autem defectus iste vini, ex incuria magis & negligentia incolarum: tum quod regio Galliæ tam vicina & bellorum periculis nimis expositа: quam è cœli solive ipsius inclementia. gignit in primis laudatissimum genus tritici, idque ea luxuriæ, ut quam copiosissime illud extra ipsam Provinciam evehatur: & cum bonæ Teutonicæ Flandriæ parti, tum Brabantiæ quoque, ac nominatim Antverpiæ (ubi exteri fere triticeo, non autem cibario illo & secalicio pane utuntur) adfatim submittatur. quin Mechlinia quoque comperta itineris Duaceni opportunitate, triticum istud Artheſinum aqua illinc idemtidem petit, & in civium usus insumit. Faciunt insuper isti homines tam laudabile genus panis, ut in opida is & pagos circumvicinos magna in dies copia distrahatur. Numerantur in hac Artheſia duodecim Opida muris clausa, concensito iis Rentæjo, arcis magis quam opidi nomen

tuente.

30
23
SEPTENT
51
Britannici
maris pars
Cales
Hames
Guines
Ambleteul
Ardres
Lambres
Bolongne
Celles
Teroa
Le Portet
Caux
Hardelot
Renty
Estaples
Lisbourg
ARTESIA
Monstreul
Bricque
Ricquebourg
Pas
Pont Assela
Dompire
Hesdinfort
Treport
Auxi
Lenuille
Picardiae
Pars
Porlet
Bernual
Treport
Austi
Crotoy
Cayen
S Valeri
Pames
Criel
Abbeuille
Pont de
Remi
Diepe
Baeuille
Donqueure
OCCI DENS
30
50
30
23
MERIDI

RIO 30
24
30
Miliaria Arteſiæ
5
10
51
Bor
borch
Bergen
Watene
Bambeke
Popringen
Flandriæ
Caßel
Ipren
Cortryck
S. Omar
Belle
Comene
Meeßene
Haskercke
Mergem
Spiere
Etteren
Rijßel
Robeque
pars
Baßy
Cyſoin
Lilers
Allene
Orchies
Bethune
Pont a
Vendin
Pernes
Sady
Marchennes
Bugny
Lens
Elines
S Paul
Douay
Souchies
Berlette
Peckencourt
Vitry
Bouchain
Aras
Mont
Marteloy
Les tluſe
Hourdain
Baßeul
Baret
Dorlens
Hamelincourt
Ecou
Cambray
Papame
Authy
Benteul
50
ORIENS
30
ES 30
24
30

# ARRAS,

# v. ATRECHT.

tuente. Pagi ſunt octingenti quinquaginta & quatuor. inter quos etſi per nupera iſthæc bella deſolati complures & miſere mutilati: bona tamen indigenis ſpes eſt, fore, ut per diuturnam hanc pacem, Deo humanam induſtriam adjuvante, omnes (ut fieri ſolet) in priſtinum ſtatum redintegrentur. Interea lachrimoſum ſane & triſte ſpectaculum eſt, videre non hujus tantum Provinciæ, ſed & Galliæ confinalis limites ita miſere devaſtatos, nec tam multos dumtaxat ferro & flamma everſos pagos, ſed & integras regiones, eaſque inſigniter fertiles, à plebe & omni hominum cultu derelictas. & quid amplius? videre miſerrimas illas gentes diſperſas, fugatas, occiſas, & qui ſuperant, in perpetuo luctu & querimoniis. unde porro naſcuntur inter utramque nationem, foventurque implacabilia quædam & perpetua odia: in magnam profecto eorum, qui ſuapte culpa tam atrocium irreparabiliumque malorum auctores ſunt, ignominiam, & graviſſimum animæ detrimentum. Continentur Artheſiæ finibus novem *Caſtellaniæ*, item Abbatiæ complures, Cœnobia, aliaque id genus Collegia. Opidorum primaria Atrebatum, Fanum Divi Audomari, Betuna, Aria, Bapalma: reliqua vero Heſdinum, Rentæjum, Fanum Sancti Paulli, Perna, Lilertium, Baſſæa, & Lendium. Sunt deinde opida pridem diruta Taravanna & vetus Heſdinum. Ordines hujus Provinciæ quatuor membris conſtant, Antiſtitibus nempe, Capitulis, Nobilibus, & primariis Vrbibus. Accedamus vero ad ſingularem eorumdem opidorum, & primo quidem Atrebati deſcriptionem.

## ATREBATVM.

ATREBATVM teli dumtaxat jactu abeſt à ripa Scarpæ, fluminis ſupra nobis deſcripti. Duaco abjungitur ſex, Dorlano octo, Cameraco novem, Ambiano denique quatuordecim, ſed minorum, leucarum intervallo. opidum vaſti ambitus: ſed quod in duas deinde partes, quarum altera, *la Cité*, altera vero *la Ville* dicitur, intermedio quodam muro diſtinguitur. quem murum tamen maturo conſilio, ad majorem utriuſque partis ſecuritatem, nulla interim facta juriſdictionis mutatione, poſtea demoliti ſunt. & Civitas quidem non ita am-

pla, ſed pulchra tamen, amœna, & propugnaculis communita. in ea pulcherrimum illud templum cathedrale, Divæ Virgini dedicatum, ubi inſignis Theologicorum voluminum manu exaratorum bibliotheca. primus hujus Eccleſiæ Præſul Divus Vedaſtus fuit, inſtitutus à Sancto Remigio Archiepiſcopo Rhemenſi, anno jamtum 531, ſed unita deinde eſt Atrebatenſis Eccleſia cum Cameracenſi, & duo illi Epiſcopatus in unum conflati. ita ut eminenti illa dignitate diutiuſcule civitas iſta caruerit. Sed cum ſtetiſſent poſtea Cameracenſes à partibus Imperatoris Henrici Quarti, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ perduellis, Vrbanus ſecundus, vindicando ex parte & puniendo huic delicto, civitatem Atrebatenſem in Epiſcopalem priſtinam dignitatem reſtituit, & Epiſcopum ei dedit Lambertum Archidiaconum Morinenſem, circa annum ſalutis nonageſimum quintum ſupra milleſimum. Hoc tempore Præſulem habet Antonium Perrenotum, poſtea Cardinalem Granvellanum, virum ſummæ olim apud Carolum Quintum Imperatorem dignitatis, nec minori hodie, maxime quod ad Belgicæ ſpectat res, apud Regem Philippum loco: tum virtutibus quoque aliiſque rariſſimis dotibus toto orbe terrarum illuſtrem. qui, dum operi iſti ſummam manum imponerem, Epiſcopatu ſe abdicans, locum dedit Franciſco Richardoto Burgundo, docto & venerando Antiſtiti, ac digniſſime ſane dignitatem illam adminiſtranti. cujus nepos Ioannes Richardotus, Dominus de Barli, Regi hodie à conſiliis Status & Sanctioribus, vir eſt rara quadam doctrina prudentiaque, tum experientia quoque & mira in expediendis rebus politicis acrimonia. Richardoto Antiſtite nuper defuncto, aſcendit ad eum gradum, ob raras ſuas virtutes & probitatem, Guilielmus Moulartius. Eſt autem Epiſcopus Atrebatenſis & politicus ſimul & eccleſiaſticus Dominus civitatis, cui non jura minus & leges, quam Magiſtratus attribuit; ſuperiorem tamen agnoſcens Artheſiæ Comitem, penes quem eſt ipſius electio, ſicuti confirmatio penes Romanum Pontificem. Gaudet Epiſcopatus hic annuo quatuor, quinque, vel & ſex millium ſcutatorum cenſu, pro uberiore videlicet vel contractiore proventu grani. Adſervatur in dicta æde Beatæ Virginis magna inprimis religione, & miris gemmarum divitiis involutum, ceu digniſſimum quoddam cimelium,

lium,certum genus mannæ, lanæ propemodum ſpeciem referentis; quam pluiſſe in hac regione ſuo ipſius ævo in epiſtolis narrat Divus Hieronymus. ea populo magna ſollennitate palam exhibetur ſpectanda, maxime cum poſt longas ſiccitates pluviam arva ſiticuloſa deſiderant. In opido item ſeu villa Atrebatenſi, & ſacello, minori foro,non alia fini,ſuperſtructo religioſe admodum cuſtoditur, ceu ſacrum quoddam Palladium, candela quædam,cœlitus olim uti narrant,delapſa.Sed pergamus deinceps ad ipſam villam, id eſt alteram Atrebati partem, amplam ſane, & cum ſitu, tum opere, muris ſcilicet, propugnaculis, ac latis profundiſque foſſis,etſi aquæ tamen expertibus, uſque eo munitam, ut non niſi diutina aliqua obſidione frangi & expugnari poſſe credatur. Vias habet admodum latas: forum ſpatioſiſſimum & eximie pulchrum. Habet item ampliſſimam illam & opulentiſſimam Abbatiam Divi Vedaſti, qua non alia, niſi fallor, in univerſo hoc Belgio ditior: puta cujus annui reditus vicena fere millia ſcutatorum excedant.Præerat huic Cœnobio vir Illuſtris Rogerius Montmorencius, frater Comitis Hornani: cui nuper ob raras dotes ſuffectus eſt Ioannes Saracenus, civis Atrebatenſis, reverendus in primis & clariſſimus Præſul. Habet denique Atrebatum & alia quædam ſpectanda templorum ædificia, & percommodas civium domos, quarum ſingulis ſua ſunt hypogæa pavimentata, & inſolita quadam profunditate conſpicua. quæ conſilio quidem ita ampla ſeſe & luculenta feciſſe prædicant, ut poſtulante temporibus belli neceſſitate, ſe cum omni familia actutum in ea recipiant, & à tormentorum hoſtilium ictu immunes, extrema quæque priuſquam ſe dedant, quam fortiſſime tolerent. Oriundus hinc bellicoſiſſimus ille & fortiſſimus Comius, quem in Commentariis ſuis tantopere celebrat Cæſar. item magnus ille Franciſcus Balduinus, Iuriſconſultus excellens, & complurium in utroque jure voluminum ſcriptor. Hodie inter viros illuſtres Atrebatenſes numerantur Chriſtophorus Aſſonvillius, Dominus Altovillæ, Conſiliarius Status & Conſilii Sanctioris, vir infigniter doctus & longo rerum uſu experientiſſimus, ſic ut per turbas iſtas & motus civiles utiliſſimam ſæpe Regi navarit operam, & conſtanter ei adhæſerit. prout conſtat ex aliorum hiſtoriis,&

nominatim ex noſtris commentariis. Nicolaus Bornius, Electus Artheſiæ, raræ cujuſdam eruditionis vir, Orator & Poëta cultiſſimus, tum inſignis quoque & gravis hiſtoricus. Carolus Cluſius, vir utraque lingua doctiſſimus, & in cognitione ſimplicium plane ſingularis, ut qui eruditioni peregrinationem conjunxerit, & luſtrarit jam olim, nec luſtrare in dies deſinat varios mundi tractus, ubi non ipſas dumtaxat res, verum cœli quoque & ſoli in quo gignuntur qualitates indolemque examinet, & exactius inde pleniuſq; illas deſcribat. quod abunde teſtantur egregia viri ſcripta jam in lucem emiſſa. Franciſcus denique Moncæus, Dominus Florevallius, & Electus Artheſiæ, vir egregie doctus, & ſcriptis clarus. In hoc opido ſedem habet Senatus Provincialis Artheſiæ, à cujus ſententiis Mechlinam licet appellare. Atrebatum civibus ſatis frequens eſt, mercatoribus maxime, & opificibus, varia artium genera profitentibus. fiunt hic magna copia *ſajæ*, majori Europæ parti notæ & expetitæ. Fuit, ut dixi, Atrebatum Iulii Cæſaris tempore magni admodum tractus caput. quin & ævo Caroli Calvi Imperatoris, ejuſdemque Gallorum Regis, & inſecutis aliquot ſæculis, metropolim eam agnovit tota Flandria: ſed avulſa inde, & in diſtinctum Comitatum erecta Artheſia, hujus ſolummodo caput manſit. quem titulum hodieque inſcribit, & quamplurima ſub ſe habet feuda.

## FANVM D. AVDOMARI.

HOc opidum nomen habet à Divo Audomaro, Conſtantiæ apud Germanos nato, & Epiſcopo Morinenſi. cui notæ jam ſanctitatis viro Aldroaldus vir potens & pius, cœnobio inibi excitando, attribuit arcem *Sithiu*. quod opus non tantum vir ſanctus abſolvit, ſed & templum illud pulcherrimum, ſuo poſtea nomine glorioſum, adjecit. quo cum anno circiter 660 prorſus jam immigraſſet, ſecuti ſunt eum mox aliquot ſancti & pii viri, inter quos & concivis ejus Divus Bertinus: quorum piis operibus & notiſſima vitæ ſanctimonia factum eſt, ut & homines magno numero eo confluxerint, & in opidum tandem ipſe locus ſurrexerit. cui à viro ſancto, anno 695, rebus humanis exemto, Divi Audomari nomen eſt inditum. mortuus porro triennio poſt idem Divus

vus Bertinus, cognominis sibi Cœnobii conditor. quod cum egregii admodum operis templo aliisque pulcherrimis ædificiis sit spectandum: tum proventibus adeo luculentis dotatum est, ut referatur merito inter pulcherrimas & ditissimas Abbatias Belgicæ. Evectum est postea id cœnobium ad dignitatem Episcopalem, cujus cathedram hodie implet Iacobus Pamelius, nobilissimus, ut jam dixi, & reverendus Antistes. Habuit idem perpetuo cœnobiarchas virtute & dignitate præstantes, quos inter haud ita pridem Gerardus, ex illustri stirpe Americurtiorum, Præsul eruditissimus, optimeque de republica meritus. Est hoc opidum Galliæ limitaneum, adsidetque flumini Aginoni, Aria pariter Ardeaque pari quatuor fere leucarum intervallo abjunctum. firmum idem munitumque ut nihil supra, & ædificiis publicis privatisque concinnum, inter quæ potissimum eminet insigne illud jamdicti Abbatis palatium. civibus denique satis frequens, & *Castellania*, jurisdictioneque in agros & pagos circumjectos conspicuum. Gubernat hoc tempore Fanum Divi Audomari Illustrissimus Princeps Eustachius Crojus, Comes Rodiensis.

Est ad Fanum Divi Audomari peramœnus quidam & vastus memoranduque lacus, è perennibus undique confluentibus aquis collectus, & in Aginonem tandem prorumpens. huic innatant ruscula aliquot insularia, pratorum speciem obtinentia, graminosa, & arbusculis obsita. innatant autem eo modo, ut fune ex arbuscularum aliqua deligato totam terreni massam quocumque visum est pertrahas. neque ruscula tamen ita exigua, quin & vacas aliquot singula, & alterius generis pecudes gramina depascentes admittant. rem profecto non veram minus quam admirandam! nam & pisces ingenti copia tam hiemis quam æstivis mensibus, frigori simul & calori defendendo, sub has insulas se recipiunt. Sita est ad eumdem hunc lacum, inter alia ædificia, perampla quædam & nobilis Abbatia, quam vulgo appellant *Clermarets*, instituti Divi Bernardi, à quo & conditam tradunt.

Betunia distat Aria quinque leucis, Lillertio autem duabus & semi: opidum sane lautum, munitum, & in quo maxima copia premitur laudatissimum illud casei genus, quod per totum hoc Belgium, imo & extra illud extrahitur. Iurisdictio ejus & territorium una cum ditione

tione Teneræmundana obvenit Guidoni Dampetræ, Comiti Flandriæ, ex dote uxoris Machtildæ, Danielis, vel (ut alii volunt) Roberti, Advocati (is enim tunc titulus) Atrebatenſis filiæ. Gubernat hoc opidum Dominus Treulejus.

Ariam flumen Liſa interluit, opidum bonum & validum, ac non veteri tantum arce, ſed & aliis ædificiis ſatis ſpectabile, Taravanna duabus leucis diſſitum. Gubernatur à Domino Tramerieſio.

Bapalma diſtat Atrebato ſex leucis, eſtque opidum quidem exiguum, ſed idem ſitu in primis firmum, ut quod toto trium leucarum ſpatio à perennibus aquis circumquaque abjunctum ſit, ideoque hoſtilibus copiis difficillimum præbeat aditum: arcem inſuper habens munitiſſimam, & late ſatis diffuſum in agros circumjectos imperium. Gubernatur à Domino Nojellano Stadio.

Rentejum, ut diximus, caſtrum eſt, bono & amplo pago conjunctum, ad ripam ignobilis rivuli, & Monſtrolio Heſdinoque pari quinque leucarum intervallo diſſitum. locus ſane firmiſſimus: quem ut expugnaret nuper anno 1554, Galliarum Rex, nullis non viribus uſus eſt. ſed cum ſuppetiatum loco accurreret Cæſar, ad prælium illico ventum eſt. cujus etſi priores tuliſſent Galli, tamen ob metationis incommoda, & loci ipſius firmitatem: tum quod in fronte haberent Cæſaris copias, & in ipſo articulo nuntios accepiſſent ſuæ in Tuſcia cladis; nihil præterea molientes diſceſſerunt. Rentejum, Marchionatus dignitate conſpicuum, in ditione eſt Illuſtriſſimi Principis Guilielmi Croii, fratris Ducis Arſchotani, & Equitis aurei Velleris, qui in prælio nuper ad Gravelingam commiſſo clariſſima edidit fortitudinis ſuæ ſpecimina. mortuo vero in Marchionatu ſucceſſit, etſi uxorio nomine, Emanuel Lalainius, Dynaſta Montigniaci, Dominus Cerviæ, Condati, &c. Eques aurei Velleris, Gubernator & Capitaneus generalis, ut vocant, terræ Hannoniæ, & ſupremus Præfectus rei maritimæ, Princeps clarus & multis virtutibus ornatiſſimus, ſpeciatim vero & militaris & politicæ rei intelligens, prout partim ex aliorū hiſtoriis, partim ex Commentariis noſtris conſtat.

Iam vero priuſquam agamus de novo Heſdino-ferto, nam id loco inditum nomen à Duce Sabaudiæ, diſſeremus nonnihil ſuper veteri illo Heſdino, quod non incommode

commode dici potest novum istud peperisse. Positum erat vetus Hesdinum ad flumen Cancham, quatuor leucis à Fano Sancti Paulli, opidum luculentum, valida arce communitum, & insigni in pagos agrosque circumvicinos jurisdictione spectabile, denique sedes olim & habitatio Flandriæ & Artheſiæ Principum. sed cum firmum non esset ad hodiernum modum, factum ab aliquot annis retro, ut in prædam perpetuo cesserit ei qui prævaleret in acie. habebatur quidem illius arx pro satis munita, sed non fuit tamen validissimis hodiernarum machinarum ictibus sustinendis. ita ut ultimis hisce bellis modo huic, modo alteri partium cesserit. quare anno tandem 1553, magno sane Gallorum, qui præter alios aliquot viros Illustres, & magnanimum illum Ducem Horatium Farnesium, Regis Henrici generum, amiserunt, detrimento, ductu Ducis Sabaudiæ à Cæsarianis expugnatam destrui idem Cæsar, una cum opido ipso, mandavit, ædificando, ut anno proximo fecit, novo isti Hesdino-ferto. quod opidum opportuno prorsus & mirabili situ adjacet Canchæ jamdicto, & Galliæ una tantum minori leuca quam dirutum illud propinquius, Monstrolio quatuor, Sancto Paullo autem quinque leucis abjungitur, alio insuper flumine irrigatum, quod natum juxta Blangisam pagum, Blangisa vulgo indigetatur, & Canchæ aquas suas commiscet. ita ut munitissimum plane sit istud Hesdino-fertum, habeaturque inter tutissima Belgii propugnacula. quod eadem cum veteri illo Hesdino, jam ut dixi extincto, ditione iisdemque privilegiis & immunitatibus gaudens, ac novis insuper Principis beneficiis exornatum, magis magisque augetur, & in bonam admodum frequentemque civitatem excrescit. quin & posito proprio nomine, vetus illud Hesdini vocabulum sibi assumsit, & gubernatur hoc tempore ab Illustri Briasio, Domino Roionensi.

Fanum S. Paulli abest Divo Audomaro quidem sex, Atrebato vero octo leucarum itinere, veteris & illustris Comitatus dignitate, ac luculenta admodū ditione conspicuum. Dominam habet hoc tempore illustrissimā Tuttevilliam, etsi utroque Rege supremum sibi imperium vindicante: & Catholico, postquam è legum pacis præscripto eidē illi heroidi nuper restituit, in supremi illius juris possessione, citra Galliæ tamen præjudicium, remanente.

Perna, bonæ conditionis locus, & Comitatus prædicti membrum, Sancto Paulo quinque leucarum ſpatio diſſidet.

Lillertium inter Ariam & Betuniam, pari fere trium leucarum intercapedine ab utraque disjungitur, opidulum ſatis lautum.

Baſſea Lendio diſtat duabus leucis & ſemi.

Lendium, vulgo Lens, Atrebato quatuor leucis abeſt, opidulum quidem exiguum, ſed per ampla in locos circumjectos ditione conſpicuum. deſtruxerunt anno 1557, Galli, ſed paullatim aſſurgit, & in veterem faciem reſtituitur. Natus hic magnus ille Doctor & Mathematicus perexcellens Arnoldus Lendius.

Supereſt, antequam procedamus ad ulteriora, ut loquamur de diruta pridem Teravanna, Morinorum, Iulio Cæſari memoratorum, metropoli, quam Ptolemæus Tarvannam appellat. ea ſita olim ad fontes Liſæ, quod flumen mœnia ex propinquo præterlabitur, diſſita autem Fano Divi Audomari trium, Ardea quinque leucarum ſpatio, opidum ita validum, ut haberetur inexpugnabile, ſed poſt longam tamen & acrem oppugnationem à Cæſarianis expugnatum anno 1553, Duce Ponto Lalainio, Domino Bugnicurtii, cum ingenti ſane Gallorum clade, qui præter opidum adeo momentoſum & limitaneum, amiſerunt complures magnates, inter quos fortiſſimum illum ductorem Deſſium, qui & Panvillerius dicebatur. captum Cæſar continuo dirui & ſolo æquari mandavit. poſtea vero ex legibus pacis Gallo, ita ut erat deſtructa, per Burgundos eſt reddita, ſed cum lege ne muris umquam aut mœnibus eam cingat. Onus vero & dignitas redituſque perantiqui ejus Epiſcopatus, conditi anno jamtum 531, diviſa ſunt æquis partibus inter Galliam Belgicamque, ita ut alter quidem ſemiſſis Epiſcopatui Bononienſi, alterius vero loca & bona Flandricæ linguæ ſubjecta, Iprenſi; Gallicanæ, Audomarenſi Epiſcopis attributa ſint.

Iuxta Morinum Ariamque & Fanum Divi Audomari maximus quidam & vaſtiſſimus aquæductus eſt, quem hodie Foſſam Novam vocant, factum, ut volunt nonnulli, ævo jamtum Comitis Balduini Pii, idque hoſtium, ut ſubjungunt, incurſibus prohibendis, vel, ut alii, Flandriæ ab Artheſia diſtinguendæ. Vt ut ſit, aquæductus iſte, etſi amplitu-

amplitudine quidem ſinui pæne marino adſimilis, hodie tamen haud multum profundus, ſed terra majori ex parte repletus eſt, & à mari octo leucarum ſpatio diſſitus. atqui ſunt qui contendant, mare olim eatenus perveniſſe, fuiſſeque hunc ejus ſinum. quod probare videntur & anchoræ aliæque id genus reliquiæ, in explorando fundo inveniri ſolitæ. huc accedit & veterum aliquot, Teravanam, ſeu Morinos potius, ultimos Galliæ populos appellantium, nominatim vero Maximi Poëtarum è libro octavo auctoritas:

*Extremique hominum Morini, Rhenuſque bicornis.*

Sunt præterea inter pagos Artheſiæ memorandi quidam & non incelebres loci, privilegiis ſimul & anniverſariis nundinis decorati. quales præſertim Avenna, quam Comitis vulgo appellant, Atrebato quatuor leucis abjuncta. Aſchicurtium, media tantum illinc leuca, locus olim in ditione Philippi Montmoranſii, unius è Regiarum Financiarum, ut vocant, Præfectis, & Equitis aurei velleris. Fanum Divi Venantii, altero fere ab Aria lapide, peregregium municipium. Currerium denique Lendio pæne contiguum, Atrebato vero quinque leucarum intercapedine diſſitum, quod toparcham alias habuit Ioannem Montmoranſium alibi nobis laudatum. Memorabiles quoque & celebres pagi ſunt ea quam dixi Bangiſa, Ligniacum, Auſium, & Paſſa, in confiniis Galliæ poſiti.

Fuerunt olim Artheſii homines opulenti, ac mercaturæ admodum dediti: ſed tam crebris atque diutinis bellis impetiti, ad inopiam pæne redacti ſunt. quare ad arma ſe contulerunt, & militiam fere ſequuntur, in qua equites peditesque excellunt, & fortitudinem ſuam imperatoribus approbant. Principi ſuo fideliſſimi, capitales autem Gallorum hoſtes. utuntur quidem ſermone Gallicano, ſed incondito plane & ruſticano; etſi nobiles tamen, ac negotiatores bene & expedite loquantur. Terram perpetua fere infeſtarunt bella, tum quod Galliæ nimis vicina & limitanea, tum quod nulla ſuorum culpa, ſed fortuitis tantum caſibus, Dominos ſæpe mutaverit. cohæſit enim, ut propinquiora tantum attingam, & conjuncta primum fuit cum Flandria, imperante Carolo Calvo, qui in Iudithæ filiæ dotem attribuit eam Balduino Arduennenſi, primo terræ illius Principi. atque ita

manſit, donec Philippus Elſatius Comes, Iſabellæ, Margaretæ ſororis filiæ, Principi Galliarum Philippo, Ludovici ſeptimi filio, deſponſæ in dotem dedit omnem occiduam Flandriam, inde à Foſſa Nova, qui ad eam partem Artheſiæ terminus, uſque ad Galliæ Picardiam. Quæ alienatio quidem, mera Principis voluntate, & renitentibus fruſtra terræ Ordinibus, facta, multis poſtea inter Gallos Flandroſque bellis occaſionem præbuit. ex illo ſiquidem Reges Galliæ, vario juris prætextu, Comitibus Flandriæ ſemper aliquid ſtuduerunt eripere. Ac primo quidem Philippus Rex, cognomento Auguſtus, (teſte Paullo Æmilio) ex Atrebato, Audomaro, Lendio, cæteroque occidentalis illius provinciæ ſibi obtemperantis tractu, peculiarem Artheſiæ Comitatum inſtituit, eumque filio ſuo Ludovico, primo Artheſiæ Comiti, Ludovici Galliæ Regis, cognomento Sancti, patri attribuit. quem deinde, vel nihil, vel leviter immutatum, Sanctus ille Rex Ludovicus conceſſit fratri ſuo Roberto. qui Provinciam quidem mirum in modum auxit, ſed quam longius multo protulit filius patri cognominis, & in Comitatu ſucceſſor. Manſit autem hoc modo avulſus à Flandria Comitatus Artheſiæ, donec mortua Margareta, filia Franciæ, hæreditario jure obvenit Ludovico Malano, Comiti Flandriæ, anno Chriſti 1382. Atque ita demum, poſt annos centum & octoginta quatuor, Artheſia noſtra rurſus cum Flandria ſua coaluit. Occupavit eam poſtilla, cæſo ad Nancæjum Burgundiæ Duce Carolo Audace, Ludovicus undecimus, anno 1477, ſed reſtituit, ex contracto cum Maximiliano anno 1493 fœdere, Carolus eo nomine octavus Galliæ Rex Philippo Auſtriaco, poſtea Regi Hiſpaniæ, cujus, avo cognominis, nepos gubernandam tradiderat Comiti Egmondano, etiam Flandriæ Præſidi. quo mortuo rexit eam ad tempus Vicecomes Gandenſis. cui cum hactenus nemo ſuffectus ſit, agit partes has generalis Belgicæ Gubernator.

# CAMERACVM

## VRBS ET DITIO.

CAMERACVM, uttradit Ioannes Lemarius, & cum eo recentiores quidam ſcriptores, conditum denomi-

denominatumque fuit. à Cambro Cimbrorum atque Tungrorum Rege. Paullus vero Æmilius & alii quidam Cameracum eamdem esse adfirmant cum ea urbe, quam Cæsar in commentariis Samarobrinam nuncupat, ubi ipse & partem exercitus habuit in hibernis, & generalem egit Gallorum conventum. alii contra Samarobrinam contendunt esse Fanum Divi Quintini, opidum Galliæ, quod antiquitus dictum Augusta Veromanduorum, quia positum nempe in Veromanduis Picardiæ populis. Nos sententiam nostram super hac opinionum diversitate prolixe exponimus per occasionem in descriptione Bavaci. quo, ut tautologiam fugiamus, lectorem remittimus. Civitas autem, quæ Latine scribentibus Cameracum hodie dicitur, posita est sub longitudinis quidem grad. 26 min. 6, latitudinis vero grad. 49 min. 45 ad Scaldim flumen, quod mediam fere interluit. distat Valentianis septem leucarum intervallo. estque ampla inprimis, amœna, & valida admodum urbs, pulcherrima munitissimaque arce, condita (prout mox dicemus) à Carolo V Imperatore, spectabilis.

ADDITAM. [*De hac anonymus Franciæ Historiæ scriptor*; Cameracum urbs magna, sita partim in valle, partim in acclivi, nullam propugnaculorum, mœnium, munitionis ad novum morem habens similitudinem. (*ita tunc temporis; nunc aliter se res habet.*) qua Franciam respicit & Orientem campo agroque arvo per IↃCCC aut CIↃ passus plano se totam offert aspiciendam, ita tamen ut versus urbem leni descensu, nullis umbrarum obstaculis, nullo arborum interceptu tendatur: versus Occidentem loco humiliori suburbanum ingens, & horti prataque secundum flumen optima: ad Meridiem ultra planiciem nonihil declivem prospicis amœna vallium, & collium distinctione picturatos agros: ad Septemtrionem collis est opido impendens.]

Ædificia publica privataque habet egregia, templa & monasteria ad miraculum pulchra. sed exuperat omnia antiquissimum illud & sumtuosissimum templum Deiparæ Virginis, Archiepiscopali sede præcellens. cujus quidem ampliſſima diœcesis (ut postea fusius) longe lateque extenditur.

ADDITAM. [*Ædificium partim sæculum priscum redolet, partim novitatem nescio quam nostram præ se fert. Qualecumque*

*cumque est autem, Episcoporum defunctorum monumentis longa ordine constitutis, & horologio ipso etiam illo priore excellente magis, non potest non esse insigne. Insuper Lucæ Euangelistæ tabula ibi ostenditur, magni artificii opus, quo Elisabetha tramontana invisit Mariam. Præter hoc summum, sunt adhuc* parochiæ IX; abbatiæ III; cænobia virorum IV, *inter quæ Iesuitæ, qui hic gymnasium occupant, docent.* Fœminarum item III. *Xenodochia & nosocomia plura, inter quæ illud* S. Lazari *celebre & opulentum, fovendis indigenis Cameracensibus lepra infectis destinatum. Internis his sacris, adnumero* politica ædificia: *nimirum* PALATIVM ARCHIEPISCOPI: CVRIAM; *quæ extus habet lapide incisa omnium ecclesiasticorum & secularium Electorum insignia; in quorum medio statua Caroli V cum aureo vellere; mox artificiosum horologium.* PONTES *item diversos, &* FORA *rerum venalium, quæ tamen huc venientem non morabuntur. Vnum ex his amplum est, cujus una ex parte in circumjacentes montes sublimes, & arbustis & segete virentes, prospectus aperitur: altera pars templum oculis objicit turri acutissima insigne, & ædificia splendida.*]

Civitas opulenta, potens, & negotiatoribus, merciumque varii generis, linteorum præsertim miræ tenuitatis, opificibus frequentissima.

ADDITAM [*Conficiuntur hic annuatim sexaginta ut minimum tenuissimi hujus carbasi fascium millia, quorum singuli quadragenis fere florenis taxantur. sic ut in vicies quater centena millia florenorum abeat ratio.*]

Cameraco subest Castellania cum ampliſſimo territorio, quod vulgariter *Cambresis*, Latine scribentibus Cameracesium dicitur. ubi complures sunt pagi, & magni momenti loca: nominatim vero sexta ab urbe leuca, celebratissimum illud castrum Cameracesiense, in quo coiit nuper exoptabilis illa & diu desiderata inter Principes Christianos pax. Oriundus est ex hac arce Michaël Esnæus, Dominus Betencurtius, vir natalibus clarus, litteris, & præsertim poëticis tinctus, ac virtutum & eas habentium addictissimus cultor. unde arrepta fortassis occasione, Duacum se contulit, ubi & honestissimis artibus vacat, & cum Antonio Blondello, Domino Quinchiensi cognato, certam quamdam instituit Academiæ speciem, quæ florere jam cæpit, & egregios brevi promittit fructus. Gaudet, ut diximus, Cameracum perantiquo Episcopatu, ut quem inde à Vandalorum temporibus administratum

niſtratum comperior à Diogene martyre, Præſule omni virtutum genere ornatiſſimo. Anno deinde 595 tenuit eum Beatus Gaugericus, magnus ille & venerandus Antiſtes, ordine, niſi me fallit memoria, quintus. quem & alii aliquot præſtantiſſimi viri in hoc tanto dignitatis gradu ſecuti ſunt. qualis præſertim Petrus Aliacenſis, Præſul longe doctiſſimus, qui ob raras virtutes Lutetiæ primum factus eſt ejus Eccleſiæ Cancellarius. hinc ad urbis hujus Epiſcopatum: atque inde porro ad Cardinalitiam dignitatem aſcendit. mortuus tandem, poſt edita utiliſſima quædam in Theologia & Mathematicis ſcripta, anno Domini 1416. Hodie cathedram Cameracenſem implet Illuſtriſſimus Princeps Maximilianus de Berges. cui, ſede nuper à Pontifice Maximo, ad petitionem Philippi Regis, in Metropolitanam converſa, ſurrogatus eſt in ampliſſimo munere vir Illuſtris & quovis honore digniſſimus Ludovicus Barlemontius. Sunt autem hi Archiepiſcopi temporales ſimul & eccleſiaſtici urbis & territorii Cameracenſis Domini, ſic ut titulos vulgo inſcribant, Archiepiſcoporum & Ducum Cameracenſium. Principum Sacri Romani Imperii, Comitum Cameracenſii.

Fuit hoc omnium Galliæ Belgicæ opidorum primum, quod, exercitu eo traducto, occupavit anno 445, Clodius Capillatus, Francorum Princeps. exuſſerunt poſtea una cum templo & monaſterio Divi Gaugerici, prædones Dani. inſtauratum, coaluit cum Comitatu Hanniæ. ſed avulſum hinc rurſus una cum omni ſuo ſtatu ac territorio Cameraceſii, liberiſque Imperii urbibus accenſitum, ab Imperatoribus Germanis. Expugnatum etiam fuit à fortiſſimo illo Balduino Pio, Comite Flandriæ, bello quod ipſe & Lotharingiæ Dux Godefridus geſſere cum Imperatore Henrico tertio: ſed Cæſari, facta pace, reſtitutum. Tandem vero ab Imperatore Henrico Quinto in tutelam hæreditariam attributum Roberto Hieroſolymitano, Comiti Flandriæ, Principique Aloſtano, primo hujus Dominii Protectori. quam dignitatem propriam poſtea fecit Comitibus Flandriæ, Theodori Elſatii tempore, id eſt anno circiter 1164, Imperator Fridericus, ejus nominis primus. Quibus omnibus non obſtantibus, vindicarunt ſibi perpetuo Galli neſcio quodnam jus & imperium in huncipſum ſtatum, quem & pluries occupa-

runt,

runt, & fortiſſime ſæpe defenderunt. præſertim vero regnante Philippo ſexto: cujus tempore premebatur Cameracum duobus potentiſſimis exercitibus, altero Ludovici Bavari Imperatoris, altero vero Eduardi tertii, Regis Anglorum: qui etſi adverſus Gallos confœderati, urbem tamen ſubigere nequierunt. durarunt hæc inter Imperatores & Gallos bella, variis ultro citroque ſucceſſibus, per continuas aliquot ætates. Nuper vero diſſidentibus inter ſe & aſperrima bella gerentibus Maximiliano Romanorum, & Ludovico undecimo Galliarum Regibus, cives Cameracenſes, male à Gallis tractati, præſidiarium horum militem urbe pepulerunt, intromiſſis in ejus locum Cæſarianis. quod exemplum imitati ſunt & Bochanienſes. quin & Quercetum id temporis aliaque finitima loca, editis paſſim egregiis fortitudinis ſuæ documentis, Cæſar Gallis eripuit. Vivebant autem, non obſtante Flandrorum protectione, Cameracenſes juxta veteres ſuas leges & privilegia, nec per bella inter Burgundos & Gallos quidquam patiebantur incommodi, ſed adibantur potius ab utriſque & comiter amiceque tractabantur. ita ut ſæpius in hac urbe actum inter utroſque fuerit & peractum de pace: nominatim vero de illa, quæ Venetorum detrimento coiit anno 1508, deque altera anno 1529, Florentinorum malo concluſa. Verum Carolus Quintus, male metuens ſibi à conſiliis neſcio quibus Gallorum, Landrecæi ab ipſis anno 1543 captis, ſtatim ut ii receſſerant, cum exercitus parte urbem intravit. & quo tutam præſtaret ab hoſtili omni inſultu, ditioneſque Belgicas ſtabiliret, conſtruendam curavit munitiſſimam illam arcem, cujus ſupra meminimus: ipſa urbe cæteroqui intacta, neque priſtino ejus ſtatu ullatenus immutato. quod non obſtitit tamen quo minus Henricus Gallorum Rex, cum immineret urbi anno 1553, nec poſſet eam pro voto in partes ſuas pertrahere, Cameracenſes declaraverit ſibi hoſtes: at ſine ulla tamen ulteriori mutatione, civitatiſve detrimento. Factum poſtea per hæc bella civilia, ut occupaverit eam Dux Alenconius. cujus frater tamen Henricus Rex brevi exiſtimatur eam legitimo Domino redditurus. Atque hic demum facta pauſa, poſtulat inſtituti ordinis ratio, ut progrediamur ad deſcribendum Hannoniæ Comitatum.

HANNO-

30
25
SEPTEN
FLAN
DRIÆ
PARS
Lescault flu
Leßiues
Hautain
Eschanaffa
Luze
Tournay
S Anna
Bury
Harshies
Plaigne
Conde
S Amand
Marchiennes
Vallenchiens
Douay
Bouchain
Arleurs
Famars
Werchyn
Preux au bois
Cambray
Chasteau en Cambresis
Vauchelle
Landrechis
Chastillon
Aeth
Lombise
Chieure
Neufmaison
S Gislain
Boßut
Navay
Blangy
Bauay
Quesnoy
Berlay
Auen
Ghoden
OCCI.
30
50
30
25
MERIDIES

HANNONIA
Halle
Brane
Brame
Niuelle
Soignies
Roeulx
Na-
mur
Soriamont
Bellecourt
Sambre flu
Fontaines
Mons
Binch
Marchiennes
Leodiensis
Hauchin
Teumont
Thuin
Wallincourt
Mabuge
Episcopatus
Beaumont
Pars
Sorfonten
Ense flu
Mariebourg
Sorenne
Ranse
Liesses
Chimay
Fionay
Milliaria Germanica com.
Terlon
1 2 3 4 5 6
30
26
50
ORIE.

# HANNONIA COMITATVS.

HANNONIA bona ex parte est ea regio, quam, ut Cæsar in Commentariis asserit, insedere quondam famosissimi illi Nervii, qui (ut suo loco jam dictum est) metropolim agnovere Tornacum, urbem paulloante nobis descriptam. Hæc Provincia, prout constat, ex ejus annalibus, Belgicaque historia, & scriptoribus aliquot fide dignis, sæpius olim mutavit nomen. nam initio quidem Pannonia dicebatur à Deo Pane, incolis per id tempus culto. hinc Latine scribentibus dici cepit *Saltus Carbonarii*, à Carbonaria silva pluries nobis memorata. postea venit vocabulo Inferioris Picardiæ. tandem vero Lationis Hannonia, incolis vulgo *Hainaut*, ab Hannone quodam ut volunt Trojano, vel ab aliis nescio quibus etiam illo antiquioribus, appellata est, verior tamen certiorque opinio tenet, derivari hoc nomen à fluvio Haina, mediullium fere ditionis istius perlabente. sed exponamus jam ejus situm. Hannonia igitur à septemtrione Brabantiam habet Flandriamque: ab austro partim Campaniæ, partim Picardiæ confinalis est: ab ortu terminatur ex parte Comitatu Namurensi, ex parte vero Leodicensi Episcopatu: ab occasu denique Scaldis flumen est, & pars aliqua Flandriæ Gallicanæ. Territorium ejus patet in longitudinem quidem leucis præterpropter viginti, in latitudinem vero sedecim. Terra cœlo & solo felix. variis passim fluminibus, Scaldi maxime, Sabi, Tenera, aliisque minorum gentium rivis irrigua. lacubus, stagnis, fontibus copiosa. nemoribus saltibusque pulcherrimis, Mormautio maxime atque Divi Amandi, antea fuse descriptis, supra quam credi queat amœna. jucundis insuper pratis pascuisque omni pecudum genere refertissimis, tum arboribus quoq;, & peroptimis fructibus, præsertim vero tritico præstantissimo, scatens. ferri plumbique fodinis dives. operario deniq; varii generis lapide, ac pulcherrimo quidem, luxurians. ita ut inveniatur hic etiam illud lapidis genus, quod Latini *Indicem* vocant, ab indicando: Belgis vulgo dicitur Toetsteen. Exportatur hinc

hinc & in varias terras diſtribuitur ingens copia calcis vivæ, quam vocant, ſane præſtantiſſimæ. Habet denique tellus quamaltiſſimas venas nigri illius & uſtibilis lapidis, qui & apud Leodicenſes eruitur, & carbonum nomine vulgo innotuit. etſi iſte, ob noxiam nimis odoris gravitatem, Leodicenſi longe inferior. Continentur hodie Comitatu Hannoniæ viginti & quatuor opida muris clauſa: Montes nempe, Valentianæ (etſi iſtæ cum territorio ſuo diſtinctam conſtituant ditionem) Bochanium, Quercetum, Condatum, Landrecæjum, Avenna, Chimacum, Mariæburgum, Philippovilla, Bellomontium, Malobodium, Bavacum, Binchium, Rodium, quod & Rhetia dicitur, Sogniacum, Brennia Comitis, Angianum, Hallæ, Leſſina, Cervia, Athum, Fanum Divi Giſlenii, Luſa. Pagi ſunt noningenti quinquaginta, & amplius. arces toparchiæque innumeræ. inter pagos, ampli complures & pulchri, ac variis maximiſque dignitatum titulis exornati. quales maxime Pequicurtium, Fontana, Lalainium, Montigniacum, Antonia, Bia, Brifolium, Lignæum, Boſſutum, Barlemontium, Glajonum, Traſegniacum, Eſcochinna, Trelonium, Sora caſtrenſis, Brabanſonium, Aimeria, cum tot aliis municipiis, ut prolixum ſit ea referre. quare ſufficit obiter ſi dicamus, contineri Hannonia tres Principatus, decem Comitatus, duodecim Pares, viginti & duos Baronatus, ſeu Dynaſtias, Abbatias viginti ſex: Mareſchalcum (ut vocant) unum. tum Oeconomum quoque ſeu Seneſchalcum: Magnum Venatorem: Cubicularium, alioſque Magiſtratus & adminiſtros Principales: qui ut plurimum huic illive terræ ipſius genti velut hæreditarii. terræ hercules omnibus modis florentiſſimæ, & cum tectis, tum incolis ad miraculum pæne differtæ. cujus Ordines conſtant è quinque Membris: quorum primum conſtituunt ii quos vocant duodecim Pares. alterum vero Antiſtites & Collegia Eccleſiaſtica. tertium Nobiles. quartum majores illi Provinciæ Magiſtratus. quintum denique Magiſtratus Opidani. Progrediamur vero hinc ad deſcriptionem magis ſingularem, & primum quidem expediamus nobiliſſimos illos Montes, terræ totius Metropolim.

MONTES.

BERGEN IN HENEGOV.





# MONTES.

MONTIBVS, uti ſcriptum comperior in authenticis aliquot monumentis, non inde modo factum eſt nomen, quod ſupra montem, ſeu verius collem, ædificati ſint, ſed à reverentia quoque & honore ſanctorum aliquot hominum, qui in avium iſtum & ſolitarium locum ſecedentes, ſanctam inibi & anachoreticam vitam vixerunt, ac feliciter tandem extincti ſunt. quales, ut paucos tantum è quamplurimis proferam, Divus Gualbertus, Diva Berthildis, Diva Gualtrudis, templi Collegiique Montenſis conditrix: Divus Vincentius, Divus Amandus, aliique complures non virtutibus minus & ſanctimonia, quam ſtirpe & Principatibus nobiliſſimi homines. Fluxit beatiſſimum illud & vere aureum ſæculum circa annum à Chriſto nato ſexcenteſimum, & per aliquod tempus, non in iſto tantum Belgarum tractu, ſed & toto quam late patet orbe Chriſtiano, conſtantiſſime perennavit. Inſtituatur vero collatio inter vitam ac merita hominum ejus ætatis, & eorum qui nunc ſuperſunt. illi, religioſi ac pii, dotabant paſſim & exornabant in honorem & gloriam Dei Optimi Maximi, ac totius aulæ cœleſtis, inque publicum omnium bonum, & animarum ſalutem, cœnobia, templa, xenodochia, aliaſque id genus ſubſtructiones, idoneos iis ac religioſos miniſtros deputantes: nos non impii minus, quam rapaces, ſingula quæque demolimur, expilamus, ac non dictis tantum & factis, ſed hæreſibus quoque noſtris omnes inficimus, in contemtum (proh dolor!) ipſius Dei, & commune detrimentum atque infamiam. illi, & honeſti ſimul & probi, amicitiam tantum & pacem venabantur: nos, fœdi ac flagitioſi, bella ſolum & diſcordiam aucupamur. illi, proximos ſibi caritate & beneficiis demerebant: nos & vita & bonis eoſdem exuimus. utebantur illi cibo & potu, ut vitam frugaliter tolerarent: nos idcirco videmur vivere, ut immodica cibi & potus ingluvie turpiter obruamur. illi, in cultu & cætera omni vita modeſti, liberos ſuos, ac famulitia, quin & reliquos omnes cives bonis exemplis præibant: nos, modeſtiæ omnis expertes, peſſima unicuique exempla præbemus. exercebant ſe illi honeſte, religioſe & circumſpecte in

ſanctis

ſanctis piiſque operibus: nos, honore & reverentia, religioneque poſtpoſita vel turpiſſima quæque flagitia nihil veremur committere. Pietati illorum & juſtitiæ, temperantiæque, quibus, ceu indiſſolubili quodam vinculo, tota continebatur reſpublica, ſubſtituimus impietatem, injuſtitiam, atque intemperantiam, quibus ſolvitur atque inficitur mundus. quæ tam ex diametro ſecum pugnantes cauſſæ, quid mirum ſi contrarios quoque producant effectus? videmus hoc nimiſquam manifeſte: illi enim vivebant bene, tranquille, & Deo pariter atque hominibus erant cari: nos & peſſime turbateque vivimus, & Deo hominibuſque ſumus exoſi. imo (proh cæcitatem!) in eum jam loçum devenimus, ut merito exclamare poſſimus cum Naſone:

*Vivitur ex rapto: non hoſpes ab hoſpite tutus,*
*Non ſocer à genero: fratrum quoque gratia rara eſt.*
*Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.*
*Lurida terribiles miſcent aconita noverca.*
*Filius ante diem patrios inquirit in annos.*
*Victa jacet pietas: & Virgo cade madentes*
*Vltima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.*

Sed ut unde me bilis & juſta nimis indignatio avocavit, eo tandem oratio revertatur: dico interlui Montes fluviolo Trulla, qui è pluribus rivulis derivatus, præcipuum habet fontem ad pagum Grandrengam, ubi natus eſt Nicolaus de Campis, Catholicæ Regiæ Majeſtatis Fecialis. fluit autem hic Trulla continuo fere trium leucarum ſpatio verſus occidentem: atque inde, in exitu hujus urbis, Hainam fluvium influit. Diſſident Montes Angiano dumtaxat quinque, Bruxella vero decem leucarum intervallo. opidum ſitu & opere munitiſſimum: ut quod inundari undique poſſit, & aquis cingi; ac præter ſitus ipſius firmitatem, non tantum robuſti operis muro, ſed & triplici admodum lata foſſa, tum & arce perveteri, decoretur. amplum inſuper, pulchrum, & egregiis publice privatimque ædificiis exornatum, fontium denique limpidiſſimas aquas ejicientium copia perameœnum. dives idem, & mercimoniis, varioque opificiorum genere, ac præſertim *ſajarum* textrinis, florentiſſimum. Montibus ſedem habet Conſilium illud Regium, quod appellat totus Hannoniæ Comitatus, Valentianis modo exceptis. Iudicat autem hic

Senatus

Senatus definitive, ut vocant, ſuntque ſententiæ ejus decretoriæ, nec Mechliniæ aut alibi retractantur. cumque de plano (ut verbum forenſe eſt (hic procedant, utanturque municipalibus ſuis legibus tam recentibus quam antiquis, fit ut ſine ambagibus ullis aut tricis, ſed ex æquo & bono unicuique reddatur jus. neque vero pronuntiatur hic decretoria ulla ſententia, niſi interveniente ſupremo Hannoniæ terræ Baillivio, tamquam Principis in civilibus ſimul & capitalibus cauſſis Vicario. quo munere hodie fungitur Marchio Renticenſis, Regius hujus Provinciæ Gubernator. quatuor vero Senatores ordinarii Severinus Franciſcus, toparcha Sepmerienſis: Antonius Brunius: Philippus Sammius, & Philippus Trievius.

Viſendum eſt in hac urbe nobiliſſimum illud Collegium Canonicarum, quod tantopere celebratur per univerſum hunc tractum, conditum primo & inſtitutum ab illuſtri muliere Diva Gualtrude, Duciſſa (ut vocant) Lotharingiæ, qui Ducatus tunc temporis continebat Hannoniam, Brabantiam, Cameraceſium, Hasbaniam, Arduennam, & uſque ad ipſum Rhenum extendebatur. Nos, ut alia quædam huc facientia plenius meliuſque intelligantur, ſuper iſto Collegio quam breviſſime fieri poterit diſſeremus. Dico igitur, iſtam heroinam, cum ex Principe Madelgario, natione Hiberno (qui ob miram vitæ ſanctimoniam poſtea dictus eſt Sanctus Vicentius) jam complurium liberorum parens eſſet, atque liberos omnes amplecti videret vitam ſacram, ſeſe pariter Divino cultui mancipaſſe, inque Dei & Apoſtolorum Petri ac Paulli honorem, ſacellum prius cum domo in jamdicto monte, ſacro tunc & ſolitario loco, condidiſſe, juxta turrim antiquam, ſtructam olim à Iulio Cæſare, & uſque ad tempora Ducis Philippi Boni vulgo dictam *La Tour d'Embron*: hanc domum, exinde eremum Divæ Gualtrudis dictam, & cujus hodie vix ſuperſunt veſtigia, diu inhabitaſſe: ſed ſtruxiſſe poſtea de conſilio Divi Ghiſlenii, necnon Divi Audeberti, in propinquo illic agentium, pulcherrimi operis templum, & in eo inſtituiſſe celeberrimum illum Ordinem Canonicarum, ad cultum Deo præſtandum, & horarias illas preces, quas horas canonicas vulgo appellant, decantandas. Ordinem vere nobiliſſimum: ut in quem ſolæ recipian-

recipiantur Dynaſtarum & virorum magnatum filiæ. quæ honeſto ſatis proventu ab ipſo Collegio ſuſtentantur, & ſingulas manſiones, templo fere contiguas, incolunt. matutinus earum cultus, religioſus plane & candidus: pomeridianus vero, civilis, vel ut vulgo loquuntur, ſæcularis. licet autem iiſdem, cum lubet, nubere, prorſus ut Nivellenſibus illis Virginibus, quarum ſupra fecimus mentionem. Addidit Diva Gualtrudis & Canonicos aliquot, ſed vix alii rei, quam negotiis hujus Collegii procurandis. Cui Collegio præeſſe voluit, Abbatiſſam, & luculentam profecto ditionem, cum civili pariter atque ſacra juriſdictione & ampliſſima poteſtate ex patrimonio ſuo attribuit, ita ut in Hannonia quidem poſſideret hoſ-ipſos Montes, Frameriam, Chenium: in Branbantia vero Hermeſium, Ganiſtras, Herentaliam, Brenniam allodialem, & alia quædam loca. Statuit inſuper ut in poſterum ipſæ Canonicæ Antiſtitas ſuas eligerent. Heredem vero & Principem Lotharingiæ inſtituit conſobrînam ſuam Divam Ajam. quæ Collegio factam donationem non ſolum approbavit, ſed & alia quædam, Maſeriacum nempe & Brenniam Comitis, ipſa de ſuo adjecit. inſtitutis præterea in Eccleſia Divæ Gualtrudis (ita enim deinceps cepit audire) compluribus Sacellanis. Factum deinde, ut lapſu temporis Abbatialis, ut ſic dixerim, dignitas, & Imperatoris Romani in eam jus hæreditate obvenerit Hannoniæ Comiti Balduino. ex quo tempore Comites ſucceſſores in hunc uſque diem ſunt Antiſtites ſæculares, Patroni, Cuſtodes, Iudices, Protectores, ac Defenſores dictæ ædis Divæ Gualtrudis, perſonarum in ea degentium, & bonorum Collegio relictorum. quibus & ſine ullo prorſus obſtaculo hactenus perfruuntur, & Antiſtitæ ſuas regendi vices mandant. quæ ex legibus inque æternam memoriam tam inſignis fundationis, tantam habet auctoritatem ac præeminentiam, ut ſuccedente novo Hannoniæ Comite, ipſa eum, (ut coram nuper ſpectavimus in perſona Philippi Regis) magna ſollennitate ſuſcipiat, ac in Comitatus & dignitatis abbatialis, aliorumque bonorum à Collegio dependentium poſſeſſionem immittat: ipſo contra jurejurando ſe obſtringente ad privilegia omnia, immunitates, exemtiones, conſuetudines, & poſſeſſiones templi atque Cœnobii Divæ Gualtrudis conſervandas. etſi temporis tamen

lapſu

lapsu & sæculorum incommodis multa haud pœnitenda membra ab hoc corpore sint avulsa.

ADDITAM. [*Præterea hæc sunt* Canonici *aliquot, sed vix alii rei, quam negotiis hujus Collegii procurandis. In ipsa* Æde *harum virginum*, sepulchrum *non inartificiosum est, in quo sculpta mortui & jam putrescentis hominis imago jacet, ea specie, ut vel vomitum possit excitare, plurimum autem & re docuit, & arte oblectavit.*]

Montes Carolus Magnus Imperator non tantum Hannoniæ Comitatus metropolim esse voluit, sed in memoriam maxime gloriamque tot sanctissimorum hominum singulari distincti Comitatus dignitate exornavit. sic ut aliquamdiu peculiares habuerint Dominos, qui titulum inscribebant Comitum Montensium, sed intermissum illum, Hannoniæ tandem resumserunt, orti (juxta Scriptores hujus terræ) sed per lineam fœmininam, ut vocant, ex clarissimo sanguine dicti Caroli Magni. Gubernat hodie Montes Marchio Renticensis, tamquam totius Hannoniæ Gubernator.

ADDITAM. [*Coronidis loco* adversa urbis *adjiciam quomodo* Montes *astutia militari à Ludovico Nassovio intercepti.* Meter. lib. IV. *cujus &* Thuan. lib. LI *meminit, habet historiam, nos è* Meursio, lib. III rer. Belg. *hanc damus, Nassovius cum Lanovio & Ienlisio de Montibus opprimendis deliberat. ea urbs Hannoniæ prima, augustis adibus, curia provinciæ, & antiqua arce insignis. mœnia solida è lapide quadrato, atque in illis turres crebræ, & propugnacula. circum fossa triplex ambit. ab hac initium audendi factum: ut, quantus animi ad vindicandam libertatem adferret, illustri exemplo in ipso statim principio ostenderet; & de reliquo conatus egregii successu provincialibus spem aut conjecturam daret. Et accesserat pridem Antonius quidam Olivarius, fecialis, pictorque, qui impetrata ab Albano venia, ceu res Gallicas exploraturus, animum ejus sollicitaverat; asseverans, si cum copiis saltem exiguis ad urbem accederet, fore oppidanorum plus* IↃCC *qui se adjungerent. Igitur cum equitibus levis armaturæ* IↃ, *sclopetariis* CIↃ, *clam sub vespertam ad urbem venit; copiisque in silva vicina occultatis, duodecim aliquot selectos milites, casum tentaturos, emittit: qui dissimulato habitu, ceu vinarii mercatores, idem diversorium ingressi inter cœnam hospitem rogant, qua portæ aperienda hora. esse ipsis vini plurimum, ob solis æstum noctu advehendum. atque is, ignarus doli, quartam dicit. attamen, si maturius vellent, aliquid*

custodi

*cuſtodi promitterent, qui tempus non gravate præverteret. ita ſummo mane hunc accedentes, cum ad ſpem pretii portam maturius aperuiſſet, hominem obtruncant, claveſque eripiunt. inde urbem è veſtigio cum equitibus L. Naſſovius invadens, eos per vicos diſponit, ac, ſicubi oſtia aut feneſtras aperiri conſpicerent, illuc ſclopos explodere jubet. & vociferari interim,* ne timerent, aut hoſtile quicquam tentarent. adeſſe libertatis auctores, & Auriacum in propinquo, qui decimæ tributum graviſſimaſque Albani exactiones averteret. *Id aliquot horis tam incondito clamore actum, ut vel millenii in armis eſſe viderentur. Vrbe capta, dum ſic domus obſiderentur, neque reliquæ copiæ procederent, ocius ſe Naſſovius proripit, cogniturus quid morarentur. itaque per ſilvam oberrantes equites quingentos, qui ſingulos à tergo pedites veherent, in urbem ducit. inde curia occupata portas claudit, ac per vallum excubias ſtatuit. tum Magiſtratum convocatum blande affatur:* non hoſtem, ſed amicum veniſſe, proinde illæſam urbem habituros. adventare Auriacum fratrem, cujus nomine rem tam magnam incœptaſſet. nihil aliud animo agitare, quam ut florentiſſimum pridem Belgium contra vim Albani adjuvaret. *ea oratione delinti, ſe ſuaque omnes illi ultro permiſere. Deinde incertis obſequii civibus arma adimit; alios conſueta artificia, aut commercia, exercere per tubicinem jubet: ſuos proterve agere vetat. Inventa ibi arma multa, & catera belli inſtrumenta; ærarium ingens. ſed, ut in urbe limitanea, commeatus exiguus, gaza plurima, plurimum ſacræ ſupellectilis, & ex auro argentove imagines ſanctorum, quas vicinæ Abbatiæ & monaſteria, fama captæ per Lumæum Brilæ territa, ceu in loco maxime tuto aſſervandas depoſuerant. Hæc ille. Ita Montes capti; verum eodem anno ab Hiſpanis rurſus obſeſſi & dediti ſunt, ut Hiſtorici, de quibus ſupra, referunt.*]

Atque hic, priuſquam ad ulteriora progredimur, ſubjiciemus deſcriptionem Valentianam.

## VALENTIANA.

VALENTIANA, ſecundum Iacobum Guiſium, & originem ſimul & nomen ſumpſit à quadam arce, olim ad obſidendum in magna ſua urbe Bavaco quinque leucis hinc diſſita Belgarum Regem Bavonem, à famoſiſſimo illo Brenno condita. Ioannes Lemarius ſatis habet originem urbis deducere à temporibus

Iulii

Iulii Cæsaris, & adventu ejus in terram Galliam, facta obiter mentione nescio cujus Germanæ, viri illius (ut addit) sororis, quæ in hunc locum secesserit. narratiunculæ, quarum apud Scriptores Romanos, vel in stemmate domus Augustæ, nec vola nec vestigium usquam extat, ideoque non dubie tantum & parum firmæ, verum etiam, ut quod res est dicamus, omnino fabulosæ. Idem ille Iacobus Guisius, in disputationis suæ progressu, veritati convenientius asserit, Imperatorem Valentinianum in hunc locum delatum, & amœnitate fertilitateque ac temperato illius cœlo mirifice captum, aliquamdiu hic substitisse, & circa qualemcumque arcem hanc urbem fundasse, quam de nomine suo Valentinianam vocaverit, plurimisque donaverit privilegiis & immunitatibus, ac præsertim jure *Asyli*, quo non ii modo qui graviter essent obærati, sed & homicidæ tuto possent confugere. non aliter quam fecisse legimus Romulum ad Romam tunc recens conditam civibus incolisque implendam. immunitates, quæ legibus postea & statutis temperantur, ac restringuntur. Privilegium autem de quo agimus, quodque per bonam opidi hujus partem extenditur, & vulgo dicitur *le Banlieu*, etiamnunc in usu est, sed eatenus tamen temperatum, ut qui turpiter sibi æs alienum conflaverit, vel turpe commiserit homicidium, eo prorsus non gaudeat, sed pro meritis puniatur. ideoque inter honestum & turpe homicidium hic distinguitur: & superioribus sæculis duello inter partes in urbis foro decidebatur, honestumne habendum esset, an turpe crimen. qui mos obtinuit usque ad ævum Philippi Boni. is pro solita sua bonitate, rem cum religione Christiana ex diametro pugnantem laudabiliter abrogavit. Sed ut revertamur ad institutum, & opidi hujus vocabulum: sciendum & Sigebertum in Chronicis Valentinianam illud vocare, dum commemorat habitum ibi Concilium à Carolo Magno Imperatore anno Christi 771. Sita est nobilis ista urbs sub latitudinis grad. 50 min. 10 in amœnissima quadam valle ad Scaldim flumen, quod mediam fere interluit, & una cum Ronella, altero eam ad portam Cardonam intrante fluviolo, tantam adducit aquarum abundantiam, ut præter compluscula Insulas mire fortes & momentosas, per singulos fere vicos subter domos labatur perennis quidam & jugis rivus non privatis

tantummodo civium usibus, sed in genere quoque urbi muniendæ peropportunus: ita ut singulis pæne passibus exstrui possint propugnacula, & potior urbis pars extrinsecus inundari. ab altera parte adscensus est, collium formam obtinens, & latæ admodum profundæque fossæ, vallis & muris validissimis communitæ. quæ omnia si quis recte consideret, urbem non nisi duplici exercitu, ac ne sic quidem absque magna difficultate, obsideri posse, imo externo hosti pæne inexpugnabilem esse, comperiet. quod eventus quoque, adversariis eam cingentibus, pluries comprobavit. Spectantur adhuc inter portas Tornacensem & Duacenam reliquiæ quædam veteris castri, turres puta, & id genus parietinæ, Scaldi & interioribus opidi propugnaculis clausæ. Distant Valentianæ Montibus, Insulis, & Tornaco pari fere septem leucarum intercapedine. opidum sane amplum, amœnum, plurimisque admodum sumtuosis ac magnificis ædificiis, inter quæ nonnulla sunt operis mire antiqui, publice privatimque concinnum. spectabile autem præ cæteris publicum urbis armamentarium. Primarium ejus templum est illud Deiparæ Virginis, quod incolis dicitur *nostre Dame la grande*, & fundatum est jussu Richildis, olim Hannoniæ Comitis. ædificium certe haudquaquam novitium; sed antiquo opere & summa arte factum, in quo variæ sunt, & perpulchræ quidem columnæ, partim ex marmore, partim ex porphyrite, quæ & triplici ordine distinguuntur, mirandosque efficiunt arcus, & ampliſſima infra supraque inambulantibus præbent spatia, grato sane & peramœno adspectu. Alterum inter primaria templa Divo Ioanni sacrum est. opus multo quam prius illud recentius, ut quod olim fortuito igne flagraverit: conditum, uti adfirmant, à Pipino, Caroli Magni patre, vel (ut alii) longe prius à Galliæ Rege Theodoro, ac tunc fortasse quam postea sumtuosius, sed & hodie satis magnificum. Sunt deinde & alia quædam templa, & præsertim tria Cœnobia mendicantium, in quibus peramplum illud & pulcherrimum Divi Franciſci, splendidissimis aliquot Hannoniæ & Valentianarum Principum tumulis, & scitissimis epitaphiis exornatum. Sicut apud Sodales Divi Dominici tumulus visitur Ioannis Avennensis, Balduini Imperatoris Constantinopolitani nepotis. Sunt præterea Monasteria, Xenodochia, aliaque id

que id genus loca, pietati & religioni consecrata, lauto satis proventu gaudentia. Est & nobile illud Collegium viris doctis abunde instructum, ubi juventus Græcis Latinisque litteris eruditur, & sanctis honestisque præceptis imbuitur. Item domus & receptacula tenuioris fortunæ puerorum & puellarum, qui à pluribus utriusque sexus magistris varia discunt opificia. atque hæc omnia tam insigni disciplina, tamque exactis legibus, ut vel inde civilitas simul & magnitudo hujus reipublicæ pluribus modis eluceat. Inter publica & celebria magis ædificia, spectatur in angulo quodam versus Scaldim ampliſſimum quoddam & perantiquum palatium, quod ab annis aliquot retro *Aula Comitis* dicitur, vulgo *la Sale du Comte*, antiquitus autem audiebat *Aula Imperatoris*. ubi, & loci ipsius splendore, & cœli salubritate capti Hanno-niæ Comites iidemque Valentianarum Domini, ut plurimum olim habitabant. Conditum fuit, seu potius instauratum (nam antiquius esse comperior) à Comite Balduino, eo, qui à plurimis ædificiis, vel de integro struc-tis, vel refectis saltim & instauratis, *Ædificatoris* cognomen invenit, ac parens fuit jamdicti Imperatoris Constantinopolitani, conditorque illius Canonicorum Collegii, quod vulgo vocant *de nostre Dame de la Sale du Comte*. Notandum vero totum istud palatium, & quidquid ambitu ejus includitur, etsi positum intra urbis mœnia, & parochiæ Divi Ioannis subjectum, accenseri tamen Hannoniæ territorio. cujus imperium ea quoque Scaldis pars, quæ palatium alluit, una cum decem pontibus ipsi injectis reveretur. Superstructæ sunt hisce pontibus amplæ quædam & commodæ mansiones, habitatæ ut plurimum à privatis istius Aulæ, publicisque Hannoniæ terræ Quæstoribus aliisque Ministris Principalibus. qui omnes, non secus quam ipsi Hannoniæ & Valentianarum Principes, vectigalium omnium urbanorum immunes. qua prærogativa etiam gaudent Pares urbani, qui numero sex, & Pares totius Comitatus, qui (ut diximus) sunt bis totidem: item Equites Aurei Velleris. Visuntur denique in hac urbe & alia multa Nobilium privatorum palatia. Sed exuperat omnia opera tam publica quam privata, magnificum illud & superbum Prætorium, vulgo dictum *la Halle*, & primario urbis foro impositum: cujus frontispicium totum è secto per artem

lapide; feneſtris, & valvis varie ornatum: eo adſpectu & magnificentia, ut ſplendorem conciliet toti foro. Continentur hoc ædificio ab eadem manu & opere, templum Divi Petri, & eximium illud horologium, quod in edito poſitum, etiam procul abſtantibus eſt conſpicuum, neque horas ſolummodo, ſed & Lunæ aliorumque Planetarum curſum, item menſes & quatuor anni tempora, aliaſque id genus elegantias indicat. Horologio ſubjacet forum frumentarium, amplum ſane ac ſpatioſum, nec injuriæ tempeſtatum aëriſve expoſitum. ſupra venduntur lanæ. inde eſt ludus gladiatorius. tum & locus ille qui proprie deſtinatus vendendis pannis. Sunt denique curiæ Magiſtratuum urbanorum, itidem amplæ & laxæ, necnon publicus carcer. ita ut unicum iſtud ædificii corpus, quæſita quadam capacitate, omnia pæne complectatur membra publicis opidi uſibus neceſſaria. opus hercle bene & apte commenſuratum, ſplendidum, atque magnificum: conditum primum à Guilielmo cognomento Bono, Hannoniæ, item Hollandiæ & Zelandiæ Comite, Domino Friſiæ, Principe admodum bono, virtutumque & præſertim juſtitiæ ſervantiſſimo. Vincit tamen compoſitiſſimum iſtud opus longe magis compoſita politia, & aptiſſima illa reipublicæ gubernandæ ratio: quæ in civilibus ſimul & criminalibus, cæteriſque omnibus partibus, ita iſthic exacta, ut exteri ſæpenumero exempla hinc ſibi petierint, quæ in patriæ ſtatu conſtituendo ſequerentur. inter alios Noribergenſes, cum ad ſingulas pæne urbes certos homines mitterent, ut exemplo veterum Romanorum, viris prudentibus omni in re imitandum, bonas atque laudabiles aliorum leges in uſum ſuum transferrent, eas hic invenerunt conſuetudines, ut cupide ſtatim nonnullas arripuerint, quæ hucuſque in excellenti illa optimeque inſtituta republica obſervantur. Inveni ſupremos Valentianarum Magiſtratus ſolitos olim concedi in ætatem: ſed mutatum hunc morem, quo occurreretur nimiæ hominum inſolentiæ, anno 1302, ab Ioanne Hannoniæ Comite, cognomento Avennenſi, qui Senatum quotannis voluit renovari, plane ut hodieque in uſu eſt. Conſtat autem ſupremus hic Magiſtratus è Præpoſito & duodecim Adſeſſoribus, qui ex primariis opidi civibus deliguntur, & varios adminiſtros ſibi habent adjunctos. His accedit

cedit & alius quidam Senatus, quem *particularem* vulgo appellant, & ex aliis quinque & viginti boni loci civibus conſtat. is, petente ſupremo Magiſtratu, res ad opidi ſtatum pertinentes tractat, ac nonnumquam augeri ſolet bono aliquo civium numero, qui, ut melior habeatur conſilii copia, & pro rerum tractandarum neceſſitate, advocantur. Solet denique urbs, ex veteri quodam more ac privilegio, in negotiis quæ majoris momenti, & publicum bonum concernunt, convocare ad pulſum majoris campanæ Concilium generale civitatis univerſum populum repræſentans, plane ex more Romano, qui ſimiliter convocabant *Comitia ſua centuriata.* In eo Concilio liberum unicuique civi, etſi prorſus privato (quod non alibi tamen in toto hoc Belgio uſurpatur) ſuper iis quæ nomine Magiſtratus & Concilii particularis exponuntur ab ordinario reipublicæ Syndico, ſententiam ſuam dicere. Neque vero haberi poteſt hoc ipſum Concilium, niſi cum centum ut minimum civium interventu, nullo alienigena in numerum hunc intrante. Subordinati ſunt inſuper ſupremo illi Senatui, ad leviorum cauſſarum deciſionem varii Magiſtratus minores. Valentianis, inter alios quidem Dynaſtas, natus eſt Imperator Cæſar Henricus, eo nomine ſeptimus, qui & Comes, ſeu Dux Luceburgenſis. item unica magni illius Burgundiæ Ducis Caroli, in prælio (ut jam dixi) ad Nancejum occiſi filia, & Belgarum Princeps, Maria. quamquam ſit qui genitam eam velit adſtru atque Bruxellæ. Dedit præterea celeberrimum iſtud opidum multos viros illuſtres, atque inſigniter eruditos. quales maxime nominatiſſimus ille hiſtoriographus Ioannes Froiſſartus, qui initio ſtatim operis patriam ſibi Valentianas fuiſſe agnoſcit. Ioannes Molinetus, Canonicus litteratiſſimus, & poëta inſignis. Simon denique Marmionus, vir & ſerio doctus, & eximius pictor. Habent quidem Valentianæ numeroſam nobilitatem: ſed attendunt majori ex parte cives mercaturæ & artibus manuariis. quam utramque profeſſionem ita ſtrenue induſtrieque exercent, ut & ipſi opibus largiter ſeſe inſtruant, & quamplurimos tenuioris fortunæ homines occupent ac ſuſtentent. numerantur enim hic multa non frequentia minus, quam fructuoſa collegia variorum opificum. inter quos excellunt potiſſimum

ii qui *oſſettas* contexunt, & tenuiſſimum illud lintei genus, quod Cameracenſe vulgo dicimus; item lanifices, & qui pannos tramoſericos, undulatoſque, tum multitia quoque, ſeu *mocajarros*, & quaſlibet fere mercium ſpecies, aliaque humanis uſibus neceſſaria ſolent conficere. Habent denique Valentianæ *Caſtellaniam*, ideſt longe lateque diffuſum territorium, & luculentis admodum privilegiis gaudent. inter cætera autem jure emporii, vel ut vulgo loquimur *ſtabuli* vini Gallici, antiquiſſimo ſane, ac reipublicæ plurifariam utili. quæ & nummos olim ex auro argentoque titulis & inſignibus ſuis inſcriptos ſignavit. ea moneta materna dicebatur, & à civibus etiamnunc oſtenditur. Ordines hujus Dominii ſunt Antiſtites, Nobiles, Magiſtratus.

Sed agamus hinc paucis de urbis progreſſu, & quomodo factum ſit, ut diſtincta manſerit ditio, utque una cum cæteris Belgicæ noſtræ Provinciis Auſtriacæ genti accreverit. Invenio itaque poſt diviſum in partes tres à Lothario Imperatore Romanum Imperium, ſingulaſque ſingulis filiis attributas; ſucceſſores ſuapte culpa flaccescentes, inter alia debilitatis ſuæ indicia, neceſſitate magis quam voluntate inductos, provincias Palatinis olim à majoribus gubernandas tantummodo tradi ſolitas, alienare paullatim cœpiſſe, ac Præfectis ſuis conceſſiſſe in feudum. Inter cæteras autem Lotharingia, quia præſtantiores haberet civitates, plures etiam numerabat id genus Gubernatores. qui Latine *Comites* dicebantur à *comitando*, quia nempe Principibus ſuis intimi, aſſidue illos comitarentur. nos corrupto nonnihil vocabulo *Conte* eos vocamus. Atque hinc extitiſſe videntur tot illi Comites, quod jam ſparſos videmus per orbem-terræ. namque munus illud, qua vi, qua favore & gratia, imo qua pretio denique & corruptela, pro temporum hominumque conditione, & ſub ſpecie feudi, aliiſque diverſis prætextibus, in peculium tandem converſum eſt, & ex temporario factum hæreditarium. nec id tantum in partibus tranſalpinis: ſed fortaſſis etiam multo magis, ex eadem illa & Imperatorum & Pontificum imbecillitate, in ipſa noſtra Italia. Valentianæ ergo, uti ſcriptum comperior, ſuum etiam Comitem nactæ ſunt. nam ut alia quædam incerta nimis & confuſa præteream, legitur anno Chriſti 973. Reginerius quidam, cognomento Longicollis,

Comes

Comes Hannoniæ, una cum fratre Lamberto, Comite per id tempus Lovanii, emisse hanc urbem à proprio Comite, ac tenuisse ad aliquod tempus contra Lothariæ Ducem Godefridum, qui prætextu juris proximitatis conabatur eam retrahere. quare ab isto etiam nostri fratres prætensiones omnes & jura mercati sunt, ac pacificos sese in posterum Valentianarum Comites inscripserunt. Lamberto mox sine liberis mortuo, succesſit jamdicta illa Richildis, Comitis Reginerii filia, quæ maritum postea habuit Flandriæ Comitem Balduinum. Suscitata deinde labentibus sæculis varia super hac ditione sunt bella: quæ tanta sententiarum diversitate à scriptoribus referuntur, ut necubi forte exorbitem, lubens me ab ulteriore omni illorum mentione sim abstenturus. mihi namque abunde satis est, quod ex hactenus allegatis aperte constet, Valentianas jam ab aliquod sæculis retro constituisse peculiarem ditionem, ac legibus usas fuisse ab Hannonicis longe diversis. prout hodie quoque una cum opidis sibi subjectis, Bochanio nempe, Querceto, Condato, & centum triginta duobus pagis, easdem observant. Vnde nec ad Senatum Montensem, sed Mechliniam recta hinc provocatur. In ecclesiasticis autem superiorem agnoscunt Archiepiscopum Cameracensem, cujus nomine sedem hic habet Archidiaconus. Delata est primum hæc ditio ad Comites terræ Hannoniæ: inde ad Duces Burgundiæ: atque hinc porro ad gentem Austriacam: pari omnino ratione ac jure, quo & cæteræ Belgicæ nostræ Provinciæ. Gubernatur hoc tempore à Marchione Renticensi, pluries nobis laudato. Sed sufficiant ista de præ nobili urbe; etsi plura tamen notatu digna possent adferri, quæ exequitur fusius eleganti commentariolo, præter alia documenta nobis submissa, fidus ejus & doctus civis Ioannes Vivianus. Iuxta Valentianas, & una tantum ab urbe leuca, est pulcherrimum illud & opulentum Cœnobium Viconiense. quod inter alias elegantias amplissimam habet ac omni librorum genere copiosam Bibliothecam.

Inter Valentianas & Cameracum, juxta nobilem pagum Happam, situs est quidam viculus, vulgo dictus *Avennes le sec*, ubi eruitur copiose pulcherrimum illud candidi lapidis genus, quod tantopere prædicat libris suis de Architectura Leo Baptista Albertus Florentinus,

& ob loci illius propinquitatem vulgo dicitur lapis Avennenſis. hic candore ad marmor pæne accedit, & maxima cum facilitate laboratur. nam & ferro facile vincitur, & quovis inſtrumento ſecandum ſe ac ſculpendum præbet, nullo plane vel ſciſſionis vel ruptutæ periculo. quare tuto eo utuntur ad varia operum genera ſtatuarii. quia vero natura infirmus eſt, nec ferendis cœli injuriis, gelu puta, & imbribus, ac ne ventis quidem marinis: excogitarunt hi homines, ne quid illa teneritas apportaret incommodi, corroborandi illius & conſolidandi rationem. imbuunt enim multo oleo, gummi juniperino, aliiſque id genus medicamentis, quibus validam tandem & invictam cruſtam ei inducunt.

Bochanium, vulgo *Bouchain*, ad ſiniſtram eſt Scaldis ripam, medio inter Valentianas & Cameracum itinere, id eſt quatuor ab utraque leucis abjunctum; opidum per ſe validum, ſed quod longe munitius reddit adjuncta arx, ac vel ideo memorandum, quod conditum olim à Pipino in memoriam magnæ illius cladis, qua in campis illis affecit Francorum Principem Didericum: tum & eo, quod caput ſit Comitatus Oſtervantii; ſic dicti ab Oſtrogothis, qui poſt longam in eo tractu moram, hanc tandem illius partem acceptarunt, in eamque ex lege & pacto ſeceſſerunt. Deferebatur olim hic Comitatus primogenito filio Comitis terræ Hannoniæ. Opidum hodie gubernatur à Georgio Montigniaco, Dynaſta Nojellano ad Scaldim.

Quercetum diſtat Valentianis trium leucarum ſpatio, eſtque opidulum ſatis munitum, & aliis etiam partibus memorabile. fiunt enim hic panni illi ſubſerici quos vulgo *ſemioſſettas* nuncupant, & ſatis magna vis linteorum, ita ut mercimoniis mediocriter floreat. Olim ſedes fuit & dotalitium, Comitiſſarum Hannoniæ. ſed poſtquam potiti ſunt ea Duces Burgundiæ, ſuffectum ei eſt Binchium. Querceto præfectus eſt vir Illuſtris Antonius à Goigni: Dominus loci *Venegies au bois*.

Condatum ad dexteram Scaldis ripam eſt, altero à Valentianis milliari, opidulum ſatis lautum, & exigua arce conſpicuum. quod pro ſemiſſe quondam in ditione Illuſtris Rocchendorfii. qui ob neſcio quas cum Principe ſimultates, in Turciam primum diſceſſit: atque inde in Galliam mox reverſus habitus inibi fuit ſtipendio

pendio ſanequam honeſto ac meritis ſuis condigno. hinc militatum abiit ad Regem Romanorum adverſus Turcas, & in Pannonia tandem occubuit. interea autem vænierunt hic ejus bona. Alter opidi noſtri ſemiſſis debebatur Excellentiſſimo Montpenſerio, qui ad Divi Quintini nuper captus, eum una cum Luſa, opido infra deſcribendo, divendidit, pretio pro captivi corporis redemptura eo commodius dependendo. Hoc tempore Dominam habet Condatum viduam Illuſtriſſimi Comitis Lalainii, quæ contractis ſecundis nuptiis cum Illuſtri Mansfeldio, ceſſit hunc locum Hugoni Lalainio filio, adoleſcenti ſummæ ſpei. cui defuncto ſucceſſit Marchio Renticenſis.

## MINORES VRBES.

LANDRECEIVM adſidet fluvio Sabi, & Querceto dumtaxat tribus, Valentianis vero ſex leucis abjungitur. opidulum quidem minutum, ſed munitiſſimum idem, & famoſum mirabili illa obſidione, quam toleravit adverſus Carolum Quintum Imperatorem anno 1543, cum occupatum eſſet à Gallis. Reſtituit tandem Rex Galliæ, pace anno ſequenti facta, Illuſtriſſimo Duci Arſchotano, cui hæreditario jure debebatur. ſed permutavit cum Duce bonis æquiſque legibus idem Carolus Quintus. Gubernatur hoc tempore ab Illuſtri Petræjo, Toparcha Bouſiaceno.

AVENNA poſita eſt ad torrentem Hepram, & Landrecejo pariter ac Malbodio quatuor leucis abjuncta. opidum ſane bonum, munitum, & Comitatus dignitate ſpectabile. Erat vero & iſta nuper in ditione Ducis Arſchotani, qui accepto æquivalente pretio permutavit eam cum Rege Catholico. quoniam enim in confiniis Galliæ, potentiore opus habebat Principe, qui ſecuram præſtaret ab hoſtili omni incurſu. Gubernatur à Domino Dabencurtio.

CHIMACVM in nemore ſitum eſt, ad fluviolum Blancam, & Avenna ſex leucis abjunctum. Iacobus Leſſabæus Vanavillam indigetat. Domos habet mediocri pulchritudine: tum & regiam Principis, hortis ac labyrintho amœnam. opidulum certe munitum, lautum, concinnum, ita quidem ut Principatus gaudeat

dignitate, cujus titulum inter cæteros ſuos inſcribit Dux Arſchotanus. Fuit quidem miſere nimis multatum, ac deſtructum ſæpe, per ultima iſta cum Gallis bella: ſed inſtauratum rurſus ac reparatum. ſic ut multo quam ante ſit pulchrius, & adverſus hoſtiles inſultus munitius. Ceſſit nuper benignus parens Illuſtriſſimo filio ſuo Carolo, qui in uxorem ducta unica filia Caroli à Brimeu, etiam Comes Meganus eſt, juvenis ſane ad humanitatem factus, & clementiſſimus Princeps.

MARIÆBVRGO nomen à ſe fecit Maria Regina Hungariæ, quæ, jubente Carolo Quinto Imperatore. condendum curavit, paullopoſt quam Dominus Longovallius & Martinus Roſſemius ſuccincti exercitu Gallico, è Brabantia petierunt Lucemburgum, anno 1542. Situm eſt inter duos torrentes: Blancam nempe, à quo teli tantum jactu, & Nigram, unde ſemileuca circiter diſtat, tertio quidem à Chimaco, decimo vero Montibus milliari. opidum ſitu & opere munitiſſimum, valido admodum muro, ac pulcherrimis quatuor propugnaculis cinctum, quæ & quadrangulum illud, & invictum efficiunt. quod ita tamen intelligas velim, ſi præſidio ſatis valido muniatur, & fideles agantur excubiæ. neque fiat illud quod nuper anno 1554, quando mera defenſorum ignavia, etſi cauſſentur Gubernatoris perfidiam, graviſſimo ſane totius Belgicæ detrimento, turpiter fuit amiſſum. ex quo tempore manſit in poteſtate Gallorum, qui nuperrima iſta pace, id eſt anno demum 1559, reddiderunt. Præfectum habet hoc tempore Iacobum Briaſium, Dominum Valtencheulium.

PHILIPPOVILLÆ nomen factum eſt à Philippo Rege, opido inter Carolomontium (unde unius leucę) & Mariæburgum (unde ſeſquileucæ ſpatio diſſidet) anno demum 1555 extructo, idque Galli ex Mariæburgo (quo tunc ille potiebatur) excurſionibus prohibendis, conditum vero novellum hoc opidum eo modo & forma, ut ſitu, opere, muris, & propugnaculis opportune diſpoſitis, habeatur pæne inexpugnabile. Gubernatur hodie ab Illuſtri Glimeſio, Dynaſta Florennenſi.

BELLOMONTIVM Chimaco pariter Binchioque tantum quatuor, Montibus vero ſeptem leucis abjungitur. ſitum eſt in amœno colle, unde accepit & nomen. perexiguum quidem, ſed amœnum valde & pulchrum

chrum opidulum, quod Dynastam agnoscit eumdem Arschotanum, cujus ab annis aliquot retro sollennis sedes est. Attribuebatur olim secundogenitis Comitum terræ Hannoniæ, unde & Comitatus titulo dignitateque splendet.

Malobodium, vulgo *Mabeuge*, Montibus quatuor fere leucarum spatio dissidet. interluit opidum fluvius Sabis, quod propterea mercimoniis satis floret. celebratur hic omni sabbatho admodum frequens mercatus fili ex lana, mercis haudquaquam pœnitendæ, ut ex qua *sajæ* porro & *semiossettæ* contexantur. Habet etiam istud opidum unum è nobilissimis illis Canonicarum Collegiis, qualia nempe Montense illud & Nivellanum supra nobis descripta. Malbodiense hoc institutum fuit à Diva Aldegundi; quæ & celebre illud templum condidit, cui ab ipsa postea factum est nomen. Est autem & penes istas Canonicas suprema in opidum & territorium ejus jurisdictio, sic ut civilem simul & criminalem justitiam administrent. gaudent insuper eo privilegio, ut signare possint quotamis definitam quamdam & certam summam *mitarum*, (ita nuncupant minutissimum illud ex plumbo monetæ genus Divæ illius effigiem præferens) quarum duodecim singulos valent denarios, sive (ut vulgo loquimur) *grossos* Flandriæ. & exponitur quidem plumbea ista monetula per totam quam late patet Hannoniam, usque ad ipsam Bruxellam, sic ut nemini liceat eam defugere.

Bavacum, vulgo *Bavais*, Montibus distat quinque leucarum intervallo, & communiter audit Bavacum Wallonense, *Bavais Walonne*, ad discrimen cognominis opidi, quod in Gallia situm vocatur *Bavais Picarde*. Nostrum hodie perexiguum sane est opidum. etsi quidam Hannonienſium rerum Scriptores, tum & alii qui fortassis eos exscribunt, velint antiquitus fuisse maximi nominis ac momenti civitatem, conditam à Bavone Trojano, & *Belgium* dictam, unde porro deductum sit Belgicæ nostræ vocabulum. imovero fuisse hanc eam urbem, sive potius regionem, ubi Cæsar in Commentariis bonam exercitus partem in hibernis se habuisse commemorat, subjungentes, habitasse hic eo ævo fortissimos illos & potentissimos Bellovacos. Nos, qui apud Commentatores istos, sæpenumero inter se pugnantes, non invenimus authen-

ticum ullum hujus rei documentum, prætermiſſis antiquis illis hiſtoriis de Bavone Trojano, & id genus inventiunculis, nullam in ſe habentibus certitudinem, ut quidquid dici poſſet de re tam gravi, lectoribus eſſet in promptu, confugiendum duximus nobis ad ipſos Cæſaris commentarios. qui cum & facilis ſit & perſpicuus admodum ſcriptor, melius certe quam quiſquam interpretum, mentem ſuam exponit. ut qui eum intelligat, non temere poſſit aberrare. Quare adhibita tabula geographica, & conſultis aliquot doctis atque rerum iſtarum peritis viris; examinatis denique pluſculis locis ex iiſdem commentariis, maxime vero ſecundo & quinto, ſumtis: primo quidem palam conſtare dicimus, Belgium Cæſari nihil aliud eſſe quam opidum, ſive locum aliquem Belgicæ, non autem integram ipſam regionem. ſecundo, Bavacum iſtud Wallonenſe, inter Montes Valentianaſque poſitum, vetus illud Belgium eſſe omnino non poſſe. quæ duo ſic ut diximus ſe habere, argumentis luce meridiana clarioribus evincemus. Ordientes itaque à priori illo capite, quod ad Belgii nomen attinet, dicimus hujus aſſertionis noſtræ veritatem aperte ſatis conſtare ex variis quinti illius commentarii teſtimoniis. nominatim vero ex ea legionum diſtributione, quam feciſſe narratur Cæſar, poſt peractum Samarobrinæ Gallorum concilium. inquit enim, *Quod eo anno frumentum in Gallia, propter ſiccitates, anguſtius proveniſſet, coactum ſe aliter, ac ſuperioribus annis, exercitum in hibernis collocare, legioneſque in plures civitates diſtribuere: ex quibus unam in Morinos ducendam C. Fabio legato dediſſe: alteram in Nervios Q. Ciceroni: tertiam in Eſſuos L. Roſcio: quartam in Rhemis, cum T. Labieno in confinio Trevirorum hibernare juſſiſſe: tres in Belgio collocaſſe: his M. Craſſum Quæſtorem, & L. Munatium Plancum, & C. Trebonium, legatos præfeciſſe: unam legionem & cohortes quinque in Eburones, quorum pars maxima eſt inter Moſam & Rhenum, miſiſſe: hiis Q. Titurium Sabinum, & L. Aurunculeium Cottam præfeciſſe: ad hunc modum diſtributis legionibus, facillime inopiæ frumentariæ ſeſe mederi poſſe exiſtimantem. atqui harum tamen omnium legionum hiberna (præter eam quam L. Roſcio in pacatiſſimam & quietiſſimam partem ducendam dederat) tam propinqua fuiſſe inter ſe, ut millibus paſſuum centum continerentur.* Expendamus vero hanc narrationem, & videamus, quopacto dici poſſit, aut credi, Belgium Cæſari

ſignificare

ſignificare totam Provinciam: cum nominatim recenſeat quinque Belgiæ civitates, in quas tot illas legiones ſub jamdictis legatis diſtribuerit. quæſo te, quænam eſſet hæc tam confuſa ſcribendi ratio, quive calami error, ſi ſub Belgii nomine, Belgiam vellet intellegi? quiſve umquam aſſequi queat, in quanam tam magnæ Provinciæ parte tres illas jamdictas legiones collocaverit? non eſt vero credibile in ſcriptis aut ſententia Cæſaris tam craſſos extare errores. quare ex hiſce noſtris & aliis aliquot argumentis omnino ſtatuendum eſt, Belgium apud Cæſarem vel pro urbe, vel pro alio ſaltim peculiari & memorabili Belgiæ loco, interpretandum. Nec abſurdum ſit credere, Bavacum illud Picardum, quod vocant, antiquorum Belgium eſſe, ac nutrire potuiſſe, ſaltim in unam hiemem, tres à Cæſare miſſas legiones. conſtat enim è variis monumentis, maximam olim fuiſſe civitatem. Quin & illud conſiderandum eſt, Bellovacos, tam potentes olim, ut coadunare poſſent exercitum centum millium armatorum, habuiſſe debere, prout alios quoſque populos, primariam aliquam & tanta magnitudine dignam civitatem. ea vero non alia potuit eſſe quam Belgium, cujus ille compluribus locis, ceu loci alicujus ſingularis, non autem ut generalis Provinciæ, facit mentionem. Summa eſt, argumentis hactenus recitatis quæſtionem illam priore loco poſitam abunde ſolvi. Quare facta hic pauſa, tranſibimus ad ſecundum illud caput, demonſtraturi, velut promiſimus, veterem Belgii noſtri ſitum. Dico igitur inſtitutæ orationis filum proſequens, poſt diſtributas modo nobis expoſito Romanorum copias, Ambiorigem, ſumtis pro occaſione novis animis, advolaſſe ex regni ſui finibus, ac de improviſo in Eburonibus, hodie terra Leodicenſi, oppugnatum veniſſe Sabini Cottæque caſtra: circumventos eos interfeciſſe: ac deinde perturbatis eorum ordinibus, victoria ſua ſublatum in Nervios properaſſe, ad oppugnandum caſtra Q. Ciceronis. Hic Cæſar, acceptis litteris, ſuccurrendum illico homini ratus, ſtatim nuntium in Bellovacos (id Belgium noſtrum eſt) ad M. Craſſum mittit, cujus hiberna aberant ab eo ſola viginti millia paſſuum; Fabio vero mandat, ut in Atrebatium fines legionem adducat, qua ſibi inter faciendum ſciebat: Labieno ſcribit, ſi reipublicæ commodo facere

do facere posset, cum legione ad fines Nerviorum veniat: reliquam partem exercitus, quod paullo aberat longius, non putat expectandum. Hora tertia diei sequentis adest cum legione Crassus, quo Samarobrinæ præfecto, ipse Cæsar eo die millia passuum viginti progreditur. Fabius, non multum moratus, (observa quæso disciplinam & obedientiam militarem) Cæsari in itinere cum legione occurrit. Labienus, justas ob causas ex hibernis profectionem facere nequiens, Imperatori se excusat. hic, consilio ejus probato, & communis salutis auxilio in celeritate posito, venit magnis itineribus in Nerviorum fines, & Ciceronem de adventu suo pluribus nuntiis facit certiorem. ipse interea progreditur. Atqui ut summa celeritate hic usus sit, prius tamen quam pervenire potuerit ad hiberna Ciceronis, si ineatur exacta temporis in itinere positi ratio, tres ut minimum dies impendit, queis triginta circiter leucas Gallicas est emensus. Ita ut ex tota ista narratione palam appareat, Bavacum Wallonense non posse ullo pacto Belgium illud esse, quo Cæsar tres eas legiones Crasso & aliis illis duobus legatis ducendas commiserat. primo; quia cum in Nerviis esset Cicero, id est, multorum judicio, juxta Tornacum, populorum illorum, ut existimatur, metropolim; sequeretur, istud Bavacum decem dumtaxat leucis Tornaco abfuisse. quod si verum sit, numquam ausus fuisset Ambiorix Ciceronem adoriri: neque Cicero, tam urgenti necessitate, sic instanter auxilia petiisset à Cæsare, qui triginta ut minimum leucis aberat, sed potius à legatis Belgii, sibi cum tribus legionibus tam propinquis. notandum præterea, si Bavacum istud fuisset Belgium, nihil opus futurum Cæsari, tunc Samarobrinæ agenti, & Tornacum petituro, iter facere per Atrebates, hodie terram Artheſiam. Sed an aliud argumentum adducemus eo validius, quod videlicet ipse Cæsar adserat, statim se nuntium in Bellovacos ad M. Crassum misisse, quem paulloante narraverat collocatum à sese in Belgio? hic certe ostendit Belgium in Bellovacis fuisse, qui proculdubio ii sunt Picardiæ populi, quos hodie dicimus *Beauvoisins*, & in quibus Bavacum Picardum est, non autem in terra Hannonia, ubi Bavacum Wallonense. Quod quo magis firmetur, attendatur obsecro, Suessiones, hodie vulgo *Soissons*, medios collocari à Cæsare inter Bello-

vacos

vacos & Rhemos, quos nunc dicimus *Reims en Champaigne.* unde palam colligitur, Bellovacos fuisse Belvicinos, remotissimos sane à Nerviis, id est Tornacensibus nostris, ubi tunc Q. Tullius Cicero. Addimus velut è supervacuo, quod cum in Carnutibus, hodie voce nonnihil corrupta *Chartres*, opido quindecim supra Parisios leucis posito, interfectus esset à suis Tasgetius, natione Gallus, sed qui staret à partibus Romanorum: Cæsar, veritus ne civitas eorum impulsu deficeret, L. Plancum cum legione ex Belgio (tamquam illis tunc proximo) celeriter in Carnutes proficisci jusserit. quod Belgium, si Bavacum Hannoniæ foret, nimis dissitum certe fuisset auxiliaribus illis copiis in Carnutes usque mittendis, promto, eas habere ex locis multo vicinioribus. Atque isthæc sufficiant demonstrando, quod Belgium illud Cæsaris non potuerit esse aliud, quam Bavacum Picardiæ, opidum miræ antiquitatis, & Episcopali sede hucusque notum, cujus Præsul & Comitem se inscribit, & unum è Paribus Franciæ. nequaquam autem dici potest fuisse Bavacum nostrum Hannoniæ. cui equidem veterem illum honorem non eo detractum: sed non est umquam veritati denegandum patrocinium, & præsertim in rebus tanti momenti, quæ lectori tam densas offundant tenebras, ut nisi discutiantur, non locatim tantummodo, sed Provinciatim aberraturus sit, cum turpissima etiam aliarum rerum confusione. Ex iisdem autem his argumentis, demonstrationibusque extra omnem dubitandi aleam positis, manifesto etiam patet, Samarobrinam illam, in qua tunc Cæsar, non esse Cameracum. quod nonnulli tamen, (inter quos aliquando etiam ego, dum auctoritate illorum me abripi patior) per errorem adfirmant. Nam inter Samarobrinam & Ciceronem, triginta ut minimum erant leucæ: quæ si istis credendum sit, non sint plures duodecim tredecimve. à Samarobrina in Belgium, juxta Cæsarem quidem, essent viginti quinque milliaria Italica, secundum istos vero plus quam viginti quinque leucæ Teutonicæ. tantum siquidem inter Cameracum & Belvicinum, vel si Belgium dicere malumus, interest. quare Samarobrinam oportet fuisse longe viciniorem Ambiano, non ignobili Galliæ opido, quam sit nostrum Cameracum. Sed ne videar nimium curiosus, abstinebo deinceps ab ulteriore omni censura, referamque

que me lubens ad elegantem aliquam perſonam, quæ & iſtas & ſimiles omnes res aliquando pertractet opuſculo aliquo ſingulari, & lecta magis ac valida argumenta in medium proferat. mihi in præſentiarum ſatis eſt dicere, tantas fuiſſe ac tales, ob cauſſas paulloante commemoratas, regionum iſtarum ruinas atque mutationes, ut nemini mirum videri debeat, in antiquis his & à ſæculo noſtro remotis rebus tantam interdum confuſionem atque caliginem inveniri. Iam vero ut unde paulliſper deflexit, eo redeat oratio; profiteor lubens atque agnoſco, præter illa quæ ſcriptis extant tradita, inveniri palam & viſi apud Hannonios noſtros Bavacenſes, actam intra quam extra urbeculæ noſtræ pomœrium, multas priſci illius ſplendoris reliquias, & inſignes antiquitates: inter alia vero compluſculos nummos Romanos. quæ omnia clarum ſatis atque apertum præbent indicium, fuiſſe olim rem magnam, & momentoſam. admiranda vero præ cæteris via illa delapidata, quæ Pariſiis per hoc opidum ducit in Tungros, & in ipſa Tungrorum deſcriptione infra iterum memorabitur. item altera illa mirabilis via, olim in totum ſilicata, quæ inde à Rhemis Campaniæ per hoc noſtrum Bavacum, protenditur uſque ad Cortracenſes in Flandria, quod eſt iter plus quinquaginta leucarum, ſive centum viginti milliarium Italicorum. Ex iſto opido probant incolæ variis argumentis oriundum fuiſſe magnum illum Belgium, cujus libro 24, hiſtoriæ ſuæ meminit Trogi abbreviator Iuſtinus. illum inquam comitem Brenni; qui poſt obitum Alexandri Magni, in Pannoniam primum cum centum & quinquaginta millium armatorum exercitu tranſiens, magnis inibi factis progreſſibus, in Macedoniam porro irrupit. ubi fuſo, capto & decollato Rege Ptolemæo, tandem & ipſe, victoria inſolenter uſus, à Soſthene, uno è Macedonum Principibus, fuſus eſt. Quod cum Delphis accidiſſet & Brenno; qui nihilo (ut jam alibi dixi) minorem quam ipſe exercitum ſecum adduxerat, & cum dolorem vulnerum ferre non poſſet, pugione; vitam finiverat: Belgius cum ſuorum reliquiis, id eſt decem circiter hominum millibus, Græcia excedens, ad internecionem una cum illis occiſus eſt. Neque vero tam miſeranda ſuperiorum temporum clades, tamque ignominioſa priſtinæ magnitudinis deminutio Bavaco noſtro ſuffecerat, niſi &

ultimis

ultimis bellis iterato à Gallis exureretur, miſereque devaſtaretur. ſed reſurgit tamen & inſtauratur paullatim per amicam hanc pacem.

Binchium, vulgo dicitur *Binche*, ſitum ad ramum quemdam fluvii Hainæ, & Montibus tribus leucis abjunctum, opidum ſane antiquum, ac civibus olim frequens: ſed continuis hiſce bellis ita miſere attritum, ut incolarum plerique Montes migrarint. Erat nuper hoc opidum ditionis Mariæ Reginæ Hungariæ, cui in vitam, ut vocant, donaverat Carolus Quintus Imperator, quo tempore ipſa huic Belgicæ præerat. quare & luculenter id inſtauraverat, & palatiis ſimul hortiſque ſumtuoſis ac plane regiis exornaverat. eſt enim revera locus vel maximo quoque Dynaſta dignus, ſive tu miram cœli temperiem ſpectes, ſive commoditatem venationum, aliaſve id genus delicias. Profecti ſunt eo anno 1549, idem ille Imperator & Princeps Philippus, quo tempore iſte inauguratus fuerat in futurum Dynaſtam Belgarum. quos tam ſplendido apparatu, ac tam crebris hippomachorum decurſibus, tamque celebri pompa & ludorum magnificentia, per continuos aliquot dies, Regina jamdicta excepit, quantam vix fide quis aſſequatur, tantum abeſt ut digne deſcribat. Sed contra cum hac tranſiret Rex Galliæ anno 1554, Mariæburgo Dinantoque recens devictis, & victoriæ compos remearet in Regnum, opidum nullo fere negotio occupavit. cumque proprio quodam odio proſequeretur Reginam Mariam, propter crebra incendia, hujus inſtinctu in Picardis excitata, præſertim vero exuſtum Folembrajum, amœniſſimam ſuam arcem, vindicaturus tam inſignitam injuriam, non omnes tantum heroidis ejus domos & elegantias devaſtavit, ſed & opidum ipſum incendit. quod ſurrexit tamen, & quantum ad privatorum domos, in priſtinam faciem reſtitutum eſt. Iuſſit inſuper idem Rex, eodem furore actus, incendi ampliſſimum illud palatium, arcis propemodum forma extructum, quod vulgo Mariæmontium vocant, conditum in finitimis pæne immenſo ſumtu, mirandiſque hortorum deliciis exornatum, ab eadem Regina. unde diſcimus, quam periculoſum ſit magnos Principes irritare, quamque verum ſit illud vulgatum,

*An neſcis longas Regibus eſſe manus?*

Ita

Ita eſt. porrigitur longe lateque ipſorum potentia, nec præmiari minus & inſtaurare, quam punire & demoliri norunt.

Rodium, vulgo *Reus*, etiam Rethia dicitur à Ruthenis. diſtat autem Binchio quidem duarum, Montibus vero trium leucarum ſpatio, opidulum mire antiquum, bonum, amœuum, & ampla in pagos agroſque circumjectos juriſdictione conſpicuum, ideoque titulo Comitatus à Carolo Quinto Imperatore nuper illuſtratum. Eſt in eo Cœnobium inſtituti Præmonſtratenſis. item pulchrum quoddam ſacellum Beatæ Virginis, miraculis, uti perhibent, inclytum, ita quidem ut & Pontifices & alii quidam Principes variis illud donariis atque honoribus proſecuti ſint. Fuit non ita pridem in ditione Illuſtriſſimi Principis Adriani Croji, viri & rerum politicarum tractandarum induſtria, & militari fortitudine longe clariſſimi. quæ virtutes & plurima ſummi momenti officia acceptiſſimum eum reddiderant Carolo Quinto Imperatori, à quo etiam ad ſummos quoſque honores & dignitates evectus eſt. mortuus tandem anno 1553, Flandriæ & Artheſiæ Gubernator, exercituſque ad Teravannam archiſtrategus. Succeſſit ei in Comitatu Rodienſi Ioannes filius, peregregius adoleſcens, maxime vero intrepidus idem & acer militiæ. cui ſucceſſit nuper Euſtachius frater, Præfectus Divi Audomari, vir eximiæ dignitatis.

Sogniacum in propinquo habet amœniſſimum nemus Sogniacenſe, qua id adſpicit Brenniam Comitis. diſſidet autem Binchio Montibuſque pari trium leucarum intervallo, ad fluviolum Zinnam, unde ſumit & nomen. opidulum ſatis bonum, & celeberrimo quodam Canonicorum Collegio, cui à Divo Vicentio nomen eſt, & in opidum ipſum ac territorium ejus juriſdictio, nobile. Gignit præ cæteris iſte locus multos inſignes Muſicos, canora valde & ſcita voce præditos. penditque ut plurimum in hoc opido Princeps Cantoribus ſuis mercedem & annua honoraria.

Brennia Comitis, Montibus quatuor, Hallis vero tribus leucis abjungitur, opidum perantiquum, ut quod conditum fuerit, adeoque & nomen acceperit à famoſiſſimo illo Brenno, urbis Romæ deſolatore, prout fuſius ſupra narravimus in deſcriptione Brabantiæ. Conſpicitur hic

hodieque

hodieque perantiqua quædam turris, Brenni illius, ut perhibent, monumentum.

Angia, quæ & Angianum dicitur, vulgo *Enghien*, Atho quatuor, Montibus quinque leucis abjunctum est, opidulum lautum, ubi ingens conficitur optimorum tapetum vis. Detentus hic fuit nuper in carcere Comes-stabuli Galliæ. opidum est in ditione Ducis Vindocinensis. Natus inibi Iulianus Hazartus instituti Carmelitarum, virtutibus & doctrina insignis vir, ac voluminum aliquot scriptor, prout videre est sigillatim in Bibliotheca pluries nobis laudata. obiit in cœnobio suo anno Christi 1525.

Hallæ vulgo audiunt *Nostre Dame d'Haulx*. sitæ autem sunt ad eumdem Zennam, qui medias fere interluit, tertio à Bruxella milliari, in ipso adeo Brabantiæ & Hannoniæ terræ confinio.

ADDITAM. [*Opidum nomen habet à tutela aut conservatione, ut aliæ* Hallæ, *quæ passim exstant; nam ædificia, ubi merces aut homines defendi ab aëris injuria solent*, Hallas *vocamus; & hæc vox nobis & Gallis in ore & usu est pro* Atriis, *causa eadem, quia ibi conventus, & in tuto ac sudo agunt. Sic* Hallæ *Lovanii olim fuere, lanificii & lanificum domus, modo ab Arachne ad Palladem translata, in qua optimatum artium scientiarumque doctores & discipuli cottidie operantur. Pauca de* situ, & arce; *pluria de* templo, *& ejus* sacello.

*Ager in ambitu bonus; fœcunda pratis arvis, quæ planicies, quam Zenna flumen interluit, & ipsum item opidum: atque illinc rivis amnibusque auctum Bruxellam, navium in ea & extra eam patiens, venit.*]

Est in opido ædes sacra, Divæ Virgini dedicata, & miraculis inclyta, quæ propterea celebratur magno populorum non tantum ex isto tractu, sed è Gallia quoque & aliis terris concursu.

ADDITAM. [*Templum foro imminet, eleganti satis opere: cujus ala ingredientibus sinistra sacellum habet & aram, ac super eam statuam D. Virginis.* Sacellum *modicum est, ornatum à donariis & tabulis votivis habet. Concursus huc olim, & nunc undique, etiam à longinquis locis, quotannis prima Dominica Septembris. (is status & solennis dies est) Fuit olim sodalitas antiquitus instituta; & codex asservatur, in quem nomina dederunt. Sunt Principes utriusque sexus. inter eos* Cæsar Maximilianus I, cum uxore & liberis; Rex Angliæ Henricus VIII, cum

cum uxore & liberis, *eidem Cæsari amicus* : Dux Brabantiæ, Lotharingiæ, Limburgi, cum uxore & liberis: *item* Dux Geldriæ & Iuliaci: *alii, alii. Sunt præterea duodecim partim opida, partim municipia, quæ dicta die Hallis se sistunt: id est, ab iis missi primores aliquot civium aut incolarum. Quibus Ecclesiasticæ & Magistratus Hallenses obvii fiunt, comites & honeste excipiunt, & ad eadem statuamque deducunt. Iisdem vina & cibi, benevolentiæ ergo offeruntur. Illi autem, pro suo quisque opido aut municipio, chlamydem Divæ offerunt, numero universe duodecim: aut (quia affatim jam chlamydum est) ipsas ab adituis templi sumunt, & certam pecuniam in pios usus rependunt. In supplicatione deinde, cum statua per urbem & suburbana defertur, illi comites sunt: & ordine etiam humeros supponunt, pia æmulatione sacrum onus affectantes. Opida sunt ista:* Athum, Tornacum, Bruxella, Valentianæ, Condatum, Namurum. *Municipia autem,* Lembeca, Quijurania, Crispinum, Brania, Busigniacum, & Sancti. Lips. cap. XXXIV in Diva Hal. *Tabula* ara *incumbens ex alabastro, elegantissime cælata est, Ioannis Artistæ opus.* Statua *haud magna (bipedalis circiter) & è puro nec medicato ligno est.* Lipsius *cap.* VI *dicit, eam immunem ab exitiali peste; ab incendiis, à vi bellica: exempla ponit, & rei monumentum statuit: Servantur, inquit,* centum circiter globi *è ferro aut lapide, in ade sacra, arcis ligneis conditi, qui triginta, quadraginta, sunt & qui sexaginta, pondo libras pendunt. Statua illa in media ara posita, sed auro puro inducta. Filium brachio uno præfert, altero florem lilii inauratum. In pectore monilis vice sunt uniones sex, puri, grandes: & in eorum medio carbunculus, sive pyropus lapis, quem* rubinum *nos à colore vocamus. At in capite corona est puri puti auri. Sunt deinde (ut ad* donaria & ornamenta *sacelli veniamus) in eadem ara* duodecim Apostoli, *ex argento fabre satis facti: quos inibi etiam nunc est videre. simulque ad latus utrumque aræ* duos cœlestes genios, *sive angelos, eodem metallo, candelabra præferentes, & venerationem Divæ exhibentes. Supra has statuas, ibidem* duæ sunt militares, *altera pedestris, altera equestris. Ista pariter ex argento: sed fuerunt & duæ,* eodem militari habitu, puri auri: *quarum pedestris securim, equestris lanceam manu teneret. Et hæc omnia* PHILIPPI BONI *munera, qui &* lampadem auream, *insigne munus dedit: cui aliam inauratam publica necessitas deinde substituit. Fuit &* statua, *justæ magnitudinis, dimidiata ex argento, donum ejus uxoris. Conspicitur item* fenestra vitrea *in eo sacello, varie picturata. Philippo*

*curante*

curante & donante. Denique & tabula est, in qua ipse Dux supplicis habitu effingitur procumbens ad Divæ genua; & versus aliquot Gallici inscripti: annus subscribitur CIↃ CCCC LV, Martii dies XX. CAROLVS filius ejus, cognomento & re AVDAX, donavit falconem argenteum, MAXIMILIANVS I Imperat. conspicitur etiam nunc, genibus nixus, in sacelli dextro latere, tabulato paullum altiore, loricatus, & cetero cultu militari. Pone eum Albertus Dux Saxoniæ geniculatur, itidem armatus; qui bellis tunc Belgicis fidam fortemque operam Maximiliano præbuit, & filio ejus Philippo. Illum esse, insignia gentilicia satis ostendunt. Est & tertius, velut per submissionem paullum ab illis remotior, genu pariter flexo: quem, ex insignibus, gentis Meluniæ esse apparet: ac fortasse Robertum Melunium, id ævi rebus consiliisque mixtum. Dona Maximiliani sunt, calix cum patina inauratus: cui insculpta Austriæ gentis insignia, superaddito pileo Archiducali. Ex quo liquet, sub initia, & Archiducem adhuc, dedisse. Ejusdem est Divi Maximiliani statua argentea, admodum bipedalis: quæ mitram capite, crucem una manu, altera gladium gestat, & ab eo dependentes argenteas duas claves. Fama tenet, (& clavium argumento adstruas,) Bruxellenses, tunc in pacem ditionemque acceptos, velut mulctam dependisse. Est ab eodem arbor, sive rosa frutex, e puro auro, cum plusculis ramis floribusque, item bipedalis: quam sacratam à se Pontifex Maximiliano donum, ipse porro Divæ Hallensi misit. CAROLVS QVINTVS Imperator, statuam argenteam viri armati, genibus nixi, manibus in cælum sublatis, supplice habitu, dedit dicavitque. Idem scyphum grandem inauratum, operis antiqui. Idem militari forma chlamydem, villoso serico, auro intertextam, insignibus imperii, & gentis Austriæ, decoratam. ALBERTVS AVSTRIACVS donum suspendit lampadem argenteam, pondere & opere insignem: eique vectigal annuum addidit, ut in ævum ante effigiem sacram luceret. Isabella Clara Eugenia, ejus uxor, chlamydem sacravit, auro & argento intertextam. Præter hæc, est lampas argentea, Iulii II P. M. inscripta, Anno IX IVLIVS PONT. MAX. Item statua argentea viri geniculantis, donum Fuggerorum. Ad summam, numerare ego XX lampades argenteas, usibus sacris destinatas. Præterea ibi scipiones, fulcra, mali aut tabulæ navium, variæ hominum aut eventuum figuræ. Vincula item; & icunculæ è cera, e ligno. Sed & PENNA argentea LIPSI, argenteis catenis appensa, ad sinistram notari debet; subtus tabula cum his versibus:

Hanc,

Hanc, DIVA, PENNAM interpretem mentis meæ,
Per alta ſpatia quæ volavit ætheris,
Per ima quæ volavit & terræ, & maris:
Scientiæ, prudentiæ, ſapientiæ
Operata ſemper. auſa quæ *Conſtantiam*
Deſcribere, & vulgare: quæ *civilia*,
Quæ *militaria*, atque *poliocretica*;
Quæ, ROMA, *magnitudinem* adſtruxit tuam;
Variaque luce ſcripta priſci ſæculi
Affecit, & perfudit: hanc PENNAM tibi
Nunc, DIVA, merito conſecravi LIPSIVS.
Nam numine iſtæc inchoata ſunt tuo,
Et numine iſtæc abſoluta ſunt tuo.
Porro ô benignitatis aura perpetim
Hæc ſpiret! & famæ fugacis in vicem,
Quam PENNA peperit, tu perenne gaudium
Vitamque, DIVA, LIPSIO pares tuo.

*Superne ad aræ dextram ſuſpenſa ſunt* V *vexilla, ſpolia Chriſtiano Brunſuicenſi ablata, & huc illata; adſcriptum diſtichon, in quo anni numerus:*

HæC tIbI ſanCta parens hoſtILIa sIgna IſabeLLa
BeLgarVM prInCeps ſaCra tropæaVoVet.

*Extra ſacellum in ipſa æde, ſuſpenſum eſt vexillum ingens cum cruce Burgundica, donum Buquoyanum. Videtur & inter cætera, quæ templi faſtigiis erant affixa*, haſta, *quæ cum craſſitudine brachium viri robuſti æquaret, telo tamen ex arcu manuali, ut vocant, emiſſo transfixa ſpectabatur, ad rei fere miraculoſæ memoriam.*]

In hoc opido obiit anno 1404, Burgundiorum Dux Philippus, is qui *Audax* dictus eſt ab inſigni animi confidentia, frater Caroli Quinti Regis Galliarum, & conjugio Margaretæ Malanæ Belgicam cum Burgundia ſua junxit. Mortui inteſtina ſepulta ſunt in hocipſo templo Beatæ Virginis, cor Sandionyſium amandatum eſt, notum Galliæ opidum, altero à Pariſiis lapide, tumulandum inibi juxta Principes Sanguinis Franciæ. corpus vero, balſamo prius conditum, regali pompa ſepeliendum deportatum eſt Divionem, Ducatus Burgundiæ metropolim. ubi Margareta illa jamdicta, defuncti viri graviſſime obærati bonis, quæ mobilia vocant, cedens, eaque creditoribus ſe deferere profitens, in ejus rei indicium, præſente non tantum aula, ſed & toto populo, uſurpavit

usurpavit sollennem illum ritum,& marsupium ejus una cum cingulo clavibusque feretro superimposuit. Quod ipsum, si penitius paullo introspicis, Principibus olim majorem fuisse legum & juris observantiam, quam privatis hoc nostro ævo,ostendit

Lessina,Angiano circiter quatuor, Montibus vero sex leucis abjuncta est. interluit ipsam fluvius Tenera, & contexitur isthic magna copia linteorum. Lessinensis fuit Iulianus Aurelius, vir insigniter doctus & scriptis clarus.

Cervia, Atho tantum unius, Montibus quinque leucarum spatio dissidet, opidulum quidem modicum, sed amœnum idem & pulchrum, quod Hunellus interluit, non ignobilis torrens. Hujus opidi titulum inscribebat Guilielmus Crojus, is quem in descriptione Arschoti cum honore & laude memoravimus. Locum hodie possidet ejus nepos, ævo cognominis, Marchio Renticensis. nuper autem conjugii jure cessit Marchioni Renticensi jam sæpius nominato.

Athum, Lessina quidem duabus, Montibus vero quatuor leucis abjungitur modicum sane,sed pulchrum,mutnitum,amœnum & prælautum opidulum, quod interluit idem Tenera. texitur hic inter alia, ingens vis linteorum. quorum adfatim etiam importatur ex pagis & opidis circumjectis (est enim hic mercimonii ejus emporium) veniuntque tam domi confecta, quam ab exteris importata,linteorum Athensium nomine. Iactant autem abire annuam mercis rationem in ducenta & amplius millia scutatorum. sic ut magnus sit ad hoc opidum exterorum concursus. Athensis fuit Ioannes Taisnerius, Iuris utriusque Doctor,Poëta laureatus ac celebris,Matheraticus perexcellens, & doctissimus Musicus. Scripsit nuper laudatissimum opus in Mathematicis.

Fanum Divi Gislenii nomen capit à nobilissimo suo Cœnobio, cujus Abbas (is autem hoc tempore est Episcopus Tornacensis) veteri lege ac jure, & civilis simul & ecclesiasticus opidi Dominus. Et Cœnobium quidem est omnium hujus terræ primarium: opidum vero sanequam modicum. quod interluit fluvius Haina, is quem diximus universæ terræ dedisse nomen.

Lusa distat Valentianis quinque leucarum spatio, opidulum satis mediocre. etsi enim ante pauculos annos totum

tum pæne abſumſerit edax flamma, reparatur tamen hoc tempore magnis auctibus, & in priſtinam formam inſtauratur. Patrimonium olim habuit Gerardus Roſſilionus, nobile & hiſtoriis notum nomen. Inde obvenit Illuſtriſſimæ genti Borboniæ, ac Dynaſtam nuper agnovit Ducem Montpenſerium. hodie vero in ditione eſt Florentii Montmorencæi, Domini Montigniacenſis in Oſtervandia. quo mortuo tandem delatum eſt ad Guilielmum, Comitem Hoogſtratanum.

Pequicurtium diſtat Duaco ſpatio trium leucarum, juxta Cœnobium Auchinenſe, cui ſubjectum eſt. locus miræ antiquitatis, & muris olim ac mœnibus clauſus, ſed deſtructus inde per bella, ſic ut hodie quidem vix pagi vocabulum tueatur, etſi privilegia tamen illibata conſervat.

Fontana, quam vulgo vocant *Fontaine l'Eveſque*, quaſi dicas Fontem Epiſcopi, opidulum ſatis lautum eſt, in finibus Hannoniæ, qua terram Leodicenſem tangit. Sabi flumine, modico tantum milliari, Binchio vero, duabus leucis abjunctum. Paret proprio ſuo Dynaſtæ, ac diu fuit in ditione illuſtriſſimæ gentis Henninæ Letartiæ, ex qua ortus Illuſtris Boſſutius. ſed delatum tandem ad fœminam, nuptam Iacobo Crojo, Toparchæ Sempiaceno. hodie matrimonii jure ſubeſt Domino Argentienſi, qui uxorem habet fœminæ ejus quam dixi neptem. Quia vero litigatur inter Hannoniæ Comitem & Epiſcopum Leodicenſem de ſupremo opiduli hujus imperio, nondum conſtat utrinam ex illis terris accenſeri debeat. Sunt præterea inter pagos, arces, & toparchias Hannoniæ, multa loca notatu digna, & ampliſſimis privilegiis exornata, è quibus originem ducunt clariſſimæ quædam familiæ. ac primo quidem.

Lalainium, altero à Duaco, quinto vero à Valentianis milliari, ad Scarpam flumen. municipium ſane amœnum, arce & ditione, aliiſque nominibus memorandum, ita quidem ut Comitatus titulo ſplendeat. Nomen hinc illuſtriſſimæ genti Lalainiæ. quæ cum alias ſemper, tum hoc noſtro ævo complures habet illuſtres heroas, non Lalainii tantum, ſed & Hoogſtratæ Comites, prout ſupra in deſcribenda Brabantia diximus. Inter cæteros vero excelluit nuper Carolus, hujus loci Comes, Princeps toga ſimul & ſago illuſtris, adeo quidem ut ad Cæſarem in

Germa-

Germaniam abeunte anno 1550, Hungarorum Regina Maria, ipſe cum ſummo imperio manſerit ejus Vicarius. Præfuit idem ſexennio poſt, cum Archithalaſſo Galliæ, pactioni induciarum Vallicellæ inter Cæſarianos & Gallos factæ, mortuus tandem, Hannoniæ Gubernator, & Eques aurei Velleris, anno 1558, relictis pluribus filiis, & præſertim Philippo, magnæ expectationis adoleſcentulo. cui nuper in ditione paterna ſucceſſit filiolus ejus Franciſcus.

Montigniacum Oſtervandiæ, Duaco pariter leucis duabus diſſidet, juxta Cœnobium Marchennenſe. pagus equidem nobilis, & qui arcem habet ac ditionem, unde & Baronatus titulo decoratur. Dynaſtam agnoſcit Florentium Montmorancium, Comitis Hornæ fratrem, Equitem aurei Velleris, & Præfectum Tornacenſem. quo mortuo, locus tandem obvenit Comiti Hoogſtratano.

Antonia, vulgo *Antoing*, adſidet fluvio Scaldi, & Tornaco unica tantum leuca diſtat. pagus valde amœnus, quem commendat in primis pulcherrimi operis caſtrum, ea quidem antiquitate, ut conditum ferant à Marco Antonio, famoſiſſimo illo Triumviro, qui in Galliis tunc & Iulii Cæſaris comitatu, loco à ſe fecerit nomen. loco, vel ſola vetuſtate memorabili, quem ſedem habent Illuſtriſſimi Principes Eſpinoii, poſſidetque hoc tempore, matrimonii jure, Princeps de Ligne.

Ad eumdem Scaldim eſt Bia, locus Antonia una tantum leuca disjunctus, & mirabili arce conſpicuus, Dynaſtam agnoſcens Hannoniæ Seneſchalcum. Poſſidebat non ita pridem vir Illuſtris Petrus Werchinus, Eques aurei Velleris. qui cum nullos haberet liberos melioris ſexus, alteram filiarum nuptum dedit Hugoni Melunio, quem & loci iſtius, & tituli Seneſchalci, hæredem inſtituit. ea tamen conditione, ut & nomine ſimul & cognomine ſoceri, necnon armis ejuſdem gentilitiis gener in poſterum uteretur. quod & incorrupte obſervat. Minor filia laute dotata nupſit Comiti Boſſutenſi. Bia vero nunc in ditione eſt nobiliſſimæ fœminarum Iolentæ Werchinæ, matris Principis Eſpinoii.

Briffolium, Bia leucæ tantum ſpatio diſſidet; pagus quidem exiguus, ſed qui amplam habeat arcem, ac tantam jactet antiquitatem, ut pro certo exiſtimetur ſumſiſ-

ſe nomen, etſi voce nonnihil corrupta, à biſronte illo Iano, poëtis tantopere decantato. unde & ampla quædam vallis, etiam aliis aliquot pagis inſeſſa, Briffolienſis hactenus dicitur. juxta quam vallem eſt mons Trinitatis, in quo aſſerunt Iano templum olim fuiſſe poſitum ab Albanis. Locus eſt ditionis Domini Moriaumenſis, clari & generoſi herois. quem & nobilis ille pagus, vulgo *Hauſur-Heure* vocatus, ac Sabin inter & Moſam poſitus, ampliſſima item & nobiliſſima arce, (quam ut plurimum incolunt ii proceres) memorandus, Dominum Dynaſtamque agnoſcit. Hodie paret Ioanni Merodio, Domino Moriaumenſi.

Ligniacum, vulgo *Ligne*, diſtat Cervia quidem una, Atho vero duabus leucis, pagus itidem peramœnus, & arce conſpicuus. unde & Principatus titulū inſcribit. Comitem habet Philippum, etiam Falcoburgi & Waſſenaræ apud Batavos Dominum, Principem certe generoſum, atque illuſtrem, & Equitem aurei Velleris. quo mortuo, ceſſit Lamoralio Ligniacenſi, nobiliſſimo pariter & clariſſimo Principi.

Boſſutum, Montibus tantum duabus cum dimidia, Valentianis vero quatuor leucis abjungitur. pagus ſanequam lautus, & pulcherrimo non Hannoniæ modo, ſed & Belgicæ univerſæ caſtro ſpectabilis, ideoque & Comitatus dignitatem à Carolo Quinto Imperatore conſecutus. Hodierno ejus Dynaſtæ, Ioanni Hennino Letartio nomen eſt, viro ampliſſimo nobiliſſimoque, Equiti aurei Velleris, & olim Imperatoris ejuſdem Scutifero. cui, dum opus iſtud ab olverem, rebus humanis exemto ſucceſſit Maximilianus filius, eques generoſiſſimus, ac digna tanto parente proles. Hodie Dominum habet Petrum Henninum, valde adhuc adoleſcentem.

Barlæmontium eſt ad Sabim flumen, & Landrecejo pariter Avennaque pari fere duarum leucarum ſpatio diſſidet. pagus profecto ampliſſimus, ac non arce tantum, ſed & Dynaſtiæ, ſeu Comitatus dignitate ſpectabilis. imo in Comitatum nuper à Rege Philippo evectus Paret hodie Carolo, Equiti aurei Velleris, uni è tribus Præfectis ærarii, vulgo *Chef des Finances*, viro magnæ auctoritatis & famæ. cujus filius quoque Ægidius, adoleſcens eſt rara quadam doctrina, idemque ſtrenuus ordinum ductor, & militiæ gnarus. neque vero quidquam degenerant

rant ejus fratres: qui partim armis & militari laude, partim ſacræ vitæ profeſſione, in dies inclareſcunt. Patri ſucceſſit Florentius Barlæmontius, Baro Hiergeſius, Geldriæ ſimul & Comitatus Namurenſis Gubernator, Eques aurei Velleris, acer & magni nominis Capitaneus, ac gratioſus admodum apud Regem.

Glajonum, Avenna duabus leucis diſſidet, pagus neutiquam contemnendus, ut qui munitiſſimam arcem, ac Dynaſtiæ dignitatem habeat. Paret viro Illuſtri Philippo Stavelio, Equiti aurei Velleris, & ſupremo Regiarum munitionum Præfecto. cui ſucceſſit nuper generoſiſſimus vir Florentius, Comes Herlieſius.

Traſigniacum adjacet viæ ſilicatæ qua itur Trajectum Moſæ, & Binchio abeſt duabus leucis. Eſt autem & caſtrum & pagus longe pulcherrimus, ac vel maxime memorandus antiquitate ſtemmatis Dynaſtarum, qui ab annis ſexcentis & amplius, loco præſunt, neque deſeruerunt umquam, ſed perpetuam habuerunt domicilii ſedem. E qua ſtirpe plurimi orti ſunt viri clariſſimi, & præſertim recentior ille Ioannes Traſigniacus, Eques aurei Velleris, ac Collegii ejus Decanus, Caroli V Imperatoris, ut ſic dixerim paranymphus, cujus nomine duxit Iſabellam Luſitanam. Patri ſucceſſit Carolus filius, hodiernus loci Dynaſta, vir egregiæ conditionis & famæ.

Eſcochinna Binchio trium leucarum intervallo abjungitur, pagus admodum amplus, ac duplici arce conſpicuus, ſuperiore Dominum agnoſcente Comitem Lalainium, inferiore Dominum Deldrium, è familia Reneſſæa, Equitem honeſtiſſimum. Ab hoc pago accipiunt nomen, & in totam fere hanc Belgicam magna copia diſtrahuntur lapides illi leucophæi, quorum ad opera cœmentitia magnus uſus eſt.

Trelonium ſemileuca diſtat Glajono, pulcher pagus, & qui validam habet arcem, nuper adeo, quod per ultima iſthæc bella ſæpius diruta mutilataque fuerat, de integro inſtauratam. Paret Domino Ludovico Bloſio, viro honoratiſſimo, & Armamentarii Regii ſupremo Præfecto. unde porro delatum eſt ad Dynaſtam Merodium, virum ampliſſimæ dignitatis.

Sora Caſtellana, vulgo *Sor le Chaſteau*, ſita eſt altero ab Avenna milliari, poniturque inter præcipuos & majoris momenti pagos univerſæ Hannoniæ. arcem habet ope-

rum munitione ac vetuſtate admirandam. Paruit nuper Illuſtriſſimo Molembaſio, Equiti aurei Velleris. quo defuncto, ceſſit una cum aliis aliquot pagis & toparchiis Marchioni Bergizomano, habenti in matrimonio unicam ejus filiam. Hodie vero in ditione eſt nobiliſſimi viri Domini Molembaſii, orti ex Illuſtriſſima gente Croia.

Brabanchonia modica tantū leuca diſſidet Bellomontio, & vicinum habet amœnum nemus, taxis, nobili arborum genere, conſitum. ipſe pagus luculentus, & caſtro necnon veteri Baronia conſpicuus. Fiunt hic magna copia vitreamina, ut & toto paſſim Hannoniæ Comitatu, præſtantiora multo & pulchriora quam Rhotomagenſia, Lotharingica, vel & Haſſica. Locus Dynaſtam habet Ioannem Ligneſium, Comitem Arembergium, Principem admodum generoſum, Equitem aurei Velleris, & Friſiæ ſimul ac Tranſiſulanæ Gubernatorem. cui nuper ſucceſſit Robertus filius, non virtutum minus, quam opum & ditionis paternæ hæres, itidem Eques aurei Velleris, & Sacri Romani Imperii Princeps, in magna & apud Principem gratia, & apud omnes exiſtimatione.

Aimeriam alluit Sabis flumen, pulchrum & amplum pagum, Barlæmontio pæne contiguum, Malobodio circiter ſeſquileuca abjunctum, & egregia arce, tum prænobili quoque & miræ antiquitatis Baronia inſignem. Poſſederunt multo tempore Comites Flandriæ. hinc in dotem data fuit Iolentæ filiæ Comitis Roberti, nuptæ Henrico Barrenſi. unde poſtmodum ortus Renatus Andegavenſis, Dux Lotharingiæ, & idem Siciliæ ac Neapoleos Rex. qui donavit hanc Dynaſtiam Cancellario ſuo Rollino. cui longa deinde nec interrupta ſerie poſteri ſucceſſerunt uſque ad præſentem hunc Georgium Rollinum, Dominum etiam ſilvæ Ramienſis, ac eo nomine Magnum Venatorem Hannoniæ. Paret hodie locus Dominæ Annæ Aimeriæ, viduæ fruenti antiphernis Marchionatus Roubaſii.

Notandum inſuper, contineri terræ Hannoniæ finibus Tuinum atque Covinum, opida Leodicenſi Epiſcopatui ſubdita, & propterea ſuo infra loco deſcribenda. Sicuti Vallocuriam quoque, opidum iſthac terra quidem contentum, ſed Namurenſi tamen Comitatui concenſitum, debitæ ſuæ Provinciæ reſervamus.

Scatet paſſim Hannonia multa nobilitate, ac præſtre-

nuos

nuos gignit & acres bellatores, sive equites quisquam desideret, sive pedites. multi se litteris applicant, in iisque non pœnitendos progressus faciunt, alii rursus in agricultura sunt dediti, vel & mercatura. plebs manuarias artes & opificia sedulo ac sollerter colit. elucente in quavis professione ipsorum ingenio, nec obscure se prodente industria. gens civilis admodum ac humana. etsi vulgus tamen majori ex parte invidum nimis, ac pravæ indolis. Sermone utuntur Gallico, verum crasso & rusticano. quem nobilitas tamen expolit indies & concinnat. addiscunt deinde, propter viciniam utriusque gentis, etiam linguam Flandricam.

Divexata fuit hæc regio fere perpetuis bellis. quæ cũ alias, tum vel maxime declinante Romano Imperio eam presserunt. quare & Principes sæpe mutavit, ac nũc Hunnis & Vandalis, nunc Gothis rursus & Danis, nunc denique Gallis Normannisque obtemperavit. donec tandem temporibus paullo minus remotis, Brunonis maxime Colonienſis Archiepiscopi & Pontificiæ sedis legati opera, liberata fuit his tempestatibus, & in optimum locũ redu-cta. Sed nec ista tranquillitas diuturna. quin ex novis nescio quibus prætensionibus nova iterum surrexerunt bella: nec cum Gallis tantũ & Flandris, sed Brabantis quoque & Episcopis Leodicensibus, imo & ipsis Batavis, varie sæpe & periculose certatum est. ita ut Hannonia nostra modo ab isto Principe vi subacta, modo ab illo per deditionem, vel & matrimonium occupata, gravissimas sæpe calamitates experta sit. At impositus tandem, si non bellis, saltim veris justisque prætensionibus, finis, matrimonio inter Ioannẽ Burgundiæ Ducem, eumdemq; Flandriæ Comitem, & Margaretam, Alberti, Ducis Bavariæ, filiam natu majorẽ contracto. qui Albertus, cũ esset Hanoniæ quoq; Hollandiæ, & Zelandiæ Comes, nec nõ Dominus Frisiæ; neq; filium ullum haberet præter Guilielmum: ex Guilielmo vero unica tantũ mansisset Iacoba; atq; hæc etiam, licet quatuor viris conjuncta, sine liberis tandem obisset: succesſit pacifice in has omnes ditiones Philippus Bonus, Ioannis & Margaretæ supradictorũ filius. prout latius fuit à nobis expositum in descriptione Hollandiæ. Gubernat Hannoniã, nomine Regis Catholici, Marchio Renticensis, cujus titulus, Gubernator, Capitaneus generalis, & Magnus Prętor Hannonię. Qua Provincia

satis fuse descripta, progrediemur hinc ad Ducatum Lucemburgensem.

# NAMVRVM COMITATVS.

CONTINETVR hic Comitatus, perexiguis atque angustis finibus, inter Brabantiam, terram Hannoniam, Lucemburgensem, & Episcopatum Leodicensem. estque regiuncula, ut sic dixerim, omnibus donis bonisque abundans. nam quod incolas attinet, ii frequentes, probi, fideles, & ad quasvis res acres atque industrii. Nobilitas armis, litteris, aliisque id genus, dignitatem & ordinem suum decentibus, exercitiis splendet. aër bonus, temperatus, & saluberrimus. territorium variis cum fluminibus, tum & rivulis interluitur, quorum agmen præcipue ducunt Mosa & Sabis, qui ne quid dicam de commoditate illa quam præbent ad quodvis mercium genus tam crebro quocumque visum est transportandum, magnam quoque laudatissimorum varii generis piscium copiam, in locis præsertim ubi inter arenas ipsi, ac viva saxa, proprios sibi & naturales fundos, lasciviunt ac pascuntur, toto fere quam longus est anno, abunde suppeditant. Silvæ hic plurimæ, feris & volatilibus, in fructum pariter ac voluptatem, plenæ, quarum cæteras magnitudine longe præcellit Marlania. Planities tritici aliarumque frugum eximie fertilis. Montes (quibus regio sane abundat) præter utiles illas & amœnas silvas, ac scaturientes undique limpidissimarum aquarum fontes, plurimas habent terri, quasdam & plumbi venas: plurimas item varii generis lapidum, ac solidorum quidem & ad opera ædificiaque aptissimorum, fodinas. Inter lapides autem eminet maxime pullum illud marmor, cujus ingens hic copia. item rufum quoddam albo intermixtum, cui Iaspidi nomen est. tum & tertium genus longe pulcherrimum, coloris inter leucophæum, atque cœruleum, albo interstincti. multa denique alia lapidum genera, tum ad opera cœmentitia, tum ad calcem excoquendam accommoda. Quin à paucis annis retro effodi quoque hic cœpit genus quoddam lapidis carbonarii, in Hannonia jam descripti,

Milliaria Germanica
1
2
3
Camone
Orbais
Nivelle
Petit Reulx
Baſſy
Sombref
S. Paul
S. Troy
Viler
S. Gery
Grenaige
Genblou
Meliori
Tranne
Thuincons
Mele
Fauno
Lemaſni
Ligny
S. Denis
Occidens
Telon
Imeppe
Spy
Plomy
Iume
Fanſen
Lodion
Fontaine
Heppeg
Charnoy
Acies
Han
Montegny
Chaſtelet
Rouke
Floreffab
Vonere
Ceddn
Foſſe
Romen
Thill
Ore
Ferval
Dove
Morer
Stave
NAMUR
Frayers

trio
Linche
Avernas
Villeer
Hedin
Hannuye
Walef
Thourme
Croiavien
Bonimale
Folz
Merdorp
Latin
Eyngen
Ramely
Max
Amsy
Falais
Harleu
Fißfontaine
Vodon
Acoche
S. Victor
Sare
Baſonhalt
Huy
Malroy
Weret
Forai
Verſu
Ville
Silles chaſt.
Monaff
Ponty
Bes
Contize
Heſtard
Aden
Verlu
Erpen
Teff
Noyon
Almage
Iaſele
Lamb
Monęs
Dove
Gaine
Foz
Cro
Monfrin
Mauler
Florce
Fontin
Aleſtin
Revier
Frapen
Avencon
Chimey
Tetſen
Pars
Dorer
Achy
Hour
Lignen
Lutzen-
burgi Duca
Dinant
Mouliupane

ſcripti, ac prolixius porro in Leodicenſi Provincia deſcribendi. Eruitur inſuper copioſiſſime optimum genus nitri, aliarumque munitionum. ita quidem ut tot iſtis bonis atque commoditatibus, & exerceantur varie homines, & mirum in modum diteſcant. quod utrumque tamen potiſſimum uſu venit in ferrifodinis, quas magna ſedulitate atque induſtria, per abſtruſas montium venas ac terræ viſcera perſcrutantes, idemtidem paſſim detegunt. rem ſpectantibus quidem, ſed conſiderantibus magis admirandam! ut quæ magnum pariter & judicium, & experientiam exigat. Neque ſufficit enim eas detexiſſe, niſi & explorare noris, probeque intelligas, utrum talis illa vena, vel ſitu, vel bonitate, vel copia denique & ſiccitate aquoſitateve materiæ, fructuoſa tibi futura ſit, an damnoſa. cum enim & operoſa admodum res ſit, & immenſos pæne requirat ſumtus, neceſſum eſt ut in ea te exercueris, ſiſque judicioſus in primis ac diligens, niſi & te ſimul, & familiam velis perditum. Verum eximia illa tot aquarum & fluminum, totque nemorum ac lignorum opportunitas, purgando, coquendo, & ad perfectionem conducendo, imo in chalybem acuendo, ac de loco porro in locum commovendo tranſportandoque ferro inſerviens, & conatum ſimul & ſumtus ita faciles reddunt, minuuntque ut numquam non & quæratur & inveniatur, numquam non ſedulo induſtrieque laboretur, idque tot & tantis fornacibus, officinis, ac inſtrumentis, præſertim in dicto Marlania, ut verſari tibi videaris in ipſis Vulcani fabricis. Quare merito dixerim, ſilvas illas & montes, horridaſque ac deſertas rupes, ob tam denſas marmorum & alterius generis lapidum venas, non inſigniter tantum terram munire, ſed quod fructus quoque & reditus attinet, vel optimis quibuſque & cultiſſimis agris præferendas. Et reperiunt ſane deteguntque quotidie Namurenſes, magna ſagacitate judicii, ſumtuumque liberali erogatione, multas venas: ſed cum iis abundet ſolum, plures etiam lapſu temporis reperturi ſunt. præter curam enim ac diligentiam ordinariam, & jam omnibus ſatis notam, quæ in aquis præſertim circiter ipſas venas ſcaturientibus, & ſapore ſuo eaſdem prodentibus, ſedulo explorandis conſiſtit: exurgunt ſubinde nova ingenia, naſciturque inexpectata aliqua & extraordinaria, ut ſic dicam, occaſio, quæ & præ-

dam ſimul & fructum oſtendat. prorſus ut in Gallecia narrat Iuſtinus etiam aratro frequenter glebas aureas exſcindi. utque & Diodorus & Poſidonius referunt, in Hiſpania caſu incenſis ſilvis detectas fuiſſe novas auri atque argenti venas. Tractat iſta prolixe vir egregie doctus Georgius Agricola: & ante eum ſolide admodum ac nervoſe graviſſimus ille poëtaphiloſophus Titus Lucretius Carus aureolis hiſce & quantivis pretii verſibus:

*Quod ſupereſt, as atque aurum ferrumque repertum eſt,*
*Et ſimul argenti pondus plumbique poteſtas,*
*Ignis ubi ingentes ſilvas ardore cremarat*
*Montibus in magnis, ſeu cœli fulmine miſſo:*
*Sive quod inter ſe bellum ſilveſtre gerentes*
*Hoſtibus intulerant ignem formidinis ergo:*
*Sive quod inducti terræ bonitate, volebant*
*Pandere agros pingues, & paſcua reddere rura:*
*Sive feras interficere, & diteſcere præda.*

Numerantur ad præſens in ditione ac territorio Namurenſi quatuor opida muris clauſa, Namurum ſcilicet, quæ metropolis, Boviniacum, Carolomontium, Vallocuria. Pagi ſunt centum & octoginta duo. ſunt & multa Cœnobia, amplitudine ſimul atque opibus ſpectabilia. Ordines terræ conſtant ex Antiſtitibus, Nobilibus, Magiſtratibus. Sed pergamus de more ad deſcriptionem ſingularem.

## VRBS NAMVRIENSIS.

ORIGINATIO urbis Namuri multas tenebras habet. etſi probatiores tamen, ſive de proprio cerebro, ſive quod ita traditum legerint, derivari contendant à neſcio quo Deaſtro, in ejus, ubi nunc arx eſt, montis jugo, ſub *Nani* vocabulo coli olim & colere, ac petentibus & auxilii ſimul & conſilii copiam facere ſolito. quia vero poſt Ieſu Chriſti in terras adventum, una cum reliquis omnibus idololatricis, magicis & malignis ſpiritibus, obmutierit, neque quidquam ultra reſponderit, adſerunt illipſi, urbem ad montis illius radices poſitam, ab infante illo ac muto Nano, voce ex Gallicismo ducta, appellatam fuiſſe *Namur*, atque inde porro ab Italis noſtris *Namurra*. Alii velut rupem inexpugnabilem volunt

# NAMEN.


MOSA FLV
1 Le Chateau auec Leglieſe S pier
2 Les Cordeliers
3 S Nicolas
4 S Aulbaien
5 Les Crepiers
6 Nre Dam
7 les blanche Dame
8 S Iean Babtiſt
9 S Ian evangeliſt
10 S Heup
11 port S Nicolas
12 port de ſamſon
13 port entry

volunt fuiſſe à Romanis extructam, ac *Novum-murum* vocatam. unde poſtea factum ſit Namurum.

ADDITAM. [*Mavult maximus Lipſius cum ſcidis vetuſtioribus Namurum ſcribere, quam Namurcum, & originationem ait liquere, dicit enim noſtra lingua quaſi* propinquum murum, Na-muer.]

Poſitum vero eſt opidum inter duos montes ad lævam Moſæ ripam, ac Sabis, ipſum interluentis, in eum fluvium confluentes. Lovanio tantum octo, Leodico vero & Bruxella pari decem leucarum intervallo abjungitur. opidum ſane lautum, venuſtum, concinnum, ac munitiſſima arce conſpicuum. Circum arcem numerantur ſeptem diſtinctæ ſolitudines, ſive clauſuræ ut vocant, & mandræ, totidem viris piis ac religioſis inſeſſæ. In opido ſedem habet Senatus Provincialis, unde Mechliniam porro licet provocare. Primarium ejus templum dedicatum eſt Divo Albino, exornatum haud ita pridem Epiſcopatus faſtigio. qua dignitate fungitur hodie doctus & reverendus Præſul Franciſcus Walloncappellus. Incolæ admodum bellicoſi, & Principibus ſuis addictiſſimi. Sermone utuntur Gallicano. cives valde, & in certis aliquot artibus perinduſtrii, etſi mercatores tamen & artifices numerent perquam paucos. Nobilitas ſatis frequens, & in ea familiæ quædam miram præ ſe ferentes vetuſtatem, & à Principum quidem ſtirpe, ſed illegitimis tamen natalibus bonam partem oriundæ.

Namurum inter & Huyum, ac tertio inde, hinc non niſi ſecundo milliari, ad Moſam flumen, & territorio Namurenſi, Andenna conſpicitur, bonus certe & amplus pagus, ubi ſedes eſt pervetuſti cujuſdam collegii, vulgo Præpoſituram vocant, Canonicarum, inſtituti annis abhinc nongentis & quod excurrit, à Diva Begga, primi Pipini filia, & uxore Anchiſæ, queis à Dagoberto Francorum Rege donatus fuit Ducatus Brabantiæ. Ex eo autem Conjugio orti ſunt cæteri omnes Pipini, Carolique Martellus & Magnus. prout fuſius ſupra, dum Brabantiam deſcriberemus, fuit à nobis expoſitum. Eſtque Collegium iſtud vere nobiliſſimum, ac conveniunt fere ipſius inſtituta cum iis Collegii Nivellenſis, fundati (ut dixi) à Diva Gertrude, Divæ hujus Beggæ ſorore germana, quas equidem credo mutuis ſeſe exemplis

provocaſſe. Alterum porro Canonicarum nobilium Monaſterium Andennenſi adſimile, extat ad Sabim fluvium, juxta pagum quem vulgo vocant *Monſtier*, altero à Namuro milliari. Quæ Collegia, ſicuti bona omnibus præbent exempla, ita multas quotidie eleemoſynas erogant, aliaque officia caritatis & pietatis præſtant.

Viſuntur inſuper inter eamdem hanc Namurum & Dinantum, in monte quem *Polvag* vulgo nuncupant, parietinæ quædam & rudera veteris opidi *Chevre-mont*, hoc eſt *montis Caprarum*, quod deſtructum fuit per inteſtina bella cum Leodicenſibus geſta, nec reſurgere hactenus potuit.

Boviniacum, vulgo *Bovines*, ad ſiniſtram Moſæ fluminis ripam eſt, ac Namuro quatuor leucis abjungitur, opidulum perantiquum, & tectis ſimul ac civibus olim frequens, ſed direptum ſæpe ac devaſtatum per bella, & præſertim anno 1554, cum obſedit magno exercitu Galliarum Rex Henricus ſecundus, & expugnatum peſſimis modis excepit. hodie tamen per pacem reparatur paullatim & frequentatur.

## CAROLOMONTIVM.

CAROLOMONTIVM, admirandum plane opidulum, arcis fere effigiem præfert, propugnaculis ſuis communitæ. Diſtat Mariæburgo quidem trium, Namuro autem ſeptem leucarum ſpatio. ſitum peropportune in monte ad lævam moſæ ripam, circa nobilem locum quem vulgo vocant *Givet*. Nomen habet à Carolo Quinto Imperatore, qui coërcendis ab ea parte Gallis, Mariæburgum tunc tenentibus, extrui juſſit. anno 1555. Gubernat hunc locum Dominus Altopennius, ſæpius nobis laudatus.

## VALLOCVRIA.

VALLOCVRIA, vulgo *Walcourt*, Namuro diſſidet ſeptem leucis, eſtque opidulum lautum, & pulcherrimis undique agris circumdatum.

Dava eſt ſuper Moſam fluvium, qua Boviniacum itur, unico tantum à Namuro milliari, pagus admodum momentoſus, bonaque & valida arce, tum & ampla juriſdictione

ctione ſpectabilis, ſic ut titulum Vicecomitatus inſcribat. Sunt præterea in pagorum catalogo varia loca non amplitudine minus quam amœnitate ſpectanda, qualis eſt amœniſſimus pagus *Floreu*, quarto ab urbe milliari. qualis item *Vaſeja*, tertio: & *Samſonia*, altero tantum ab ea lapide, locus ad Moſam flumen.

Mutavit etiam iſta ditio ſuperioribus ſæculis ſæpenumero ſuos Dominos, unde ob varias variorum in eam prætenſiones varia quoque ſuſtinuit bella. quæ nec citra prolixitatis faſtidium, nec fortaſſis omnino citra fraudem referantur. Mihi ſufficit dicere, Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani fratrem Philippum, tenuiſſe Marchionatum Namurenſem anno jam tum 1200. Factum autem variis caſibus, ut ſub inſecutis Principibus Marchionatus migrarit in Comitatum. ac tandem hæreditario jure, vel ut alii volunt, emtione, venerit in Philippi Boni, Burgundiæ Principis, poteſtatem. atque inde, modo quo cæteræ ditiones hactenus nobis deſcriptæ, Auſtriacis denique ceſſerit. Gubernatur hodie, nomine Regis Catholici, à Florentio Barlæmontio, Barone Hiergeſio.

Deſcriptis hucuſque Inferioris Germaniæ regionibus Philippi Regis imperium agnoſcentibus, convenientiſſimum ſane videatur, ſi & Leodicenſis Epiſcopatus deſcriptionem ſubjunxero. tum quod magna ſit illi cum Provinciis Belgicis ac Dynaſtis earum vicinitas, inviolabilis amicitia, & perpetua quædam confœderatio: tum quod Præſul Leodicenſis, qui hodie rebus præeſt, oriundus ſit ex hocipſo tractu,

*Atque & præſidium & dulce decus meum.*

Aquaſ-grani præterea, nobile atque famoſum opidum, quia Belgicæ noſtræ, quicum illi & alias ſæpe negotium interceſſit, valde conterminum, & quod caput eſt amiciſſimum ſociumque, brevibus deſcripturus ſum.

# LEODICENSIS EPISCOPATVS.

DIOECESIS, seu Ditio Leodicensis, à septemtrione pariter atque occasu terminatur Ducatu Brabantiæ: ab ortu partim Mosam habet, ac Ducatum Limburgensem, partim Provinciam Namurensem: ab austro denique Lucemburgensi Ducatui confinalis est. cœlo fruitur clementissimo temperatissimoque. solum tritici aliarumque frugum, item fructuum tractui concessorum feraciſſimum, nec amœnum minus. adeo ut per totam fere Provinciam, imo & terras conterminas, satis bonum nascatur vinum, etsi magnam partem exile. carnes, pisces, & omne genus ferinæ non præstantes hic tantum, sed & abundantes. plurimæ ferri, nonnullæ & plumbi venæ. neque desunt fodinæ vitrioli sulphurisque, etiam auro, non specie minus quam bonitate laudabili, nonnusquam intercurrentes. Montium item & lautumiarum adfatim; è quibus cum alia speciosissimorum operariorum lapidum genera, tum alabastrites inprimis, nigris maculis interstinctus, ac discolor illud pulchreque variegatum marmor, supra in Namurensi tractu descriptum, copiose effoditur. Occurrunt denique prope innumerabiles venæ, profundissimique meatus subterranei: unde mirandis plane operibus, sumtibusque vel fidem superantibus, maximo sæpe operarum, huc & illuc serpentium, ac sub ipsum adeo Mosæ supernatantis alveum venas illas rimantium, etiam vitæ periculo, eruitur lapis ille niger atque ustibilis, quem in Hannonia quoque & Namurensi tractu reperiri narravimus. Sed videlicet Leodicensem hunc cæteris multo meliorem, adeoque copiosius longe & abundantius hinc educi. ita ut è solo urbis Leodici territorio, leucæ circiter spatium ambitu suo includente, non ipsis dumtaxat civibus, etsi incredibilem pæne copiam ejus absumant, quam largissime de carbonario isto lapide prospiciatur, sed & foras quotannis pretio minimum centenorum millium scutatorum, utcumque vili admodum væneat, evehatur. Vtuntur hi homines isthoc lapide, non secus quam alii Belgæ ustibili

IULIÆ DUCAT. PARS
Duc. Limbu
sis Par
Aken
Waßenberg
Gangelt
Limbourg
Spa
Heinsberg
Valckenborch
Vrapont
Ruremonde
Weset
Maeseyck
Stockhem
Maestricht
Liege
Weert
Asch
Leers
Brey
Tongeren
Oerle
Peer
Helelteren
Haßelt
Herion
Herck
Borchworm
Beringen
S. Truyen
Dieft
Leewe
Landen
Hanuyt
Bra
ban
Sichenen
Tienen
Judoigne
tiæ
Genblou
Leodienſis
Dioeceſis
Pars
Fontaines
SEPTENTRIO
27
26
51

IENS
50
rgen
Ourt
LUTZENBU.
Hoffalize
DUCAT.
Baſtoigne
La Roche
Durbuy
PARS
27
Marche en famine
Rochfort
Boullon
Fontin
Ghavemont
Chimey
Namur
Dinant
Bouines
Charlemont
Pars
Foſſe
Mariebourg
Nam
Toyn
urci
Meyſe flu
MERIDIES
Milliaria Germanica com.
1 2 3 4 5 6
26
50
CIDENS

bili illo ceſpite ſupra nobis deſcripto. lapidem dixi, quia materies ſane lapidi quam ſimillima, etſi levior tamen, & ſecari facilior. color ei nigerrimus, ac vulgo audit *charbon de Liege*, carbo Leodicenſis. ignem mox ut ſentiſcere cœpit, apprehendit, accenſus vero paullatim inardeſcit, ac vehementiſſimum edit æſtum. unde jactare ſolent, & quidem vere, Leodicenſes, tria præcipue, ſingularia ſibi ſuppetere, panem videlicet pane meliorem, ferrum ferro durius, ignemque igne calidiorem. ſed proprietas quædam huic ſaxo, omnium niſi fallor aliorum uſtibilium proprietati contraria, quod ſi aquam injicias, accendatur, reſtinguatur vero, ſi oleum. qui odoris gravitatem non fert, is pauxillulum ſalis, quo & cæteri egent carbones, injiciat: mox purgabitur vitium. quod & maximus vates ita perviam innuit:

*Excoquitur vitium atque exudat inutilis humor.*

Inventum fuit hoc carbonarii lapidis genus in Leodicenſi iſto tractu anno jamtum 1198, idque ut narrant ſcribuntque à peregrino quodam religionis ergo. qui cum fabro cuidam, velut divina virgula, eum monſtraſſet, mox diſparuit. nec de auctore quidquam præterea conſtitit. Gignit item ager Leodicenſis magna copia præſtantiſſimum genus nitri. & ut paucis dicam, regio eſt prorſus felix & admiranda, in tantum ut vulgo dicatur, *le Paradis des Prestres*, Paradiſus Sacerdotum. Ioannes Mandevillius, Eques Britannus, idemque medicinæ doctor clariſſimus, qui inter alias ſuas heroicas actiones, tam varie tamque mirabiliter (ut ex ipſius aliorumque ſcriptis conſtat) per orbem terræ peregrinatus eſt, negat ſe ullam vidiſſe regionem (ſive quod cœli temperiem, ſive fructuum terræ bonitatem attinet, ſive denique ſitum & innumerabiles commoditates gratiaſque ſumma cum libertate conjunctas) quæ præ Leodicenſi hac ipſi arriſerit. quare poſt varios caſus laboreſque pæne inæſtimabiles, Leodicum ſeſe, tamquam in tutiſſimum portum recepit, ibique reliquum vitæ exegit. mortuus tandem anno 1372, & quam honorificentiſſime tumulatus in Cœnobio Guilielmitarum, extra portam Aureujam. ubi & hodie tumulus ejus viſitur ſcitiſſimis epitaphiis exornatus, una cum aliis aliquot viri monumentis, quæ ceu ſacras quaſdam reliquias viatoribus monachi illi oſtendunt.

Habet Episcopatus iste ditioni suæ subjectas complures urbes, arces, pagos, & municipia, tum supremas etiam quasdam dignitates. præter enim antiquam Episcopalem cathedram, & Ducatum Bullionensem, inscribit & Marchionatum Francimontanum, necnon Comitatus Lootzensem & Hasbanien sem. multas insuper numerans Baronias, duasque & quinquaginta primarii nominis, ac ditissimas Abbatias. Continentur autem hac ditione, præter semissem urbis Trajecti ad Mosam, cujus supra meminimus, viginti & quatuor opida muris clausa: Leodicum nempe, quæ totius terræ metropolis, Bullonium, Francimons, Lootzia, Borcwormia, Tungri, Huyum, Hasseletum, Dinantum, Masacum, Stochemum, Bilsa, Trudonopolis, Tuinum, Visetum, Varemum, Beringa, Herca, Bréa, Pera, Hamontum, Sineja, Fossa, & Covinum. Pagos adserunt esse supra mille ducentos. in quibus Baroniæ complures & toparchiæ. Sed describamus hinc nostro more, initio facto ab ipso capite, singula corporis hujus membra.

## VRBS LEODICVM.

LEODICVM, sive Leodium, quæ & Legia dicitur, eo tractu est posita, quem in Commentariis narrat Cæsar habitatum fuisse ab Eburonibus: qui Duce atque auctore Ambiorige, ex insidiis ceciderunt Cottam Sabinumque, Imperatoris ejus legatos una cum legione & cohortibus quinque Romanorum. Hubertus Thomas, hujus terræ historiographus, vir eximie doctus, & ob raras virtutes inter intimos Secretarios Friderico Comiti Palatino, Sacri Imperii Septemviro Electori, Legiæ quidem nomen derivat ab occisa Romanorum militum legione: sed conditorem ei adsignat Ambiorigem supradictum: quem ob ingratam perfidiam ad necem usque persecutus est idem Cæsar. Alii nomen sumsisse volunt ab amne Legia, qui ad Ansium pagum natus, tertia inde leuca urbem illabitur, ac Mosæ inibi se commiscet. Richardus Vassemburgius & cum eo Ioannes Placentius in historiis suis narrant, Divum Hubertum Aquitanum, primum Opidi Præsulem, primum etiam ejus conditorem revera fuisse, cum antea nihil esset quam pagus, conditoque imposuisse vocabulum Legiæ. Alii rursus

non

non conditorem eum, ſed inſtauratorem fuiſſe contendunt: urbi autem antiquam & inde à Græcis originem tribuunt. Vtut ſit, & ex poſitu admodum opportuno, & murorum quorumdam ſemirutorum parietinis, aliiſque id genus venerabilibus monumentis intus foriſque extantibus, vetuſtiſſimam urbem eſſe colligitur. Vtitur ea in gravioribus ac majoris momenti rebus pervetuſto ſigillo, cum tali elogio: *Legia Romana Eccleſiæ unica filia.* unde varia porro deducunt argumenta ad dignitatem ſimul & antiquitatem urbis demonſtrandam. Sita eſt prorſus mirifice inter colles & montes in amœniſſima valle ad Moſam flumen, quod duplici cornu eam ſcindit, pluſculas creans inſulas habitatas, ſub grad. longitudinis quidem 28, latitudinis vero 50 & minut. 51. Præter Moſam & Legiam ſupradictos, interluitur etiam aliis tribus rivulis, Vta, Veſa & Ambluaria, qui orti in Arduenna ſilva, Moſam hic influunt, & præſtabiles præbent piſces. nominatim vero is Vta, qui cum varia gignat eorum genera, tum præſertim ſuaves ac delicatos Vtinenſes. ne quid dicam de optimis troctis, & tot aliis piſcibus, ſupra dum Moſam deſcriberemus, prolixius explicatis. Manant inſuper tota urbe & aliæ quædam non limpidæ minus, quam juges aquæ; unde pulchri porro & frigidi paſſim fontes, tanta copia, ut ne domibus quidem deſint, imo binos eos ternoſque nonnullæ numerent. rem non utilem minus, quam præclaram! Opidum capax valde & amplum, ſic ut arduos quoſdam montes, compluſculas valles, varios aquæ perennis rivos, & pulcherrimas aliquot vineas complectatur. unde Philippus Cominæus amplitudine urbem Rhotomago parem facit, etſi multo tamen revera ſit major. Plurima continet ædificia miræ pulchritudinis, idque è vivo ſaxo: præſertim vero palatium Præſulis, ea magnificentia ſplendoreque ſtructum, ut ſi operi ſumma manus accederet, merito numerandum ſit inter orbis prima. cœpit à fundamentis magnanimus Erardus à Marca, S. R. E. Cardinalis. civium item domus pulchræ & commodæ. Sed quod cultum Divinum attinet, non eſt ulla per Galliam univerſam, perque Inferiorem ſimul & Superiorem Germaniam urbs, quæ ſi ædium quidem ſacrarum cœnobiorumque & id genus locorum copiam, ſive majeſtatem etiam & ſplendorem, ſive opulentiam denique reſpicis,

cum

cum Leodico comparanda ſit. Habet enim hæc noſtra octo luculentiſſima Canonicorum Collegia, &, in iis ampliſſimum illud Divi Lamberti, civium tutelaris. quod (ut mox dicturus ſum) inſtitutum fuit à Divo Huberto, approbante Pontifice Maximo, ac tam amplo dotatum cenſu, tantaque ac tali auctoritate inſtructum, ut ſecundum Epiſcopum, in adminiſtrando Epiſcopatu plurimum poſſit. non admittitur vero hic ullus Canonicus, niſi vel ſtirpe nobilis, vel doctoris ut minimum, licentiative (ut vocant) titulo commendetur. admiſſi, niſi & ſacris initiati ſint, quandocumque placuerit, ab inſtituto reſilire, & uxoribus copulari poſſunt. Viſuntur in veneranda iſtac æde complures reliquiæ ſacræ, miro auri atque gemmarum ornatu collucentes. Inter alia vero equeſtris ſtatua Divi Georgii, juſtæ magnitudinis ex auro puro: quam Carolus Audax, Dux Burgundiæ, in pœnitentiæ ſignum, ac ceu multam ſibimet ipſi impoſitam, quod expugnatam (ut infra dicemus) urbem crudeliter nimis atque immaniter tractaviſſet, templo quondam donavit. Habet inde quatuor longe ampliſſimas Abbatias virorum, quarum in ſuburbanis quidem & extra portam, vel primaria illa Divi Laurentii: intra pomœrium vero ea Divi Iacobi. ambæ Ordinis Divi Benedicti: ambæ pulchris copioſiſque Bibliothecis inſtructæ. Habet tres Abbatias fœminarum. Item quatuor Ordines mendicantium: quorum ſunt qui duplex habent cœnobium, puta Sodales Divi Franciſci, alterum Obſervantium, alterum vero Conventualium. Habet triginta & duas parochias. inter quas potiſſimum eminent eæ Beatæ Virginis, Divi Ioannis Baptiſtæ, & Sancti Servatii. Habet denique alia multa templa, & monaſteria, xenodochiaque optime inſtituta, ac laute ſatis dotata. ſic ut intus foriſque centum & amplius numerentur templorum moles. unde ſuo jam-tum (quod eo magis conſiderandum eſt) ævo, dixit alibi, nec immerito, noſter Petrarcha: *Vidi Leodium, inſignem clero locum.* Habet item Leodicum triginta & duo artificum Collegia, quorum ingens in univerſa republica eſt auctoritas: ita ut nullum promulgari poſſit edictum, nullum publice capi conſilium, niſi accedat eorum conſenſus. ac præcipuum quidem eſt illud vaſculariorum: antiquiſſimum vero ferrariorum. Vrbs eſt admodum frequens. ci-

ve

ves ejus ingenioſi, ſagaces, & ad quidvis audendum promti. verum peſſima & inveterata quadam conſuetudine, ad ignaviam, ac mutua inter ſe diſſidia, quam laborem & amicitiam proniores. audaces tamen, robuſti, ac militiam palam ſemper profitentes. Nec in litteris umquam caruere viris Illuſtribus. quales non ita pridem Notgerus, Franciſcus, & Stephanus, omnes patriæ Præſules: item Adelmannus, Egbertus, Lambertus, Antiſtites vere docti & reverendi, ac multorum librorum ſcriptores. Hodie florent Henricus Benius, Conſiliarius, vir infigniter doctus, & facundus in primis Orator. Balduinus Vaus, Iuriſconſultus clariſſimus. Gilbertus Limburgius, magnus Medicus, qui cum laude Epiſcopis aliquot ſuperioribus inſervivit. Sermo iſtorum communiter Gallicus: ſed quia Galliam inter atque Germaniam & hanc Belgicam noſtram poſiti, corruptus valde & perabſurdus: at quem poliant in dies ac emendent. ita ut ſtirpe nobiles, quique in aliquo ordine, pure ſatis & expedite loquantur.

Eſt Leodicum quidem urbs Imperialis, ſed in quam tamen nihil juris habeat Imperator, niſi quod bellum cum Turcis geſturo ſuppeditare debeat pauculos aliquot milites, ſeu pecuniam potius in eorum ſtipendia erogandam. At in civili ſimul & eccleſiaſtica re ſupremo Epiſcopi ſui imperio ſubeſt: iis interim privilegiis atque immunitatibus gaudens, ut ceu libera quædam reſpublica, à Conſulibus ſuis, Senatoribus, aliiſque Magiſtratibus Opidanis, populariter gubernetur. & in Eccleſiaſticis quidem primo Coloniam, inde Romam: in civilibus vero, modo ne certam pecuniæ ſummam lis excedat, Spiram, & Imperialem inibi Cameram provocat. Fuit olim, quam noſtro hoc ævo, florentior; ut in qua uſqueadeo honeſtæ omnes litteræ diſciplinæque viguerint, ut (auctore quem dixi Huberto Thoma) domicilium hic uno eodemque tempore haberent, ac Muſarum ſacris operarentur novem filii Regum; viginti quatuor, Ducum; viginti novem, Cumitum: Dynaſtarum vero & Procerum, longe plures. qui tantorum Principum filii, ſi non omnes, quod multi tamen adfirmant, at ſaltim bona ex parte, Canonici erant (vide quæſo in quanto tunc pretio res eccleſiaſticæ!) auguſtiſſimi ejus Collegii, Divo Lamberto ſacri. Sed devaſtarunt exinde Dani, Norman-

Normanni, & recentiore memoria, anno ſcilicet 1468, Carolus Dux Burgundiæ. qui indigne admodum ferens, quod Epiſcopos ſuos peſſime ſemper Leodicenſes tractarent, aliaque parum ex æquo & bono molirentur, graviter iis infenſus, urbem prius obſeſſam cepit, captam vero, ſolis templis exceptis, totam crudeliter diruit, atque ſolo æquavit. At cum tempore tamen & per longam pacem, non inſtaurata dumtaxat, ſed & ampliata eſt, inque meliorem, quam aliquot antea ſæculis fuerat, ſtatum & faciem reſtituta. Viſitur etiamnunc, in memoriam tam horrendæ cladis, tabula quædam lapidea, extra portam Divi Martini, verſus meridiem, in prælta turri. quam Mouchonenſem vocant, appenſa. ubi & Gallicis rhythmis memoratur, quomodo reparata fuerit civitas à tredecim ſuis Fermentariis (ita enim eſt titulus) quorum caput tunc & Decanus Hinsberlaus Samrollius.

Omiſſo deinde Trajecto ad Moſam, cujus, ut pro ſemiſſe Brabantiæ Ducem Dynaſtam agnoſcentis fuſior ſupra facta eſt mentio, tranſituri ſumus ad alia diœceſeos hujus loca. ac primo quidem.

Bullonium, arcem valide ſatis munitam, Ivoſio quatuor, Leodico ſedecim leucis abjunctam, editoque monti impoſitam: ad cujus radices hodie quidem ampliſſimus pagus eſt, ex opido olim haud contemnendo natus. Ipſa arx cincta eſt muro egregie firmo, & vel magni intus ad tutelam præſidii capax: ita ut ſitu pariter atque operibus judicaretur olim inexpugnabilis. ſed cum ventum nuper fuiſſet ad rem, non reſpondit profecto eventus famæ (quæ in aliis etiam arcibus ſæpe mendax) nam à variis hoſtibus, intra breviſſimum temporis ſpatium, non unius auſpiciis oppugnata, quater adeo oppugnantibus ceſſit, ac poſtremo quidem ſub annum 1552, cum pænuria intus preſſam, neque foris auxilii compotem, deditione ceperunt Galli. Retinet hodieque Bullonium dignitatem Ducatus, à veteri opido ſuo acceptam, & in adſitos aliquot pagos imperium poſſidet. Ab hacipſa ditione, veluti avito patrimonio, cognomentum acceperat celeberrimus ille Princeps Godefridus Bullonius, qui cum Euſtathio Balduinoque fratribus inter primos ſe obtulit ad bellum & expeditionem ſacram, concilio Claromontano anni 1096. Admiſſus, quo eſſet ad tantum iter inſtructior, Ducatum hunc pretio vendidit Leodi-

cenſium

censium Præsuli Audeberto, majori profecto venditoris, quam emtoris ipsius gloria. In bello autem & ipse & fratres plurima edidere, ac præclara quidem virtutis suæ specimina. sic ut Hierosolyma anno 1099 capta, ipse omnium primus muros victor conscenderit, insequente mox fratre Eustathio. propter quæ tam eximia utriusque merita, exercitus Godefridum acclamat Regem, & corona sceptroque insigniendum censet. sed renitentem, nec ab animo umquam impetraturum se adfirmantem, ut auro coronari in ea urbe sustineat, (ô hominem & verba aurea!) in qua Dominus & Salvator noster redimitus fuisset corona è spinis contexta. regnum ergo, sed sine titulo Regis, adiit: & sic intra annum extincto suffectus est Balduinus frater. qui, quod coronatus fuerit, numeratur omnium Regum Hierosolymitanorum primus. Videtur quidem ad præsens hic Ducatus in ditione Ecclesiæ Leodicensis: at obtendit hic rationes quasdam & jura Dominus Sedanensis, tamquam hæres clarissimæ domus Marchiæ; sic ut Ducem Bullonii se inscribat. Ipsa ditio tamen, vi pacis anno 1559, inter Christianissimum & Catholicum Reges initæ, restituta est Leodicensium Præsuli: verum id citra jurium Domini junioris Sedanensis, patri anno 1556 surrogati, præjudicium.

Francimons, alias muris clausum, nec incelebre fuit opidum: hodie vero murorum expers, pagi dumtaxat, etsi ampli satis ac vasti, vocabulum sustinet. arcem tamen satis munitam habet, & à magno Erardo Cardinale nuper instauratam. Dissidet à metropoli sua quatuor leucis, & Marchionatus titulum sibi vindicat, jurisdictionem in pagos aliquot circumjectos obtinens.

Iuxta opidum pagus est, cui nomen *Thon*, variis optimi plumbi venis affluens. Montes pago vicini lautumiis abundant nigri ac pulcherrimi marmoris, Namurensi supra nobis descripto congeneris.

Lootsia, vulgo *Lootz*, Trudonopoli sesquileuca, Leodico quatuor leucis abjungitur, opidulum tolerabile, & insigni in pagos agrosque jurisdictione conspicuum, adeo ut & Comitatus titulo celebretur, quam dignitatem comperior esse huic Statui antiquissimam, atque inde à Carolo Magno, etsi à veteri quodam suo Dynasta audierit aliquando Comitatus Dioestiensis. Habuit eo titulo perillustres aliquot & famosos Principes: cessitque tandem,

dem, Imperatoris illius donatione, Rogerio Dano, uni è Paribus Franciæ, quos Itali *Palatinos* dicimus, Pulcio, Bojardoque & Arioſto in poëmatibus ſuis admodum celebratos. Poſtea vero reſumſit genuinum ſuum ac præſens nomen, & in Præſulum Leodicenſium poteſtatem devenit.

Borcwormia adſidet rivo Ieckeræ, qui non longe à loco natus, eum interluit, inde vero per Tungros Trajectum defluens, in Moſam inibi ſe exonerat. Diſtat autem Borcwormia ab metropoli ſua quatuor leucis, eſtque tectis ac civibus ſatis frequens, & Comitatus Haſbaniæ caput.

Deſcribemus hinc curſu eodem quo cœpimus, quam breviſſime fieri poterit, cætera hujus diœceſis opida: nec obſervabimus tamen uſquequaque methodum illam quam ſecuti ſumus in aliarum Provinciarum deſcriptione: quia ſcilicet opida nimis hic diſgregata. quare præcipua primum & digniora quæque percurremus, mox ad ea minorum gentium, atque inde porro ad alia quædam loca memoratu digna tranſituri.

Opidum Tungri poſitum eſt ad jamdictum Ieckeram, & Leodico Trajectoque pari trium leucarum intervallo abjunctum. Nomen habet, (ut ſcribit Munſterus: nam alii longe vetuſtiorem ei originem tribuunt) à Tungris, Germaniæ populis, qui Rheno inter primos trajecto, ac bona inibi terræ parte occupata, opidum hoc ſtruxerunt. Atque ab hiſce populis, ſunt qui tradant, diu ante Iulii Cæſaris in has oras adventum, natum inclytum illud nomen *Germanus*, Teutonibus *totum, ſeu prorſus & omnibus* (ut ſic dicam) *numeris virum* denotans. Alemanni etenim cæteri, viſa inſigni iſtorum hominum fortitudine, nobilitandos eos duxerunt hoc nomine; quod deinde, tamquam vicini, etiam ipſi participarunt, ac Germani communiter dicti ſunt. Erant autem id temporis Tungri civitas maxima, & complurium in Brabantia ac finitimis locis, vel conditarum ab hiſdem populis, vel ſubactarum, caput. Ab hac gente originem ducunt Principes illi Pipini, unde natus poſtea inclytus ille Carolus Magnus. Legitur iſta civitas, omnium univerſæ Galliæ ac Germaniæ prima, Chriſtianam fidem amplexa, idque opera maxime & concionibus Divi Materni, anno jam-tum 101. Is Beatus Maternus, Ticini in Langobardia natus,

primum

primum egit hujus Eccleſiæ Præſulem, mortuus, uti tradit Ioannes Placentius, anno 138. Vltimus, qui & nonus, Tungrorum Epiſcopus, Valentinus fuit, mortuus anno 308. Ex quo tempore Divus Servatius ſedem Epiſcopalem Trajectum ad Moſam tranſtulit. unde, ut mox dicemus, anno 713, ab Divo Huberto Leodicum porro tranſlata eſt. Deſolavit hanc nobilem urbem, cæſis ad internecionem civibus, dirutiſque inter alia plus centum primariis templis, unde & amplitudinem ſimul & magnificentiam urbis facile colligas, crudeliſſimus ille Hunnorum Rex Attila. Deſtruxerunt iterum, Imperatore & Galliæ Rege Carolo Calvo, Normanni. Ita ut ex maxima potentiſſimaque civitate, quæ & varios olim habuit Reges, Menapium, Godefridum, Carolum, Inachum, Ambiorigem, & nobiliſſimorum ferociſſimorumque populorum domina fuit, in modicum infirmumque opidulum (ea eſt felicitatis & rerum humanarum inconſtantia) tandem migraverit, ac presbyteris hodie pareat. nec de veteri illo ſplendore aliud hodie reliquum habeat, quam veſtigia quædam & rudera intus foriſque viſenda. inter alia vero admirandam illam viam, quæ à Tungris recto itinere, per octoginta circiter leucas, id eſt Italica milliaria pæne ducenta, Lutetiam uſque porrigitur. quam viam ingentes quædam toto paſſim itinere viatoribus occurrentes reliquiæ, totam olim lapidibus ſtratam fuiſſe palam oſtendunt. amplius, extant paſſim veſtigia continuati olim & cohærentis muri, qui & viam utrimque muniverit, & quo marginata ipſa, pulvilli, ſeu aggeris ſpeciem obtinuerit. quod tam arduum opus poſteritas admirata, tridui atque trinoctii ſpatio à malis geniis excitatum confinxit. Gallice audit *la Chauſſée*, quod noſtratibus ſonat *Strada laſtricata*: ac Romanum omnino videtur & priſcum opus, quod moliti ſint ipſi, ut populos illos haberent occupatos, ne videlicet nihil agendo male tandem agere diſcerent. Viſitur etiam Tungris extremæ antiquitatis templum, perexiguum illud, & Herculi olim, ut ex Dei ejus effigie portæ impoſita liquet, à gentilibus dedicatum. Item templum pulcherrimum, nec novitii operis, Divæ Virgini ſacrum. in quo plurimæ oſtenduntur venerabiles Virginis-matris, ac diſcipulorum Salvatoris noſtri reliquiæ, auro & gemmis incluſæ.

Celebra-

Celebratur hoc opido jam ab aliquot annis retro ſingulis ſeptimanis perinſignis quidam equorum mercatus, quod jumenti genus è Germania Belgicaque abunde huc ſolent conducere. Hubertus Thomas, cujus ego, ut hominis eruditi, honorificam alibi facio mentionem, Tungrorum muros vetuſtiſſimis temporibus Oceani fluctibus verberatos fuiſſe contendit, idque conjecturis quibuſdam & argumentis, nulla omnino veritate, imo ne ſpecie quidem veri nixis. ſic ut prodat (quod bona hominis gratia dixerim) parum ſe attendiſſe opidi ſitum, & quam illud à mari abjunctum, imo quam non potuerit umquam iſtud, citra reliqui tractus totius inundationem, eo pertingere. Nam à ſeptemtrione quidem, ſi attendatur, Geldria, ditio Tranſiſulana, Friſia, tot fluminibus aliiſque obſtaculis præpeditæ, tranſitum ei omnino præbere nequeunt: à meridie, Gallia ſimul & Germania, terræ ex ea quidem parte ab Oceano remotiſſimæ, idem negant. ab occaſu, ſemiſſis Brabantiæ, tota Hannonia, item Flandria, multis fluminibus montibuſque ſe opponunt. Reſtat igitur videamus, an ad Caurum fortaſſe, qua Oceanus Tungris eſt proximus, locum habeat hæc aſſertio. ſed ab hac parte, qui exactius calculabitur, centum & amplius milliarium ſpatium inter mare Tungroſque intercedere deprehendet. quare priuſquam iſtos illud queat alluere, neceſſum ſit totam Brabantiam, totamque adeo Flandriam, & Zelandicas omnes Inſulas inundari. rem, vel primo intuitu, geographorum tabulas conſulenti, vanitatis atque mendacii convincendam: ideoque indignam ſane, quam viri docti, & præſertim ex ipſo loco oriundi, memoriæ prodant. imo eo indigniorem, quo plures ipſi auctoritate ſua incogitantes & parum cautos ſcriptores in fraudem inducunt, maximo & lectorum, & ſcriptorum etiam, fide propterea ſæpius excidentium, detrimento. In hoc opido ſunt qui extare velint nobiliſſimum fontem, quem libro hiſtoriæ naturalis trigeſimo primo hic verbis deſcribit Plinius, *Tungri, Civitas Galliæ, fontem habet inſignem, plurimis bullis ſtillantem, ferruginei ſaporis: quod ipſum non niſi in fine potus intelligitur. purgat hic corpora. tertianas febres diſcutit, calculorumque vitia. eadem aqua, igne admoto, turbida fit, ad poſtremum rubeſcit.* Monſtrant autem homines iſto loco fontem quemdam antiquum, cujus aqua ſubturbida, eumdemque

demque cum Plinii esse, ac vires ei descriptas obtinere, pertinaciter adserunt. Verum nos, prævia diligenti inquisitione, consultisque eximiis aliquot non indigenis tantum, sed & exteris medicis; neque fontem Huberto Thomæ nominatum hoc loco extare, neque vires illas & facultates habere, usquam invenimus. Contra solidis argumentis colligimus, fontem Plinio celebratum, Tungris octo circiter leucis, Leodico quinque, Limburgo duabus & semi, Spada denique, pago vel hinc satis nobili, medio tantum milliari abesse, manantem in pulchro nemore, silvæ Arduennensis ramo. ubi porro, & quidem hac Leodicensi ditione, ac territorio Marchionatus Francimontani, etiam alii aliquot limpidissimarum, & ad varios morbos expugnandos utilissimarum aquarum fontes. quorum æstimatissimus tamen, atque certissimus, addo & usitatissimus, is quem Savenerium vocant, manantem in alto monte. cujus aquæ, (siquis ex Medicorum præscripto ac legibus præparatus accesserit, nam alioqui nihil prosunt) medentur præcipue febribus tertianis, aquæ intercuti, calculo, phtisi & obstructionibus. quia vero & stomachum purgant, & epar egregie refrigerant, fit ut ischiadi etiam aliisque arthritidis è calore exortis generibus, plurimum adferant juvamenti. sapor earum ferrugineus, quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur. eædem igne admoto fiunt turbidæ, ad postremum vero jam defecatæ rubescunt. quæ omnia, nisi me animus fallit, inde procedunt, quod cum tractus iste scateat venis ferri, aqua eas perlabens etiam qualitatis earum particeps fiat. atque hinc acidus in aquis sapor. qui tamen in tantum abest ut noceat, ut sive jejunus eas, sive post sumtum cibum potaveris, non eos tantum quos dixi effectus gignant, sed & digestioni multum conducant, & stomachum tibi insigniter acuant. unde & ingens quotannis sub Iulium mensem, puta maxime tempestivum, & propinquarum simul & remotarum gentium ad hos fontes concursus. quanto vero intensior Solis æstus, tanto salubrior judicatur aquæ istius potatio. aquæ, quam Plinianæ & loco & facultate conformem, imo prorsus eandem esse, nemo est qui non videat, licet ille non omnes ejus proprietates attingat. Nam quod quidam objiciunt de civitate Tungrorum, scilicet eam vocem non pro sola urbe, sed universo illarum gentium tractu, capiendam

piendam. Quidam ſcriptor, dum ut mihi quidem videtur, ſententiam noſtram conatur refellere, negat inter cætera Plinium umquam in his oris fuiſſe, ac niti in iſtis adſerit aliena fide. Sed quod pace ipſius dixerim, ipſemet fallitur. luſtravit enim hæc loca magnus ille naturæ Myſtes, & in ipſam uſque Friſiam penetravit, ut è ſcriptis ejus abunde conſtat. Idem ille quem dixi ſcriptor Huberto etiam Thomæ adſtipulatur, & Tungros ait fuiſſe urbem maritimam. quod fieri tamen non poſſe ex argumentis paullo ante adductis vel cæco apparet. De civitate & gente Tungrorum honorificam ſæpe mentionem faciunt, præter recentiores, Cornelius Tacitus, Strabo, Iulius Capitolinus. & ſuperſunt in hunc uſque diem tota paſſim hac Belgica plurima nominis atque magnitudinis nobiliſſimæ hujus nationis monumenta: qualia Tongrenhemium, juxta Coloniam Agrippinam. Tongerloa apud Brabantos, & Tongrinum in Comitatu Namurenſi.

Huyum antiquis temporibus opidum erat famoſum, amplum & potens, dicebaturque ex quorumdam ſententia *Benefactum*. ſed crebro deinde à barbaris nationibus dirutum, & dignitatem ſimul, & nomen amiſit. Hodie, Huyum dicitur, à cognomine rivulo, qui natus ad Havelangam pagum, magno & turbido impetu, maxime vero cum imbribus adaugetur, ad Caurum properat, ac Moſæ hocipſo loco commiſcetur. qui Moſa opidum Huyum interluit, ac in duas fere æquales partes ſcindit, ſed conjunctum pulcherrimo & mirando ponte. Diſſidet Huyum Leodico quinto milliari, ac mediocris ſane locus eſt, bona & valida arce communitus, quæ urbem ex edito monte deſpicit, opus dicti illius Epiſcopi Cardinalis. Ager opido circumjectus dives eſt optimi ferri venis, ideoque complures hic officinæ ferrariæ. pecoris item ſat magna vis.

Haſſeletum adſidet flumini Demeræ ſupra fuſe deſcripto, & Trajecto ad Moſam quatuor, Leodico vero ſex leucarum intervallo abjungitur, opidum minime contemnendum, ædificiis ſimul & civibus frequens. Civem dedit Franciſcum Titelmannum, Ordinis D. Franciſci virum longe doctiſſimum, & complurium operum editorem. In finibus Haſſeleti & ad Demeram flumen, Curinga eſt, amplus atque amœnus admodum pagus, ſpectabilis

ſpectabilis luculento illo palatio, quod ædificari hic juſſit, & pulcherrimis hortis inſtruxit idem ille quem dixi Cardinalis. Hoc loco, ceu amœniſſimo quodam ſeceſſu, utuntur creberrime Reverendiſſimi iſti Præſules, & cum aula in eo ſubſiſtunt.

Dinantum, ut volunt, dictum eſt, leviter immutata voce, à Diana, quæ & templum hic habuit, & ſacerdotes. qui ad aram ejus, haud ſecus quam in celeberrima illa apud Epheſum æde, ſacrificaverint. Adſidet dextræ Moſæ fluminis ripæ, & Boviniaco, quod ad alteram ripam eſt, leucæ tantum quadrante, Leodico, plus duodecim leucis abjungitur. Fuit vero & iſtud opidum magni nominis, ac mercimoniis olim floruit. ſed cum bella, tum aliirerum humanarum caſus ſæpius deſtruxerunt. Inter alios vero dirui juſſit Carolus Dux Burgundiæ. & cum iterum ſurrexiſſet, ac mediocri eſſet loco, cinxit magno exercitu Galliæ Rex Henricus ſecundus. qui Mariæburgo victor rediens, mox in deditionem accepit, ſed Germani militis inſolentia factum, ut injuſtiſſime diriperetur. arx, utcumque machinis concuſſa, primos tamen incurſus animoſe ſuſtinuit: ſed cum iterum iterumque horribili tormentorum ſtrepitu tunderetur, obſeſſi, auctoribus Germanis, dediderunt ſe Gallo. qui & arcem mox demolitus eſt, alto monti impoſitam. Atqui & opidū hodie inſtauratur, & reſurgit paullatim ipſa arx. quia ſcilicet ager opido circumjectus, probus, & compluribus nigri marmoris, ferri, æris, ac aliorum etiam lapidum operariorum venis, longe uberrimus unde & divites multi cives, quique paſſim in ipſa uſque Britannia negotientur. Dinanti natus fuit Henricus Deverus, Iuriſconſultus doctus, & ſcriptis clarus.

Maſacum, Stochemio quidem duabus, Leodico vero ſeptem leucis abjungitur, opidulum non incelebre, ad lævam Moſæ ripam. Primo hinc milliari Thora eſt, amœniſſimus locus, & magna eminentique pervetuſti & inſtituti & conditus Abbatia memorandus. nec admittuntur enim in nobiliſſimum iſtud Canonicarum collegium niſi Comitiſſæ, ut vocant, & Baroniſſæ, vel ut minimum Equitum nobili ſtirpe prognatorum filiæ. ſicut alibi ſcripſimus de Canonicis illis Montenſibus. Licet vero & iſtis, ubi viſum eſt, nubere. ſed non gaudet hac facultate Antiſtita, quæ ſupremam in agros & pagos aliquot circumjectos,

cumjectos, non in ecclesiasticis tantum, sed & civilibus caussis, jurisdictionem exercet, lautissimo censu instructa. agit in clientela Sacri Romani Imperii, ea & auctoritate & præeminentia, ut gaudeat monetæ ex auro argentoque signandæ facultate ita quidem ut splendide prorsus & magnifice vivat, Sacellanos atque Canonicos, item alios minorum gentium administros, ad cultum Divinum alat. Condidit nobilem Abbatiam Anfridus Comes Hugiensis, anno circiter 972.

Stochemium, bonum sic satis opidulum, ad eamdem est Mosæ ripam, Trajecto dumtaxat tribus, Leodico, septem leucis abjunctum, & ab eo quem diximus Cardinali reparatum.

Bilsa, modicum item est opidum, altero à Trajecto, quarto à Leodico milliari. Iuxta Bilsam ad teli jactum, & altera fere à Trajecto leuca perinsignis ad Demeram flumen pagus est, Sedi Leodicensi subditus, & amplissima Abbatia, Münster-Bilsen vulgo appellant, conspicuus. Eam itidem colunt Canonicæ nobili stirpe prognatæ, quæ & ipsæ, cum visum est nubunt, quarumque Antistita & amplissima jurisdictione, & luculentissimis annuis censibus gaudet. Ipse locus & amplus est, & magnificus, templo ac monasterio ad miraculum pulchro, aliisque horsum spectantibus ædificiis exornatus. Ostendunt hic integrum cornu monocerotis, sex & amplius pedes longum. quod allatum adfirmant à filia quadam nescio cujus Ducis Britanniæ. quæ religiosam vitam professa, sanctissime apud istas vixerit, ita ut ipsum Cœnobium, in memoriam ejus nominis, dedicatum sit Sancto Amori.

Dum alteri operis hujus editioni imponerem summam manum, designabant hoc loco, & jam delineabant novum quemdam, etsi à multis annis excogitatum aquæductum, per quem Demera fluvius, duorum vel circiter milliarium spatio, juxta urbem Trajectum, ubi solum depressius, & recipiendis aquis accommodatius, duceretur in Mosam flumen. nobilem sane ac laudandam inventionem! nam per huncipsum canalem conduci poterunt naves ex Mosa in Demeram, atque hinc porro in Diliam, Rupelam, Scaldim, adeoque in ipsum mare, idque per opida multa & pagos, aliaque primaria tractus loca, in geographicis tabulis annotata, magno hercules horum

horum & vicinorum hominum bono, qui non ultra cogentur tot & tantas è Gallia ac Leodicensi Provincia merces, tam longinquo itinere, tamque immenso sumtu, & temporis impendio, ne quid jam de periculis, deque tædio per viam devorando attingam, per Hollandiam Geldriamque conducere.

Trudonopolis, vulgo Sint Trupen/ sedes olim, ut volunt, Centronum, populorum veteris Galliæ, quorum largiter meminit Iulius Cæsar, Tungris tertio tantum, Leodico vero sexto milliari abjungitur, opidum bonum ac pulchrum, cujus incolæ lingua utuntur Brabantina, quæ & quatuor ultra versus Leodicum leucis in frequenti est usu. quare, etsi pareant Sédi Leodicensi, Brabanti tamen haberi atque agnosci volunt. Est hic nobile illud Cœnobium D. Trudonis, opido à se faciens nomen, adeo potens & locuples, ut ipsum opidum Abbas è semisse possideat, cumque legendi sunt Magistratus, parem cum ipso Episcopo numerum eligat. Dedit locus clarissimum illum Rodolphum, Antistitem Trudonensem, virum à litteris notum. Iuxta est celeberrimum illud Bernsemium, Cœnobium Illustrissimi Ordinis Equitum Teutonicorum.

Tuinum, non incelebre in Hannonia opidum, Montibus tantum quinque, Leodico vero novemdecim leucis distat. Non procul Tuino & Covino, inter Sabim & Mosam flumina, ditione Leodicensi, duo extant & pulchra simul & opulenta cœnobia. quorum alteri nomen est *Asne*, alteri *Lobbe*, seu Lobiensi, quod sic dictum volunt à propugnaculo quodam Iulii Cæsaris, & *Castris* ut addunt *Labienus*, à Labieno videlicet, Imperatoris ejus Legato, militum Duce fortissimo.

Visetum distat Leodico altero milliari: Varemium, quarto: Beringa denique, sexto: loca satis celebria, & peropportune sita. Herca, Brea, Pera, Hamontum, Leodico pari septem leucarum intervallo abjunguntur, loca haud magni nominis, & in quibus vix quidquam notabile.

Sineia, opidum perantiquum, etsi valde exiguum, Leodico dissidet octo leucis: Fossæa, decem: Covinum, octodecim. suntque opidula mediocria, nec omnino contemnenda. Et hactenus quidem de opidis muro claufis: sequitur ut lustremus & alia quædam loca, memoratu haud prorsus indigna, & prima quidem occurrit.

Florenna, Bellomontio Namuroque pari quinque leucarum ſpatio diſſita, bonum olim opidulum, ſed per ultima iſthæc bella miſere mutilatum deſtructumque à Gallis. qua facie & in hunc uſque diem conſpicitur.

Cereia, pulcherrimum propugnaculum, ubi habitaſſe volunt Cæræſos, populos Cæſari celebratos, Leodicotrium leucarum intervallo abjungitur. Dirutus fuit etiam iſte locus, ac diu ita manſit, ſed inſtauravit tandem magnanimus ille Cardinalis Erardus.

Supereſt porro hodieque primo ab urbe milliari pagus Ebura, quo loco adſerunt olim fuiſſe maximam & primariam civitatem antiquiſſimorum Eburonum, qui & nomen ab ea acceperint. Iuxta pagum complures inveniuntur venæ præſtantiſſimi ſulphuris.

Pari fere intercapedine diſtat ab urbe Herſtalla, locus unde inditum nomen Pipino ſecundo. Item Iupilia, locus itidem memorabilis. quare & utriuſque haud raro meminerunt Scriptores. In confiniis autem iſtorum locorum, & ſecundum utramque Moſæ ripam, compluria olim extabant palatia, & ampliſſima ſplendidiſſimaque prætoria Principum Pipinorum, juſtis fere ſuburbiis paria; ad quæ ſæpius ipſi devertebantur, animumque honeſta & utili voluptate recreabant. nam, ſi verum amamus, nulla uſquam ne fingi quidem aut cogitari poteſt Provincia, quæ, ſeu aëra forte adſpicias & mirandam cœli temperiem, ſive flumina, ſilvas, montes, valles, vineas, fruticeta, & quidquid præterea tale eſt, adque venationis, piſcationis, & aucupii uſum requiritur, contempleris, vel amœnior ſit quam hæc noſtra, vel felicior. quare & Carolum Magnum plurimum eam frequentaſſe, & Paſchalia feſta crebro inibi tranſegiſſe, memoriæ proditur. Eſt præterea primo ab urbe milliari pulcherrimus quidam & amœniſſimus mons, ſed abruptus idem, & propemodum inacceſſus, ut qui unicum habeat tantum ab ortu adſcenſum, ideoque vulgariter audiat *Chevre-mont*, quaſi dixeris *Mons Caprarum*. Is finitima quæque longe lateque detegit, & flumen in Arduenna natum ac radices ejus præterfluens, è ſublimi deſpicit. In vertice antiquiſſimis illis temporibus ædificata erat prænobilis quædam & ampla arx, cujus etiam hodie memorabiles oſtenduntur reliquiæ. Eam arcem occupaſſe denique legitur crudelis quidam & inhumanus tyrannio: qui fre-

tus

tus aſperitate ipſius loci, finitimum omnem tractum miſerrime devaſtabat, ſic ut ipſa etiam civitas & ſuburbia ejus extrema quæque paterentur. & perennabat ſane peſtis, niſi novo ei & inaudito ſtratagemate in hunc modum iviſſent obviam. Invitaverat forte immitis prædo Leodicenſium Præſulem, qui Monulphus tunc, ordine duodecimus, teſtem eum adhibiturus infantis ſui baptiſmo. Epiſcopus datam occaſionem ſe & alios à tyrannide liberandi lubens arripuit, & ſelecta militum manu, ſed quos habitus ſacerdotes argueret, comitatus, arcem & Dominum ejus adiit, ſubſequentibus porro & aliis viris militaribus. mox ſine ullo temporis diſpendio in prædones irruunt, eoſque ad unum omnes cædunt, ſic ut ne nuntius quidem cladis ſupereſſet: hinc eodem adhuc furore perciti, deteſtabilem illum locum una opera funditus demoliti ſunt. atque ex illo tempore, id eſt anno (ut volunt) octogeſimo ſupra quingenteſimum, ne quid iterum ſimile patiantur, jurare cogunt Epiſcopos ſuos cives Leodicenſes, numquam ſe permiſſuros ut reparetur illa rupes.

Inſtituit olim ampliſſimum iſtum Leodicenſem Epiſcopatum Hubertus Aquitanus, Bertrandi, terræ illius Dynaſtæ, filius. etſi alii faciant multo antiquiorem. Is Hubertus, religione impulſus, Aquitaniam ſuam deſeruit, & Brabantiam adiit, ubi arctiſſimam amicitiam coluit cum Lamberto Epiſcopo Trajectenſi ad Moſam. Cumque poſtea deſiderium ſubiiſſet videndi ſummum Pontificem, & ſacra illa loca perluſtrandi, homo Romam profectus eſt. quo cum nuntius adferretur, crudeliter interfectum eſſe à Trajectenſibus Divum Lambertum, Sergius Pontifex Hubertum noſtrum creavit Epiſcopum Trajectenſem. Hubertus, Trajectum redux, benigne à civibus illis ſuſceptus eſt. ſed cum abhorreret eos atque deteſtaretur ob nefariam Divi Lamberti cædem, cogitare mox cœpit de transferendo aliovorſum Epiſcopatu, ac Leodicum abiens, urbem illam vel condidit primus, vel inſtauravit, Legiamque (ut diximus) nuncupari voluit. exornavit deinde pulcherrimis ædificiis ad Divinum pariter & humanum cultum, moxque legibus prius latis, & approbante Summo Pontifice, Epiſcopalem cathedram Trajecto Leodicum tranſtulit, anno Chriſti 713, tranſportato eodem & corpore Divi Lamberti, cujus nomini

ac honori dedicavit poſtea peregregium illud Cœnobium, cum auguſto illo Canonicorum Collegio paulloante commemorato. ubi mortuus tandem poſt ſanctiſſime actam vitam, adſcribi meruit etiam ipſe Divorum conſortio. A clariſſimo autem illo Divo uſque ad hunc Erneſtum numerantur in ea ſede Epiſcopi octo & quinquaginta. in quibus non pauci inveniuntur viri pii & ſancti. ſed nec hodie bonitas gravitaſque Epiſcopalis defecit. Nam & inter recentiores mirifice nuper claruit Erardus à Marca, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Roberti fortiſſimi viri frater. qui in eo fuit apud Principes Chriſtianos pretio, eaque & auctoritate & gratia polluit, ut pacatam habuerit regionem per triginta ipſos annos, & quietem ita fundarit, ut & hactenus ea perſeveret. Idem non urbem modo, ſed & totam quam late patet ditionem, varie paſſim reparavit, opidis aliquot arcibuſque (ut ſupra oſtenſum eſt) à fundamento inſtauratis. atque ut dicam paucis, ita liberaliter & profuſe reipublicæ ſe impendit, ut merito omnes eum ſuſpexerint, glorioſoque Patris patriæ nomine decoraverint. Obiit magnus ille Antiſtes, ut conſtat è regio ejus tumulo in choro (ut vocant) ædis D. Lamberti viſendo, anno à Chriſto nato 1538. Viſitur inibi ſtatua ejus ænea, ad vivum (ut volunt) efformata & genibus nixa, cui adſtat imago mortis, ſic ut fieri ſolet expreſſa, cum breviſſimo, ſed ſcito admodum epitaphio, *Erardus à Marca mortem habens præoculis, vivus poſuit.* Cardinali ſucceſſit Cornelius de Berges, Dominus Sevenbergæ. qui quod animo eſſet profeſſioni Eccleſiaſticæ parum addicto, dignitatem Epiſcopalem ceſſit Georgia Auſtrio, filio naturali Imperatoris Maximiliani, Archiepiſcopo Valentino, digno ſane ac reverendo Antiſtiti. cui mortuo ſurrogarunt coadjutorem ejus Robertum, fratrem Illuſtriſſimi Marchionis Bergozomii, juvenem doctum pariter & religioſum. Is, quod valetudine eſſet parum firma, & atra bili infeſtaretur, abdicavit ſe nuper hac dignitate, dum molior primam operis hujus editionem. quare ob raras ſuas virtutes, & flagrantiſſimam populi ſimul & auguſti Collegii gratiam, ſuffectus ei Gerardus Groesbequius, Collegii Divi Lamberti Decanus, nobiliſſimus certe ac venerandus Præſul, & in tanta exiſtimatione & fama, ut allectus poſtea fuerit in Collegium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium.

Huic

Huic denique viam universæ carnis ingresso surrogatus est liberis omnium votis, & sollennibus ceremoniis, utriusque Bavariæ Ducis frater, hujusmodi fere inscribens titulos: *Reverendissimus & Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus Ernestus, Sanctæ Ecclesiæ Colonienſis Archiepiscopus, Sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarius, Princeps Elector, Ecclesiæ Leodiensis Episcopus, Monasterienſis, Hildesemenſis & Frisingenſis Administrator, Princeps in Stabel, Comes Palatinus Rheni, Superioris & Inferioris Bavariæ, Westphaliæ, Angariæ, & Bullonii Dux, Marchio Francimontanus, &c.* Princeps equidem supremi loci & ordinis, ac rarissima quadam virtute præditus. Eligitur porro Episcopus Leodicenſis à Collegio Divi Lamberti, approbatur ab universo populo, tandē vero, ut cæteri omnes Catholici Præsules, à Romano Pontifice confirmatur. nec Episcopus tantum est, sed & Sacri Imperii Princeps, Dux Bullonii, Marchio Francimontanus, Comes Lootsenſis & Hasbanienſis, quæ loca subsunt, ut diximus, huic Episcopatui, & ab eo dependent. Annui ejus reditus sanequam luculentissimi, ut qui tricena fere millia ducatorum excedant. imo si populis suis Episcopus recte utatur, & captare norit eorum benevolentiam, numquam deerunt extraordinaria quædam subsidia, ne quid dicam de sacerdotiis, vel ut vulgo appellant præbendis ac beneficiis, dispositioni atque arbitrio ejus reservatis. Atque hæc de Leodico. procedamus deinceps ad Aquasgrani, si brevissime tamen præmiserimus, uti rem consideratu non indignam, quam ingens sit differentia inter terram viroſque Leodicenſes, necnon agrum & homines Aquisgranenſes, quamquam sexto dumtaxat milliari abjunctos, imo conterminos inter se atque adfines. Leodicum ergo alieno imperio premitur; Aquisgranum est sui juris: subsunt diversis Episcopis; etsi ambæ in clientela Sacri Imperii: Leodicum utitur lingua Gallica; Aquisgranum Germanica: viri Leodicenſes, alacres, festivi, tractabiles, Aquisgranenſes, melancholici, severi, difficiles. In summa, tantum alteri & natura, & moribus, totaque adeo vitæ ratione ab alteris differunt, quantum Galli discrepant à Germanis. quod non parvum sane discrimen est. Sed non est quod miremur tantopere gentem genti discrepare, cum idem in singulis pæne hominibus observemus. illud magis mirandum, quod videlicet tanta sit inter cœlum & solum

utriuſque gentis, ſub eodem climate, diſſimilitudo. conſtat enim æſtatem tempeſtivius multo incipere apud Leodicenſes, ideoque & fructus ſimul & fruges prius hic matureſcere: imo nives interdum & glaciem apud Aquiſgranenſes conſpici, cum eorum apud Leodicenſes ne veſtigium quidem apparet.

## AQVISGRANVM.

QVISGRANVM, quam rectius forte Aquaſ-grani vocaveris, & vocabulum ſimul & conditum, ſi Munſterum audimus, acceptum fert Grano, Neronis Imperatoris fratri. ego vero Neroni hoc nomine fratrem fuiſſe nuſquam lego. Paullus Æmilius tradit, Granum quemdam è priſcis illis nobilibus, palatium à ſe conditum in hocipſo loco, ubi & ſcaturiebant tunc temporis, & hucuſque ſcaturiunt nobiliſſimi illi calidarum aquarum fontes, ſuo nomine exornaſſe. Alii volunt eam eſſe urbem, quam Ptolemæus *Veteram* nominet, *in qua legio trigeſima Vlpia, &c.* Luitprando eſt *Grani palatium*, Rheginoni *Aquis palatium*. Ipſi incolæ, & cum iis Germani omnes & Belgæ, Aken vulgo appellant, voce quam Itali vertant *Acque*. Galli, contracta voce *Eaux*, per ſyncopen vocant *Aix*, adjecto fere epitheto *la Chapelle*, ad diſcrimen cognominis opidi *Aix*, ubi ſedes ſupremi Concilii (*Parlamentum* vulgo indigetant) Provinciæ Narbonenſis: quod ipſum Latini *Aquas Sextias* dicunt, à calidis illis & ſalutiferis aquis, itemque Sextio conditore. Verum utut iſta ſe habeant, ſita eſt perquam opportune civitas Aquiſgranum inter Ducatus Brabantiæ, Limburgi, Iuliaci, & Epiſcopatum Leodicenſem; ac Trajecto ad Moſam Duraque pari quatuor, & prægrandium quidem, Limburgo trium, Leodico denique ſex leucarum intervallo abjuncta. Deſtruxit eam, & ſolo æquavit, eodem cum Agrippina Colonia totque aliis civitatibus tempore, ut nonnulli adfirmant, Hunnorum Rex Attila. Munſterus deſtructam quidem ac deſolatam tradit, ſed nec tempus exprimit, nec auctorem. Alii tantam antiquitatem reſpuunt, & à Carolo Magno demum condi ceptam adfirmant. Quamvis autem non videatur veriſimile, in loco tam commode poſito, tamque notis & efficacibus aquis prædito, non ante jacta fuiſſe

fuisse aliqua saltim urbis fundamenta: non invenio tamen ipsos cives aliam ei originem adsignare, quam ab eo Imperatore, qui delectatus, ut ajunt, & loci amœnitate, & egregia cœli temperie, opidum primus condidit, variisque cum sacris tum profanis ædificiis, nominatim vero pulcherrimo illo templo, Sanctissimo Salvatori, ac Deiparæ Virgini sacro, decoravit. in quo templo variæ etiamnunc ostenduntur reliquiæ, ab eodem Imperatore, partim auctoritate & jussu, partim etiam magno sumtu atque impensis in hoc opidum comportatæ. Neque vero satis habuit condidisse, sed excoluit insuper quibuscumque potuit modis, & illustravit. jusso inter cætera, quod cum aliis aliquot Scriptoribus testatur Beatus Rhenanus, ut cis Alpes quidem haberetur in posterum principalis atque primaria Sacri Romani Imperii, & Galliæ regni sedes. utque in ea susciperet Romanorum Rex, manu Archiepiscopi Colonienſis, cujus cathedræ ipsa subjicitur, coronam quam vocant ferream. sicut argenteam quidem Mediolani, auream vero Romæ ab ipso Pontifice illum accipere voluit. Qua de re, præter alia quædam documenta, extant sequentes isti versus. ac primo quidem in fronte propylæi cujusdam domus Senatoriæ:

*Carolus insignem reddens hanc condidit urbem,*
*Quam libertavit, post Romam constituendo*
*Quod sit trans Alpes hic semper Regia sedes,*
*Vt caput urbs cuncta colat hanc & Gallia tota.*
*Gaudet Aquisgranum præ cunctis munere clarum,*
*Quæ prius Imperii Reges nunc laureat almi.*

Et in alia quadam janua:

*Hic sedes Regni trans Alpes habeatur,*
*Caput omnium Civitatum & Provinciarum Galliæ.*

Præter autem tam multa tamque insignia privilegia huic urbi suæ concessa, solitus idem Imperator, quotiescumque per bella liceret, in eam secedere, ac magnam vitæ partem inibi degere, ubi & obiit tandem anno à nato Christo 814, sepultus in æde Beatæ Virginis, cum vixisset annos 72, regnasset 47, imperasset denique 14. Epitaphium tumulo ejus marmoreo, sine alia pompa, inscriptum, ecciſtud: *Caroli Magni, Christianissimi Romanorum Imperatoris, corpus hoc conditum est sepulchro.* Paullopost magni Imperatoris obitum. inauguratus hic fuit ac diademate

mate cinctus ejus filius Ludovicus Pius. Quod ab aliis quoque Imperatoribus hactenus obſervatum eſt, uſque ad Carolum ipſum Quintum. qui cum ageret in Hiſpania, Imperator creatus eſt anno 1519, menſe Iulio, annoque proxime inſecuto Octobri menſe ſollenniter in hac ipſa urbe coronatus. ubi & Ferdinandus frater anno 1531, coronatus eſt Romanorum Rex, fratri poſtmodum in auguſtiſſima illa dignitate ſuffectus. Quoniam vero devenimus ad hunc locum, & occaſio ipſa nos invitat, videtur ſane haud alienum fore ab inſtituto, ſi in operis noſtri exordio, miſſa, ut quæ nemini nō in promtu ſit, veterum & priorum illorum Cæſarum, Iulio primum oriundorum, origine, breviter diſſeramus, quanam ratione & modo eligendi Imperatoris Romani jus ad Germanos primum tranſierit. tum de Electoribus quoque agamus, & eorum officiis, deque ordine ſimul & ritibus in electione Imperatorum uſurpari ſolitis. Dico igitur, poſtquam ob Cæſarum Romanorum, Bizantii tunc agentium, & ignaviam ſimul & infortunia obque Galliæ Regum virtutes & egregia in Eccleſiam merita, Leo tertius Pontifex Maximus, at non alia tamen, quam ceu Capitis populi Romani auctoritate, & communi illius conſenſu (quia nempe terræ occidentales, præſidio vacuæ, videbantur opus habere peculiari Principe) anno Chriſti octingenteſimo Imperatorem renuntiavit Carolum Magnum, dignitatem illam, approbantibus ſucceſſive Pontificibus, aliquamdiu manſiſſe apud Caroli poſteros. iis vero in meliori ſtirpe extinctis, factum eſſe, ut anno altero poſt milleſimum, exilio liberatus Gregorius Quintus, patria Saxo, ab Othone tertio, Imperatore ex illa ipſa gente, quo & Cæſari gratitudinem ſuam, & patriæ fidem atque amorem approbaret, nemine prorſus intercedente, ſpeciali decreto conceſſerit nationi Germanicæ, Imperatorum, ea quæ hodieque in uſu eſt ratione, creandi inaugurandique facultatem; interdicto electis, quo videlicet prærogativam aliquam Pontificibus reſervaret, ne inſcriberent Imperatoris ſive Auguſti titulos, donec Imperii diadema ab ipſo Pontifice ſuſcepiſſent. atque hinc conſuetudo illa petendi Romam, & coronam inibi à Pontifice capiendi, nec alium ante, quam Regis Romanorum, vel & Cæſaris titulum, inſcribendi. Electores ſunt numero ſex, tres nimirum eccleſiaſtici, & totidem ſæculares.

lares. illi, sunt Archiepiscopi Moguntinus, Trevirensis, Colonienſis: hi, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgenſis, & Comes Palatinus ad Rhenum. qui si forte discordent, decidit hanc controversiam suo suffragio Rex Bohemiæ. Ecclesiastici dignitatem habent Cancellariorum Sacri Imperii, Moguntinus videlicet per Germaniam, Trevirensis per Galliam, Colonienſis per Italiam. Bohemus Imperatori est à poculis, sive, ut vulgo loquuntur, Pincerna: Saxo ensem præfert, & audit Archimareschallus: Brandenburgicus Imperatoriæ Majestati est à Cubiculis: Palatinus denique Dapifer. Imperatori publice se spectandum exhibenti, & Cæsaream Majestatem ostentanti adversus sedet Archiepiscopus Trevirensis, dexter Moguntinus, sinister Colonienſis. Moguntino ad dextram sedet Bohemus, & infra hunc Palatinus. Saxo Colonienſi ad lævam est, & à latere habet Brandenburgenſem. Si obeunda est supplicatio, Imperatorem præcedit Trevirensis, latus utrumque claudentibus Colonienſi & Moguntino. à tergo sequitur Rex Bohemiæ, & post eum suo quisque ordine cæteri Principes Electores. Renovavit has leges ac de integro confirmavit anno 1356 Carolus Quartus. qui & varie passim easdem auxit, & scripto, quod *Bullam auream* vocant, consignavit. Ordo quem Electores in electione creationeque Imperatoris servant, in genere talis est. Moguntino, ex lege Caroli Quarti, incumbit, statim ut certior factus est de Imperatoris obitu, reliquis Electoribus indicare, ut ad certum aliquem diem, id est ut plurimum intra tertium mensem, Francofurti, insigni Germaniæ opido, vel ipsi se coram sistant, vel delegatos suos absoluta potestate instructos mittant. Quod si forte prædicti Archiepiscopi negligentia denuntiatio illa prætermittatur, Collegæ tamen oportet ut intra terminum illum compareant. quod qui negligit, is in eam quidem electionem privatur jure suffragii. Francofurtum ingredientibus non licet nisi ducenos equos secum adducere, & in iis non ultra quinquagenos armatos. Magistratus urbani Electoribus debent esse fideles, nec ullos omnino extraneos, præter familiares ipsorum, quantisper electio durat, in urbem intromittere. Electores convenire solent in æde Divi Bartholomæi. ubi primum fit res Divina, & imploratur gratia Spiritus Sancti. inde, præeunte Moguntino, jurant omnes in

ea se

ea ſe actione nihil daturos gratiæ, nihil pretio, pactis, promiſſis: ſed in omnibus candide habituros decori & utilitatis publicæ rationem. His peractis, pergunt ad ipſam rem. neque loco prius excedunt, quam creatus ſit novus Cæſar. quod ipſum ſi ultra trigeſimum diem protollunt, nihil ipſis ſubminiſtratur quam aqua & panis, Princeps plurium votis electus, non aliter quam ſi tuliſſet omnium puncta, & eſt & habetur Cæſar. quod ſi trium ſuffragia in Titium forte propendeant, totidem rurſus in Seium, eo caſu Bohemus, ut diximus, controverſiam voto ſuo decidit. Cæſar ita renuntiatus, ante omnia jurejurando confirmat Electorum privilegia. approbat Francofurtum eſſe ſedem electionis, Aquiſgranum vero inaugurationis, quo iturum ſe prima ſtatim occaſione ad coronam accipiendam ſpondet. Electorum filios oportet inde à teneris annis Latinam, Italicam, & Sclavonicam linguas diſcere. Sed veniamus jam ad ipſam inaugurationem. Cæſar ad tantam dignitatem perveniendi cupidus, Electoribus ſtatuit diem, ad quem omnes conveniant Aquiſ. grani. eo ad conſtitutum diem accedenti, Electores, jam ante ingreſſi, extra portam occurrunt, jamque propiores facti ex equis deſcendunt, & ſollennibus antiquiſque ritibus Cæſarem venerabundi excipiunt, perorante communi omnium nomine Moguntino. cui per Oratorem benigne reſpondet Cæſar. ita junctim ingenti pompa urbem ſubeunt, moxque ad primarium Divæ Virginis templum progreſſi, preces inibi fundunt. hinc ad palatium porro ſe recipiunt. Die proximo revertuntur ad ædem ſacram. in qua media ingens pendet corona ex ære, auro obducta. ſubter eam proſternit ſe humi Cæſar, & ſic pronus perſiſtit, dum à Colonienſi recitantur certæ quædam preces. recitatis, erigunt ſupplicem Moguntinus & Trevirenſis, perducuntque ad ſummam aram. hic humi rurſus procumbit, & peractis quibuſdam ceremoniis, ad thronum tandem perducitur. ubi aſſedit, Colonienſis Miſſam auſpicatur, & ad Cæſarem verſus, interrogat, numquid fidem Catholicam defenſurus ſit? numquid protecturus eccleſiam? adminiſtraturus juſtitiam? inſtauraturus Imperium? & Romano Pontifici debitum cultum delaturus? Ea ubi promiſit Cæſar, ad aram rurſus perducitur, promiſſa jurisjurandi religione confirmaturus.

maturus. præstito juramento, revertitur mox ad thronum: & post alios iterum ritus, ungit illum Coloniensis oleo consecrato in pectore, hinc in capite, inque brachiis item & palmis. unctum Moguntinus & Trevirensis in Sacrarium ducunt, ubi Diaconi cultu assumto, ad sedem redit. Sedenti post varias ceremonias Coloniensis strictum gladium porrigit, commendatque rempublicam Christianam: moxque gladio in vaginam recondito, annulum digito ejus inducit. inde paludamentum illi in humeros injicit, ac sceptrum & globum illum, qui orbem terrarum notat, in manum tradit. in quo ipso articulo omnes tres Archiepiscopi coronam capiti ejus imponunt, & ad aram reducunt: ubi post sumtam communionem sacram, denuo jurat facturum se quidquid bono Principe dignum sit. Eo facto, collocatur magis sublimis in alia quadam sede marmorea, ubi denique creat aliquot equites. Hinc Moguntinus Deum precatur pro ejus salute, ac se & Collegas ipsi commendat. Postea ad palatium juncti redeunt, ubi in uno eodemque triclinio, sed distinctis mensis, & Cæsar & Electores alacriter sumunt prandium. Postridie Cæsar Electores vocat ad cœnam. tertio die rursus adeunt templum, finitaque Missa ostendit iis sacrificus huic rei præfectus reliquias quasdam sacras, inter alia vero eosipsos pannos, queis involutus olim humani generis Reparator. Ea religione peracta, testatur publice Moguntinus approbari electionem & cæteros omnes actus à Romano Pontifice, electoque injungit ut deinceps utatur vocabulo Cæsaris & Regis Romanorum. Simili prorsus modo ac ratione, pauculis tantum ritibus immutatis, inaugurari solent Rhemis, nobilissimo Galliæ Belgicæ opido, adsistentibus Regni Paribus, Reges Galli, verum longe tamen majori pompa & fastu. Sed revertor ad Aquas-grani: quod equidem fateor esse opidum lautum, & temperatissimo frui cœlo, quin & fertili admodum territorio cingi: sedenim ædificiis atque frequentia, famæ adeo splendidæ respondere, id vero constanter nego. Habet intus forisque pulcherrimas quasdam balneas, sive thermæ magis dicendæ sunt, aquarum naturaliter calidarum è terræ visceribus manantium. quæ cum aliis morbis, tum paralysi maxime & aquæ intercuti expugnandæ conducunt: obsunt vero marcori & omnis

generis

generis febribus, aliisque imflammationibus. eædem aquæ non appetentiam modo lavantibus acuunt, & insigniter juvant concoctionem: sed & propria quadam suavitate pollent, adeo quidem amabili, ut celebraverit eas quispiam hoc hexasticho:

*Vnde hic fervor aquis terra erumpentibus uda?*
*Tela olim his ludens ignea tinxit Amor.*
*Et gaudens stridore novo, fervete perennes,*
*Inquit, & hac pharetræ sint monumenta meæ.*
*Ex illo fervent, raruſque his mergitur hospes,*
*Cui non titillet pectora blandus amor.*

Aquisgranum libera est Imperii civitas, ex iis quæ modicum tantum aliquod tributum Imperatori pendunt, cætera vero liberæ agunt atque immunes, & propriis suis legibus vivunt. Est præterea in peculiari tutela Ducis Cliviæ, proximi sui vicini, & perpetui socii. Atque hic demum terminum statuemus nobilium istarum & insignium Regionum descriptioni: operi certe & oneri nobis admodum gravi atque difficili, idque tum veterum simul & recentiorum Scriptorum in hoc quidem genere defectu, tum fallacia quoque & diversitate rerum, quæ ab hominibus hauriendæ. alii namque adfectibus suis æquo plus indulgentes, cum sint omnium rerum ignari, nihil tamen nescire videri cupiunt. alii etiam ea quæ sciunt, tegunt. adde huc alia multa tædia atque incommoda, in grandibus hisce & gravibus argumentis scriptoribus pæne adsidue devoranda. Qua in re plurimum mihi fateor profuisse doctissimorum aliquot hominum, tum & aliorum quorumdam in his talibus versatorum civium benignitatem atque industriam. qui aliud aliudque subinde suggerentes, è pelago me traxerunt in littus, eque ancipiti labyrintho incolumem reduxerunt. Ita ut lectis undique & collectis variorum Scriptorum notitiis, variisque opinionibus & sententiis, elegerim postea dispositumque singula meo more, & telam hanc nostro arbitrio contexuerim, insertis passim data occasione nonnullis, quæ ipsam Belgicam proprie non concernerent. Ita inquam, non sine interna mentis voluptate, ac magno animi gaudio, ad portum tandem conduxi hunc partum. qui lectoribus, & præsertim Belgis, si non alio,

saltim

saltim eo nomine debeat esset acceptus, quod nova quadam inventione, ac novo ausu, primus carceres aperuerim, & ceu viam munierim, iis qui & suæ & communis patriæ laudi, altius sese in hoc pelagus volent immergere. Quare & gratias ago primum summo & immortali Deo, inde vero eruditis & candidis illis animis, quarum benevolens aura naviculæ nostræ usque ad finem adspiravit.

FINIS.

# PARS TERTIA
sive
# BELGICA FOEDERATA,

Auctore
LVDOVICO GVICCIARDINO
Nobili Florentino.

AMSTERDAMI,
Apud GVILIELMVM BLAEV.
CIↃ IↃ C XXXV.

30
52
ORI
Vreede
Bornem
Groote boerl
Ghoer
Almeloo
Grol
Bocho
28
Sipkeloo
Grinbergen
Borkelo
Bredefort
ZUTPHANIA
Widerden
Lochem
Burg
COM.
Almen
Doetecum
Omme
Helendoorn
Bronchorst
Zutphen
Dalffen
Scherenberg
Deventer
Zevenar
Olst
Ißel Fluui.
Doesburgh
30
SEPTE-NT.
Zwolle
Vasen
Beeckbergen
Huessen
Eepe
Aernhem
Hattem
Rhijn fluuius
Apeldorne
Campen
Doerw-
Elburch
Wageningē
Harderwyck
Hacfort
27
Rhenen
VELUWE
ZUYDER
Arlar
Niekercken
ZEE
Amersfoort
Tiel
Wyck te-
duerstede
Culenborch
Bomm
Huysen
30
52
OC

ENS
30
Holt
Dinslaken
Duſſeldorpe
Duys-burg
Nuyss
Keiſersweert
Ringelberg
Orſoy
Moers
Ordingen
Neerſen
28
Weſel
Berck
Kempen
Aenholt
Alpen
Glabbeeck
Dalen
Santen
Gelre
Wachtendonck
Rees
Kervendonck
Brugge
Vden
Venlo
Goch
Ners fluvi.
Roermunde
MERI-D.
30
Cleve
Wel
Maſe fluvius
Neer
Crane-burg
Weſſem
Maeshees
Gennep
Peel
Nimmegen
Sambeeck
Weert
Grave
Cuyck
Dic
Raveſtein
27
Megen
Miliaria Geldrica
1 2 3 4 5
Oſs
Schertogen-bos
GELDRIA
CIDENS
30

# GELDRIA

## DVCATVS.

ELDRIA, ut contendit Munſterus, eſt illeipſe tractus, quem ævo Iulii Cæſaris incoluerunt Menapii, vel, ut alii volunt, Sicambri. Eſt autem formâ ſituque adeo paſſim exorbitanti, adeoque per flumen Rhenum, quod duobus alveis mediam fere tellurem ſecat, diſgregato, ut mirum ſane videri non debeat, ſi Scriptores nonnumquam diſſideant. at mihi tamen videtur isipſe Cæſar, cum aliis aliquot locis, tum præſertim libro quarto, ſatis diſerte teſtari, Menapios habitaſſe cis Rhenum, & ab altera fluminis ripa agros tantum illi vicinos inſediſſe. reliqua vero Ducatus Geldriæ occuparunt magnam partem Sicambri, & in parte etiam Batavi. Nec dubium tamen, ævo Cæſariano, Sicambros omnes habitaſſe trans Rhenum: quos ſæpe jam à Romanis fuſos, una cum aliis populis, Auguſtus Cæſar, ſecuritati & quieti imperii conſulens, (ut autores nobis ſunt Strabo, Suetonius, aliique magni nominis ſcriptores) cis Rhenum migrare voluerit, juſſerit. unde liquido conſtat, eam gentem, ab illo tempore, ad utramque fluminis ripam coluiſſe, habuiſſeque non parvi momenti imperium. In quam ſententiam ita ſcribit doctiſſimus ille Franciſcus Irenicus: *Verum ut ſummam rei brevibus perſtringam, Auguſtus Rhætos, Vindelicos, Cattos, Dalmatas, Suevos & Sicambros vicit, & in Galliam tranſmiſit.* Et Marlianus, optimus Commentariorum Cæſarianorum Interpres, ſuam hac de re ſententiam his verbis expreſſit: *Sicambri, qui hodie Geldrenſes ſunt, ad confluentem Moſæ Rhenique ſiti, Oceanum etiam mare attingunt.* Alibi vero: *Sicambri* (inquit) *populi Germaniæ, olim ex toto tranſrhenani, proximi Vbiis, trans Rhenum tunc ſilvas & ſolitudines habebant: nunc opida, vicos & agros etiam inter Moſam & Rhenum poſſident: quorum pars eſt diœceſis Leodienſis.* Sidonius quoque Apollinaris, Epiſcopus Arvernienſis, ſæculi ſui vates eximius, congruens noſtræ opinioni, ubi olim habitarint Sicambri, hiſce verſiculis indicat:

*Sic ripa duplicis tumore fracto*
*Detonſus Vahalim bibat Sicamber.*

Sumſit vero hic tractus poſtea nomen Geldriæ, ut volunt nonnulli, à Gelduba, opido, cujus cum laude meminit Tacitus, ſito olim ad Rhenum, hodie vero deleto. Munſterus aſſerit, quemdam Winchardum de Ponte, primum terræ præfectum, ſeu toparcham, una cum fratre Leopoldo arcem condidiſſe, cui vocabulum fecerit Pontiſgeldriæ, quæque noſtro ævo ſit opidum Geldria, unde toti poſtmodum regioni Geldriæ nomen ſit inditum. ea regio noſtris temporibus à ſeptemtrione & ſupra ſe Friſiam habet; ad ſiniſtram ſinus Auſtralis eſt, quem Zuyder zee nuncupant. à meridie partim Moſa, qui à Brabantia eam diſtinguit, partim Iuliacenſium terra clauditur. ab ortu eſt Rhenus, & Ducatus Cliviæ, qui & ipſe hunc tractum in duas etſi inæquales partes diſparat. ab occaſu denique, qua rectiſſime verſus illum porrigitur, Hollandia jacet & ditio Vltrajectina. Solum Geldriæ planum, & parum montoſum, ſed amœnis admodum & fructuoſis nemoribus denſum, inter quæ excellit potiſſimum Echterwaldia, ſupra in deſcriptione univerſali nobis commemorata. Ager omnigenæ ſegetis & in primis tritici feraciſſimus. paſcuus quoque nonnuſquam, & oportunus admodum pecori, cujus ingens hic multitudo, & vel inde ex Dania in ſaginam traducta. Nominatim vero ad Rhenum, Vahalim, Moſam, uberrima ſane & commodiſſima paſſim occurrunt paſcua.

ADDITAMENTVM. [*Non tamen ubique eadem ſoli felicitas, aut fœcunditas; nam magna Velaviæ parte non niſi ſteriles arenæ, inculti colles jacent; & pluribus locis humus ad ignium pabulum (vulgus ceſpites nuncupat) quam ſementi faciendæ longe aptior eſt: eadem tamen ad margines, (Velaviæ fimbriam vocant,) ubi Iſala & Rheno alluitur, ampliſſima & latiſſima habet prata. Zutphania quoque admodum fertili eſt ſolo, ſed quibuſdam locis paludoſo, (unde & quidam nomen ipſi impoſitum opinantur,) ſed graminis optimi feraci.*

*Indigenas, Principes ſuperiores continuis fere bellis cum finitimis ſuis occupati, bellicoſos & armis promtos in omni militiæ genere reddiderunt: unde ſuperioribus ſeculis equitatus inprimis Gelricus magna apud exteros ubique fama fuit. Quæ majorum gloria non tantum in poſteris non extincta, ſed admodum*

*aucta*

*aucta videtur. Licet enim Carolus V Imper. principatum nuper adeptum in familia ſua firmaturus, eorum bellica miniſteria inſuper habuit, ne militiæ aſſueti aſſidue novis rebus ſtuderent: tamen, poſtquam arma cum cæteris fœderatis Belgicæ nationibus conjunxerant, priſtinam virtutem reſumſere. imo nec humanitatis aut literarum ſtudia in iis quiſquam deſideraverit. Nobilitas copioſa & majorum imaginibus illuſtris: plebs ſatis induſtria & comis. moribus ad Germanos nonnihil accedit: quippe à veteribus Sicambris orti.*]

Continet Geldria Comitatum Zutphanienſem,& alia quædam membra, ſeu Dynaſtias. Opida muris cincta numerat viginti & duo: Noviomagum ſcilicet, Ruræmundam, Zutphaniam, atque Arnhemum, primarias terræ urbes, quæ & ſingulæ quartam ejus partem faciunt, quatuorque, ut ſuis infra locis dicturus ſum, plane diverſis fluminibus adjacent, quatuor denique diverſorum Epiſcoporum juriſdictionem agnoſcunt. Sequuntur inde Hattemum, Elburgum, Hardervicum, Vada, ſeu Wageninga, Tila, Bommelia, Bronchorſtum, Doeſburgum, Doetecomum, Sheremberga, Lochemum, Grolla, Brefurtum, Geldra, Strala, Venlona, Wachtendonca, & Herculanum. Sunt & alia quædam opida, olim quidem muris circumdata, ſed hoc tempore, variis belli & fortunæ caſibus, ſi non omnino, at magna tamen ex parte, ſpoliata. quæ, quod mediocri etiamnunc conditione & loco ſint, iiſdem immunitatibus, quis urbium reliquæ, gaudent. talia ſunt Keppela, Burgum, Gentia, Batemburgum, Montfurtum, Echta, & alia, ſuis infra locis deſcribenda, ubi quatuor Geldriæ partes ſigillatim exponemus. Denique pagi turres ſuas habentes plures trecentis numerantur.

ADD. [*Geldria Zutphaniaque, quæ jam ab annis quingentis in unam Remp. coaluere, dividuntur in quatuor partes, quas Tetrarchias non abſurde appellaveris: ſunt ea Noviomagenſis, Ruræmandana, Zutphanienſis, atque Arnhemenſis: quarum Ordines in conventu Publico, à Præfecto, aut Senatu gentis evocati, de ſummis rebus in commune conſulunt, aut ſeparatim in ſuis quique Tetrarchiis, indicente & præſidente primariæ urbis Senatu, deliberant. Singulæ autem hæ Tetrarchiæ ſubdividuntur in urbana, paganaque territoria, & in præfecturas hereditarias.*

*Neomagenſis Tetrarchia, quæ in conventu gentico ſemper*

primum locum & ſuffragium obtinuit, urbes complectitur tres; Neomagum, Thilam, Bommeliam, quibus olim annumerabantur Grava, Leerdamum, Bura, oppida ſub Egmondano principe avulſa: pagus item Gente in ſuperiore Batavia (quem Carolus Princeps anno CIↃIↃ VI Henrico â Gent in clientelam conceſſit) ſuffragium quondã inter oppida obtinuit. Municipales præfecturæ principes fere ſunt iſtæ: Regnum Neomagenſe: Batavia (vulgo Betouvv) ſuperior & inferior; Bommeliana inſula; Thilana inſula; Præfectura inter Moſam & Vahalim; Præfectura Reſy & Fenay. In quibus præfecturis plurimæ ſunt equitum vetuſtæ arces, multæque villarum præfecturæ hereditariæ: videlicet Perſingen/ Wbbergen/ Groeſbeec/ Doddendael/ Batenborgh/ Hoꝛſſum/ Luer/ Open/ Diegdep/ Balgoy/ Gent/ Hemert/ Millingen/ Pamerden/ Nepnerſwijck/ Roſſum/ Iſeldorn/ Lehoe/ Linden/ Oudenweert/ Mars/ Wolfs-weert/ Juddermitte/ Dalem/ Puderopen/ Neder-Hemert/ Amerſopen & Heedel.

Secunda Tetrarchia eſt Ruremundana; cujus caput Ruremunda. Minora oppida ſunt Geldra, Venlona, Strala, Wachtendoncum, Montfurtum, & Herculena. Præfecturæ municipales octo; ſub quibus & urbanæ nonnullæ; Roſſel/ Gelre/ Montfoꝛt/ Krieckenbeeck/ Stralen/ Wachtendonck/ Erkelens/ Middelaer. Minores & hæreditariæ ſunt: Bierſen/ Hoꝛſt/ Leuth/ Well/ Afferden/ Blienbeeck/ Walbeeck/ Aerlen/ Gribenfoꝛſt/ Blitterſwijck/ Mirloo/ Elmpt/ Steffensweert/ Hillenrade/ Swalmen/ Affell/ Geiſteren.

Tertia Tetrarchia eſt Zutphanienſis: cujus primaria urbs eſt Zutphania. Oppida minora muris cincta quæ ſuffragium in Conventu habent, ſunt quatuor; Doesburgum, Doetecomum, Lochemum, Grollæ. Territorium municipale diſtinguitur in quatuor Præfecturas ac totidem dynaſtias, ſive Baronias. Præfecturæ ſunt: het Hoꝛſten-ampt van Zutphen/ het Scholten-ampt van Zutphen/ Richter-ampt van Doesburgh/ Hoꝛſten-ampt van Bꝛedefoꝛt. Dynaſtiæ ſunt: Berghe/ (quæ & ipſa Comitatus titulo inſignis, ſub qua & oppidum 's Heeren-bergh) Broncꝛhoꝛſt/ Baerwiſch. Toparchæ Anholdio cum Monaſterienſibus hodieque controverſia eſt, utrum hæreditariæ præfecturæ Boꝛckeloo atque Anholtum huic Tetrarchiæ accenſeri debeant.

Quarta Tetrarchia eſt Arnhemenſis; cujus primaria urbs eſt Arnhemum, veteribus, ut creditur, Arenacum. Oppida minora ſunt quatuor: Hardervvicum, Elburgus, Wageninga & Hattumum. Præfecturæ majores duæ ſunt: Velavia, & Velaviæ fimbria ſive prætexta. Minores totidem, Oldebꝛoeck & Nepbꝛoeck.

Heyhoeck. *Præfecturæ villarum hereditariæ cum imperio criminali itidem duæ,* Dozenweert/ Hoſendael; *totidemque cum imperio civili,* Scherpenzeel & Huebelaken.]

Proceres hujus ducatus, conſtant ex Baronibus, ſive Dynaſtis, Nobilibus, & primariis quatuor urbibus.

## GELDRIÆ REGIMEN olim & hodie

ADD. [*Hiſce membris præfuere poſt tempora Caroli M. primũ hæreditarii Advocati ſive Tutores: deinde Comites: hinc duces: tandem excuſſo Hiſpani imperio Proprincipes. Comitũ titulus & gubernatio originem ſumſit ab Ottone Comite Naſſavio, anno* CIↃLXXIX. *Ducum à Rhemboldo* II, *anno* CIↃ CCC XXXIX. *Principum à Carolo Burgundo, anno* CIↃ CCCC-LXXII. *Sed ipſo defuncto, unica tantum filia Maria ſuperſtite quæ Maximiliano nupſit, Ordines Gelriæ Carolum Egmondanum Adolphi F. Arnoldi N. è Gallia revocatum anno* CIↃ-CCCCXCII *Gelriæ Ducem & Zutphaniæ Comitem inaugurarunt. Huic ſuper provinciæ jure ab Imperatore Carolo V Philippi Burgundi F. Maximiliani & Mariæ N. controverſia fuit mota; quæ tandem inter eos per tractatum Gorcomiæ anno* CIↃ IↃXXIX, *& tractatum Graviæ anno* XXXVI, *tranſacta eſt, ea conditione, ut, ſi Carolus Egmondanus ſine legitima ſobole decederet, hæc ditio ad Carolum Cæſarem ex vetere jure reverteretur. Sed ipſo adhuc ſuperſtite ac conſentiente, Guiljelmus Clivenſium princeps ab Ordinibus aſcitus & inauguratus fuit. Carolo deinde Egmondano anno* XXXIX *Kal. Aug. ſine legitimis liberis vita functo, orta eſt contentio inter Cæſarem, Lotharingiæ Principem, Caroli ex ſorore nepotem, ac Clivenſem. Allegabat Cæſar venditiones, ceſſiones, renuntiationes atque inveſtituras ſibi ſuiſque majoribus factas; inſuper ſi quid in hanc ditionem Guiljelmo Gerhardi principis filio juris competiiſſet, ſibi atque Imperio id commiſſum, primum quidem ob non deſideratam inveſtituræ renovationem, deinde quia ſine prole maſcula, vel agnatis, filia duntaxat relicta, Guilielmus deceſſiſſet. Lotharingus ab Carolo hæreditariam in hanc ditionem ſucceſſionem ſibi delatam aſſerebat, idque jus ex conventibus quibuſdam juvare nitebatur. Clivenſis contrà ſcripto in Comitiis Francofurtenſibus per legatos exhibito explicabat, quo jure Gelriam poſſideret; ſe tanquam verum ac legitimum hæredem, matre Maria Guiljelmi f. ſua jura ſibi cedente, ditionis poſſeſſore Ca-*

rolo principe atque Ordinibus volentibus ac consentientibus, nec vi, nec clam, nec precario possidere cœpisse. repetebat suorum majorum jura, investituram ab imperatore Sigismundo post obitum Reinholdi Adolpho principi concessam, subjectionis eidem sacramentum ab Ordinibus præstitum, sententiam ab Imperatore atque Imperii ordinibus pro Adolpho adversus Arnoldum ditionis occupatorem prolatam. ab Adolpho sine liberis mortuo in Gerhardum fratris f. ab hoc in filium Guiljelmum: atque inde in illius filiam unicam Mariam suam matrem, successionis jura derivabat. Adversus cessionem, quam Gerardus Carolo Burgundo feciſſe dicebatur, excipiebat, eam pretio nimis modico, atque insuper partim venditionis, partim donationis titulo, factam esse, & ejus quasdam reciprocas sponsiones non servatas, ac proinde jure esse invalidam illam cessionem, atque investituras illius prætextu obtentas. Quæ exceptiones si cessarent. ex ea tamen cessione utiles tantum actiones fuisse translatas; directis actionibus, quæ nullis cessionibus in alios possint transferri, penes majores suos eorumque hæredes permanentibus. Itaque illa cessione non obstante, possessionem sibi, apud quem directæ erant actiones, potuisse tradi. Itaque si Cæsar adversus se, qui jure possideret, ex illa cessione quid juris prætendat, petere ipsum debere via juris, se interim possidente. Ad commissi feudi caput primum de non postulata investituræ renovatione respondebat, eam non fuisse necessariam dum alii possiderent. Adversus caput alterum de prole Guiljelmi mascula deficiente, adducebat privilegia suis majoribus concessa, firmataque; quibus masculis heredibus atque agnatis deficientibus successio datur filiabus, earumque liberis. Lotharingi intentioni opponebat Clivensis, Carolo principi, cujus majoribus hæc ditio fuisset abjudicata, quique numquam fuisset investitus, nullum jus competivisse; negabat ullis conventionibus dari jus Lotharingo, vel suum jus impediri, Orabat itaque Clivensis, ut Imperii Ordines apud Cæsarem intercederent, suamque ipsi causam commendarent: sed Clivensi frustra ad judicium provocante, Cæsar cum magnis copiis ex Italia descendens eo Clivensem adduxit, ut in castris ad Venloum supplex a se veniam peteret, &, quicquid in Gelriam ac Zutphaniam juris prætendebat, ei renuntiaret, subditisque fidem sibi datam remitteret. atque hinc Cæsar ejusque filius Philippus Hispan. R. per Proprincipes Gelriam gubernarunt ad annum usque CIↃ IↃ LXXX; quo gens hæc ejurato Hispani nomine, solius Proprincipis ac Senatus patrii, Ordinum suffragiis electi, atque ipsorum Ordinum imperium cœpit agnoscere.

Sub

*Sub Principibus semper primi inter illos fuerunt Barones quatuor, videlicet Bronchorstianus, Bergensis, Barensis, & Wißius. Alterum membrum constituerunt Principis Equites ac ministeriales pagani: quorum olim non ita definitus erat numerus, quippe qui pro temporum ratione atque arbitrio Principum solet mutari, augeri, minuique. Deinde autem certæ eorum familiæ in hoc ordine recenseri cœperunt. tandem etiam isti ordini adscriptæ sunt aliæ aliquot optimatium urbanorum atque extraneorum familiæ. Tertium membrum civitates atque oppida constituunt. Ex his componitur Respublica Geldrorum: in qua singuli communi Principis imperio Ordinumque in suis partibus cognitioni subditi fuere, & ipse Ordinum Princeps publicis legibus ac juri fuit obnoxius: ut universi Reipublicæ unius speciem ex uno atque optimatibus mixtam exhiberent. Horum Ordinum comitia quo loco & tempore commodum videretur indicere Principi jus erat. atque in his deliberabatur de iis, quæ publicam rem atque universorum jus spectarent, videlicet de pace, de bello, de tributo ad communes belli sumtus aliasve necessitates imponendo, de fœderibus, de sociis, de monetæ regimine, de alienatione atque ablegatione juris ditionum, urbium, arcium, redituum ac prædiorum Reipublicæ, & de cæteris hujusmodi rebus; quæque hic concludebantur, jussu Principis accedente, rata habebantur ac firma. Quatuor primariæ civitates, olim præcipuæ dignationis & authoritatis, ac veluti arces & columina fuere tuendæ libertatis publicæ, instarque tribunorum plebis suo patrocinio reliqua oppida ac agrarios contra Principum attentata & injurias defendebant. Hinc anno* CIↃCCCCXLI, IV *Iulii, inter Ducem Arnoldum & Ordines; ac rursus, anno* CIↃCCCC LXXI, *inter Ordinum deputatos & primarias civitates Tetrarchiarum Neomagensis, Zutphaniensis & Arnhemiensis, fuit conventum: Si Princeps cuipiam subditorum suorum contra jus fasque esset injurius ac molestus, ut gravatus querelam deferret ad istius Tetrarchiæ, cui subjectus degit, civitatem; quæ querelam persequi teneretur apud Principem: &, si hic spacio duorum mensium ab attentatis suis non desisteret, tunc omnes reditus Principis, ac quicquid in ea Tetrarchia rei Fiscalis erat, corriperentur, donec Princeps illatum damnum sarciret; quod si intra mensem læso satisfacere omisisset, prædicta civitas illud proximæ urbi, illa alteri significaret: ubi simili ratione manus in rem fiscalem injiceretur. Hodie supremum totius provinciæ regimen est penes Ordines, qui hodie tantum è duabus classibus constant; Nobilibus nimirum, qui veteri consuetudine jus suffragii habent,*

*& consuetum jusjurandum de tuenda Religione & libertate præstare non abnuunt; & urbium deputatis. Hos autem convocandi, cum opus est, Proprincipi ac Senatui nationis jus est.*

## Leges quædam & jura peculiaria.

*IN legibus ac moribus ista fere habent Geldri memoratu digna. Liberi majorennes peculium suum citra parentis assensum vendendi ac donandi jus habent. Asperrima illa Romanis legibus descripta servitutis conditio numquam ab illis recepta fuit. Sunt variæ colonorum serviliũ conditiones,* Hof-horige/eygen-horige/ vol-schuldige/ vrien-luyden / *glebæ ac prædiis, quorum partes censentur, adscripti, quibus uberiorem rem comparare permissum, quam tamen post ipsorum mortem detondere Domini queant. Extra causam matrimonii nullus erat liberos legitimandi modus, licet nunc per rescriptum Ordinum legitimatio invaluerit. Romani juris adoptiones, arrogationes, emancipationes penitus ignorantur. Est inter conjuges (si non aliud in tabulis antenuptialibus fuerit conventum) omnium bonorum communio, hæreditatum, legatorum, donatorum aut quacunque ratione alteri acquisitorum. Dotium jura nulla sunt. Ære alieno viri mulier tenetur; ac nomen faciente viro, non minus obligatur, quam si ipsa quoque fidem obstrinxisset: cum marito se obligans non juvatur S.C. Vellejano; neque habet in mariti bonis tacitam hypothecam. Donare conjux conjugi inter vivos non potest; mortis causa quibusdam locis potest, modo fiat reciproce: reliqui autem nisi inter vivos atque irrevocabiliter donare non possunt; neque res soli neque bonorum universitas testamentis, fidei commissis, vel legatis transferuntur. Non itaque hic atteruntur subditorum bona litibus de testamentorum internis vel externis vitiis, vel suorum hæredum de inofficioso testamento ac præteritorum liberorum non emancipatorum querelis, nec controversiis de substitutionibus ac fideicommissis, unde alibi patronis forensibus opima est messis. Ex conventionibus antenuptialibus haud secus, quam ab intestato, successiones bonorum transferuntur. legem ibi semel dictam, is, de cujus actum fuit successione, solus mutare nequit. Mulieres sine auctore non habent personam standi in judicio. Ius dicitur, secundum mores atque edicta, quæ Principes, ex subditorum in quaque præfectura desiderio ac consensu, per formulam contractus promulgare solent. Denique habent Geldri consuetudines feudales peculiares, à moribus Longobardicis multum differentes. quas qui penitius scire desiderat adeat doctissimum scriptum Frederici à Sande I C, Commentarium, nimirum*

*nimirum in Gelria & Zutphania consuetudines feudales: è quo potissimam partem eorum quæ de Gelria diximus & porro dicemus, accepimus.*

## Iudicia atque Imperia.

PRo controversiarum varietate varia quoque constituta fuere judicia atque imperia. Ecclesiasticum videlicet, & genticum, item ordinaria in urbibus, oppidis ac pagis: clientelaria, aggerum, fluminum, dominicorum atque adscriptitiorum colonorum. Ecclesiasticam habuere jurisdictionem, Colonienſis Archiepiscopus in urbe atque Imperio Neomagensi: Trajectensis in reliquis Neomagensis Tetrarchiæ partibus, atque etiam in Tetrarchia Arnhemiensi: Leodiensis in Tetrarchia Ruremundana: Monasteriensis in Zutphaniensi Comitatu. his jus fuit cognoscendi de legatis ad pias causas, de matrimoniis, de beneficiorum Ecclesiasticorum, præbendarum ac sacerdotiorum jure. in reliquis causis Romani Pontificis atque Episcoporum imperia, comminationes ac fulmina semper insuper habita fuere. hinc illud in diplomate Arnoldi Ducis, dato anno 1432: Wy beloouen alle bannen ende ladinghe upt onsen lande te keeren / ghelijck onse Voorvaderen dat oock ghedaen ende uptghekeert hebben. *Id est: Promittimus, nos banna omnia omnesque evocationes è nostris Dominiis prohibituros, quemadmodum majores nostri fecerunt. Hodie, abjurato Ecclesiastico imperio, omnes istæ causſæ spectant ad gentilem judicum consessum, exceptis legatis piis, quorum conditio coram ordinariis judiciis instituenda est.*

*Gentico judicum consessui præesse solet Princeps, aut vicarius ejus, & Cancellarius, hisce olim à Principe, hodie à singularum Tetrarchiarum nominatione, ac Proprincipis & reliqui Senatus electione, duodeni plus minus adjunguntur Senatores legum ac morum periti.*

*Senatui adjunctus est fisci patronus, quem principis vel reipublicæ tutorem vocant, huic jurium fiscalium, dominicalium Imperii, jurisdictionis ac limitum cura commissa est. ejus officium est, de jure reipublicæ inquirere; agendo ac defendendo reipublicæ patrocinari; Prætoribus, quæstoribus, publicanis, ac jus à Principe vel republica habentibus consulere atque in jure adesse; delictorum graviorum suspectos extra ordinem ex judicum decreto reos peragere.*

*Gentici judicum consessus est definire controversias super jure prædiorum, adscriptitiorum ac dominicalium; super iis, quæ Principes, vel respublica pro suis possidet; super injuriis*

verbo vel ſcripto ibidem alicui illatis; ſuper jure Eccleſiaſticorum beneficiorum, ſive Principem ſive alium agnoſcant patronum; atque etiam ſuper militarium beneficiorum poſſeſſione; ſuper controverſiis matrimoniorum; ſuper ſalariis ac ſumptibus Advocatorum vel Procuratorum ex cauſsis fori ibidem diſceptatis. Eorundem quoque judicum eſt cognoſcere ſuper interpretatione ac jure principalium privilegiorum, vel contractuum, ſi non inferiorum illa conſeſſuum cognitionibus ſpeciatim fuerint ſubmiſſa. Item ſi controvertatur inter communitates, urbes vel pagos diverſarum juriſdictionum, atque etiam ſi duo de poſſeſſione vel dominio imperii alicujus hereditarii contendant. Item ſi alicubi in terra illa jus notorie negetur, vel malitioſe protrahatur, vel juriſdictio vacet, ſi nulliter adverſus leges patrias à prætoribus actum vel in conſeſſibus pronunciatum dicatur, hujus Senatus auxilium imploratur. Hic adverſus publico munere fungentes ſuper exceſſu, delicto vel concuſsione accuſationes inſtituuntur. Hic ſuper paganorum criminibus inquiſitiones atque executiones decernuntur, niſi alibi ex privilegio vel conſuetudine inferioribus conſeſsibus cognitiones iſtorum criminum fuerint reſervatæ: quo tamen caſu ſententias ibidem conceptas Prætores non aliter quam Senatu jubente executioni mandant. In hoc quoque Senatu Proprinceps, Cancellarius, Senatores, III-viri Rationales, reliquique curiæ ſuppoſiti, ſi perſonaliter ex contractu vel delicto conveniantur, forum ſortiuntur. Hic & III-virorum Rationalium acta omnia reviſioni ac reformationi ſubjecta ſunt, ſicubi in patrimonii publici adminiſtratione, vel in Prætorum, Quæſtorum vel publicanorum rationibus diſpungendis, reipubl. vel privatis præjudicatum dicatur. Hic quoque Senatus ejuſve Legati præſunt cognitionibus provocationum in Comitatu Zutphanienſi, Batavia ſuperiore, opido Thielenſi ac Velavia. Iudicat denique de quibuslibet controverſiis ex prorogatione partium. Delictorum ubivis in provincia patratorum gratiam facit Senatus, atque abolitionem concedit. Atque hæc de cauſsis Principis ejuſve conſilii cognitioni reſervatis. Avocare autem cauſſas ab ordinariis judiciis Principibus nunquam licuit, ut pote ſolemni juramento obligatis, Dat ſp een pder ſtadt-recht / landt-recht/ leen-recht/ dijck-recht/ water-recht / 't huys-recht ende laten-recht/ ſonde laten wederbaren. Id eſt: Se permiſſuros, ut omnes & ſinguli jure oppidano, rurali, feudali, aggerali, aquatico, domeſtico prædialique fruantur.

In omni autem judicio, ſive ordinario in urbibus ac pagis, ſive extraordinario, ſunt Præſides, ſive Satrapæ; ſive Prætores, & præterea

*præterea alibi ordinarii ac jurati, alibi injurati litium disceptatores. Hi sola cognitione sententiaque contenti ab Imperio omnino alieni sunt, illi Imperio contenti cognitionibus abstinent. Adeo ut nullibi, præterquam in Senatu gentis, Principem repræsentante, cognitio cum Imperio in eisdem personis concurrat. Non habuere itaque Principes summam in jura potestatem, sed fuere edictorum formulis devincti: à quibus recedere vel latum unguem religio fuit. Sunt præter ordinarias jurisdictiones in superiore atque inferiore Batavia, inter Mosam ac Vahalim, in insulis Bommelii ac Thilæ, marginibus Velaviæ, atque alibi, aggerum Præfecti ac* VII-viri jurati, Dijck-graven ende Heemraden/ *quibus aggerum muniendorum ac conservandorum adversus maris ac fluminum exæstuantium inundationem cura commissa est. Hi ex perpetuis Principum edictis, quum res poscit, obequitantes aggeribus, aquæ ductus ac cataractas perlustrant; si quid dissipatum, convulsum, concussum vel obturatum sit, instant, omnibus instaurandis incumbunt, multas indicunt, prædia neglectis aggeribus obnoxia evincunt, ac publica licitatione ac omni reliquo clientelari censuali vel hypothecæ onere libera ac penitus purgata minimum exigenti addicunt. Suntque hæc aggerum muniendorum jura in multis admodum rigida atque exorbitantia, idque ob publicam securitatem; quamvis non desint qui conquerantur, eorum jurium observatione atque acceptione, sive per rationum ignorantiam, sive consulto, à vero cum subditorum pernicie sæpe aberrari. Est & censualis jurisdictio, qua plerique prædii solario jure, vectigalis possessorem ad ejus professionem censuumque cessorum præstationem sibi faciendam adigunt, ex parium istius curiæ cognitione ac decreto.*

*Circa provocationes non eadem lege utuntur per universam terram. A plerisque urbibus nulla datur provocatio. Neomagensium sententiæ Aquigrani reformantur. In Comitatu Zutphaniensi nova lege inductum est (aliter enim fuit ante annum* 1594) *uti ab inferioribus Præfecturarum judiciis ad juridicos consessus superiores provocare liceat. In singulis præterea territoriis provocatio est, sed minime ad eosdem. Conventus pro sententiis territorii Zutphaniensis reformandis habentur Zutphanii: in territorio Arenacensi conventus in eam rem habentur ad sylvam dictam* Enghelander holt / *sub dio. In Tetrarchia Ruremundensi ac Neomagensi singulæ pæne pagana Præfecturæ seorsim in hanc rem suos habent conventus. Alibi præest Principis Senatus, atque urbium legati adsunt: quos alii non admittunt; alibi omnes, qui ex ordine Equestri in Præfecturis prædia possident, etiam extra-*

*nei, ad ſuffragia admittuntur; alibi indigenæ tantum; alibi ſolummodo ipſorum delegati. Eſt ubi provocatur ad urbium Scabinos. Alibi frequentiores in hanc rem habentur conventus; alibi rariores, atque adeo vix bini intra hominum memoriam. Ex hac ditione ad Imperatoriam Curiam nullam eſſe admittendam provocationem, obtinuit ab Imperatore Henrico Reinaldus Gelriæ Comes, anno* CIↃCCCX.]

Nunc ad particularem ſingularum totius Ducatus, & in primis quatuor principum urbium deſcriptionem accedamus, progreſſuri deinde ad minora oppida donec finem huic terræ imponamus.

## NOVIOMAGVM.

NOVIOMAGVM, regni etiam titulo, ſicut & pedis Imperii nomine, hominibus iſtis innotuit. Tanquam à Carolo Magno, ut tradunt, ſecunda in his terris ſedes delecta Imperatoribus: quarum prima Aquiſgranum eſt, tertia Divodurum ſive Theonis villa, in terra Lucemburgenſi. Quod vero ad etymon attinet, Geldenhaurius opidi civis in hiſtoria ſua Batavica primum ejus conditorem aſſerit Magum fuiſſe potentiſſimum Regem Gallorum, & Ditis filium. qui de ſuo ipſius nomine Magam eam vocaverit. ſed veniſſe poſtea in has oras Batonem Regem Cattorum, qui & amœnitate ſitus, & loci antiquitate captus, opidum juſſerit inſtaurari, & prolato pomœrio finibus, triplicibus mœnibus circumdari. à qua inſtauratione Noviomagum appellatum ſit, id eſt patria Belgarum lingua, Nieumeghen / vel molliore pronuntiatu, Nimmeghen. Addit inſuper, Heſſium, Batonis filium, excoluiſſe hoc opidum, utpote patriam ſuam, indeque inferiorem opidi partem Montem Heſſium dici. denique, communi Batavorum conſenſu, introductum fuiſſe, ut regia urbs, & totius terræ caput haberetur. Vtut eſt, antiquiſſimam eſſe conſtat. Adjacet alveo Rheni, cui Vahalis nomen datum: patenti illic nec minus alto. A Raveſteinio duarum leucarum itinere abeſt. Pulchra profecto, potens, ac valida urbs eſt, ac non civibus minus quam opibus affluens. quæ poſtquam parere cœpit genti Auſtriacæ, cives, militiæ magis, quam pacis artibus prius intenti,

Mercurio

Mercurio poſtea & Minervæ facti ſunt conſecranei. etſi nec vetuſtis temporibus defuerint civitati viri illuſtres, & ſcriptis clariſſimi: inter quos Theodoricus Bornius, Ioannes Henricius, & Ioannes Bronchorſtius. Hodie Noviomagum cives habet Franciſcum Craneveldium, Senatorem Magni Conſilii Mechlinienſis, virum eruditiſſimum, & eximium ſane virtutum litterarumque mæcenatem. cujus filius quoque Iodocus, adoleſcens admodum eruditus, poſtea factus eſt primus conſiliarius & Procancellarius Geldriæ. Habet inde Gerardum Falkenburgium, ſummæ doctrinæ ſummæque expectationis adoleſcentem. Habet Petrum Caniſium, magnum Theologum, ut ex editis viri ſcriptis appareret. erat hic eccleſiaſtes Imperatoris Ferdinandi, factus inde Legatus Apoſtolicæ Sedis ad Principes Germaniæ in cauſſa Concilii Tridentini. habet Guiljelmum Rijſwykium, Decanum in Divi Stephani, virum inſigniter pium & litteratum. item Petrum Buſæum, & Othonem Hartium, Advocatum in Cancellaria Brabantiæ, ac doctiſſimum ſane juris Doctorem. habet Henricum Vwenum, Hartii nepotem, itidem Iuriſconſultum egregium, etſi etiamnum adoleſcentem. habet denique alios multos viros illuſtres. denique Noviomagenſium plurimi acri ſtudio artibus liberalibus incumbunt, eumque in finem optime inſtitutas ſcholas habent, & in iis ſeptem primarios præceptores utramque linguam profitentes, ac plus mille interdum diſcipulos. Varia eadem in urbe ſunt templa & pietati dicata ædificia. inter quæ inſignis illa collegiata, quam vocant, eccleſia Divi Stephani protomartyris Neomagenſis. Inter alia vero ejus ornamenta excellit potiſſimum antiquiſſima illa & pulcherrima arx, monti inædificata, & ſupra reliquam urbem prominens: quam conditam aſſerunt, aut certe inſtauratam ab Iulio Cæſare, finitimis urbi locis coercendis ac detegendis. & profecto ſi veorum amamus, non facile ullum in tota hac Belgica locum invenias, qui vel egregium magis vel ampliorem hoc noſtro reddat agrorum & fluminum, item urbium atque pagorum proſpectum. Inventa ſunt in hac urbe & ſuburbano agro monumenta compluria veterum Romanorum, nummi quamplurimi, & ſumtuoſorum operum tumulorumque lapides, quorum hodie-

que

que ſatis magna copia invenitur. Ioannes Falkenburgius civis Neomagenſis, ſummus virtutum & antiquitatum æſtimator, domi ſuæ adſervat unum & item alterum è nobilibus hiſce lapidibus, qui veterum aliquot ducum aliorumque virorum illuſtrium titulos & effigies præferunt. Effoderunt præterea varias Antiquitates Romanas ad eam Vahalis ripam, in qua olim creduntur egiſſe ordinaria Romanorum præſidia. unde & ipſe locus, urbi pæne contiguus, hodieque Teutonico idiomate audit den Roomſchen voet/ id eſt pes Romanus, extantibus hac de re & lapidibus, voces quaſdam Latinas præſeferentibus, & primariæ urbis portæ, vulgo de Heſſelpoort / inſertis, voces quas dixi eciſtæ: *Hic pes Romani Imperii: huc uſque jus Stauriæ.* ex quibus nonnulli conantur colligere, Stauriam, non incelebre quondã & latiſſimi territorii Friſiæ opidum, Noviomagum olim appellatũ eſſe: ſed colligere etiam hinc poſſis, ampliſſimum Stauriæ territorium juriſdictionem ſuam Noviomagum uſque produxiſſe. Invenerunt etiam annis ſuperioribus ſub terra in cœmiterio ædis prædictæ Divi Stephani lapidem quemdam prægrandem, muro ipſius cœmiterii è regione crucis Ieſu Chriſti hodieque inſertum, cui vetuſtis admodum characteribus inſculpti ſunt iſti verſiculi:

*Anno milleno poſtquam ſalus eſt data ſæclo,*
*Centeno juncto quinquageno quoque quinto*
*Cæſar in orbe ſitus Fredericus pacis amicus*
*Lapſum confractum vetus in nihil ante redactum*
*Arte nitore pari reparavit opus Novimagi.*
*Iulius in primo tamen extitit ejus origo,*
*Impar pacifico reparatori Frederico.*

Gaudet Neomagum titulo Vicecomitatus, eſtque feudum & opidum Sacri Romani Imperii. cui, ſicut & cæteris liberis urbibus, monetæ pro arbitratu cudendæ jus eſt. unde nec appellatur iſthinc ad Cancellariam Geldriæ, ſed recta tenditur Aquiſgranum. nec propterea tamen urbs Imperio manet obnoxia: niſi quod ſollenni quodam ritu, & velut in agnitionem immunitatis, per hominem certum quotannis pipere plenam chirothecam Aquiſgranum mittat. At Regi Philippo, quatenus Dux Geldriæ eſt, ſuum quoque in urbem hancce imperium, ſuaque eſt juriſdictio, quare & ipſe cudi hic facit

cit monetam eadem qua in cæteris urbibus ſuis mixtura, ejuſdemque formæ & pretii. In ſacris autem Noviomagum ſubeſt Archiepiſcopo Colonienſi. Eſt hoc opidum univerſi Ducatus ſui Metropolis, ſpeciatim vero primi atque præcipui ejus quadrantis caput. In quo ſequentia oppida, & præfectorum territoria ſunt: Tila, & Bommelia, mœnibus cinctæ urbes. Gentia, quamvis ſine muris, gaudet tamen civitatis immunitatibus. At ex territoriis, ſeu juridicis conventibus, potiſſimum eſt Burggravii, ſeu vicecomitis Noviomagenſis: tum Tilæ & Bommeliæ una cum Bommeliana inſula, Bommelerweerdt / vulgo nuncupata. Sequitur exin ſuperioris & inferioris Betaviæ (de Betuwe) conventus: denique territorium interamnenſe, id eſt ager Moſam & Vahalim interjectus. Noviomagum cum reliqua Principum Geldriæ ditione anno Chriſti 1248 hoc pacto conjunctum eſt: Otho ſecundus Geldriæ Princeps Romanorum Regi Guiljelmo marcas ſemel & vicies mille argenti puri ea conditione mutuo dederat, ut niſi intra conſtitutum tempus pecuniæ redderentur, opidum Noviomagum Othoni ac ditioni ejus accederet: quod pactum amplioribus poſtea conditionibus approbavit Romanorum Rex Rodolphus. igitur quia imperatorum incuria, aut forte rebus anguſtis debitum præfinito tempore exſolutum non eſt; Noviomagum certis legibus cum Geldriæ Ducatu coaluit.

Neque vero hic prætereundum eſt, quo tempore prodiit altera operis hujus editio, poſt diutinas preces & graviſſimas interpellationes, concluſum tandem, & peculiari quodam beneficio certiſque conditionibus, Regio nomine, conceſſum fuiſſe auctori Thomæ Gramajo, viro quovis honore & præmio digno, ut ab urbe Noviomago uſque ad leucæ quartam ab Arnhemo partem foſſa ampliſſima duceretur, ab uno Rheni ad alterum pertinens; cæterum intra aggeres, quos juſtis de cauſſis nolunt perfringi. quod ſpatium erit duarum leucarum majorum, bis mille & octingentas perticas, quarum ſingulis ſedecim hujus menſuræ pedes reſpondent, complectentium. ita ut magnitudine quidem nobili illi Druſianæ, ſupra ad alteram fluminis ripam nobis deſcriptæ, foſſa iſta non multum ſit conceſſura. opus revera heroicum, & in magnam utriuſque opidi & finitimorum

rimorum locorum commoditatem ceſſurum! quod tamen non propoſitum modo alias atque diſcuſſum, ſed peculiari etiam privilegio huic tractui fuit indultum, ab Henrico Auguſto, ejus nominis ſeptimo, ante annos præterpropter ducentos & ſeptuaginta.

Leucæ unius itinere Noviomago diſtat pagus Groeſbeca, unde cognomen ducit nobiliſſima gens Groesbequia, loci ipſius domina; è qua gente natus eſt Gerardus Groesbequius, Antiſtes Leodicenſis, cujus fuſior infra cum honore & laude mentio fiet.

Duabus circiter Noviomago leucis, inter Moſam & Vahalim, ſitum eſt Craneburgium, opidulum quidem exiguum, at collegiata tamen ut vocant eccleſia nobile: unde natus Theodorus Pulmanus, vir litteratiſſimus, qui conquiſitis undique ſumma cum diligentia, nec minori amicorum opera atque impenſa, libris calamo exaratis, omnes fere Poëtas Latinos, magna ſua cum laude, & publica omnium gratia, caſtigavit & emendavit.

## Regimen politicum & civile.

ADD. [*Noviomagum, ſive Neomagum, olim Batavorum oppidum inter tria primaria Regni palatia à Carolo Magno numeratum; civitas Imperii libera. Quæ licet à Wilhelmo Romanorum Rege, anno* CIↃ CCXLVIII, *Otthoni* III *Gelriæ Comiti certis conditionibus oppignorata, ſua tamen ſemper uſa eſt libertate atque privilegiis, quæ tam Imperatores Romanorum quam Gelriæ Comites Ducesque ſubinde auxerunt ac confirmarunt. quorum diplomata ampliſſima adhuc in archivis reperiuntur. Inter Privilegia iſta eſt jus rogandarum & abrogandarum legum; tributorum & onerum indicendorum; ſignandæ monetæ; rem nummariam conſtituendi, duella imperandi; ſtatuendi de daniſtis; jus tractandorum armorum; reos certis caſibus è toto Romano Imperio proſcribendi; & ab Imperatore proſcriptos impune in urbem admittendi, delicta condonandi; fidem publicam obſtringendi; jus in loca publica, & res pro derelictis habitas; jus telonii, venationis, & alia ejuſcemodi. Communibus quoque privilegiis cum reliquis Hanſeatici fœderis oppidis utitur. In Hanſeaticarum enim urbium numero, cæteras ejuſdem fœderis in hoc tractu convocat ad communem conventum; perquiſitiſque ſociorum ſuffragiis, per ſuos fere legatos in communibus conventibus referre, communemque cauſam agere ſolet.*

*Inſignia*

*Insignia praterera habent Imperii Clypeum aureum, & aquilam nigram bicipitem, in cujus pectore, discriminis, ut videtur, causa, clypeus caruleus aureo leone fulget: his, corona, quæ antiquitus summi imperii insigne fuit, ab omni hominum memoria fuit imposita. Denique, Imperatores hanc urbem semper eisdem privilegiis donarunt, quibus Aquisgranum decorarant. Atque hæc quidem decora & privilegia urbis in communi. Singuli etiam cives præclaris immunitatibus gaudent. qualia sunt: in servitutem redigi non posse, neque ullo nexu cuipiam obstringi: eorum bona toto Romano imperio, terra marique, libera esse ab omnibus vectigalibus & oneribus: quodque alio evocari non possunt. Senatus Neomagensis constat ex* XXIV *viris. Socii Collegii S. Nicolai, qui* CC *numero, hic fere iidem erant, qui in Repub. Rom. Tribuni plebis, & sine quorum consensu nihil publice fiebat. si quis numerus vacaret, totidem civium primariorum paria nominabant, ex quibus Senatus singulos in ordinem suum allegebat. hæc postridie Calend. Ianuar. agebantur. Verum hisce sociis anno* CIↃ IↃXCI, *quum Neomagum fœderatis nationibus accederet,* XXXII *viri ex contractu successerunt; quorum electio supremo gentium fœderatarum, præfecto, durante hoc bello, est attributa. Consularis dignitas apud* VI *viros fere stare solet, quorum bini annuo consulatu funguntur; quis totidem postea succedunt, & his iterum par numerus. Qui consulatu abeunt, ex consules, ut Tribuni militares, centurionibus civicis in annum sequentem præsunt: hi duos ex reliquo Senatu judices sive Scabinos eligunt, qui præstito pro more juramento, binos alios eligunt: & hi jurati totidem, & ita porro ad numerum* XII: *tot enim Scabini lites dirimunt & judicia peragunt: reliqui, Senatores audiunt. Qui Magistratu funguntur,* XXXII-*viros in negotiis arduis aut alicujus momenti consulunt in curiam vocatos.*

*Neomagenses jure in judicando proprio utuntur, & sanctionibus suis atque consuetudinibus, jure quoque ab Imper. Rom. scripto. Apellationes ab ipsorum sententiis in causis criminalibus nullæ; quemadmodum neque in mulctis quibus suos damnant; denique neque in causis civilibus quæ pretium* CL *aureorum non excedunt. In cæteris appellatio instituitur, non ad gentilem judicum Consessum, qui hodie est Arenaci, sed ad Iudicium Aquisgranense; ut ejus adsessores cognoscant, an secundū jura & statuta Neomagensium pronunciatum sit necne; idque ex actis, quæ obsignata per juratum tabellionem, qui & Aquisgranensium sententiam refert, mittuntur. Si Aquisgranenses in lite ista*

*terminanda*

*terminanda à juribus & ſtatutis Neomagenſium recedant; Magiſtratui Neomagenſi integrum eſt illorum ſententiam repudiare, & ſuam ratam habere.*

*Noviomagenſium jurisdictione patent tres pagi ſuburbicarii, qui ne quidem Imperatoria authoritate ab ipſis poſſunt alienari:* Heeſt/ Nederboſch & Hetert. *hi vulgo Scabinatus Noviomagenſis dicuntur. Penes Magiſtratum Noviomagenſem perpetuum jus eſt conventum Ordinum ſuæ Tetrarchiæ indicendi, per Conſulem ſuum in iis præſidendi, & per ſcribam qui ipſi à ſecretis eſt omnia quæ aguntur in acta & tabulas referendi; tabulæ autem iſtæ non alio quam urbico ſigillo obſignantur. In Illuſtrium autem Ordinum Generalium conſeſſu delegatus hujus urbis inter cæteros civitatum Gelriæ delegatos primus ſententiam rogatur. Magiſtratus Noviomagenſis Moſa-Vahaliæ (quæ præfectura urbi obligata eſt) Præfectum dat, (qui & judex eſt in illa præfectura, & aggerum, ut vocant, Comes,) ſcribamque actuarium. Nec quisquam prætorum paganorum, quos Scultetos vocant, pagis hujus præfecturæ abſque Noviomagenſium conſenſu præficipoteſt. Nec tributa nec onera ulla, Regno Noviomagenſi, ſuperiori Bataviæ aut Moſa-Vahaliæ, abſque Magiſtratus Noviomagenſis authoritate indicuntur. inter aggerum Curatores ſeu inſpectores, quos Heemradios vocant, in ſuperiore Batavia unum, in regno Noviomagenſi binos, ex ſuorum numero legunt.*

*Qui Magiſtratum olim Noviomagi geſſerunt, omnes, veteri (ut videtur) Batavorum inſtituto, equum alere juramenti religione tenebantur; qui mos ſuperioribus ſeculis religioſe obſervatus, patrum noſtrorum memoria primum exolevit.*

*Territorium urbi vicinum, Regnum Noviomagenſe vocatur. Hoc à ſeptentrione Vahalim & Scabinatum Noviomagenſem, ab oriente Cliviam, ad meridiem Moſam, ad occidentem præfecturam Moſa-Vahaliam habet. Regnum dicitur, quia Noviomagum, à quo nomen ſortitur, olim inter regia palatia fuit. ut Aquisgranenſium fines regni quoque nomine cenſentur. Toto iſto territorio Burggravius, qui arcem Noviomagenſem habitat, præfectum agit; quo munere nullum aliud hoc principatu prius aut dignius eſt. Hujus autem regni nomine, in duobus pagis* Wichen & Beningen/ *quibus reliqui ſubſunt, judiciarii conſeſſus habentur. In cauſis civilibus ſummum, in capitalibus etiam unicum, in arce Noviomagenſi, coram Burggravio & Scabinis urbicis, tribunal eſt, à quo nulla ad gentilem judicum conſeſſum vel Geliæ Ducem, nulla ad Aquisgranenſes provocatio eſt. Appellationes eorum qui ſub Toparchis* Gegen/ Perſingen/ Ubbergen/

Open/

Oyen/ Dieden; *& qui in pagis superioris Batavia*, Aert & Herwen / *degunt*, *Noviomagi quoque definiuntur. Nemo ad Burggravii vel judicis dignitatem admittitur, nisi impetrato ante Civitatis jure, & præstito civitati juramento, è cujus formula fideliter & secundum jura consuetudinesque oppidi se isto munere functurum sancte pollicetur. Vterque & Burggravius & Iudex in solemni Paschatis festo pannum argento prisulato ornatum, coloribus oppidi distinctum, altera parte nigrum, altera rubrum, pallio injectum, antiquo more gestant; qualem etiam Consules eodem festo cum suis apparitoribus & plerisque qui Civitati officii nomine obstringuntur, solent ferre. Nec Burggravio nec Iudici ullum in cives, incolas vel peregrinos illic jus est. Iudicis nulla in judicio alia partes quam consessus convocandi. Manuum injectio, prehensioque, penes istius anni Consules est, quos sui lictores sequuntur; nec quisquam civium isti, extra casus quibus è consuetudine aliud obtinet, obnoxius est, nisi justa Scabinorum sententia fuerit damnatus. In flagranti tamen delicto, vel cum periculum est ne per Consulum absentiam facinorosi elabantur, cuivis Senatorii ordinis viro rei sistendi potestas est. De chirothecis, quæ quotannis Leodium mittuntur, alii alia scribunt: res ita se habet. Immunitate vectigalium toto Mosa, nominatimque Leodii, gaudent Noviomagenses, ea lege, ut quotannis circa dominicam quæ proxime festum paschatis sequitur, par chirothecarum ex albo cervi corio, qualibus accipitrarii in aucupiis utuntur, cum duobus piperis pondo Leodium mittant. Hunc morem multis annis neglectum & pene antiquatum Arnoldus de Hoyrne Leodiensis Præsul anno* CIↃCCC LXXXVIII *in integrum restituit, à quo tempore in hunc usque annum durat.*]

# RVRÆMVNDA.

RVRÆMVNDA, juxta communem istorum hominum consuetudinem, nomen sumit ab ostio fluminis Ruræ, quod ad ipsam urbem in Mosam aquas suas exonerat. ostium enim, sive os, Teutonibus dicitur mond. à quo ipso vocabulo, tum & fluminis nomine, urbis nomen componunt. quod in aliis quoque Belgicæ opidis observatur, ut suis infra locis docebitur. Distat hæc urbs à Venlona itinere trium leucarum: estque & civibus frequens, & divitiis admodum potens:

tens: tum ædificiis quoque concinna, & ſitu ac mœnibus valida. Primarium ejus templum Spiritui Sancto dedicatum, & non ita pridem ab Romano Pontifice in Epiſcopalem dignitatem erectum. quo munere hodie merito fungitur Guiljelmus Lindanus, qui jampridem in uſum communem vulgavit inſignia quædam ingenii ſui monumenta, factus tandem, ut infra dicetur, Epiſcopus Gandavenſis. Eſt in hac ipſa urbe & cœnobium illud ampliſſimum opulentiſſimumque Carthuſianorum. Ager Ruræmundenſis longe lateque porrectus, ad omne frugum & fructuũ genus perfertilis. unde occaſione ſic ferente, exercituum eo ſollennis confluxus, & velut ſtativa quædam caſtra. Ruræmundenſes fuere Bartholomæus, Prior Cœnobii Bethlehemitici, variorum librorum ſcriptor: Dionyſius Richelius, ejuſdem Cœnobii Monachus, doctus plane & reverendus antiſtes, qui & ipſe, magna ſua cum laude, multa ſcripta vulgavit: & Theodorus Gramineus, artium Mathematicarum Profeſſor egregius. Eſt autem Ruræmunda inter Principes Geldriæ urbes ſecunda, & caput alterius quadrantis, ſub quo compræhenduntur opida & territoria ſequentia: Venlona videlicet, Geldria, Strala, Wachtendonca & Herculanum, opida muris circumdata: tum municipia tria, quæ & ipſa velut opidula, Montfurtum nempe, Echta, & Neoſtadium, quæ ſingulæ leucæ longioris intervallo diſtant. territoria vero ſunt cum quinque quas diximus urbium, tum præfecturarum Keſſeliæ, Midleræ & Criekenbequii. In ſacris hæc portio Epiſcopo Leodicenſi paret.

Leucæ unius intervallo Ruræmundâ diſtat Keſſelia, vel ut volunt Caſtellum, pagus longe ampliſſimus, vertici montis impoſitus, cui proprius toparcha eſt. impertit autem vocabulo ſuo Keſſeliam, regiunculam Regiæ ditionis, fuitque antiquis temporibus, ſi Huberto Thomæ credimus, magni in primis momenti ac celeberrimi nominis opidum, adeoque idipſum quod Ptolomæus appellat Caſtellum, Menapiorum metropolim. Ita ſiquidem temporis lapſu & minuuntur viciſſim & augentur inſtabiles iſtæ & fluxæ res mundanæ, quo moneamur & oculos noſtros & mentes ad cœleſtia numquam peritura attollere.


ZVTPHEN.



# ZVTPHANIA.

ZVTPHANIÆ nomen dedit ſitus humilitas & paludes urbi contiguæ, ac vulgari iſtorum lingua Venen dictæ. Adjacet dextræ ripæ fluminis Iſalæ, loco quem Plinius & Pomponius Mela Flevum nominant. Interfluit urbem fluvius Berkela, extraque eam Iſalæ miſcetur. Zutphania Teutoburgo ſeſquileucæ, Arnhemio circiter quatuor, Noviomago ſex plus minus leucarum itinere diſtat: opidum ſane lautum, & cum publicis privatiſque domibus, tum cœnobiis quoque ac templis, præſertim vero inſigni Canonicorum collegio, cui & Præpoſitus ſuus atque Decanus eſt, & primaria Divæ Walpurgis æde, conſpicuum. æde admodum nobili, atque operis valde antiqui, quamvis ſubobſcura, quod conſilio quidem videtur factum, & ad priorum illorum temporum, quibus florere primum incepit Catholica fides, exemplum. judicabant videlicet ſapientiſſimi illi noſtri majores decere, ut ſacra & pietati dicata loca, primo ſtatim ſui ingreſſu, adeuntibus ſanctimoniam atque horrorem incuterent, neque nimia luce oculos iis præſtringerent aliorſumque abriperent, ſed ſerios potius & precibus ſacris attentos efficerent, Zutphania ortus eſt clarus ille & doctus ſcriptor Gerardus, cujus meminit Abbas Trithemius. hodie vero inter alios habet Zutphania Ioannem Vortruſium, Præpoſitum Daventrienſem, præſulem ſane doctiſſimum, & magnum in primis antiquarium, auctorem pulcherrimi illius opuſculi, quod inſcribitur Phœnix. Habet Zutphania dignitatem Comitatus, quem titulum inter reliquos uſurpat Philippus Rex, eſtque tertia hujus Ducatus metropolis, ac tertii ejus quadrantis caput, qui complectitur opida territoriaque ſequentia: Doeſburgum, Deutecomum, Lochemum, Grollam, Brefurtum, atque Bronchorſtium opida: etſi ultimum iſtud titulos opidi comitatuſque diſtincti, at ſub hoc tamen quadrante comprehenſi, inſcribat: territoria vero ſunt opidorum jam enumeratorum præfecturæ. præter quorum præfectos eſt & univerſalis Prætor (Droſſardum vocant). Comitatus Zutphaniæ, hocipſo quadrante etiam

etiam Sheremberga oppidum, simulque Comitatus continetur. In ecclesiasticis autem Zutphania paret Episcopo Monasterienſi. Accessit hic Comitatus ditioni Principum Geldriæ, matrimonio inter Othonem primum Geldriæ Comitem, & Gerlacci Comitis Zutphanienſis filiam inito, anno Christi 1082.

ADDITAM. [*Zutphania olim Frisiorum pars fuit, cum latius illa gens extenderetur, & quia cæteris Frisiis ab austro jacebat, ac locis sita est, quæ præbent humum alendo igni aptam,* Zuydt-veen *dicta est. Postquam autem Otto Nassovius, primus Geldrorum comes, matrimonio sibi Sophiam Wichmanni Zutphanienſis comitis filiam junxit, ex qua Gerlacum sustulit filium; isque sine prole extincto, in Geldria quoque corpus Zutphania coaluit. cujus principem urbem anno* CIↃIↃXCI *Princeps Mauritius intra quintum diem in potestatem redegit, & munimentis adeo firmavit, ut è validissimis Belgicæ fœderatæ oppidis habeatur.*

## Regimen olim & hodie.

*Zvtphaniæ urbis Senatus perpetuus constat octodecim viris, interdum & paucioribus, puta quindecim, quatuordecim, & nonnumquam tredecim. Vbi autem quemquam horum defungi contigerit, aut munus suum ultro deponere, aut gravi aliqua de causa, quod tamen rarissime fit, destitui; reliqui Senatores alium in numerum suum allegunt, absoluta potestate. Hæc electio necessario instituitur,* (*non quotannis, sed quando ipsi necessarium putant,*) XXII *die Februarii, hora nona matutina: hanc enim diem atque horam ita religiose servant, ut, si forte contingat ante illam horam non omnes senatores in curia adesse, ipsum horologium suspendi faciant donec omnes convenerint. Tenentur autem omnes senatores superstites, nisi morbo gravi & clinico detineantur, se ad hunc modum in curia sistere, quatuordecim continuis diebus ante dictam diem. Vbi autem illa die omnes convenerint, inter se de novo aut novis senatoribus subrogandis deliberant, & communibus omnium suffragiis eligunt, ita ut uno refragante electio minime procedat. Porro omnes hi Senatores simul magistratu funguntur, & vulgo Consules appellantur: omniaque Reipublicæ munia tam in politicis quam civilibus atque adeo criminalibus causis obeunt. Hoc tamen temperamento, ut bini suo quique ordine, distinctis temporibus, nimirum duobus tribusve anni mensibus, pro Senatorum numero*

qui

*qui domi ſunt, (nam quidam Hagam ad gentis munera, ablegantur,) tribunal publicum occupent, & ibidem cum Secretario cauſas litigantium audiant & judicent: atque hi bini tunc Iudices in tempore appellantur. Senatores hi è reliqua plebe eligunt octo vel novem viros, quos appellant* gemeens-lieden; *eos quum de gravibus negotiis agendum eſt in curiam vocant, & eorumdem ſententias exquirunt; ſuffragiorum jure integro penes ſolos Senatores manente. Civitatis hujus Senatus etiam juriſdictionem exercet in partem illam provinciæ Zutphanienſis, ſive præfecturam, quam ſupra* het Schout-ampt van Zutphen *diximus appellari; ſub qua aliquod pagi comprehenduntur; ita tamen ut Scultetus in ipſa urbe tribunal habeat, à tribunali urbis diverſum; & Senatui quidem in paganos manum liceat injicere, ſed captivos Prætori aut illius vicario teneantur conſignare. Denique præfuit huic urbi ſemper Senatus egregius,* (Fredericum à Sande audis) *eruditus, juriſque communis ac patrii conſultiſſimus, ad quem oppidorum in iſta atque in Arnhemenſi Tetrarchia nec non extrancarum quarumdam urbium Scabini ſuper juribus partium coram ipſis litigantium ambigentes ſolent confugere, ejus ſententiam poſtulaturi; atque iſta ſententia, quamvis à judicibus incompetentibus concepta, oraculorum inſtar habebantur, ut nefas eſſet ab ordinariis Scabinis quicquam in eis mutari.* ]

# ARNHEMIVM.

ARNHEMIVM & Cornelius Tacitus & alii quidam priſci Scriptores Arenacum indigetant, opidum dexteræ Rheni ripæ adpoſitum, media fere leuca ab ejus amnis divortio, & tam Noviomago, quam Doesburgo duarum leucarum ſpatio abſitum: eſtque cum aliis publicis privatiſque ædificiis, tum ſacris præcipue, perquam elegans atque concinnum. primarium ejus & parochiale, ut vocant, templum Divo Euſebio ſacrum eſt. denique ut paucis abſolvam, opidum ſane amplum atque egregium, & metropolis regionis Velavicæ, ſive ut vulgo appellant de Veluwe/quæ quartam & poſtremam Geldriæ portionem facit: & oppida muris cincta continet, Wageningam, Hattemum, Hardervicum, atque Elburgum. præfecturæ vero, ſive conventus juridici, territoria ſunt eorumdum opido-

rum, quæ omnia continentur ea Geldriæ parte, quam diximus vulgo nuncupari de Veluwe / in qua complures etiam siti sunt pagi, suos seorsim habentes præfectos, qui tamen omnes communem Velaviæ Prætorem, sive Drossartum, ut supremum colunt. Ipsa vero Velavia, regio exigua, sed miranda, tribus sui lateribus sinu Australi, atque Isala ac Rheno fluminibus clauditur: unde & piscosa est. Nemora quoque ejus amœnitate & ferarum copia, commendantur. Sed juxta Arnhemum alius insuper tractus est, vulgari vocabulo de Veluwezoom nuncupatus, quasi oram seu fimbriam Velaviæ dicas, qui hinc Zutphaniam, inde Wageningam usque porrigitur, fœcundis admodum & pulcherrimis pratis pascuisque luxurians. Habet autem hæc quoque ora proprium præfectum, ipsum nempe Prætorem Arnhemensem, & quatuor fora, sive conventus juridicos, quorum decem habet Velavia. At in sacrorum jurisdictione Arnhemenses Episcopo Vltrajectino parent. Sollennis hic superioribus paullo temporibus Geldriæ Principum, hodie vero Præfectorum ejusdem gentis sedes est; ut & Geldricæ ac Zutphanienſis Cancellariæ. quem magistratum, anno Christi 1543, instituit Carolus Quintus Imperator, quo tempore partim vi, partim (ut infra dicemus) per conditiones, ditionem istam recuperavit. magistratum inquam, qui tunc constabat Cancellario, decem Consiliariis, & scribis atque arcanorum curatoribus: quorum postea numerus auctus est. Cancellarii dignitate hodie fungitur Guiljelmus Cripius, vir ob raras virtutes eo gradu digniſſimus. sequuntur hinc quatuor Senatores, quos Toparchas esse, aut saltem nobiles oportet è totidem terræ quadrantibus oriundos. Quibus quamvis certum ex publico stipendium sit, nequaquam tamen in aula perpetuo degere, sed vocati demum accedere, obstringuntur, quando binos singuli florenos quotidie extra ordinem accipiunt. Impræsentiarum quidem eo in ordine sunt Ægidius Bucholtus, Petrus Appeldornius, Conradus Mekeranus, Ioannes Poinius. reliqui octo Consiliarii, qui Senatum hodie complent, sunt Iodocus Craneveldius, Leonardus Stalburgius, Melchior Bentschipius, qui & Advocatus Fiscalis, Iacobus Berckius, Arnoldus Sandelinus, Godefridus Gillekenius, Petrus Verreickius & Ioannes Angelus.

Supremus

Supremus iſte Senatus, magna prorſus auctoritate, jus dicit, neque à ſententiis ejus ulla datur provocatio. Inſtituit porro Philippus Rex anno 1559, in hacipſa urbe, Cameram Rationum, ad quam Regios omnes per Geldriam & Zutphaniam adminiſtros, ſive præturam ii, ſive quæſturam exerceant, actorum rationem oportet referre: plane ut ſupra narravimus fieri in ratiocinario Bruxellenſi.

ADDITAM. [*Regimen Arnhemenſis urbis ejuſmodi eſt: Primo habet Iudicem, qui non modo Arnhemi, ſed & Fimbriæ, quam vocant, Velaviæ, titulum uſurpat, & præſidis loco fungitur in exequendis judiciis tam criminalibus quam civilibus, tum etiam in cauſis quæ inter advenas, aut civem & advenam, coram inferioribus ſubſelliis ventilantur, & determinantur. Hic à Tetrarchia quidem nominatur, à Præfecto autem nationis una cum Cancellario & Senatu Geldriæ eligitur. Secundo habent duos Burgimagiſtros, (ut vocant,) qui quotannis feſto converſionis S. Pauli liberis ſuffragiis à duodecim Scabinis è ſuo numero eliguntur, ſine ullo præfecti aut judicum interventu. horum munus eſt, Scabinis præſidere, & in omnibus cauſis politicis & civilibus atque criminalibus præire. Tertio, una cum prædictis civium magiſtris, XII Scabinos, quorum munus eſt, cauſas omnes politicas & civiles, cujuſcunque naturæ ſint, definire, controverſias dirimere; rationes publicas examinare, reliquaque omnia curare quæ in Republica requiruntur. Horum ubi quis aut deceſſerit aut alioquin munere exciderit, ſuperſtites libere alium in locum ſubrogant, ex privilegio, ab Ottone Naſſavio Comite Geldriæ impetrato. Quarto ſex Gildarum (ita opificum collegia nuncupant) magiſtros ſive conſiliarios. quorum munus eſt, ex delegatione Burgimagiſtrorum curare ea, quæ concernunt juratos cives, tam in politico regimine, quam tributis concedendis, qua Reipublicæ univerſæ, qua oppido particulatim; bonis publicis alienandis, aut onerandis: in rationibus denique publicis una cum Scabinis ſuffragia ferunt. hi à Gildæmagiſtris & tribulibus nominantur, & à Burgimagiſtris & Scabinis eliguntur. Denique cum ſex jam dictis Gildæmagiſtris quadraginta & octo juratos cives; (quos vocant* de geſwoozen gemeente.) *quorum omnium officium eſt, rogante ſeniore Gildæmagiſtro, in onera publica, tam terræ quam oppidi, conſentire; ſi quid in politia peccetur, emendare; de alienationibus aut obligationibus publicis cognoſcere. eorũ autem ſententiæ à Gildæmagiſtris ad Magiſtratus referuntur. Horum electio eodem modo ſe habet quo ſuperiorum.*]

Sed pergamus deinceps, & breviter perſtringamus reliqua hujus terræ opida: quæ inter primo ſe nobis offert

Hattemum, amplum & validum valde oppidum, ſiniſtræ Iſalæ fluminis ripæ incumbens, ac duabus leucis Elburgo abſitum.

Elburgum adjacet ſinui lacus Flevi, vulgo de Zuyderzee / diſtatque Hardervico duabus leucis.

Hardervicum poſitum eſt ad eumdem ſinum, & Wageninga quinque leucis majoribus diſſidet. arſit inauſpicato hoc opidum anno Chriſti 1503, tam pertinaci incendio, ut quinque tantum vel ſex domibus exceptis, vix trium horarum ſpatio totum abſumtum ſit. rem neſcio admirationene an miſeratione potius proſequendam! ſed omnia ſtatim reparata, & opidum multo quam ante pulchrius ac munitius evaſit.

ADDITAM. [*Iam olim ludo litterario celebre fuit, & ſuperioribus annis, Ordinum Gelriæ auſpiciis, illuſtri gymnaſio auctum, in quo omnium Facultatum profeſſores juventutem erudiunt.*]

Wageninga vetuſtiſſimum opidum, eſt, quod Cornelio Tacito Vada appellatur, jacet ad dexteram ripam dexteri cornuum Rheni, duarum leucarum intervallo ab Arnhemo & Noviomago: Culemburgo quatuor leucis abeſt.

Tila, dexteræ Vahalis ripæ adpoſita, Bommelia leucis duabus abjungitur, eſtque opidum ſanequam validiſſimum: adeo ut anno 1528, à Burgundis obſeſſum, obſidionem non modo fortiter ſuſtinuerit, ſed & cum laude ab ea ſe liberaverit. imperium ei & juriſdictio in territorium illud, quod, ab ipſo opidi nomine, vulgo vocant de Tielerweerd.

## BOMMELIA.

BOMMELIA ad ſiniſtram Vahalis ripam eſt, Bura duabus leucis abjuncta. opidum pulchrum, validum & caput inſulæ quam Rhenus & Moſa circumveniunt. Cæſari eadem, quo loco Moſam deſcribit, Batavorum inſula appellatur; hodie nomen ei eſt, de Bommelerweerd / Pagos complures egregios habet, quos inter &

ter & Rossemum est, clarum natalibus Martini Rossemii, ducis celeberrimi. Bommelia vero præstantem Theologum Gerardum Moringum, & Henricum Bommelium edidit, clarum scriptis virum.

ADDITAMENTVM. [*Bommelia etiam ortus est amplissimus ille Elbertus Leoninus, cognomento Longolius, Cancellarius Geldriæ.*]

Bronchorstum adjacet dexteræ ripæ fluminis Isalæ, una tantum Zutphania leuca disjunctum. opidulum neutiquam contemnendum, & Comitatus titulo, ideoque & peculiari Dynasta, conspicuum.

Doesburgum, ut volunt Scriptores aliquot neoterici, illud opidum est, quod Cornelius Tacitus Asciburgium nominat. alii, quibus, quod verisimilia magis tradant, plus tribuo fidei, conditum esse adfirmant ab Druso Nerone, ad fauces videlicet nobilis fossæ Drusianæ, & à conditore Drusoburgum dictum. dissidet autem Neomago tantum leucæ unius itinere, estque opidum lautum, frequens, ac valide admodum nuper adversus hostiles insultus munitum.

Tsheremberga sesquileucæ itinere Doetecomio distat, opidum satis concinnum, cujus territorium late adeo porrectum est, ut Comitatus gaudeat dignitate, quo in fastigio nunc illustrissimus Princeps Guiljelmus est.

## LOCHEMVM.

LOCHEMVM flumini Berkelæ adjacens, Zutphania tantum duabus leucis abjunctum est.

Grolla Brefurto distat duabus leucis.

ADDITAM. [*Oppidum loco plano situm, & munitissimum. Vetus ei vocabulum* Groen-loo *fuit, id est, viride nemus. Quod à situ inditum. Sed mutavit longa ætas & speciem locorum, &, quod familiare Germanicis vocibus, ipsum nomen contractum est. Plano loco situm est, prælabente Slinga amne: & primum à Carolo Quinto munire cœptum, exin tempore induciarum Belgicarum accuratius ab Hispanis munitum. Postea anno* CIↃIↃCXXVII *Fredericus Henricus, Princeps Arausionensis, expugnavit, novis operibus, & majore cura firmavit.*]

Brefurtum totidem leucis abest Anholto.

ADDITAM. [*Brefurtum fossa egregia & munimentis Martinus Rosheimius, celeberrimus sua ætate militiæ dux, circumdedit, annis abhinc propemodum nonaginta. Situm est locis paludosis, ut pene aquis undique cingatur. Anno* MDXCVII *à Mauritio Arausionensi expugnatum in ditionem Fœderatorum concessit.*

## GELDRA.

GELDRA quidem mediocre ac valide satis munitum est opidum, quod (ut supra jam diximus) universo Ducatui nomen dedit. distat Strala leucis duabus minoribus. Geldrensis fuit Gerardus Matthisius, vir doctrina clarissimus, ac magnus in primis Aristotelicus. fuit indidem & Guiljelmus Veldius, Ordinis Divi Augustini, eruditus admodum & venerabilis vir, ut ex variis ejus scriptis hodieque extantibus constat: quem Trithemius vult fuisse Venlonensem.

Stralam à Wachtendonca sesquileucæ iter dirimit. ubi ortus Iacobus de Strala, scriptor clarissimus. necnon Rogerus Sicamber, magnus item variorum scriptorum auctor.

Venlona sita est ad dexteram ripam Mosæ, & Strala sesquileuca tantum abjuncta, opidum sanequam bonum, & validum. in quo nuper anno 1543, dedidit sese Carolo Quinto Imperatori Cliviæ & Iuliaci Dux Ioannes Guiljelmus, subsecuta inter utrumque pactione, de qua infra dicturus sum.

ADD. [*Venloam & Bercam inter, fossa S. Mariæ sive Eugeniana duci cœpta est anno* 1626, XXIV *stationibus munita, auspiciis Serenissimæ Isabellæ Claræ Eugeniæ, Hisp. Infantis, sphe Rheni aquas in Mosam deducendi, sed frustra, nam situs locorum inæqualis ado refellit, ut ad implendam fossam aqua ex Nirsa colligi & septis retinere debuerit.*]

Wachtendonca imminet flumini Nirsæ vulgo de Niers/ & Geldra duas circiter leucas abjungitur.

Herculanum situm est in confiniis Terræ Iuliacensis, opidum satis lautum, ac Ruræmunda quatuor leucis dissitum. Et hactenus quidem de opidis Geldriæ muro cinctis, quorum singula tum civibus satis frequentia, tum & opibus copiosa. Sequuntur hinc illa sex, quorum & supra meminimus, mœnium atque murorum expertia.

Keppela

Keppela adjacet veteri Isalæ, ac Doesburgo dimidia dumtaxat leuca disjungitur.

Burgum itidem appositum veteri Isalæ, Anholto unica tantum leuca abest. natus hinc Petrus Burrus, vir undequaque doctissimus, & variorum librorum scriptor, ut fusius constat ex Bibliotheca Gesneri, jam sæpius nobis laudata.

Gentia, Vahalis ripæ incumbens, leuca dumtaxat Noviomago dissidet.

Batenburgum ad Mosam, Noviomago juxta & Tila duabus leucis absitum est: locus, si famam audimus, magnæ antiquitatis, ut quem incolæ asserant primam omnium arcem fuisse, quam Bato supra nobis laudatus in hoc tractu extruxerit, adeoque & nomine suo insertitus sit. paret hodie Batenburgum Guiljelmo Bronchorstio, viro primariæ nobilitatis.

Montfurtum & à Mosæ ripa, & à Ruræmonda leucæ iter discernit. arcem habet mediocrem.

Echta minori tantum leuca distat Montfurto, estque nemori illi pulcherrimo, quod de ipsius vocabulo Echterwaldia dicitur, pæne contigua.

ADD. [*Quum anno* CIↃIↃXCIX *Andreas Austrius Cardinalis, fratre suo Alberto Archiduce absente, provincias Belgicas, quæ Hispano parent, gubernaret, & militaribus copiis cum imperio præesset Franciscus Mendoza Arragoniæ Thalassiarcha; magnum inter nostros & Hispanos certamen fuit juxta Bommelium, illis oppidum capere, nostris illud tueri satagentibus. Tandem quum Hispani de urbe capienda jam desperarent; monitus fuit Cardinalis ab architecto quodam Germano* (Tnuanum *sequor lib.* CXXII) *qui à nostris ad ipsum transfugerat, locum urbi subesse angustum in quo Mosa & Vahalis junctæ insulam efficiant, extruendæ munitioni valde opportunum, qua fabricata navigatio omnino impediretur. Itaque ille ex consilio belli ducum a Bommela copias Rossenium reducit, & in propinquo quinquangulari munitioni designata principium facit. Opus summa celeritate & arte perfectum, salicetis & cunctis arboribus insulæ in eam rem resectis; Santandreana de nomine Cardinalis dicta munitio. Dum festinatis operibus in eo laboratur, Princeps Mauritius in Voornam insulam proximam descendit, in qua munitionem ovali specie habebat, ad res gerendas valde opportunam. Aliquot levibus præliis deinde certatum, munitioque ab Hispanis perfecta,*

*cta, & præſidium* CIↃIↃ *peditum & alæ unius equitum impoſitum. Sed haud diu hoſtis hac munitione potitus fuit. Nam anno* CIↃIↃC *à Principe Mauritio obſeſſa* VII *Kal. april. per deditionem in illius manus tradita fuit* VIII *idus majas. Munitio hæc ſtructa ad normam (ut ajunt) arcis Antverpianæ; quinis ingentis molis propugnaculis in orbem cincta, quorum tria Moſæ atque Vahalis alveum reſpiciunt, bina Harvvardenam; aliiſque operibus, quæ hodierni belli uſus invenit, ita ſepta intuſque inſtructa eſt ut inter invictas opere & induſtria cenſeri queat. Arx quoque Naſſavica in inſula Voorna novis operibus munitior reddita. Vtraque hodie validis noſtrorum præſidiis tenetur.*

*Quia jam in munitiones incidimus, nequaquam præterire debemus famoſiſſimam munitionem Graviivvardiæ, quam à primo conditore vulgo Schenckianam vocant: ſita quippe eſt ad angulum inſulæ amnicæ quam vulgo* 'Sgraven-weert *vocant, ubi Rhenus in duo cornua divaricatur, quorum illud, quod ſeptentrionem verſus defluit, Rheni nomen ſervat; alterum, quod occidentem verſus dilabitur, Vahalis aſſumit: proſpectu in omnes partes jucundiſſimo. Hæc primum à fortiſſimo militum ductore Martino Schenckio nobili Geldro exiguo ambitu ſtructa, ut Hiſpanos arceret, qui jam oculos in hunc locum conjeciſſe dicebantur; anno* CIↃIↃLXXXVI. *Sed poſt illius obitum, opportunitate loci cognita, ab Illuſtr. Ordinibus confœderati Belgii variis modis eſt ampliata, ita ut jam intra vallum contineat virgas* CCC, *habeatque templum, forum, ſcholam, & ædificia privatorum haud ineleganter ſtructa circiter* LXXX; *atque ita permunita, ut nihil eorum operum, quæ hodierni belli uſus poſtulat, hic deſideretur. Et quia Rheni violentiam nonnumquam experta fuerat, vaſtis in flumen jactis molibus variiſque operibus indemnitati illius conſultum.*]

Culenburgum Geldriæ feudum eſt, cæterum an territorio ejus debeat accenſeri diſputatur. adjacet lævo fluminis Leccæ margini, & Bura leucæ tantum itinere diſſidet. Opidum eſt egregium, & tam lata ditione, ut nuper à Philippo Rege Comitatus titulo auctum ſit. pàret igitur Principi ſuo, heroi etiam aliis opibus præpotenti.

ADD. [*Oppidum in tres partes diviſum, quæ ſingulæ ſuis muris & foſſis cinguntur; ſicuti & arx illi connexa, Comitis domicilium. Diſtat à Viana milliare unum. Regimen civile oppidi eſt penes præfectum, (vulgo* Droſt/ *) duos civium Magiſtros, ſeptem Scabinos, & Scultetum. Qui omnes abſoluta poteſtate*

*ſtate à Comite eliguntur, nulla prævia oppidanorum deſignatione: & ipſi poſtea minora munia inter honeſtiores cives diſtribuunt, non modo in urbe, ſed & in agro.*

*Sub Comitatu præter oppidum ſunt quatuor pagi;* Suyzdingh/ *fines jungens cum Hageſteynio, diœceſios Trajectinæ loco;* Syderveld/ *cum Leerdami ditione;* Gobberding / *in meditullio Comitatus; &* Redishem / *ad limitem Burani Comitatus.*

*Culenburgenſis ditio jam ab aliquot ſeculis regulos ſuos habuit. Heuterus eorum primum commemorat Robertum Boſichemum, qui obiit anno* 1164. *Cujus ſucceſſores connubiis plures ditiones creverunt, imprimis Gerardus* II *ejus nominis Culenburgii regulus; qui ducta in uxorem Eliſabetha Buræ, Borſelii, Zulæ, Sintmartenſdiickii, Svviickii ac Doddendalæ Domina, magnas ditiones cum ipſa accepit. Ex his natus Caſparus Culenburgii, Zulæ, Hoghſtratæ, &c. regulus: & Aleyda; quæ patris teſtamento Buræ & Santi Martens-diikii domina Frederico Egmondano Iſelſteynii domino nupſit. Caſparus tantum quinque filias reliquit. Quarum major natu Elizabetha, licet bis enupta, nullos liberos peperit. Secundo genita Anna, uxor fuit nobiliſſimi viri Ioannis Palanti præfecti ditionis Valkenburgii. E quibus Florentius Culenburgii Comes deſcendit, qui hodie ſupereſt. Cujus parens Florentius à Philippo* II *Hiſpan. Rege primus Culenburgii Comes fuit deſignatus: verum quum una cum præcipua Belgii nobilitate anno* CIƆIƆLXVI *libellum ſupplicem Parmenſi Duciſſæ, quæ Regis Hiſp. nomine provincias moderabatur, obtuliſſet, gratia illius excidit, & ab Albano proſcriptus fuit, & domus illius, quam Bruxellis habebat imprimis magnificam, exciſa, areæque marmorea baſis impoſita, cum quadrilingui inſcriptione, quæ talis erat:* Regnante Philippo ſecundo Cathol. Hiſpan. Rege, in his ſuis inferioribus Germaniæ Regionibus; gubernante vero Ferdinando Alvarez de Toledo Albæ Duce, &c. Florentii de Palant quondam domum ſolo æquari ſancitum eſt; ob execrandam memoriam repetitæ in ea conjurationis adverſus Religionem Eccleſ. Cathol. Rom. Regiam M. & ipſas regiones, anno à ſalute CIƆIƆLXVIII, 5 Kal. jun. *Baſis quidem hæc poſtea everſa, ſed domus haud reſtaurata.*]

Bura neque Geldriæ feudum eſt, neque (ut quidam adfirmant) territorio ejus includitur, ſed ſui juris ditio & Geldriæ contermina eſt. Haud procul Linga flumimine jacet, ad exiguum torrentem, quem vulgo Foſſam molarum nuncupant. Tila leucæ tantum interca-

pedine abeſt. opidum mediocre, & munitiſſima arce prævalidum eſt. unde & Comitatus gaudet faſtigio, cui & pagi complures, & territorium neutiquam pœnitendum ſubjicitur. Burani fuerunt Ioannes Perennius, eruditus admodum vir & poëta eximius: Iodocus Lomnius, Medicus & Philoſophus longe doctiſſimus, ut colligere licet ex viri ſcriptis per orbem jampridem vulgatis: & Obertus Giſanius, adoleſcens egregius, ac utriuſque linguæ non ſtudioſus modo, verumetiam doctus. Præerat huic loco dignitate & titulo Comitis fortiſſimus ille Maximilianus Egmondus, qui, relicta ingenti fama, deceſſit Bruxellæ anno Chriſti 1549, patri autem defuncto ſucceſſit unica filia, nupta Guiljelmo Naſſovio, Principi Arauſino, cui & liberos utriuſque ſexus enixa, paullo poſt ex hac vita migravit. quare maternam hæreditatem adiit primogenitus filius ejus Philippus Guiljelmus. Atque hæc quidem de opidis Geldriæ, deque aliis ejus Ducatus locis diſſeruiſſe ſufficiat.

Populus univerſæ Geldriæ generatim eſt ferox, ac non equitatu minus quam peditatu admodum bellicoſus: quamvis nunc ad mercaturæ ſtudium multus transierit. Sicut autem hi populi inter Gallos omnes fuere poſtremi, qui ævo Iulii Cæſaris Romani imperii jugum acceperint, ita rurſus imperio declinante, omnium primi id excuſſerunt. & quamvis ſubacti deinde à Francis, tamen arrepta rurſus occaſione vindicarunt ſe ipſi in libertatem. ac regi cœperunt ab indigenis patriæ ſuæ Dynaſtis. factum id Imperatore Carolo Calvo, Rege Gallorum. ii vero Dynaſtæ, Tutores, ſive Præfecti, appellabantur, & ab ipſiſmet ſubditis, ob virtutes & merita eligebantur. horum Winchardus fuit, quem cum germano arcem Geldrenſem condidiſſe ſupra memoravimus. ſucceſſorem reliquit filium Gerlacum, anno circiter 910. atque ut rem contrahamus in pauca, ſeptem omnino fuere ex ea gente Tutores, qui ordine alter alteri in tutela iſta, ſeu præfectura, ſucceſſerunt. quorum etiam poſtremo Winchardi nomen fuit. iſque unicam reliquit filiam, Adelheidim. ea nupſit Othoni, Comiti per id tempus Naſſoviæ, qui omnium hujus gentis Dynaſtarum primus, ab Imperatore Henrico, ejus nominis tertio, anno Chriſti 1079, exornatus eſt titulo ac dignitate

gnitate Comitis Geldriæ; & Adelheide priori uxore defuncta, matrimonio ſibi junxit filiam natu majorem Gerlaci, Comitis ac dynaſtæ Zutphanienſis: qui prælio inter Conradum Epiſcopũ Trajectenſem & Didericum quintum Hollandiæ Comitem cæſus eſt. unde factum ut ditio ejus, quod & ſupra jam monui, cũ reliqua Geldria coaluerit. Othoni ordine ſucceſſerunt Comites, Gerardus Henricus, alter Gerardus, & Otho ſecundus, cognomento Loripes. is, modo quem paullo ante expoſui, ditioni ſuæ adjecit Noviomagum. Ruræmundam, Arnhemum, Hardervicum, Bommeliam, Wageningam, loca Geldrorum, Goccham item in terra Iuliacenſi, omnia prius aperta & pagorum in modum cuivis patentia, anno circiter 1229, muris & mœnibus cinxit, ac civitatium privilegiis auxit. efficiebant enim id temporis illi minorum gentium principes longe majora, quam noſtro ævo vel maximi etiam Reges. Othoni ſucceſſit Reinoldus filius. Reinoldo rurſus filius patri cognominis, qui ab Imperatore Ludovico Bavaro, conventu Francofurtenſi anni 1339, donatus eſt dignitate ducis quam dignitatem eodem in conventu conſecutus eſt Reinoldi cognatus, Comes Iuliacenſis. poſt Reinoldum imperium tenuere, ſed non ſine ingenti diſcordia, duo ipſius filii, Arnoldus & Eduardus. quibus mortuis, duæ tantum ſupererant, nec uno tamen thoro prognatæ, Reinoldi filiæ, Ioanna nempe & Iſabella. inter quas, regnandi cauſſa, aſperum mox exarſit bellum. ſed Iſabella ſine liberis mortua, ducatus ceſſit Ioannæ. quare & filius ejus Guiljelmus creatus eſt Geldriæ Princeps, fuitque Ducum ejus gentis quartus. quo & ipſo ſine prole defuncto, Reinoldus germanus, quartus Dux Iuliacenſis, hæreditario jure Ducatum hunc adiit, quintus ordine inter Geldrorum duces. Reinoldo ſucceſſit unica filia, quam poſtea conjugem, & cum ea Geldriæ principatum accepit Arnoldus Egmondanus, pronepos filiæ primi Geldriæ ducis. Filius ejus Adolphus, qui inter Geldriæ duces ſeptimus numeratur, longævæ parentis vitæ impatiens, Graviæ tunc agentem ſenem nocte quadam captivum abduxit, ac in arce Burana, non ſine immani ſævitia, carceri tætro incluſit. ubi, ut aſſerunt quidam Scriptores, ſex annos eum detinuit. etſi Philippus Comminæus, Argentonii dominus, & probatiſſimus ſane

ſcriptor, qui id temporis Carolo Duci Burgundiæ perquam familiaris, & inter intimos palatinos, huicipſi negotio ſæpe interfuit, ſex tantummodo menſium faciat mentionem. quod ſcelus, quia prorſus intolerabile videbatur Paulo ſecundo Pontifici Maximo, & Frederico Imperatori, ejus nominis tertio, ipſi Carolo noſtro Audaci commiſerunt, ut manu armata patrem filio iret ereptum. Hoc audito Adolphus, conſideratoq; & Papam ſimul & Imperatorem non fruſtra ſeſe huic rei miſcere, ac potentiam inſuper & virtutem Caroli ſecum expendens, patrem carcere tandem liberavit. quo facto uterque, Caroli fide accepta, Dorlanum Artheſiæ, ubi tunc Carolus agitabat, petiit. ubi cum noſter Audax in Adolphum tunc pronior, operam daret, ut Arnoldus, jam annis confectus, totam Geldriam tranſderet filio, & Gravia ſola retenta, tria quotannis aureorum millia ab Adolpho acciperet: immanis ille & barbarus filius, tam æquis legibus propoſitis, in ipſa hæc verba prorupit: *malle ſe præcipitẽ dare parentem in puteũ, ſe deinde ſuperjicere, quam ut in has conditiones deſcenderet. patrem jam totos quadraginta annos imperaſſe. æquum eſſe, ut & ipſe tandem aliquando rebus admoveretur.* ſubjunxit deinde, *non abnuere ſeſe penſionem trium millium, ſed non alia lege quam ut pater tota Geldria cederet, nec umquam pedem in eam referret.* qua tam barbara tamque immani crudelitate graviter aſperatus Carolus, acribus admodum ac minacibus verbis Adolphum excepit. qui iram ejus veritus, fugam, Gallica veſte indutus, ad ſuos arripuit: ſed juxta Namurum, dum Moſam flumen cymba tranſmittit, agnitus ab uno alteroque vectorum, mox à pluribus, capitur, & Vilvordam prius, deinde Cortracum abducitur. ubi in cuſtodia manſit uſque ad Caroli mortem. quo mortuo, Gandavenſes eum ſolverunt, & bello adverſus Ludovicum undecimum Galliæ Regem præfecerunt. paullopoſt à Gallis in prælio ad Tornacum miſere cæſus interiit, ac pœnarum enormi impietati debitarum partem exolvit. At dum adhuc habebatur in carcere, Carolus Dux ab Arnoldo, ut quidem adfirmat Mejerus, mercatus eſt totam Geldriam, & annexam illi Zutphaniam, anno Chriſti 1472, qui ipſe Arnoldus, Graviæ, ditionis ſuæ tunc opido, non multo poſt vita defunctus, quo exactius Carolo foret cautum, eum prius hæredem inſtituit,

tuit, contumaci illo atque rebelli filio Adolpho, excluſo. Quoniam vero Geldri neque venditionem illam, neq; ipſius Arnoldi teſtamentum habebant ratum: Carolus, magno conſcripto exercitu, oras illas invaſit, & qua æquitate ac ratione, qua etiam armis & vi, ditionis utriuſque poſſeſſionem cepit; populo ad præſtandum ſibi fidelitatis & obſequii ſacramentum compulſo. & quo jus ſibi atque imperium firmaret, mercatus eſt à Gerardo Iuliacenſium Duce rationes omnes & jura, quæ vel ipſe, vel poſteri in hos ſtatus prætenderent, vel prætendere quandocunque poſſent: Carolo & Philippâ, Adolphi tunc liberis, in Flandriam, ubi educarentur, tranſmiſſis. Atque hoc demum pacto & occupavit tunc temporis, & ſine ulla prorſus moleſtia, Carolus, quoad vixit, utramque hanc ditionem poſſedit. quæ poſt obitum ejus hæreditario jure ceſſit Mariæ, unicæ Principis filiæ, Maximiliano Auſtriaco, poſtmodum Imperatori, nuptæ. Factum autem poſtilla, ut Geldri ipſi Maximiliano negarint parere. quod indigne admodum ferens Princeps, magnis copiis Sylvamducis contendit injuriam vindicaturus. unde attoniti ſtatim Ordines Geldriæ, & ad ſanitatem reverſi, omnes ſeſe Maximiliano dediderunt, ac debitum fidei ſacramentum præſtiterunt. Atque hoc modo Maximilianus, nullo ſanguine effuſo, ſola nominis ſui auctoritate, terram hanc pacavit, & imperio ſubditam habuit: donec Carolus ille, Adolphi (ut diximus) filius, una cum Naſſoviæ Comite ad Betunam à Gallis captus, & mox dimiſſus, in Geldriam rediit. ubi, confeſtim & promtiſſime, à populis illis pro legitimo Duce ſuſceptus eſt, dato & viciſſim accepto fidei ſacramento. ita quidem ut numeretur Geldriæ Ducum octavus. Fuit autem hic Carolus Princeps admodum bellicoſus, adeo ut cum vicinis omnibus Principibus, nominatim vero Alberto Duce Saxoniæ, qui Friſiam in feudum, & Maximiliani ac Philippi filii nomine, non exiguam Belgicæ partem Præfecti titulo obtinebat, diu multumque belligeraverit: acriter etiam poſtea conflictatus cum Præfectis & ducibus Caroli Quinti Imperatoris, qui patri, Philippo Regi, ſucceſſerat. ſed tandem Gorinchemii anno 1528. deinde & Graviæ anno 1536. inter utrumque hunc Principem pax coaluit, his fere legibus: uti Carolus Dux Carolo

Imperatori, tamquam Duci Brabantiæ Comitique Hollandiæ, pro Ducatu Geldriæ & Comitatu Zutphaniæ, ſuo & filiorum legitimo thoro prognatorum nomine, præſtaret obſequii ſacramentum: & ſi forte prolis exſortem eum obire contingeret, ditiones illæ vel Carolo Quinto Imperatori, vel hæredibus ejus legitimis cederent. Igitur cum paullo poſt, videlicet anno Chriſti 1538, Dux ſine liberis obiiſſet, utriuſque terræ imperium ſuo jure ad Carolum quintum reverſum eſt. Quia vero Cliviorum & Iuliacenſium Dux Ioannes, antiquis quibuſdam rationibus nixus, jus ſibi in utramque ditionem illam arrogabat; factum, ut, Carolo etiam decumbente, populi illi aliquot ante menſibus præſagientes, Carolum, nimis in Gallos propenſum, omnia tentaturum, ut qua amore, qua violentia, ipſos imperio Gallicano ſubjiceret, tumultuari inceperint, & Orientem potius ſolem, quam Occidentẽ adorantes advocaverint ſibi, non ſeniorem ducem Ioannem, ſed filium ejus juniorem Guiljelmum: qui cum ſubito illuc advolaſſet, ab Ordinibus Geldriæ Princeps deſignatus, atque à Caroli morte mox approbatus eſt: denique patre non multo poſt, anno Chriſti videlicet 1539 rebus humanis exemto, ſic de integro confirmatus, ut nullæ quantumlibet ſolidæ rationes, nulla Imperatoris auctoritas, tantum apud Geldros potuerit, ut Cæſarem ſibi Ducem eſſe vellent agnoſcere. Factum inſuper anno 1542, ut agenti tunc in Hiſpania Cæſari Galliæ Rex Franciſcus & Guiljelmus hic Clivius, inito inter ſe fœdere, acre intulerint bellum, unde proximo ſtatim anno, comitante ingenti exercitu in has oras delatus Cæſar, & ducatum ipſum & ducem brevi ſibi ſubjecit. Porro hoc tam infauſto ſucceſſu tamque potenti hoſte perculſus Dux, & rationes omnes & jura, quæ in haſce Provincias quomodocumque prætenderet, in Imperatorem ex pacto tranſtulit, quod ipſum & Ordines Geldriæ, certis quibuſdam legibus, in ipſo contractu expreſſis, ſuffragio ſuo comprobarunt. ac ſic demum Ducatus Geldriæ, Comitatuſque Zutphaniæ in Auſtriacæ gentis, & Caroli Quinti Imperatoris, ceu legitimi Principis ſui, poteſtatem reverſæ ſunt, anno Chriſti 1543: quare & Ordines utriuſque terræ anno 1549 communi conſenſu filium ejus Philippum, ut legitimum Principem, ſuſceperunt. præſtito ei ſollenni fidelitatis & obſequii ſacramento





52
20
Occ
OCEAN
GERM
Mase flu.
Sierickzee
Brouwers haven
Goeree
Dierx lant
Stat
Oolkens plaet
Briele
Helvoet
Voo
rn
Gravesande
Naeldwyck
Vlaerdingen
Schiedam
Scheveringen
Hage
Catwyck op Zee
Noortwyck
Delft
Overschie
Rotterdā
Bleyswijc
Voorschoten
Ryns burg
Leyden
Lisse
Willemstat
Westmaes
Stryen
Roon
Linde
Cralingen
Ysel fluu.
Benthuysen
Haserwoude
Coukerck
Seven bergen
Dort
Albles
Souburg
Berkow
Goude Stein
Lemuyen
Noerden
Alsmeer
Vuthoorn
S. Geertruyen be
Biesbosch
Liesvelt
Schoōhoven
Niencoop
Woerden
Ouwerkerc
Giesendam
Mōtfoort
Ouwater
Mydrecht
Amsterdam
Bambrug
Goric hom
Ysel stryn
Maersen
Dale
Loenen
Weesp
Worcum
Hoekelum
Leerdam
Nyvelt
Oudekerck
Heusden
Brakel
Asperen
Vianen
Utrecht
Naerden
Bommel
Culenborg
Zeyst
Stift
Ymenes
Wyck
Soest
Shertoghenbosch
Buerē
Amersfoort
Utrecht
Harderwyck
Milliaria Germanica commu.
1 2 3 4 5 6
20
40
26
MERIDI.
20
40
27
52
20
ORIE



DENS 40
53
HOLLANDIA
U S
ANI
CUS
p Zee
ntvoort
Wyck op Zee
Egmont op Zee
t'Hondsbos
Tooge Huysduynen
Texel I.
Haerlem
Egmont
Petten
Zype
Beverwyck
Ackersloot
Schorel
Aßendelft
Alckmaer
Drooge Weerdt
Horn
Coog
Oost
Saerdam
Schagen
Nierop
De Bos
De Weerdt
Wieringen
Oostzanen
Purmerēt
Monickedam
Spanbrouck
Scarwou
Hoorn
Edam
Meden blick
Breesandt
Groote: brouck
Leec
Hoorniker hop
Marcken
Enchusen
Staveren
ZUYDER
ZEE
Enchuser sant
Urck
Worcum
Harlingen
Bolswaert
FRISIAE PARS
Sloten
SEPTEN.
20
40
26
27
ENS 40
53

HOLLANDIA

mento. Præest porro nunc temporis, nomine Suæ Majestatis, huic utrique genti nobilissimus Eques Claudius Barlemontius, Dominus Altopennæ, &c. scilicet autem omnes Belgicæ nostræ præfectos, archistrategi etiam, seu Capitanei generalis titulos, in sua quemque Præfectura, inscribere. Altopennio nuper extincto successit in præfectura Dominus Barlæmontius, frater germanus, cujus infra quoque mentio fiet. Nunc Geldriæ simul & conjunctæ Zutphaniæ descriptione consummata ad ulteriora deinceps progressuri sumus.

# HOLLANDIA

## COMITATVS.

HOLLANDIA, parva quamvis regio, magnis, ac memoratu dignissimis rebus plena est. Ingnes in ea luculentarum civitatium, ingens item pulcherrimorum pagorum est numerus. habitantes utriusque sexus proceri. pe udum maxima multitudo. opes potentiaque magna. in primis autem aquis, fossis, atque aggeribus, aperiri vicissim & claudi consuetis, terra hæc redditur munitissima, adeoque fortassis invicta. Sed pergamus ad particularem ejus descriptionem. Sita est ergo Hollandia in ea Insula, quam Bataviam olim dixerunt, à Badia filio Regis Cattorum, qui, ut scribit Cornelius Tacitus, è Germania in hanc sedem migrarunt. Bataviæ vero nomine veniebat omnis ille terrarum tractus, qui continebatur inter utrumque cornu Rheni, & mare Oceanum. ita ut præter Hollandiam complecteretur & ditionem Vltrajectinam, & septemtrionalem partem ducatus Geldriæ. atque hoc modo temporibus Imperatoris Caligulæ proprium erat regnum Batavorum, prout narrat Suetonius, dicendo, Adminium Cinobellini filium, pulsum à patre, cum exigua manu transfugisse ad Romanos. retinet autem hodieque priscum vocabulum inter Culenburgum, Buram & Tilam, opida supra nobis descripta. ubi nempe est illa ditio, quam incolæ, voce nonnihil corrupta, vocant de Betuwe. Plinius nobilem Insulam Batavorum appellat. [ADD.

# HOLLANDIÆ WESTFRISIÆQVE ORDINIBVS

H. GROTIVS, Fiſci Hollandici, Zelandici, & Weſtfriſici Advocatus.

EXiguum vobis libellum offero, Nobiliſſimi atque Ampliſſimi Patres: imo offert ſeipſe, mole quidem exiguus, at magnus argumento, veſter vero totus. Veſtrum enim imperium, veſtra jura majeſtatemque defendit. Hoc namque agit, ut, breviter ab initio inclitæ gentis in hunc diem intercedentia ſæcula percurrens, oſtendat, penes utriuſque ordinis primores curam ſemper fuiſſe Batavæ rei, quæ tandem ad vos perpetua ſucceſſione delata eſt. Hæc quippe poteſtas fundamentum fuit Reipublicæ, præſidium æqui juris, frænum principatus. Hanc reverebantur olim, huic faſces ſuos ſubmittebant placide publici ſtatus ſummi præſides atque tutores. ſive Reges illi, ſeu Duces, ſeu poſtremo Comites vocabantur. Ipſæ denique ſanctiſſima leges velut in ſinu Ordinum tuto conquieſcebant. His gubernatoribus illa quondam & nunc iterum clariſſima Batavorum libertas per graviſſimas procellas in hanc felicitatem temporum enavigavit. Quod enim gravius libertati periculum eſſe potuit, quam à Romana olim potentia, ab Hiſpana nuper, quæ Romanæ proxima, aut, ut ſibi videtur, major etiam Romana? Per utrumque tamen emerſit, & cum in arma truderetur, oppoſuit prementium viribus cauſæ æquitatem, bene ordinatum imperium, animos invictos. Bis ſucceſſus adfuit, ad ſtuporem uſque humani generis, auctaque cum bello fama & opes, ut ferme quos magnæ claritati Deus deſtinat, eos per labores & pericula prætentat. Eodem procerum ductu emicuit illa non minor armorum laude Batavorum fides, quam in majoribus quondam veſtris expertus eſt populus Romanus, dum vera manſit ſocietas: & nunc in vobis agnoſcunt proximi reges; nec hi tantum, ſed & qui adverſa nobis veſtigia prementes, alia ſidera, aliud cœlum vident. Quæ cuncta pro dignitate exſequi, ingens annaliũ labor fuerit: nobis ſatis in præſens hujus optimatis imperii vetuſtatem velut per indicem commonſtrare. Quam operam ſperamus nec civibus inutilem fore, nec externis injucundam. Quamquam enim veriſſimum eſt quod & ab Alcibiade

& ab

& ab Augusto dictum invenitur, boni esse civis praesentem reipublicæ statum tueri, eumque mutatum nolle, tamen affectu majore eam rempublicam prosequimur, quam & ipsi habemus, & videmus majoribus nostris placuisse, aut ut optimam, aut ut ipsis convenientissimam: quamque adeo parentes suis sudoribus, suo sanguine defensam, velut propriam, posteris reliquerunt. Adde, quod in omnibus rebus vetustas ipsa plurimum habet dignitatis: ita ut Massilienses, quorum praestantissima creditur fuisse respublica, laudentur eo nomine, quod gladio ad puniendos sontes usi sint eodem à condita urbe, quo indicarent in minimis quoque rebus antiquæ consuetudinis momenta servanda. Proxime enim ad Deum accedit antiquitas æternitatis quadam imagine. unde senectutis veneratio animis nostris innata est: quam in republica tanto magis quam in hominibus colere debemus atque admirari, quia mortales cum sint homines, senectus in ipsis imminentis exitus nota est: respublica vero cum in spem immortalitatis instituta sit, ab ipsa ætate vires accipit, & senescendo invalescit. Certissimum enim argumentum imperii bene constituti est diuturnitas: hinc major ejus fiducia amorque civibus: nec aliam magis ob causam durat respublica, quam quia duravit. Externis etiam consulendum fuit, ut ii quos rerum gestarum magnitudo cognoscendæ hujus reipublicæ cupidos effecit, non modo quæ nunc sit, sed & quæ fuerit, intelligant: demto errore, quem sæpe nominum similitudo parit in re dissimili. Neque enim ubique iidem sunt Principes, iidem Ordines; verum alibi summa potestas unius, consilium plurium: alibi plurium potestas, unius procuratio: alibi sub Principe leges: alibi sub legibus Princeps. Quæ si quis diligenter expenderit, facile inveniet, non hanc quæ nunc est noviter apud nos cœpisse, sed quæ prius fuit clarius apparere rempublicam. Sicut enim domus stare potest etsi partes quasdã commutes; fundamenta autem si convellas non potest; ita commutatis magistratuũ nominibus atque officiis non statim alia respublica est, dum tamen vis summa imperii primaq; potestas, & illa, ut ita dicam, mens, quæ corpus omne movet atq; continet, una maneat atque eadem. Restat Deum precemur, Proceres eminentissimi, statorem vindicemque hujus imperii, ut quam libertatẽ non tam vestra insignis prudentia, civiumq; & militũ egregia virtus, quam cœleste ipsius auxilium hactenus defensavit, eam porro in multas ætates propaget: propriaque nobis & perpetua faxit hæc bona quæ coram contuemur: sed illa præcipue, quæ certissima sunt securitatis publicæ pignora, RELIGIONEM, IVSTITIAM, atque CONCORDIAM. *Hagæ Comitis* XVII KAL. APRIL. ANNO CIↃ IↃCX.

DE

# HVG. GROTIVS
# DE ANTIQVITATE REIP. BATAVICÆ.

## CAPVT I.

*Quid ſit Principatus in Republica optimatium: quid Ordines.*

VNCTAS nationes populus, primores, aut ſinguli regunt. Primorum regimen aut cum principatu eſt, aut ſine principatu. Principatum voco eminentem unius auctoritatem aliorum poteſtate atque legibus definitam. quibus ſignis à regno proprie nominato diſtinguitur. unde Tacitus Piſonẽ dixiſſe memorat de Germanico, principis Romani non Parthi regis eum eſſe filium: de Caligula autem Suetonius, parum abfuiſſe, quin principatus ſpeciem in regnum converteret: ſicut de Vercingetorigis patre Cæſar, obtinuiſſe eum Galliæ principatum, ſed ob eam cauſãm, quod regnum appeteret, à civitate interfectum. Et Plinius de Trajano, occupari ab eo principis ſedem, ne eſſet domino locus. Improprie tamen & principatus ipſe regnum vocatur. atque ita heroum temporibus exorta regna ait Ariſtoteles, cum populi iis, à quorum majoribus beneficiis affecti erant, puta inſtructi legibus aut bello defenſi, deferebant belli imperium cum judicandi poteſtate. quod quidem regnum ait fuiſſe in volentes, & definito jure. Sic & Thucydides apud Græcos ait vetuſtiſſima fuiſſe regum imperia, patrum in liberos ſucceſſione delata, certiſque honoribus circumſcripta. Vnde apparet etiam in optimatium Republica principatus ſæpe generis ordine deferri. cujus rei nobile exemplum Lacedæmon exhibet. Primores autem, penes quos ſumma Reſpublica eſt, aut pro ſe quiſque ſententiam dicunt, ut fit apud Venetos, aut corporum nomine. Quæ corpora aut ejuſdem ſunt generis, aut diverſorum. Ejuſdem, ut apud Achæos, quorum concilium ex legatis urbium conſtituebatur. Fiunt autem diverſa ut civium, ita corporum è civibus genera, differentiis qualitatum, quibus ad Rempubli-

cam

cam aliter atque aliter ordinantur. Vnde & hæ qualitates & ipſa corpora Latine *Ordines* vocantur. vulgus etiam *Status* appellat. Tales Hippodamus ordines tres faciebat, artifices, agricolas, milites: Plato cuſtodes, milites, agricolas: Ægyptii ſacerdotes, milites, opifices: Galli veteres, Druidas, equites, plebem: Romani patricios, equites, plebejos. Quoties ergo primores ratione ordinum diſtincti ſummum rerum imperium adminiſtrant, id Ordinum aut Statuum regimen appellatur: ut in Germania hodie, ubi poteſtatem ſupremam juncti conſtituunt Electores, principes, civitates. Quod ſi ad hoc optimatium imperium ex ordinibus compoſitum legitimus accedat principatus, ea vero Reſpublica optime videri debet & dilecta eſſe & temperata. Nam cum in re omni id quod medium eſt probemus, medium autem dicatur modo id quod remotum utrinque eſt, modo id quod utrumque participat, apparet hanc Rempublicam ita inter regnum & multitudinis imperium eſſe conſtitutam, ut & mala utriuſq; declinando â ſe avertat, & bona imitando in ſe derivet. Primum enim cum neque uni homini multis erroribus obnoxio, neque multitudini imperitæ omnia permittit, maximis ſe proculdubio ſubducit periculis. Quandoquidem vero regnum præcipue majeſtate, populi autem imperium æquali libertate commendatur: majeſtatem quidem principatu aſſequitur: æqualitatis autem quantum ſatis eſt, præſtat, cum cuivis è quovis ordine per virtutem ad ſummos honores partemque imperii munit viam. His, ne ſequentium ſeriem ſæpius interrumpant, in ipſo ſtatim limine expliſcatis, nunc quæ Batavorum ab initio gentis ad hæc uſque tempora Reſpublica fuerit, ſedulo inquiramus. Id dum facimus, ſi non tam exacta afferimus argumenta, atque ſi in Græca aut Romana hiſtoria verſaremur, minime id mirum videri cuiquam debet: cum & vetuſtiſſima rerum Germanicarum cognita non habeamus, niſi per Romanos, negligentes ſane rerum externarum ſcriptores: & poſt Romani imperii lapſum, ut fere omnium circa id tempus gentium, ita & hujus noſtræ memoria denſiſſimis tenebris, partim etiam fabulis ſit involuta; ac poſtea non niſi ſero apud nos reperta ſint ingenia quæ rerum famam ad poſteros propagarent, ipſis quin etiam archivis diu ſilentibus. Dabit igitur veniam lector, ſi delineatio-

lineationem magis rudem, quam exactam totius Reipublicæ imaginem exhibemus: facietque, quod & judici facere, in cauſis præſertim à memoria remotioribus, neceſſe eſt, ut non in ſingula temporum momenta teſtes exigat: ſed probato initio & fine, medii temporis ſimilem atque perpetuum tenorem, ni contra appareat, æqua ratione ductus ſibi ipſe proponat.

## CAPVT II.

### *Qua Batavorum Reſpublica fuerit, condita primum gente.*

COnſtat igitur Batavos partem ante Cattorum, ut & Tacitus [*Hiſt.* IV. *& de Moribus Germ.*] teſtatur, & Batavorum nominis apud Cattos, Cattorum viciſſim apud Batavos veſtigia evincunt, ante Iulii Cæſaris tempora, & forte aliquot prius ſeculis, migraſſe in eas, quas nunc habent, ſedes, inſulam nimirum Oceano Rhenoque circumfluam, & proxima oræ Ciſrhenanę, quæ Gallica ceu Belgica vocatur. eaque loca, ut Tacitus narrat, cultoribus vacua occupantibus ceſſiſſe, æquiſſima naturæ lege, qua rerum ſine domino jacentium domini fiunt qui primi eas poſſident. Eſt igitur hoc juſtiſſimum liberæ Reipublicæ initium: quippe quam populus origine ſua liber in libero ſolo conſtituit. Qua Republica uſi ſint, Strabo ſatis docet, qui ait, Celtas omnes optimatium imperiis fuiſſe addictos. Celtas autem Græci cum dicunt, tum Gallos, vicinos Batavorum, tum vero Germanos complectuntur, quorum nobiliſſimi fuere Batavi, ſi quid Tacito & Plinio credimus. Et apud Gallos quidem veteres ante Romana tempora quæ Reſpublica fuerit, Ambiorix [*Apud Cæſarem de bello Gallico lib.* V] oſtendit, cum dicit ejuſmodi eſſe principum imperia, ut non minus in ipſos juris multitudo, quam ipſi in multitudinem habeant: ubi multitudinis nomine non ipſum vulgus, ſed concilium cujuſque gentis primorum intelligi, tum exempla apud Cæſarem demonſtrant, tum id quod Cæſar ipſe [*lib.* VI *De bello Gallico*] dicit, plebem nullo pæne in loco eſſe apud Gallos, nullique adhiberi conſilio, ſed imperium omne intra Druides & equites conſiſtere. Germanicas quoque gen-

tes

tes non ſub ſingulorum, ſed ſub plurium imperio ab omni ævo vixiſſe oſtendit illud Taciti [*de Moribus Germ.*] quo loco de antiquiſſimis Germanorum expeditionibus meminit: *quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas:* & Lucanus, [*lib.* VII.]

*Libertas ultra Tanaim Rhenumque receſſit:*
*Et toties nobis jugulo quæſita negatur,*
*Germanum Scythicumque bonum:*

Sequitur autem,

*Ex populis qui regna ferunt, ſors ultima noſtra eſt.*

Quibus locis *libertas* quid ſignificet, oppoſita *regni*, proprie nimirũ dicti, voce declaratur: ut & initio Annalium [*Tacitus:*] *Vrbem Romam à principio reges habuere. Libertatem & Conſulatum L. Brutus inſtituit.* Atque ut hæc Germanis communia, ita ad Batavos quoque ſpecialiter pertinuiſſe Civilis Batavus oſtendit, [*Tac. Hiſt.* IV] in ea oratione qua Gallos ad libertatem hortatur: quippe cum ſervire jubet Syriam, Aſiamque, & ſuetum regibus Orientem, ſatis oſtendit ut Orientis populos regno addictos, ita Batavos ab eo imperii genere natura alienos fuiſſe. Atqui id contrarium alicui forte videatur ei quod alibi dicitur. Civilem ipſum regio ortum ſanguine. Adde quod Veromerum Batavorum regem appellat Strabo: & aliorum item Batavorum regum mentio eſt apud Ammianum Marcellinum. Sed nihil eſt manifeſtius, quam reges hos fuiſſe itidem ut Laconicos, nomine ſolo, re vero ipſa nihil niſi optimatium primos. Clare id oſtendit Tacitus, [*De Moribus Germ.*] cum negat Germanorum regibus *infinitam aut liberam fuiſſe poteſtatem:* quin & in concilio auditos ait, *auctoritate ſuadendi magis, quam jubendi poteſtate.* De Friſiis quoque locutus [*Annalium* XIII] vicina Batavorum gente, cum dixiſſet eam nationem à Verrito & Malorige regi, caute adjicit, *in quantum Germani regnantur.* Gothones quoque ubi deſcribit, [*De Moribus Germ.*] ait *paulo jam regnari addictius, quam cæteras Germanorum gentes, nondum tamen ſupra libertatem.* Suionas autem ut à Germanico ingenio degenerare oſtendat, *unum eis imperitare* ait, *nullis jam exceptionibus, nec precario jure parendi.* Neque tamen ſemper aut omnibus Germanorum gentibus tales reges fuere, ſed plerumque duces tantum. Diſtinguit Tacitus, cum ait; *reges exnobilitate, duces ex virtute ſumptos.* Et Cæſar [*lib.* VI *de bello Gallico,*]

Germa-

Germanis *in pace nullum communem* ait fuiſſe *in magiſtratum*, ſed *deligi qui bello præſint, ut vitæ neciſque habeant poteſtatem*. Rari ergo reges; duces ſæpe, & in unumquodque bellum. quales apud Batavos Civilis ipſe, & prius Cariovalda, mox alii. Ducum poteſtas ferme tantum bellica. regum aliquanto largior, aut certe hoc major, quia perpetua. Vtraque cum infinita non fuerit, neceſſario circumſcripta fuit finibus. Fines à lege & alia poteſtate. Lex dat exceptiones, ut Tacitus vocat: poteſtas autem plurium addita facit, ut unus precario, non jure ſuo imperet. Leges ſcriptæ non fuere, ſed itidem ut Laconicæ, memoria hominum & uſu ipſo conſecratæ. Quales autem eæ fuerint apud Batavos in definiendo regum aut ducum imperio, difficile dictu eſt; niſi, quod credibile eſt, eaſdem aut non multo diſſimiles fuiſſe iis quæ poſtea Comitum tempore uſitatæ, ut infra dicemus, ſero demum perſcribi cœpere. Argumentum mihi præbet, quod Batavi è Cattis orti ſunt, gente Germanorum omnium prudentiſſima, & nota imperandi parendique artibus, quod illis vocibus Tacitus [*de Moribus Germ.*] de Cattis loquens indicat, *præponere electos, audire præpoſitos*: deinde quod video nullam gentem conſtantius in publicis privatiſque rebus majorum inſtitutis adhæſiſſe: ita ut vere de his dici poſſit, quod Tacitus [*ibidem*] ait, *plus ibi bonos mores valere, quam alibi bonas leges*. Exemplum ſit mos ille Cattorum, quo crinem barbamque ſubmittebant, voto obligati non niſi hoſte cæſo exuere ſquallentem oris habitum. Cujus memor apud Tacitum [*Hiſt.* IV.] Civilis Batavus propexum rutilatumque crinem patrata demum cæde legionum depoſuit. Et ſcimus apud nos fuiſſe, qui initio ejus, quod nuper deſiit, belli idem uſurpaverint, tradito à parentibus more. Ait Tacitus [*de Moribus Germ.*] turmas aut cuneos non caſu aut fortuita conglobatione factos, ſed per familias & propinquitates. Tales turmas cuneoſque è vicinis & conſanguineis in pleriſque Batavorum oppidis hodieque invenias, excedente omnem memoriam inſtituto. Apud Germanos veteres [*Tac. ibidem.*] ipſis incipientis matrimonii auſpiciis mulier monebatur venire ſe laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in prælio paſſuram auſuramque. Hinc Batavis in hunc diem pro lege ſervata bonorum inter conjuges communio. Potum ex frumen-

to corruptum in vini ſimilitudinem, veſtes non fluitantes, ſed quæ ſingulos artus exprimant; villas in agris ſuis quamque ſpatiis circumdatas, omnes veteres Germanorum notas, nuſquam clarius agnoſcas. Inimicitias propinquorum à propinquis ſuſcipi, rurſus ſatisfactionem recipi ab univerſa domo, reconciliatis in convivio inimicis, partem mulctæ regi aut civitati, partem ipſi qui vindicatur aut propinquis, exſolvi, plane ita uti Tacitus narrat, manſere manentque etiamnum: niſi quod ante ſæculum unum & alterum inimicitiæ familiarum apertius atque acrius exacerbantur. Morem ait Tacitus fuiſſe civitatibus, ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum quod pro honore acceptum etiam neceſſitatibus ſubveniret. hinc decimarum origo. Poſtremo mos ipſe ducem deligendi in exemplo Caninefatum deſcribitur, qui pars cum eſſent Batavorum, Brinionem, claritate natalium inſigni, *impoſitum ſcuto, more gentis* [*inquit Hiſt. lib.* IV *Tacitus*] *& ſuſtinentium humeris vibratum*, ducem delegere. Eundem morem Batavis viciniſque gentibus manſiſſe per Comitum tempora, ex publicis monumentis apparet, quæ clare teſtantur antequam prælium inter Friſios & Wilelmum Hannoniæ domus ultimum committeretur, tentato colloquio Friſios inter cæteras hanc Comiti conditionem tuliſſe, quatuor Friſiorum nobiliſſimos impoſitum ſcuto Comitem humeris vibraturos, cum ſuperindicto: HÆC EST POTESTAS FRISIÆ. Quare cum & in privatis rebus, & in iis publicis quæ ad ſpeciem magis, quam ad vim ipſam imperii pertinent, tam religioſe mos antiquus ab his populis ſit conſervatus, facile adducor, ut imperii leges eas antiquitus credam fuiſſe, quas ſequentium temporum uſus oſtendit. Nunc penes quos, juxta reges & duces, poteſtas ſummæ rei fuerit, inveſtigandum eſt. Apud Germanos ergo, præter eos qui ſacra curabant, duorum ordinum homines fuiſſe, reperio: principes & plebem. Principes cum dico, non ſingulos intelligo qui ſingulis gentibus imperabant, ut plerumque ea vox uſurpatur: hi enim principes erant ipſi reges aut duces, de quibus locuti hactenus ſumus: ſed eos qui ſinguli partem aliquam gentis curabant, quæ partes majores quidem pagi, minores autem vici vocantur. De his Cæſar [*lib.* VI] *nullus communis eſt magiſtratus: ſed*

*principes*

*principes regionum atque pagorum inter ſuos jus dicunt, controverſiaſque minuunt.* Tacitus [*de Moribus Germ.*] eoſdem principes ait *jura per pagos vicoſque reddere.* Ac ſolitos quidem principes eligi Tacitus docet: *eliguntur in iiſdem conciliis & principes.* ſed ita ut maxima nobilitatis ratio haberetur: *Inſignis* enim, inquit, *nobilitas aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant.* Vnde ortum credo ut juriſdictiones pagorum vicorumque diu in nobilibus familiis continuatæ, poſtremo fierent velut hæreditariæ. Sunt ergo hi principes dignitate generis ac muneris iidem, qui poſtea Barones ac Nobiles. Neque vero penes hos ita Reſpublica fuit, ut plebs, ſicut apud Gallos Cæſaris tempore, ſervorum loco haberetur. ſed principibus ſingulis, Tacito tradente, [*de Moribus Germ.*] *centeni ex plebe comites conſilium ſimul & auctoritas aderant.* Hi ſunt magiſtratus, quos una cum principibus agros diſtribuiſſe Cæſar [*lib.* VI] commemorat. Ipſæ ergo imperii cujuſque regiones partim à principibus, partim à dilectis è plebe adminiſtrabantur. iidem vero qui partes ſinguli, totum imperii corpus univerſi regebant, idque per concilium. Tacitus: [*de Moribus Germ.*] *De minoribus rebus principes conſultant, de majoribus omnes: ita tamen ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium eſt, apud principes pertractentur.* Concilium ait duplex fuiſſe Germanicis nationibus. Minus, quo res quotidianæ & ſæpius occurrentes ordinabantur: id è prinpicibus ſolis conſtitiſſe. Majus, penes quod ſumma rerum poteſtas: idque compoſitum ex utroque ordine. Nam quod *omnes* ait, non ita intelligendum eſt, quaſi ſinguli tanquam ad comitia convenerint, relictis laribus ac focis. id enim in gente magna, qualis præſertim Batavorum, in qua nationes ſeptem Plinius [*lib.* IV] numerat, Batavos proprie ita dictos, Caninefates, Friſios minores, Friſiabones, Cauchos minores, Tuſios, Marſacios, fieri omnino non poterat. Sed *omnes* dicuntur ipſum concilium, quo ex omni regione omnique ordine idonei homines mittebantur. Explicat hoc ipſe Tacitus, [*de Moribus Germ.*] cum de Semnonibus loquens, *Stato*, ait, *tempore in ſylvam auguriis patrum & priſca formidine ſacram omnes eiuſdem ſanguinis populos legationibus coire.* Et de Germanis in univerſum, *coire, niſi quid fortuitum & ſubitum inciderit, certis diebus*, deinde: *Illud ex libertate vitium, quod non ſimul nec iuſſi conveniunt,*

*veniunt, sed & alter & tertius dies contatione coëuntium absumitur.* Penes concilium ergo hoc utriusque ordinis summa potestas fuit. Vnde *licuit apud concilium accusare quoque & discrimen capitis intendere.* Quin *eliguntur in iisdem conciliis & principes & centeni singulis ex plebe comites*, quos diximus. Reges ipsi & principes in hoc concilio auditi, ut modo attulimus, *auctoritate suadendi magis quam jubendi potestate.* Quamquam vero id quod Germanorum omnium erat commune, non poterat non etiam ad Batavos pertinere: tamen hanc ipsam, quam dicimus, Rempublicam apud Batavos fuisse, historia Civilis [*apud Tac. Hist. lib.* IV] ostendit. Is enim ut bellum adversus Romanorum injurias rite decerneretur, *convocavit primores gentis & promptissimos vulgi*: ubi utriusque ordinis clara vestigia. Apparet ergo usos fuisse Batavos optimatium imperio, adjuncto tamen principatu aut perpetuo sub regis nomine, aut temporario sub vocabulo ducis. Optimates ipsos fuisse duorum ordinum: proceres, qui & primores & principes dicebantur: & dilectos è plebe: eos omnes concilio junctos summam habuisse rerum potestatem. Cæterum quia id concilium rarius coibat, res minores expeditas per regem ex procerum sententia partium autem singularum regimen fuisse tum penes proceres singulos qui jurisdictionem obtinebant, tum penes magistratus ex secundo ordine dilectos. qui concentus sane admirabilis illam exprimit laudatam Platoni Rempublicam, quam optimates regunt cum plebis consensione. Illud tamen addendum est, una in re dissimiles videri Batavos aliis Germanis fuisse. quod Germani sine ullis urbibus vicos tantum habitabant; Batavis vero urbes conditas statim ex quo insulam occuparunt, credibile est, quia non ut cæteri temporariam, sed mansuram sedem elegerant, idque loco, ut Tacitus [*Annal.* II] ait, *ob faciles appulsus accipiendis copiis* rerum omnium *oportuno.* Hinc enim Oceanus Britanniam & maritima Germaniæ: inde Rhenus, Mosa, Scaldis, & Germaniam interiorem & pleraque Galliæ aperiebat commercio. Accedit quod in Gallia jam Cæsaris tempore multa erant oppida, propinquum Batavis exemplum. tum vero idipsum satis indicant, in parte quidem insulæ inferiore, Lugduni Batavorum, in superiore autem Batavoduri, vetusta nobilium oppidorum nomina: præter

minora, Grinnes, Vada, Arenacum, aliaque Tacito & Peutingerianis Tabulis memorata. Quod ſi ita eſt, ut ſane credibile eſt, illud quoque conſequitur, cum oppida ſine magiſtratibus eſſe non poſſint, eos magiſtratibus in publicis conciliis, juxta proceres, maximam habuiſſe auctoritatem; & plebem agro colendo, paſcendo pecori, piſcationi quoque & mercaturæ & hinc cohærentibus opificiis intentam, libenter curam Reipublicæ his, quos diximus, magiſtratibus reliquiſſe.

## CAPVT III.

### *Qua Batavorum Reſpublica fuerit florente Imperio Romano.*

HAbemus Batavæ Reipublicæ faciem, qualis ipſo gentis principio fuit. Sed quia Romana magnitudo ita pleraſque gentes obruit, ut ex liberis civitatibus provincias faceret, & reges ipſos (ut ille ait) haberet inſtrumenta ſervitutis; putabit forte aliquis, communibus dominis ſuccubuiſſe etiam Batavos, maxime cum apud Tacitum [*De Moribus Germ.*] leget, Batavos è Cattis in eas ſedes tranſgreſſos, ubi pars Romani imperii fierent. Sed id quomodo intelligendum ſit, verba ejuſdem auctoris paulo poſt ſequentia declarant, cum Mattiacos Batavorum finitimos in eodem ait eſſe *obſequio*. quæ vox non ſubdito, ſed amico convenit, & prolatum eouſque non imperium, ſed *imperii reverentiam* denotat. Notum eſt duo eſſe fœderum genera, æquum & inæquale. inæquale, cum alter populus in alterius ditionem concedit. æquale, cum populus uterq; ſui juris manet: nec obſtat, quod populus alter altero eſt ſæpe multo potentior, dum jure adæquentur: etſi plerumque is qui minus poteſt, etiam cum æquum eſt fœdus, ſponte reverentiam quandam atque obſequium præſtat potentiori. Atque ita par eſt credi, Batavos Romanorum reverentes fuiſſe, non autem Romanorum imperiis obnoxios. Oſtendit hoc vox *ſocietatis*, qua Tacitus dicto loco utitur, & quidem honeſtæ: ait enim: *Manet honos & antiquæ ſocietatis inſigne.* Societas quippe æqualitatem juris denotat, maxime cum vox *honoris* additur, quæ cadere non poteſt in eum populum, qui ſe alteri populo per deditionem aut fœdus inæquale ſubjecit. Multoque clarius

rius alibi de Batavis idem Tacitus, [*Hist.* IV.] *nec opibus Romanis, societate validiorum attriti.* quia enim plerumque inter impares non manet vera societas, sed potius, ut in apologo est, leonina, quæ omnia in eam partem ducit, in qua plus virium est, diserte notat Batavos ingenua virtute & fide hoc consecutos, ut societatem, hoc est juris æqualitatem, non vocabulo, sed re ipsa retinerent. Idem sic quoque colligitur. Tribus signis populi inferiores populo Romano subjectos se profitebantur: imperiis Romanorum magistratuum: tributis: vectigalibus. Et Magistratus quidem Romani in Batavorum insula nulli umquam fuere. unde nec legatum unquam ad Batavos venire ait Civilis in oratione ad populares. sed ipsi suis legibus, suis magistratibus Rempublicam administrabant. Vnde nunquam provinciis accensentur. sed *gentem Batavorum, conventum Batavorum, civitatem Batavorum* sæpe Tacitus: [*Hist.* IV & V] quibus vocibus nihil aliud indicat, nisi quod hodie liberam Rempublicam dicimus, sicut *Helvetiorum civitatem*, hoc est, Rempublicam, Cæsar appellat. Iam vero ad tributa & vectigalia quod attinet, quorum nulla ferme natio immunis fuit, etiam quæ legibus alioqui suis, quasi beneficio populi Romani, utebatur. Batavi neutrum pendebant. Tacitus: [*de Moribus Germ.*] *nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit.* Et statim, *exemptos oneribus & collationibus* dicit. Civilis, [*Hist.* VI] in oratione ad Gallos, Batavos *tributorum expertes* vocat. Et Batavi de se ipsi: [*Hist.* V] *sibi tributa non indici.* Quæ de cætero capita fœderis fuerint, frustra quæramus: nisi quod verisimile est Batavos & Romanos mutua pactos auxilia. Nam & Batavi, qui cum vicinis de finibus quotidie certabant: minus habebant metuendum, si Romana magnitudine niterentur: & Romani adversus Belgas, Germanos, Britannos, toto denique terrarum orbe magno sibi usui videbant Batavos fore, quippe omnium circa gentium virtute præcipuos, & equite, pedite, remige juxta egregios, inque omne belli genus idoneos. Igitur sicut nunc Helvetii regibus plerisque, ita tunc Batavi Romanis præbebant turmas & cohortes, *quas vetere instituto*, inquit Tacitus, [*Hist.* IV] *nobilissimi popularium regebant.* Fuit hoc ipsum quoque magnum & in Romano imperio rarum æqualitatis signum, quod auxiliaribus, quas mitterent, copiis

Batavi duces ipſi præficerent, non eos à Romanis acciperent. Hoc eſt, quod ait Batavos Tacitus, (Ibidem) *viros tantum armaque imperio miniſtraſſe*: & alibi [*De Moribus Germ.*] *tantum in uſus prœliorum ſepoſitos, & velut tela atque arma, bellis reſervatos.* Præter auxilia aliud quoque maximum Romani ex Batavorum amicitia percipiebant, uſum nimirum inſulæ, ubi & præſidia habebant quædam, & claſſem prope littus, & cuncta parata tranſmittendo in Germaniam aut Britanniam bello. Dubitari non poteſt, quin C. Iulius Cæſar, qui primus Romanorum in has partes penetravit, primus quoque Batavos in ſocietatem receperit. nam & inſulæ Batavorum ipſe meminit: & ſe ad confluentes Rheni ac Moſæ pervaſiſſe oſtendit: & in exercitu ejus auxiliares fuiſſe Batavos Lucanus diſerte exprimit: Ipſe Germanos ſecum equites fuiſſe ſcribit, mox & levis armaturæ pedites quoſdam, qui aut ipſi Batavi, aut certe inter eos fuere, maxime cum reliqua Germania hoſtili eſſet in Romanos animo, & equites illos pediteſque accitos, ſcribit Cæſar ex iis civitatibus quas ipſe pacaverat. Hi ſunt, quorum præcipue virtute Galliam à Cæſare debellatam Oroſius auctor eſt. Hi, quorum impetum ad Noviodunum Galli ſuſtinere non potuerunt. Hinc Batavo equite pro tritos Heduos Arvernoſque jactat Civilis. Hi Gallos in Lingonum finibus Cæſarem adortos depulere. Hi bis ad Aleſiam hoſtem prælio vicere. Horum virtute acti in fugam Bellovaci. Pharſalicæ poſtea victoriæ initium non aliunde & fore Cæſar prædixerat & eventus monſtravit, teſtibus Floro & Dione. Eidem Batavi equites, quibus proprium vada nando cum equis tranſmittere, aggreſſos Cæſarem Ptolemæum & Alexandrinos dedere in fugam. Quibus tantis fidei ac fortitudinis exemplis permotus Cæſar Auguſtus, ut nunc Helvetios plerique reges, ita Batavos cuſtodiæ corporis ſui admovit; quod ſecuti ſunt & cæteri poſtea principes. Meminerunt Dion, Suetonius, Tacitus, aliique. Sub Tiberio Germanicus tum inſulæ ſitu, tum Batavorum virtute, ut Cariovaldæ ducis exemplo probatur, ſumme adjutus eſt. Claudii principatu, miſſo in Britanniam Plautio, magna ejus inſulæ pars ſubacta, inſigni ac plane, ut Dion teſtatur, admirabili Batavorum opera. Rurſus ſub Nerone, Suetonio Paulino obtinente Britanniam, aucta ibi novis

experimentis Batavorum gloria. Secuta mox bella civilia, quorum fere omnis fortuna in Batavorum manu. Hi Galbam erexere, & mox Vitellium. Ipsæ legiones Romanæ [*apud Tacitum Hist.* I] *validissimos* exercitus sui *artus* vocant, *viros fortissimos, veteres*, tot *bellorum victores*: Tacitus [*eodem libro*] Batavorum cohortes *prout inclinassent, grande momentum socias aut adversas.* Hinc Iulium Civilem non ausi interficere Vitelliani, [*eodem libro*] ne *viri præpotentis inter Batavos supplicio ferox gens alienaretur.* Et de Batavo Martialis: *Hæc timet ora pater.* Cum igitur in Cæsares imperiumque Romanum tanta essent Batavorum beneficia, tantus insulæ usus; tanta virtus atque fama auxiliorum, minime mirandum est, si per annos centum & viginti (tot enim sunt à Cajo Iulio Cæsare ad Vespasianum principem) Batavis suus honos manfit & jus integrum societatis. Tum vero, cum Romani auxilia in dilectum mutarent, dilectum ipsum non modo avare exercerent, sed, quod minime ingenuis ferendum erat, stuprorum contumelia onerarent, fecere Batavi quod viros fortes decebat, ut arma sumerent, quibus & libertatem & pudicitiam tutarentur. Causas ostendit Civilis: [*apud Tacitum Hist.* IV.] *Neque enim societatem, ut olim sed velut mancipia haberi.* Ergo justa se *arma contra communes dominos cepisse. Libertatem natura etiam mutis animalibus datam.* Ex ejus belli historia apparet quantus fuerit Batavis amor tuendæ libertatis, pro qua veriti non sunt provocare vim Romanam & circumfusas sibi quindecim legiones. Ergo *pulsum Batavorum insula Romanum nomen*: ipsi *magna per Germanas Galliasque fama libertatis auctores celebrabantur.* Hoc quoq; in eo bello notandum, cum Galliæ pariter arma cepissent, & sacramento suo obstrinxissent etiam Romanas legiones, Civilem [*apud Tacitum eodem libro.*] *neque se neque quenquam Batavum in verba Galliarum adegisse.* quia scilicet non decebat populum liberum & pro libertate pugnantem in aliena verba jurare. Qui exitus belli istius fuerit, quod Batavi utriusque ordinis decreto, ductu Civilis, contra Romanorum injustam dominationem susceperant, clarum non est: quia Taciti historia in hac parte nos destituit. Sed cum dicat Tacitus à Ceriali ostantatam Civili veniam, Batavis pacem, & Iosephus Iudæus bellum hoc pace compositum scribat, non dubito, quin restituti sint Batavi

in priſtinum ſocietatis gradum: eoque magis, quia de moribus Germanorum ſcribens Tacitus, ſecundo Trajani conſulatu, manere dicit Batavis honorem & antiquæ ſocietatis inſigne: & iis quæ ſequuntur, ſatis clare oſtendit etiam poſt id bellum nec tributis nec vectigalibus oneratos: ſed juris ſui manſiſſe, ea tantum lege, ut auxilia Romanis ſubmitterent. Et quidem jam ante, Domitiani principatu, [*Tac. in vita Agricolæ.*] Agricola in Britannia à Batavis adjutus res maximas confecerat: Adriano quoque ad Danubium caſtra habenti magnus Batavi militis uſus fuit. Poſt ea tempora non modo nihil diminutum de jure Batavorum, ſed aliquid inſuper honori acceſſiſſe teſtantur Inſcriptiones, quæ apud nos repertæ, quarum aliæ Severi, aliæ Antonini & Getæ tempora præferunt. Hæ namque *gentem Batavorum*, & *cives Batavos*, non ſocios, ut hactenus appellati, ſed *fratres & amicos* vocant, tum *populi*, tum *imperii Romani*. ex qua appellatione, ut ait ſcriptor quidam Panegyricus, & communio apparet, & æqualitas dignitatis. Poſt hæc tempora Franci circa Rhenum noſci cœpere, adverſus quos perpetua Batavis Romaniſque bella. ſæpe in Batavorum inſulam Franci irrupere; ſæpe repreſſi. Tandemque Conſtantio imperante, cum Franci, Alamannos & Saxones ſocios ſecum trahentes, late victores vagarentur, Iulianus eos ingenti ad Argentoratum prælio compeſcuit. cujus præcipuam fortunam virtuti Batavorum deberi Ammianus [*lib.* XVI] docet. fuſum quippe jam equitatum Romanum, & hoſtes cœpiſſe gladiis perrumpere peditum teſtudinem, cum Batavi laborantibus ſubvenere, *formidabilis*, ut verba ſunt ipſius Ammiani, *manus*: & quidem cum *regibus ſuis*: unde colligere eſt eo tempore adhuc eandem, quæ olim fuerat, Batavorum manſiſſe Rempublicam, niſi quod ob continua bella regum magis perpetuis imperiis, quam ducum extraordinariis utebantur. Romanos autem, laborante maxime imperio, nihil juris detraxiſſe fortiſſimis ſociis, ſatis ipſa ratio demonſtrat. Cæterum non eſt dubitandum, quin acerrima cum Francis bella, quæ à Valeriani imperio ad Iuliani principatum per centum ferme annos continuos duravere, Batavorum gentem multum exhauſerint. ita factum, ut Salii primum, nobiliſſima Francorum natio, partem inſulæ, puto eam quæ Tranſiſalanæ proxima

proxima eſt, inſederint, eamque cum bona & Romanorum & Batavorum pace tenuerint: quos cum Quadi, Saxonica natio, pellere ſedibus inſtituerent, Iulianus, bello primum Salios novos amicos tutatus, mox pacem ita confecit, ut Quadi ſimul Saliique, hi Francorum, illi Saxonum, virtute præcipui, in corpus nomenque Batavorum coaleſcerent. Itaque & legiones auxiliares è Quadis, Saliis Bataviſque conſcripſit, quibus manſit Batavorum nomen, ut ex Zoſimo [*Hiſt.* 111] apparet. Vnde apparet Batavos, aliarum gentium auctos acceſſione, jura libertatis imminuta ſervaſſe. Maxime autem in Britannia laborantem circa hæc tempora rem Romanam Batavorum arma fulcivere, quorum ope recuperatum Londinum, datuſque rector Britanniæ Civilis; quem Batavum regio ſanguine fuiſſe, nomen ipſum, à nobiliſſimo Flavianorum temporum duce deductum, ſatis, ut puto, oſtendit.

## CAPVT. IV.

### *Quæ Batavorum Reſpublica fuerit poſt lapſum Imperii Romani.*

AB hac ætate ad primam Comitum inſtitutionem per quingentos ferme annos magnum Hiſtoriæ deliquium eſt. Medio tempore, Saxones, Wiltos, Slavoſque, deinde Normannos atque Danos rapinis & incurſionibus omnia infeſta habuiſſe; Batavos contra, ſe ſuaque defenſando, magna inter damna auxiſſe virtutem, ſatis conſtat. cætera in obſcuro ſunt. Nomen quoque mutari hic incipit. Bataviæ enim ſive Batuæ appellatione intra ſuperiorem inſulæ partem concluſa, inferiores Batavi qui fuerant, Friſii dici cœpere. quod minime mirum, cum jam Plinii temporibus pars Batavorum Friſii minores & Friſiabones dicerentur, & inter Batavos corporis Cæſarum cuſtodes Friſiabones fuiſſe, Inſcriptiones antiquæ commonſtrent. Friſiorum autem nomen placuit, ſive quia ad libertatem id lingua noſtrate alludit, ſive quia Friſii lacubus & paludibus inviis circumfuſi, eoque inexpugnabiles; adverſus Barbarorum incurſiones cæteris quoque Batavis in aperto habitantibus perfugium fuere. Certe primos Comites, nondum Hollandorum nomine percognito, non aliter

quam Friſios appellatos invenias. Sicut autem Tacitus olim regum & ducum, paulo autem ante hæc tempora regum Batavorum Ammianus meminit: ita Francicæ & Germanicæ hiſtoriæ ſcriptores antiquiſſimi his ipſis temporibus reges Friſiorum nominant, quibus cum Francis gravia certamina fuere: & inter cæteros clarum Radbodi nomen, cujus regia in arce Medemelaca oſtenditur. Poſt reges autem duces iterum reperias, expreſſis nominibus. Hi ſunt qui & Poteſtates vocantur. Mirum autem eſt, quod apud Procopium [*Gothicorum* IV] legimus, eſſe in Oceano prope Rheni oſtia Brittiam inſulam, quæ Britanniam contra aſpiciat. habitatam autem tribus nationibus, quibus nomina Brittones, Angli, Friſones. ex his multos quotannis in Francorum terras cultoribus vacuas immigraſſe: atque inde Francos, cum in ipſam inſulam nihil juris habeant, ut quæ ſuis ipſa regibus gubernaretur, tamen eam pro ſua velle haberi. atque adeo regem Francorum in legatione, quam Conſtantinopolim ad Iuſtinianum Imperatorem miſerat, una miſiſſe quoſdam ejus inſulæ homines, ut eo facto imperium ſuum in eam inſulam quodammodo oſtentaret. Brittiam hanc aut Bataviam, aut certe aliquam ejus partem maritimam fuiſſe, non ſine probabilibus cauſis dici poteſt: cum & nulla alia ſit in Oceano & Rheni oſtiis inſula, & in ipſo Batavico littore ad medium Rheni alveum conſtet arcem fuiſſe, Brittiam nomine, manentibus in hunc diem veſtigiis. Ab arce autem inſulam, aut ab inſula arcem appellari, minime eſt infrequens; ut apud nos Flævus & flumini & caſtello & inſulæ antiquum nomen eſt. Quod ſi ita eſt, præter indigenas, quos Friſiones dictos jam memoravimus, duæ exteræ nationes hanc inſulam incoluerint, Angli nimirum, gens vetus Germanica, & Brittones, coacti forte aut Pictorum aut Normannorum injuriis, patrio ſolo relicto, tutiores receptus quærere. Certe Anglos una cum Saxonibus proxima Batavis ad ſeptentrionem littora tenuiſſe, atque inde in Britanniam diverſis temporibus tranſvectos, extra controverſiam eſt. Conſtat & Wilibrordum huc poſtea ex Anglia vectum, majoribus noſtris Chriſtianam veritatem annunciaſſe, non alio, quam quo tum Angli utebantur, ſermone. Brittones quoque, ut in Galliæ Armoricæ locis maritimis, ita in his noſtris paludibus refugium

fugium habuiſſe, à vero non abhorret. Francos autem affectaſſe quidem gloriam prolati hucuſque imperii, cæterum reipſa non imperaſſe inſulæ, aut certe non infra Trajectum, Auſtraſiæ regni, ut quidam tradiderunt, terminum, ad libertatem maritimorum Batavorum maxime pertinet: quos proinde credibile eſt, auctos aliarum atque aliarum ſubinde nationum ſupplementis: Francis autem conciliatos communi Normannorum metu & arcto junctos fœdere, ſub regibus ſuis ducibuſque veterem Rempublicam ad ipſa Comitum tempora produxiſſe. ad quæ nunc nobis veniendum eſt.

## CAPVT. V.

### *Qua Batavorum, hoc eſt, Hollandorum Reſpublica fuerit Comitum tempore.*

DE Comitatus inſtitutione, omiſſis quæ alii, nulla niſi rumorum & quidem ſerius ortorum auctoritate, tradiderunt, male ſulta monumentis ſemet refellentibus, ea dicam, quæ & ad rem pertinent, & vera eſſe non vanis argumentis mihi perſuadeo. Igitur ante Diderici, qui primus Comitum Hollandiæ numeratur, tempora, multi in Hollandia principes fuere, non quidem gentis totius, ſed qui parti alicui imperarent; quales jam olim Cæſar & Tacitus deſcripſerant. Ii principes, vocabulo in Germanicis legibus ſæpe obvio, *Gravii* aut *Graviones* dicebantur. quod nihil aliud quam judices ſignificat: unde *Diickgravios* nunc etiam judices ſive prætores aggerum appellamus. Et quidem recte ita dicti, quia principum munus præcipuum erat, ut ſupra oſtendimus, jus reddere. Hos *Gravios* ſive judices cur ii, qui ætate barbara Latine loquebantur, *Comites* appellaverint, niſi forte quia æqualis erant inter ſe dignitatis, non multum cauſæ video. Hinc ipſæ ditiones, *Pagi* olim, *Camitatus* dici cœpere. ita in Zelandia Walachria Comitatus: ubi autem nunc Hollandia eſt, Moſilandia, Kinhemum, Texela, ſinguli Comitatus fuere, idque hiſtoriæ & monumenta diſerte loquuntur. Ita Waſſenariorum proavi ante Didericum Burggravii fuere, hoc eſt judices arcis ejus, quæ in locum urbis Lugduni Batavorum à Normannis, ut credibile eſt, diruti ſucceſſerat, ſimulque agri adjacentis: quibus etiam vectigalia, velut am-

nis Rheni cuſtodibus, ſolvebantur, quæ in hunc diem penes poſteros eorum manent. Erant & oppida eo tempore his in partibus: atque adeo Fladirtingam & Rinesburgum munitiſſimas Friſiæ urbes Aſcafnaburgenſis vocat: quibus adjungi poteſt Vronla regionis ſeptentrionalis quondam caput. Dordrechto quoque & Harlemo non minima antiquitas. Hi ergo proceres, quos dixi, harumque urbium magiſtratus, cum viderent imminere ſibi quotidianos hoſtes Normannos, ſolito etiam ſæviores ob ſuſceptam nuper à Batavis noſtris religionem Chriſtianam, in medium conſuluere, ut credibile eſt, quomodo non, ut hactenus, tutos haberent receptus adverſus illorum injurias, verum & in præſens & in poſterum tam feris inſeſſoribus patriam liberarent. Ad eam rem cum temporaria ducum imperia non ſufficerent, placuit majorum exemplo, qui reges habuerant ſalva libertate, Principem unum toti reipublicæ corpori præficere, cui tamen non regum nomen, quod jam ferme non niſi in ſumma ac libera poteſtate uſurpabatur, ſed ſolitum atque conſuetum Gravii, hoc eſt, Iudicis impoſuere: hoc tamen diſcrimine, quod hic judex non cum additamento pagi alicujus, ſed ſimpliciter, utpote ipſorum quoque judicum judex, appellaretur. Ad hoc autem imperium dilectus non dubie qui nobilitate atque opibus cæteris principibus præſtabat. Didericus is fuit, qui Friſius in monumentis vetuſtioribus dicitur. Friſio autem nomine ſignificatos Batavos maritimos, jam ante explicavimus: & ille Schafnaburgenſis locus de urbibus non obſcure id ipſum indicat. Ianus autem Douſa Nordovix pater, vir ut nobilitate inter ſuos, ita doctrina apud omnes clariſſimus, iis ſcriptis quibus beneficio æterno ſibi patriam devinxit, clare oſtendit huic Diderico fratrem fuiſſe Walgarium: eidem autem Walgario & Diderico patrem Gerolfum, qui Friſionum Comes à Regione, fideliſſimo rerum Francicarum ſcriptore, dicitur. Fuit ergo Comes Didericus jam ante, & Comitis filius; ſed Comes pagi, hoc eſt, regionis alicujus, non autem integræ gentis, qui honos ipſi primo conceſſus, procerum & oppidanorum, ut credi æquum eſt, faventibus ſtudiis. Et cum in Trajectinis tabulariis mentio fiat pagi, ſiti in auſtrali regione, cui nomen Hollandia, à vero forte non abeat: hunc ipſum pagum fuiſſe avitum

avitum Diderici Comitatum : in cujus vocabuli conſortium mox totum hoc eidem principi creditum corpus imperii venerit, ut hi, qui cis Flævum erant, Friſii propria quadam appellatione à majoribus Friſiis trans Flævum colentibus diſtinguerentur. Pars tamen Flævo propior veteri nomine nunc quoque Weſt-Friſia, hoc eſt, occidentalis Friſia vocatur, quæ cum Hollandia unam rempublicam facit. His ea congruunt, quæ Hollandiæ Ordines dixere in nobili controverſia, quæ coram Carolo Quinto Cæſare & Belgarum principe inter ipſos & Brabantos diſceptata eſt. Cum enim Brabanti dicerent à Carolo IV Imperatore conceſſum ſibi privilegium, ne quo extra patriæ fines in jus vocari poſſent, eoque contenderent, Hollandis quoque non licere in Brabantos manum injicere, ut mos habet Hollandicus : Ordines Hollandiæ contra demonſtrarunt, id privilegium ad ſe minime pertinere. quippe ſe & Comites ſuos ſummam poteſtatem nulli quicquam debentem, & omnis generis juriſdictionem habere antiquitus, ex quo Didericus primus terram nulli regno obnoxiam barbarorum ereptam manu recuperaſſet. Eoſdem Comites ab omni ævo pari poteſtate fuiſſe in Comitatu ſuo, qua eſſent Imperatores in Germania aut Italia. neque vero obſtrictos ullo feudi vinculo, quod & ex mulierum ſucceſſione in principatum collegi, & eo quod principes ipſi magnas Comitatus ſui partes; Vornam, Herculanam, Puttenam aliis in feudum dediſſent, & quidem hæreditarium, nullius externæ poteſtatis accedente aſſenſu. Multo vero minus imperii Germanici leges, quantumvis conſcriptas verbis generalibus, unquam in Hollandia publicatas, aut ulla in parte iis ipſis legibus obtemperatum. quod & trecente exemplo probabant. Cum enim Germani multa de ſucceſſionibus ab inteſtato caviſſent, quæ etiam contrarios mores abrogarent, in Hollandia tamen hæreditates non alio jure, quam moribus avitis hodieque deferri. Sed neque cauſis aut Comitum aut Ordinum à Germanico ſenatu unquam dijudicatas. Quæ cum Ordines Hollandiæ dixiſſent, probaſſentque, pronuntiatum eſt privilegium Brabantis datum in Hollandia vim non habere. Philippus quoque Leidius, qui Wilelmo Bavarorum primo regente Hollandiam, de Republica librum conſcripſit, & principi

ſuo dedicavit, cum ipſe apud Gallos jus civile profiteretur, eo in libro ſæpe repetit, Comitem Hollandiæ *imperatorem eſſe ſuo in Comitatu.* Scimus quidem Imperatores Germanos, quale quid & de Francis modo ex Procopio attulimus, præ ſe ferre ſolere, tam Comites Hollandiæ, quam alios principes, etiam reges, vaſallos ſuos eſſe, quod etſi obtinerent, non eo deſinerent Hollandi eſſe liberi, cum, ut Proculus egregie demonſtrat, nec clientes liberi eſſe deſinant, quia patronis dignitate pares non ſunt; nec liber eo minus ſit populus, in cujus fœdere comprehenſum ſit, ut majeſtatem alterius comiter obſervet, dummodo alterius poteſtati ſe non ſubjecerit: unde & feudi liberi orta eſt appellatio. Verum enim vero ne hoc quidem qualecunque feudi vinculum Comites agnovere, ut & ex his, quæ modo diximus, apparet & ex hiſtoria bellorum, quæ primi Comites, & nominatim Didericus quartus pro tuenda dignitate contra Imperatores proſpera ſatis fortuna geſſere. Quod ſi qui adducti neceſſitate temporum, aut propriis de cauſis Imperatoribus obnoxii, eorum patrocinium invocaverunt, id tamen ipſum, præcipue Ordinibus factum non conſentientibus, nec Reipublicæ, nec poſterorum principum jus deterius potuit efficere. Burgundos certe & Auſtriacos, principes, quorum certior memoria eſt, compertum ſatis habemus Cæſaribus fidem pro Hollandia non dediſſe. Legibus autem judiciisque Cæſarum & Imperii, quod præcipuum eſt, ſubjectam non eſſe Hollandiam, Germani etiam ipſi conſitentur. Ex his cum manifeſtum ſit, ſummam poteſtatem in Batavos totam intra ipſos fuiſſe, non autem ab externo pependiſſe imperio, nunc alterum reſtat videndum, quæ in ipſa Republica Principis, quæ Ordinum partes fuerint. quod exacte ſciremus, ſi leges imperii Diderico dati exſtarent. ſed cum illud ſupra dictum eſt, ſero demum apud gentes Germanicas res & privatas & publicas ſcripto mandari cœpiſſe, tum vero illorum temporum omnis memoria, præter bella quædam & alia huc non pertinentia, intercidit. Verumtamen cum & ante hæc tempora regibus Batavis non tam poteſtas conceſſa fuerit, quam auctoritas, & parentum quoque noſtrorum memoria ſcriptores etiam externi conſignarunt reliquerint, principum imperia his in regionibus

tum

tum legibus definiri, tum Ordinum consultis temperari; certa est conjectura, medio tempore eam fuisse Rempublicam, quæ & à majoribus accepta, & mox posteris relicta est. præsertim cum & urbes validas & cives nobiles opibus valentes, quos id ævi fuisse demonstravimus, ex sueta æqualitate in subitam inæqualitatem voluisse decidere, creditu sit difficile; ac contra, aucta per connexionem principatuum sequentium Comitum magnitudine, sub Burgundica maxime & Austriaca domo detritum plus sit libertati, quam additum. Leges igitur imperii præcipuæ hæ fuerunt.

*Ne maritum sibi accipiat femina princeps, nisi Ordinum Hollandiæ arbitratu.*

*Ne munera Senatoria, Quæstoria, Prætoria aliis quam indigenis mandentur.*

*Vt jus sit Ordinibus in concilium coire quoties & ubicumque voluerint, nec opus habeant eam ad rem principis venia.*

*Nova vectigalia ne qua imponantur, neu cui vectigalium detur immunitas, nisi Ordines auctores fuerint.*

*Bellum suscipere pro rebus tutandis aut persequendis injuriis principi ne liceat, nisi Ordinum arbitrio.*

*Principes in literis Germanico sermone utantur.*

*Monetam Princeps cudat, & mutet, prout Ordines è re esse judicaverint.*

*Ne quam principatus partem Princeps à se possit abdicare.*

*Ne Ordinum concilium extra fines evocare liceat.*

*Princeps si quo tributo aut collecta opus habeat, ipse ab Ordinibus exoret. per legatum id ne agat. onera, nisi sponte concessa, ne exigat.*

*Iurisdictio nisi per ordinarios judices ne exerceatur.*

*Mores antiqui legesque sanctæ sint. eas contra si quid princeps decreverit, nemo decreto teneatur.*

Hæc jura usu diu solo servata, postea ne pravis adulantium artibus ingenia principum in spem illegitimi dominatus corrumperentur, per partes primum conscripta & à principibus signata; tandem, querentibus Ordinibus multa veteris Reipublicæ fundamenta per desuetudinẽ subverti tum ab aliis, tum maxime à Maria Burgundica, in unum collecta corpus & perpetuæ memoriæ consecrata sunt. Quanquam autem Hollandi in successione principatus ordinem sanguinis sequebantur: tamen ut ostenderent non ex paterna hæreditate,

ſed ex populi, hoc eſt, Ordinum conſenſu proficiſci imperium, non prius principis loco quemquam juramento ſe obſtrinxiſſet Ordinibus, leges ſe patrias moreſque ſervaturum. quo facto viciſſim ipſi ex legibus imperaturo fides & obedientia repromittebatur. Quare cum hæ leges conditiones ſint additæ poteſtati, planum eſt, nullam fuiſſe principi poteſtatem, qua ſe iſtis legibus ſolveret: ut ab iis, qui de Republica ſcripſerunt, abunde traditum eſt. Vnde & illud ſequitur, cum ſumma majeſtas non ſit penes eum, qui jure aliquo conſtituto teneatur, ut ad ſeptentrionem plerique principes, Comitem quoque Hollandiæ, qui tot legibus teneretur, jus ſummæ majeſtatis in ſe uno non habuiſſe. Quæ autem de poteſtate Ordinum ex legum verbis attulimus, eadem ipſa aliaque non minora vetuſtiſſimis exemplis probantur. Arnulfo enim Principum tertio cum filii eſſent duo, Sifridus, qui & Sicco dicitur, natu major, ob culpam neſcio quam abdicatus imperio, Diderico autem minori delatus Ordinum conſenſu principatus. Diderico autem quarto ſine liberis mortuo, cum fraternæ ſucceſſionis nondum exſtaret exemplum, fratrem defuncti Florentium Ordines Principem dixere. Diderici mox ejus nominis quinti, per ætatem Reipublicæ capeſſendæ imparem, tutelam Ordines matri Gertrudi dedere: eamque in matrimonium collocarunt Roberto Flandriæ Comitis filio, qui quod Hollandos regeret, qui Friſii dici nondū deſierant, inde Friſium cognomen accepit. Ada autem Diderici ſeptimi filia cum invitis Ordinibus Comiti Loſſenſi nupſiſſet; dejecta eſt principatu; inque ejus locum ſubrogatus Wilelmus Diderici frater. Florentio autem quarto adoleſcenti tutor datus patruus & ipſe Florentius nomine. quo mortuo cum amita Aleidis non ex conſilio Ordinum tutelam, ſed arbitrio ſuo adminiſtraret, Othoni Geldriæ Comiti, qui remoto ſanguinis gradu pupillum contingebat, traditum regimen. Mox per mortem Florentii quinti vacante principatu, Nobiles & oppidani per ſe Rempublicam adminiſtrarunt, donec abſens filius Iohannes ex Anglia advenit, cujus cura conſanguineo Iohanni Avenienſi permittitur. Margarita deinde, cum principatui minus idonea videretur, ipſa imperio demota; ſed filius Wilelmus Comes eſt renunciatus, quo per morbum

bum animi minus compote, Adelberti fratris curæ Respublica commendata est: sed ita, ut eam ex Baronum, Baronibus ortorum, Equitum, Scutiferorumque (gradus hi sunt nobilitatis) & bonarum urbium consilio administraret. Wilelmus vero Adelberti filius cum sine masculi sexus liberis se moriturum provideret, convocato Nobilium & oppidorum omnium conventu, postulavit impetravitque, ut successio principatus Iacobæ filiæ addiceretur: quæ tamen cum per inconsultam matrimoniorum licentiam minus se dignam reddidisset imperio, viva se etiamnum & superstite ad Philippum Burgundum transferri Hollandiam vidit. Hujus Philippi neptem Mariam cum Maximilianus Austriacus duxisset, & mortua uxore retineret imperium, neque id, ut Philippi secundi filii sui tutor, ex Ordinum sententia gereret, sed regio magis more, Ordines tum Hollandiæ, tum vicinarum nationum, fortiter obstitere. Carolo etiam postea Imperatori ejus nominis quinto, cum adolescens ad principatum veniisset, tutores ab Ordinibus nationum impositi. Idem ejurato principatu in Ordinum concilio, filium suum Philippum Ordinum fidei commendavit. Hæc signa sunt, imperium principale, ut ab Ordinibus profectum, ita quoties Princeps defecerat, ad ipsos rediisse. Iam vero principum veterum acta nulla alicujus certe momenti reperias, quibus non Baronum ac Nobilium auctoritas & subscriptiones accesserint. id enim Comitibus, ut regibus Germanis olim, antiquissimum consilium fuit. Ad urbes vero quod attinet, earum numerus & cum numero dignitas semper longius excrevit. Antiquitus senatus singulis. is mortuo senatore locum ipse supplet, ex his qui inter oppidanos virtute atque opibus præcellunt. Idem senatus alibi magistratuum præcipuos creat, quos civium magistros vocant: alibi & hos ipsos & alios litibus judicandis, qui Scabini antiquissimo vocabulo appellantur, principi deligendos offert, sed ita ad duplum numerum præscribant, quem princeps non possit excedere. quod non minimum est libertatis munimentum. Neque vero majores tantum urbes, ut postremis temporibus factitari cœpit, sed vero & minores in concilium vocatas, plurimis exemplis apparet. Philippus, quem dixi, Leidius & nobilium & oppidanorum magistratuum sæpe meminit:

meminit: eoſque *majores patriæ* vocat, & curaſſe ait, negligente principe, ne quid Reſpublica detrimenti caperet. Invenio & temporibus Wilelmi quarti è domo Hannoniorum poſtremi Dordrechti concilium fuiſſe coactum trium nationum, Hollandiæ, Zelandiæ, Hanoniæ; eo oppidorum legatos frequentes conveniſſe vectigalium cauſa. Id vero concilium ſummum quoque ſenatum appellari. Tributa autem nulla unquam indicta fuiſſe ſine Ordinum decreto, rationes publicæ loquuntur, in quorum capite decreta ſemper apparent. atque inde tributorum & collectarum nomen apud nos antiquum perpetuoque ſervatum eſt Preces, quod & apud Philippum Leidium ſæpe invenias: quia, uti diximus, ad preces principum ab Ordinibus decernebantur, magno argumento auctoritati Ordinum ſubmiſſi principatus. Quin & Philippo Comitum poſtremo bellum in Gallos gerenti oratam indictionem novennalem non aliter Ordines annuerunt, niſi præſcriptis quibuſdam legibus, atque inter alias, ut per homines ab Ordinibus delegatos pecunia tractaretur. Sicut & jus ſuo arbitrio coëundi ad extrema uſque tempora, quæ bellum hoc anteceſſerunt, Ordines retinuiſſe in aperto eſt. Ex his quæ diximus apparet, Comites Hollandiæ nihil ferme diſcrepaſſe ab antiquis regibus. nomine tantum uſos minus invidioſo, minuſque ſuſpecto libertati. ſumptos ſane ſanguinis ordine, ut in multis populis liberis: ſed imperium non ſine exceptionibus datum. quippe leges additas, ac juramento ſacratas: & auctoritatem quidem Comitum non exiguam, Ordinum vero tum in rebus aliis, tum circa pecuniam maxime, qui nervus eſt Reipublicæ, eam fuiſſe poteſtatem, ut vere dici poſſit de Comitibus, quod olim de Germanorum regibus, precario eos imperaſſe. Quod ſi & externum exemplum quæritur, nuſquam ſimilius quam in Laconum Republica invenio, quæ & Platonis & Polybii & ſapientum multorum, ipſius quoque Apollinis, ut creditur, teſtimonio præ cæteris laudata eſt: In hac enim reges quidem ſuccedebant alter alteri ſanguinis ordine, ita ut pro pueris regibus tutores, quos Prodicos vocabant, fiduciario imperio fungerentur: ſed reges ad imperium non admittebantur, niſi prius ex patriis legibus ſe imperaturos juraſſent. eratque regibus poteſtas in ſingulos:

in reges Ephoris & Senatui. Laudatur ab antiquis Theopompi regis Spartani dictum memorabile: qui exprobranti uxori, quod instituto Ephororum magistratu majestatem ipse suam minuisset, respondit, minus se liberis imperium relinquere, sed diuturnius. Verissimum enim est, quod veteres dixere, Rempublicam omnem certo concentu teneri, eoque dissoluto corrumpi: quem ego concentum non fidium ac sonorum, sed vero principis cum populo, populi cum principe, atque Ordinum inter se bene temperatam concordiam interpretor. Hoc concentu & principes Hollandi & nobiles & plebs diu floruere, dum principem singuli reverebantur, princeps ipse leges & publicos conventus, dum nobilitati suus honos, plebi sua libertas manebat. Hinc bellorum prosperi exitus hinc ut olim Romana societate, ita sub Comitibus gens non magna magnis amicitiis ambiebatur. docent federa: docent affinitates. Statim nascente principatu Diderici duo Regum Francorum, ut creditur, generi. Arnulpho Comitum tertio conjux Constantinopolitani Imperatoris filia, cujus soror Germaniæ Imperatori nupserat. aliquot sequentibus ex domo Saxonica, Imperii tum compote, uxores: At Florentio tertio è Scotiæ regno matrimonium. Wilelmus autem eo nomine secundus Hollandiæ Comes ad Germaniæ Imperium ipse vocatus est, non alia, ut credo, magis de causa, quam quia principatui moderato domi assueverat. Ejus filium Florentium quartum hinc Rex Angliæ, inde Galliæ, certatim sollicitavere, fœdera & conjugia liberorum cum donis offerendo. Sed filius Iohannes procerum consilio Angliæ regis duxit filiam: mox Galliæ, Wilelmus sextus. Vicissim Comitum filiæ magnas in domos collocatæ: ut Margareta Wilelmi quarti in domum Bavaram Cæsari nupta, Iacoba Galliæ Delphino. Et hactenus nihil aliud, quam Hollandiæ & Zelandiæ, pars & Hannoniæ principes. Inde per Comitis Adelberti filiam Burgundo nuptam eosdem accepit principes Hollandia, quos jam Brabantia, Flandria, pluresque populi habebant. ita gentes moribus atque institutis non dissimiles communi imperio pacatæ munitæque. Maria mox Burgundica ex marito Austriaco filium habuit, cui pleraque Hispaniæ in dotem cesserunt: & cum Hispania, spes novi orbis, fusique per va-

ga terrarum ſpatia regnorum tituli. Sed hanc principum magnitudinem ingens in Republica mutatio conſecuta eſt, quam breviter indicabo.

## CAPVT VI.

### *Quomodo tentata Reipublicæ mutatio cauſam bello dederit.*

HVmanum ingenium præceps eſt ad dominationem, unde naſci plerumque tyrannides ait Ariſtoteles, ubi principes patriarum legum ſepta tranſiliunt. Vix autem quis deſinit plus velle poſſe, quam poteſt, niſi id ſe, quod vult, efficere poſſe deſperet. Itaque priſci principes, quibus in patria ſpes omnis, nulla externa vis aderat, præbebant ſe legum reverentes, amantes æqui, obſervantes Ordinum, ut quorum opibus dignitatem ſuam niti intelligerent. Primi Burgundi regia orti domo gradum quidem, ſed latenter, ad dominationem fecere, manente & tota imagine, & vi quoque magna libertatis. Carolus mox, Rex alibi & Imperator, minus hic patienter principem agebat: ſed & affectu retinebatur, natus his in partibus eductuſque, & norat æſtimare gentes, optimum inſtrumentum magna conanti, fidasque per ſe, cæterum ſi libertas attentaretur, irritabiles & validas. Attamen Edicta ſcripſit ſanguinantia, & cum gravibus erroribus oppreſſa Eccleſia medicinam poſceret, ille vi tuendum ratus, quidquid receptum erat, in aliter ſentientes pœnas conſtituit capitales, non exquiſita ad rem tantam Ordinum ſententia. At Philippo ejus filio ingenium nulla niſi liberrima poteſtate contentum: eo oderat gentes, quæ leges principi ponerent, quod & Arragones non ita dudum malo ſuo didicere. Sed præcipue Hiſpani, apud quos Philippus ab infantia egerat, arripere hanc occaſionem adverſum Batavos Belgasque, cum quibus de gratia apud principes hactenus contenderant: horum libertatem in invidiam vocare: contra oſtendere Italiæ urbes, & Americæ terras ſuis præſidiis ita teneri, ut ſine exceptione parerent. Confecto igitur bello Gallico, cum moneretur Ordinum nomine, ut Hiſpanorum præſidia finibus deduceret, æquam poſtulationem indignabundus excepit. Et in Hiſpaniam ipſe

avectus

avectus ab eo tempore non ex procerum indigenarum consilio, è quibus more majorum summus idemque perpetuus harum regionum Senatus constabat, sed compositis in Hispania decretis, pleraque Reipublicæ apud Batavos & Belgas ordinabat. relicto hic Granvellano, Hispanicorum jussuum administro. Iam res religionis eo venerant, ut etiamsi crimen fuisset dissentire à Romano Pontifice, tamen id puniendum non esset bono principi, ob immensam reorum multitudinem, quorum animis evelli qualiscumque persuasio nullo terrore poterat. Hanc ob causam cum & proceres & claræ civitates demonstrarent, nec commercia, nec quietem publicam retineri posse, nisi Edicta super religione mitigarentur, tantum abest ut Philippus consilio obtemperaverit, ut contra inquiri voluerit in intimos hominum sensus, novo instituto cognoscendi ordine, qualis in Hispania in Iudæos ac Mahumetistas sub Christianismo latentes exerceri solet. In eam rē dispositi & Episcopatus passim novi, retinentibus Ordinibus, sine quorum permissu antiquitus sacerdotia augeri non poterant. Hæc cum ad perturbandam Rempublicam non dubie pertinerent, & proceres primum, qui in senatu erant, deinde magna nobilium multitudo in hoc congregata, in quibus erat Brederodius Hollandiæ principum ortus sanguine, suaderent atque orarent ad id remedium veniri, quod olim in rebus multo minoribus solitum esset usurpari, concilium scilicet ex omnium nationum Ordinibus, Philippus, sicuti abscedens destricte vetuerat tale concilium haberi, ita & tum vetare non destitit. Orto deinde tumultu, non publico ullo consilio, sed per audaciam paucorum ex infimo vulgo, ad tollendas è templis imagines, in quarum cultu non parum hactenus peccatum erat, eodemque mox procerū auctoritate composito, Hispanis ac Philippo placuit, arrepto obtentu ex privata temeritate, contra jus & æquum, publicum populis rebellionis crimen intendere. Ergo ad invadendam dominationem Albanus mittitur, cum mandatis immitibus, vir immitis ingenii: (novit Germania:) qui palam profitebatur Ordinibus, civitatibus, universis denique nationibus, & hominibus singulis, amissa jura omnia, nec alias posthac leges, quam imperia regis fore. Ipse certissimum conculcatarum legum

specimen,

ſpecimen, homo externus, nec ſanguine principem attingens, contra mores juraque omnia miſſus in ſummam præfecturam. Iudicia quoque legitimis atque ordinariis conſeſſibus erepta. erectoque novo auditorio, ubi læſæ Majeſtatis cauſæ diſceptarentur, hoc ſub nomine ſubjecta ſibi capita & fortunas civium accepere homines Hiſpani & Hiſpanis ſervientes. Nec tantum è plebe multa millia: ſed procerum primi Egmondus & Hornanus falſis criminibus damnati à non ſuo judice cervices carnifici præbuerunt. Wilelmus Naſſavius Arauſionenſis, inter proceres & ipſe, cum multis aliis actus in exſilium. quorum Egmondus in Hollandia Comitatum habebat: Arauſionenſis Hollandiæ præſes fuerat. Bergenſis & Montigniacus, qui preces populi atque primorum in Hiſpaniam pertulerant, alter ſupplicio affectus, alter veneno, ut conſtans fama eſt, interemtus. Tum more dominantium impoſita urbibus præſidia Hiſpanorum, aut arces. Inſuper, ut liberæ hactenus gentes ſervitutem ſuam perpetuo & faterentur, & paſcerent, quas ante principes coram ipſi ob minima etiam tributa precibus ambire conſueverant, his tum rerum ſoli viceſima, mobilium decima in alienationes ſingulas per vim minaſque legati indicitur. Certavit quidem diu populorum fides cum libertate. ſed cum violatis palam legibus, contemptis Ordinibus, illa tot ſæculorum Reſpublica & poſterorum libertas ſalva diutius eſſe non poſſet, Ordines Hollandiæ, ad quos & legum & juris ſui atque publici tutela ſpectabat, anno CIↃIↃLXXXII, XIX Iulii die, inſtituto Dordraci nobilium & ex urbibus pleriſque legatorum conventu, majorum ſecuti exemplum, qui in Romanos dominationem cæptantes arma ſuſceperant, bellum contra Albanum decernunt: exſules per injuriam pulſos reſtituunt: Wilelmum Arauſionenſem ducem agnoſcunt.

## CAPVT VII.

### *Qua in bello fuerit, poſt bellum ſit Batavorum Reſpublica.*

EX eo tempore ſumma Ordinum poteſtas, quam poſtremorum principum licentia non parum obſcuraverat, luci reddita palam effulſit. Et poſtquam

quam cum Hollandis aliarum quoque nationum Ordines pro libertate armatæ in ſocietatem arctiſſimam convenerant, neque Philippum, cujus honori hactenus parcebatur, aut preces aut monita ad mentem ſaniorem revocare potuerant, tandem XXVI Iulii die, anno CIↃIↃLXXXI fœderatorum populorum Ordines pronuntiarunt Philippum ob violatas imperii leges ipſo jure principatu excidiſſe. quomodo ſcilicet multæ liberæ gentes ſæpe principes ſuos, ut Lacones Pauſaniam, Romani Neronem, Veneti Falerium, Dani Chriſtiernum, damnaverant. Neque tamen optimates ſine principatu Rempublicam geſſere. ſed ut olim regibus duces ſucceſſerant, ita tunc ſublato Comitis nomine legitimum imperium Arauſionenſis acceperat, Præfecti vocabulo. cujus admirabilis cum Ordinibus concordia, dum & ipſe illorum cedit poteſtati, illi viciſſim ipſum & amant & reverentur ut parentem publicum, rem Batavam è parvis initiis ad maxima incrementa perveblicam modo, ſed & Reipublicæ faciem retinuere. Mortuo Arauſionenſi præfectura delata Liceſtrio, qui Anglorum auxilia adduxerat: ſed cum is regios gerens ſpiritus: moris noſtri ignarus, & pravis conſultoribus obſequens, regimen Ordinum obtrectare, res novas moliri cœpiſſet, Ordines ſuam poteſtatem, à qua & Liceſtrius mandatum accepiſſet imperium, juſtiſſimam ſimul & antiquiſſimam demonſtrant: eos vero qui in ipſius gratiam per ſeditionem res novare inſtituerant, capite plectunt. Quibus cum intellectis Liceſtrius ipſe fuga imperium deſeruiſſet, Mauritius, Wilelmi Arauſionenſis filius, Hollandiæ viciniſque regionibus præficitur. Hoc præſide mira iterum concordia: vigintique per annos quieta Reſpublica, prolati fines, depulſi exercitus, proſpera prælia, obſidiones illatæ fortiter, fortius toleratæ, Ordinibus ſapientiſſimorum procerum, & Mauritio ducum maximi famam addiderunt. Auctus Reipublicæ honos, cum eam reges per federa ſibi æquavere: quippe anno XCVII ſocietas facta inter

Regem

Regem Galliæ, Reginam Angliæ & Federatarum nationum Ordines. Ea tamen modeſtia adverſus principem quamvis abdicatum fuit, ut Philippo ſuperſtite intra ſe tuendi neceſſitatem virtus conſtiterit. quo mortuo indictum publice, repoſitumque Hiſpaniæ quod miſerat bellum, & ad ultimas Indorum terras cincta armis commercia navigavere. ibi quoque communis hoſtis, & inclyta Batavorum virtus ac fides regum & populorum federa meruit: ſalutatique Ordines alio tam procul cælo venientibus legatis. Et hactenus pugnatum. De pace actum ſæpe tum Philippo Rege vivente, tum poſt ejus mortem Belgis ad filiam generumque tranſlatis. ſed repudiatæ ab Ordinibus conditiones omnes, quibus non ſalva eſſet libertas & jus decreti, quo Philippo imperium abjudicaverant: Romanorum vetere exemplo, quibus, ut pulſos Tarquinios reciperent, nulla pax tanti fuit. Tandem cum Archiduces Albertus & Iſabella & ipſe Rex Philippus Phillippi filius, paratos ſe oſtenderent Ordinum libertatem agnoſcere, mediis Regum Galliæ, Angliæ, Daniæ, præterea aliorum principum legatis, cœpta colloquia: & cum pacem difficultates magnæ morarentur, ad ultimum, anno CIↃ IↃ CIX, factæ in duodecim annos induciæ; præpoſita teſtatione ab Archiducibus tum ſuo, tum Philippi, à quo id mandati acceperant, nomine, qua ſe paciſci eas inducias cum Ordinibus Federatis, ut cum liberarum nationum ac civitatum Ordinibus, profitebantur, taleſque eos à ſe haberi, & nihil à ſe in ipſos juris obtendi. Philippus pacta rata habuit, repetita eadem profeſſione, Brevis hæc narratio, capto ante C. Cæſarem initio, in hoc tempus deſinens, oſtendit, per annos plures mille ſeptingentis Batavos eadem uſos Republica, cujus ſumma poteſtas penes Ordines fuerit, & ſit etiamnum: ſic tamen ut principatus acceſſerit modo majori, modo minori cum procuratione, quondam ſucceſſione delatus, ſæpe olim & nunc quoque ſuffragiis, ſemper autem ſub legibus. Et hic quidem vultus imperii. membra, ſi quis propius noſſe deſideret, ita ſe habent. Hollandia vicis & urbibus frequentiſſime habitatur. Vrbium cura penes cujusque ſenatum & magiſtratus, quibus conceſſum intra ſuum territorium & leges quasdam condere, & ad urbis neceſſitates onera imponere.

imponere. Senatores perpetui : magiſtratus annui, nullo aut exiguo ſalario. Magiſtratuum majorum, civium quidem magiſtri jura plebis & urbis ſtatum defendunt: judiciis ſcabini præſunt, tum pecuniariis, tum etiam capitalibus, accuſatorum publico munere, non ſine imperio quodam fungentibus his, quos Balivos & Scultetos dicimus. Iurisconſulti magiſtratibus aſſident. Vicorum duplex juriſdictio, major minorque, partim penes Rempublicam, eſt ſive Comitatum, partim penes nobilitatis præcipuos, qui eam à majoribus accepere. Minor per Scultetum & Scabinos: major per Balivum & Feudorum poſſeſſores, aut agros colentium potiſſimos, quos benenatos vocant, expediri ſolet. Sunt & propriæ cognitiones ſilvarum & venationum, penes Saltuarium ejuſque ſodales: aggerum vero, quibus Hollandiæ ſalus maxime continetur, penes Diicgravium, hoc eſt aggerum Comitem & Heimradios. Ab horum omnium ſententiis, niſi quod rerum capitaliũ damnatis appellare vix conceditur, ad Curiam Hollandiæ provocatio eſt, quam & Zelandia agnoſcit. Ipſæ quoque urbium controverſiæ, aliaque magni momenti hic diſceptantur. In hac ſedent vetere inſtituto viri nobiles, tum alii legum ac morum periti. Horum caput eſt ipſe præfectus Hollandiæ: cui prætetea præſidiis imperare, magiſtratus urbanos è nominatis eligere, & criminum pœnas remittere conceſſum: quæ ſigna ſunt eminentiſſimæ auctoritatis. Eſt & collegium Rationalium, qui res fiſci, quæſtorum miniſterio regunt. Ordinum conventus, penes quem ſumma eſt Hollandiæ poteſtas, ter quaterve anno, aut quoties res poſcit, indicitur. Nobilium ordinem referunt generis ſplendore & vicorum ditione præcipui, numero ferme duodecim, quorum ubi quis mortuus, alium ipſi cooptant. Vrbes, quæ ad concilium legatos ſuos plerumque mittere ſolent, hæ ſunt: Dordracum, Harlemum, Delphi, Lugdunum, Amſtelodamum, Gouda, Roterodamum, Gorichemum, Scidamum, Schoonhovia, Brila, Alcmaria, Horna, Enchuſa, Edamum, Monachodamum, Medemelaca, Purmerenda. Legati plerumque ſunt civium magiſtri. accedit ſæpe è ſenatu urbis aliquis, aut adſeſſor juriſperitus. Sententiam primo loco dicit nobilitas: deinde urbes ſuo quæque loco. Omnia hæc eadem & nunc

ſunt,

ſunt, & Comitum temporibus fuere, niſi quod ea, quæ penes Comitem erat Reipublicæ procuratio, Ordinibus & Præfecto accrevit. Cæterum ab Hollandiæ Curia, quam dixi, Mechlinienſe auditorium appellari ſolebat: quod ut in commune ſibi jus diceret, rogatu principum Burgundorum, diverſarum nationum Ordines conſenſerant. Ejus in locum anni jam ſunt viginti & octo, Hollandi & Zelandi novum conſeſſum virorum doctrina eminentium inſtituere, à quorum ſententiis nemo appellatur, ſupplicari tantum Ordinibus ſolet, ut lectos extra ordinem judices ad collegium adjungant, qui diligenter exquirant, rectene an per errorem ſit judicatum. Auctis cum bello & oneribus & negotiis, alius quoque conſeſſus inſtitutus, qui Hollandiæ ærarium regit, reſque eo ſpectantes dijudicat. Conſtat ex his, quos nobilitas & urbes pro ſe ſingulæ deligunt, ac ſubinde mutant. Hi & Ordinum conventum, quoties expedit, vocant, & Ordinibus decreta exſequuntur. Sub horum inſpectione alii quæſtorum ærarii rationes examinant. Iam vero quia Trajectino fedære belli, pacis, & externarum ſocietatum, multarumque præterea rerum, inſtituta eſt inter complures populos communio, quorum hodie perſtant in federe Geldri, Hollandi, Zelandi, Trajectini, Friſii, Tranſiſalani, Groningani, omnes olim Batavorum, Mattiacorum ac Friſiorum dicti nomine, ſolent pro ſe quiſque legatos mittere, qui in medium conſulant. horum conventus raro diſſolvitur, eique Ordinum Federatorum nomen eſt. Hic & quæ inter populos ſunt controverſa diſceptari ſolent. Proxima his, horum mandatu, cura rerum federis, militiæque regimen penes Senatum eſt: hic in locum ſucceſſit ejus Senatus, qui Comitum tempore toti Belgicogermaniæ præſidebat. Senatores ſubinde alii, definito numero, ab Ordinibus cujuſque nationis eliguntur. at ſententiam non per nationes, ut in conventu, ſed viritim ferunt. Hujus ſenatus principes ſunt nationum præfecti. Sunt præterea per Hollandiam, Zelandiam Friſiamque diſpoſita collegia eorum, qui maris & maritimorum vectigalium curam agunt. mandata habent ab Ordinibus Federatis. nationes ſingulæ dilectos eo mittunt. hi quoque mutari ſolent. Maris præfecturam idem Mauritius nunc obtinet. Rationes quoque communis federatorum ærarii

ſuos

ſuos diſpunctores habent. Hæc civibus ſatis cognita, in externorum gratiam minutius paulo perſequuti ſumus, neque vero eos dubitamus, re bene inſpecta, non hanc Reipublicæ ſtructuram maxime probaturos. Nam ſive rationem adhibemus, optime imperium optimis credi ratio perſuadet: ſive auctoritates reſpicimus, habet optimatium Reſpublica ſapientiſſimos veterum laudatores: ſive exempla, nobiliſſima ſane ſuppetunt Creta, Lacedæmon, Carthago, Rhodos, Maſſilia, Theſſalia, Achaja, Samos, Cnidos, Chios, Corcyra, &, ut multi crediderunt, ipſa cum maxime virtutibus floruit Roma. Quid quod Hebræorum quoque Rempublicam, qualis à Deo fuit inſtituta, antequam regnum populus depoſceret, optimatium conſilio adminiſtratam ſatis apparet? Nec recentia exempla deſunt, Epidaurus Illyrica, Luca, Geneva, Genua, Helvetiorum potiſſimæ civitates, & illæ, quæ mille annorum duratione ſtabilitatem ſuam probant, Venetiæ. Addere licet ipſum quoque majeſtatis omnis pleniſſimum Imperii Germanici corpus, & pleraque ad ſeptentrionem regna nomine reipſa principatus. Quod ſi proprius comparationi libet inſiſtere, ſumma quidem concilii Ordinum poteſtas Galliæ & Britanniæ vetuſtiſſimis populis olim fuit uſurpata: in Germania etiam hodie manet. Quatenus vero per urbium legatos adminiſtratur imperium, optime nobis cum Achæis, Ætolis, Lyciis convenit, qui itidem compoſitas è diverſis urbibus civitates per concilium & legatos urbium rexere, è quibus Achæi à Polybio, Strabone, Plutarcho proponuntur, ut optimum bene conſentientis Reipublicæ exemplar. Rurſum quod principatus legum fine circumſcriptus optimatium imperio adjungitur, id cum Hebræis veteribus Iudicum ætate, cum Spartanis, cum illis ipſis Achæis, cum Venetis, cum Imperio Germanico, cum regnis ad ſeptentrionem, quæ diximus, & pleriſque aliis commune eſt. Ordinum autem Federatorum conventus cum ſenatu, per quos, ſalva cujuſque populi majeſtate, ea quæ ex fœdere ſunt communia explicantur, Amphictyonico conventui adamuſſim reſpondet, cujus nexu conſtrictæ Græcorum civitates Medos omnemque externam potentiam diu à ſe repulere. Sic Ionia XIII, Hetruria XII, Latium XLVIII

civitatibus, ſic multi olim Germanorum, Gallorum, Britannorum populi ex federe commune concilium habuere: habenque nunc etiam Helvetii & Rhæti. Neque tamen hanc cum laudamus Reipublicæ formam, illis quicquam detractum volumus, qui alia utuntur. Fatendum enim eſt, non eadem omnibus convenire; multoſque eſſe populos, qui rectius poteſtati regiæ, quam libertati ſuæ committantut. Sic Aſiæ populis utile fuit regnari: Græcia reges ferre non potuit. Hanc autem, quam dicimus, aptiſſimam eſſe nobis, perpetua tot ſæculorum experientia demonſtrat, ea dum manſit, tranquilla omnia. quoties contra itum eſt, orti motus & turbæ, nec ante ſanati, quam ſua imperio facies reſtituta eſt. Notant, qui gentium ingenia moreſque diverſos diligentius obſervarunt, populos ad ſeptentrionem vergentes, & maritimos maxime, in quibus nos ſumus, alieniores à ſingulari imperio, libertate magis affici. Sunt & qui tradunt, magna imperia à regibus, minima à populo non incommode regi: his autem nationibus, quæ mediocrem habent magnitudinem, & præſertim quæ ſua norint fortiter tueri, aliena non appetant, congruentiſſimam eſſe optimatium poteſtatem. Sed & conſuetudinis magna habenda eſt ratio. Nam quod de legibus in univerſum proditum eſt, id maxime de illis legibus verum eſt, quibus ſumma imperii continetur, meſius eſſe non optimis uti, quam receptas mutare: cum legibus itidem ut plantis ad figendas radices longo temporis ſpatio opus ſit: quod ſi crebro transferas, vis atque robur omne evaneſcat. Multum igitur debemus majoribus noſtris, qui acceptam à primis conditoribus Rempublicam per ſe egregiam, noſtro vero ingenio noſtriſque ſtudiis aptiſſimam, pace ſervatam, bello recuperatam, nobis reliquere. Noſtrum autem eſt, ſi nec ingrati, nec imprudentes eſſe volumus, eam Rempublicam, conſtanter tueri, quam ratio ſuadet, probant experimenta, commendat antiquitas.

De

PAVLI MERVLÆ

# De Statu Reip. Batavicæ

## DIATRIBA.

GERMANIAM non ignobilem Europæ portionem, posterioris ævi scriptores tradunt duplicem, Superiorem & Inferiorem. De Superiore, quæ item Vetus & Magna, non jam dicendi locus. Inferior, quæ nonnullis ab insigni præstantia ocellus dicitur orbis borealioris, hodie XVII habet provincias; quarum quæ ad septentrionaliorem Rheni ripam, in queis Batavia nostra, olim veteri erant Germaniæ, quæ vero ad australiorem ejusdem fluminis marginem, Galliæ quondam contributæ erant Belgicæ. Singulis ante centum, & qui excurrunt, annos, sui fere fuerunt Principes, successione nobilissima; qui sexus utriusque propter virtutis communionem, illustriaque exempla, nasci nobis melius, pacatius, securius consueverunt, quam eligi. Sui vero fuerunt, Brabantiæ quidem, Limburgo, Leucebergo, & Geldriæ Duces; Flandriæ, Artesiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurco, Zutphaniæque Comites; Imperio sacro, cui suum Antverpiæ sacrarium, Marchiones; reliquis denique Frisiæ, Vltrajecto, Transisulaniæ, Mechliniæ, & Groningæ Domini. Primus universum & absolutum omnium simul Principatum adeptus est Carolus Imperator, ejus nomen claturæ Quintus; strata ab ipsius progenitoribus regaliter ad tantum fastigium ia, partim matrimoniorum & adfinitatum, partim vero successionum jure & beneficio. Carolo successor fuit Philippus filius, non solum feliciſſimus Belgicæ totius Princeps, verum etiam potentissimus Hispaniarum, aliorumque regnorum monarcha. Sub eo variis artibus, technis, dolisque circumducto, intoleranda constitutionum, quæ contra puriorem religionem professos facta acerbitas; tyrrannica inquisitionis contra miserorū subditorū conscientias impotentia, & odiosa privilegiorum infractio, novis Episcopatibus, multisque suppliciorum generibus comitatæ, quum jam sub Carolo ipsius patre

initium habuiſſent, adeo invaluerunt, ſuasque exercere & exerere vires cœperunt, ut crudeliſſima bella (quibus quis tandem futurus finis?) genuerint; Philippo crebras ſuorum preces, conteſtationes, ſuppliceſq; libellos, atque adeo pias multorum Principũ, quin ipſius etiã Imperatoris, pro ipſis interceſſiones cum indignatione abjicienti, principatũ abrogarint, & diſcidiũ, quod hodieque inter Provincias, nunc has, nunc illas, funeſtum ſane calamitoſumq; fecerint: quarum quæ, ſcopo religionis reformatæ libertatiſque avitæ propoſito, fœdus inter ſe contra communem hoſtem inierint, Fœderatæ & ab unione ſancita Vnitæ jamnunc appellantur. Sunt ejus hodie conditionis ſeptem: unus Ducatus, Geldria, cui Zutphania concenſetur; Comitatus duo, Hollandia & Zelandia; Dominia quatuor, Friſia, Vltrajectum, Tranſiſulana & Groningana ditio. Hæ ſunt, quarum auſpiciis bellum hodie contra potentiſſimos hoſtes, cum ſummo omnium ſtupore gerit unus (nam apud nos penes unum rei militaris eſt ſumma) Mauritius Naſſovius Guljelimi Principis Arauſianorum filius, heros gloria plenus, Ductor copiarum Fœderatorum invictiſſimus: de quo, ut olim de Karthagine enunciavit Salluſtius, ſatius eſt ſilere, quam pauca tenuiter & jejune dicere. Is ſane eſt, cui ipſiſſimæ boni legitimique Ducis adſunt & inſunt notæ; gnara rerum militarium, ante pugnam, in pugna, poſt pugnam ſcientia; admirandus corporis ingeniique vigor: animi ſine ſuperſtitione probitas, ſua cum prole, innocentia, temperantia, fide, facilitate & humanitate; item providentia cauta, cunctans, nihilque agens, vel timide vel tumide, felicitas denique conſilii ratioſque comes; & auctoritas, comi quadam ſeveritate & ſevera quadam comitate temperata. Provinciæ à me commemoratæ de iis, quæ ad communem ſpectant ſalutem (nam ea omnibus certatim in pectore eſt & oculis) acturæ, ſingulæ ſuos Hagam (deſtinatum rebus agendis locum) mittunt legatos; vel unum vel plures, pro qua quæque eſt autoritate & potentia, viros pietate inſignes, probitate venerandos, doctrina ſingulares, rerum experientia plane ſtupendos. Hi vulgata appellatione cum Generales, tum Fœderatarum vel unitarum Provinciarum vocantur Ordines. Hi gubernaculo aſſidentes, navim prudentia ſumma regunt, in qua Provinciæ,

vinciæ, quas dixi, tranquilliſſime quaſi vehuntur. Penes hos, ſupremum quoddam ſanctiſſimumque collegium ſtatuentes, tractatio, diſcuſſio diffinitioque eſt rerum, quæ belli, quæ pacis, maximi ponderis & momenti. Horum eſt, adhibito in conſilium Præfecto, bellum decernere, de pecunia, commeatu, armis cogitare; exercitus conſcribere; conſcriptis peritos animoſoſque dare duces; Ducibus quo, quouſque, quando, quomodo ducendum, prudenter præſignare. Horum eſt, Legatos audire, Imperatoris, Regum, variorumque Principum, pacem facere, fœdera ſancire, quemadmodum factum cum Chriſtianiſmo Galliarum, ſereniſſimoque Angliæ Regibus, aliiſque Principibus. Horum denique, patriam ut familiam propriam, incolaſque ut filios & tanquam ſe ipſos pie amantium curare eſt omnia quæ ad totius Reip. corpus ejuſque ſalutem pertinent & incolumitatem. Sed ſpecialiorem publici ſtatus, qui apud Batavos, delineationem exhibiturum me ſum pollicitus. Hoc igitur agam; præmonitos cupiens lectores, quæ de Batavorum regimine ſum dicturus, ea in reliquis etiam fœderatis Provinciis habere locum: omnia tamen apud Batavos eſſe ſpecioſiora, ſolidiora, & majorem ſingulis ineſſe ſplendorem & apparatum. Batavis, ſui, quum res Romana ſtaret, juris, amicis fratribusque, quod veteres docent Inſcriptiones, populi Romani, circa annum DCCCCXIII, præeſſe cæperunt non abſolute & imperioſe, ſed limitata poteſtate, Comites. Eorum primus fuiſſe legitur Theodericus, ab Carolo Simplice miſſus, Francorum monarcha, uti contra futiles Hiſtoriographos rectiſſimis argumentis probat in ſuis Annalibus Vir nobiliſſimus, rerumque hujusmodi peritiſſimus, ut qui digniſſime præfectum agit cuſtodiendis antiquiſſimis patriæ noſtræ chartis & monumentis, Ianus Douſa, Nortvici Toparcha. Theodericum ſecuti ſunt illuſtriſſima progenie, cum fœminæ, tum maſculi circiter XXX: iis perpetuo legibus, ut privilegia, immunitates, uſus, conſuetudines, juraque omnia ſarta tecta fideliter conſervarent: quæ ſanctiſſime ſemper ab omnibus cuſtodita primus, ab aliis circumductus, violavit Philippus Hiſpaniæ Rex, cui ea propter, ut antea obiter indicavi, imperium publice fuit ademptum anno CIↃIↃLXXXI, die menſis Iulii XXI. Ab

eo tempore principatus fuit penes Ordines: qui quicquid eſt juris publici guburnant vel univerſim per ſe, vel ſpeciatim & diſtinctis muneribus per alios. Per ſe quidem coactis comitiis. Comitia nihil aliud, quam conventus eorum, qui poſt acceptos examinatosque præcipuos, de quibus agendum, articulos, cum ab nobilibus, tum ab civitatibus deleguntur ad conſultandum inter ſe de iis, quæ ad commune bonum, & omnium ſpectent ſalutem. Conſtituunt autem comitia duo membra, partim Nobilium, partim Civitatum legati. Inter Nobiles primi nunc loci ſunt Brederodii; olim antiquiſſimi cenſebantur Waſſenarii; potentiſſimi Egmondani: ſequuntur Brederodios Scagii, (veniam precor ſi peccem in ordine) Aſſendelfii, Douſæ, Warmontii, Poelgeeſtii, Mateneſii, & alii. Ex Nobilium claſſe ſiſtere ſe conſueverunt adſiduo in Ordinũ comitiis non pauciores tribus. Civitates, qui ſuos ad conventum ablegant deputatos, non pauciores ducibus, ſex ſunt majores; Dordrechtum, Harlemum, Delphi, Lugdunum Batavorum, Amſtelodamum, Gouda: quædam item minorum gentium; Zuyt-Hollandiæ quidem, Roterodamum, Gorichemum, Schiedamum, Schoonhovia, & Briela; Noort-Hollandiæ autem Alcmeria, Horna & Enchuſa. has præter Nobiles moris eſt ordinaria ad comitia convocare. Quoties autem de contributionibus, de ineunda cum hoſte pace, de indicendo bello, deque mutando Reip. ſtatu eſt quæſtio, reliquis etiam minoribus, ſolenniter evocatis, jus conceditur ſeſſionis & ſuffragii. Conveniunt autem Ordines ordinarie ſingulis trimeſtribus, intermediis etiam nonnumquam temporibus, ſi neceſſitas flagitat: idque Hagam, quæ Comitiis Batavicis ab omni tempore conſecrata: quemadmodum nunc Neomagum, nunc Zutphania, & Arnhemium, Gelricis; Middelburgum, Zelandicis; Friſicis, Leovardia; Tranſiſulanis Vollenhovia; Vltrajectinis & Groningenſibus urbes cognomines. Comitiis prudenter dirigendis præeſt, quam auguſta appellatione nominatur Advocatus Provincialis. Hic Hagæ habens domicilium, non alio, vel in Hollandia, vel alibi, quam quod impoſitum, fungens munere, apud civitates, pagos, collegia, privatosque omnes incolas cum Hollandiæ, tum aliarum regionum neutrarum ſe gerit partium, nemini obligatus:

curare

curare quantum fieri poteſt ſolitus, ut jura, privilegia & conſuetudines Provincæ, Ordinumque auctoritas illæſa ſerventur. Hujus eſt omnia Ordinum comitia prope obſervare, iiſque ſtato tempore, niſi morbus, aliave neceſſaria cauſa impediat, intereſſe: Hujus, congregatis Ordinibus, prima comitiorum die, brevibus ea, de quibus agendum, cum viva voce, tum ex ſcripto commemorare; de ſingulis nobiles, civitatumque delegatos ſententias rogare, eaſque fideliter notatas ſumma ſilentii fide legere, & poſt rationem, quæ prævaleant indicare, ut quod facto opus, fiat. Hujus denique eſt catalogum omnium actorum conficere; conſtitutiones omnes, idque genus alia, quæ alicujus ponderis, extendere; intra octavum poſt ſingula comitia diem nobilibus, ſinguliſque civitatibus actorum omnium, quæ præteritis nata comitiis, ut exſcripta mittantur curare. Ordines ſolenniter coacti, præſtito fidelitatis & ſilentii juramento, quæ propoſita in maturam vocant deliberationem. Ea ad certa referri poſſunt capita. Conſueverunt igitur agere de contributonibus, conſenſionibus, ſubventionibus, idque genus aliis; de obligationibus vel temporariis vel perpetuis, quibus incolæ hujus regionis eorumque bona obligantur; de mutando regionum reique publ. ſtatu; de pangenda pace faciendiſque induciis; de bello indicendo; de fœderibus ineundis; de alienandis, cedendis, donandis, quæ ad regionem pertinent, rebus; de ſtipendiis & honorariis conſtituendis; de conficiendis novis decretis; de rogandis abrogandiſque generalibus conſuetudinibus; de conferendis publicis muneribus; de remittendis publicis debitis; de varianda publica moneta; de augendis extra-ordinariis contributionibus, de concedendis alicui civitati, pago, collegio, privilegiis. Alia, ne ſim prolixior, prætereo. In ſuffragiis autem ferendis, primæ debentur Nobilibus; ſecundæ Dordrechto, tertiæ Harlemo; quartæ Delphis; quintæ Lugduno; ſextæ Amſteldamo; ſeptimæ Goudæ; octavæ Roterodamo; quod deinde minores reliquæ ſequuntur. Ex ordine ſuam quiſque ſententiam declarat, ejuſque rationes ſine aliorum interruptione, & quod major pars decernit, ratum habetur. Et ſic quidem admirandum hoc florentiſſimæ Reip. corpus per ſe gubernant univerſum Illuſtriſſimi Ordines: qui quum ſingulis

tantum trimeſtribus, ut antea dixi, convenire ſint ſoliti, & intermediis temporibus frequenter ea incidunt, quæ dilationem vel moram non patiuntur, perpetuos habent deputatos, quorum continua quaſi & ceſſante nunquam opera res adminiſtrant cum terreſtres, tum maritimas. Priores quidem deputati vocantur collegæ, poſteriores conſiliarii Admiralitatis. In deputatorum collegio ſex ſunt, qui ex nobilibus & præcipuis civitatibus legi conſueverunt in annum, jurejurando obſtricti, ſe quicquid injunctum ipſis cum diligentia & fide, nulla habita perſonarum ratione, ſervaturos; nemini ſe obligaturos, ab nemine honoraria, penſiones, dona qualiacunque accepturos. Horum eſt de Provinciæ ſtatu, omnibuſque quæ incidunt, cum Præfecto Provinciæ communicare, eidem fidele, quodque Reip. eſt bono, conſilium ſuggerere, ad commodum vel proprium vel alterius quod egregium publicum poſſet remorari, non attendere. Item quæcumque in Ordinum comitiis vel juſtitiæ tuendæ, vel politiæ ſtabiliendæ conſtituta ſunt, ut exſecutioni mandentur, gnaviter curare. De omnibus quæ ad regionis ſtatum pertinent, & vel Præfecto, vel aliis non ſunt reſervata, maximo Reip. commodo deliberare: ad ea, quæ maximi momenti moram non patiuntur, Ordines extraordinem convocare. Eorundem eſt, ut pax, concordia, amicitiæ inter urbes, agrorum univerſitates pagoſque ſerventur; &, ne qua per aliquem vis frauſque fiat Ordinum conſtitutionibus, ſpecialem adhibere diligentiam. Rogare porro ut non ſolum delicta militaria, verum etiam exactiones, concuſſioneſque eorum, qui poteſtate præditi, rigide puniantur: utque contra ſeditioſos, rerumque novatores, quique aliquid contra Reip. ſalutem moliantur, abſque ulla conniventia procedatur, inſtare. Ipſorum etiam eſt, armorum omnium, quæ in publico armamentario, fidelem habere catalogum: ut conſtituta præſidiario militi pulveris tormentarii, fomitiſque igniarii quantitas tradatur, neve quid armorum limitaneis opidis deſit, adniti: ut denique paſſim in Hollandia munitiones & propugnacula exſtruantur, eaque ſarta tecta conſerventur, ſedulo curare. Habent iidem, ne illud prætream, cognitionem & juriſdictionem controverſiarum, quæ publicarum impoſitionum, ſubventionum, penſitationum

tionum & ſimilium occaſione moventur, nulla conceſſa appellatione: item abſente Præfecto, cauſas omnes judicant terminantque quæ pertinent ad captivos, prædaſque militares, & alia, quæ inde oriri & manare ſunt ſolita. In adminiſtratione ſua hunc ſequuntur ordinem, ut primo ſuſcipiant conficiantque, quæ regionis totius; deinde, quæ civitatum, & collegiorum; poſtremo, quæ privatorum. Conſiliariorum, quos antea nominavi Admiralitatis, qui ex præcipuis civitatibus ſenarium conſtituunt numerum, eſt elaborare, ut conſenſus ſit ipſis mutuus & amica conſpiratio cum Archithalaſſo, Ordinibus ipſis, & Ordinum Deputatis, eoſque opera fideli & bono juvent conſilio: oculis menteque ab emolumento privato proprioque commodo averſis. Eorum eſt, ſummo ſtudio intendere, ut ad navigationis ſecuritatem, liberum maris uſum, cuſtodiamque Hollandiæ fluminum, conveniens ſemper ſit & idonea claſſis: ut eadem claſſis perpetuo bene ſit inſtructa omni apparatu bellico, tormentis, pulvere, aliiſque ad navalia prælia hoſteſque pulſandos neceſſariis: ut denique publici per mare fluvioſque commeatus negotiatoribus aliiſque iter aliquo facientibus non ſegniter præſtentur. Eorundem eſt peritos maritimæ rei Præfectos, duceſque cum majorum tum minorum gentium conquirere, iiſque jurejurando fidelitatis obligatis ad agendum mandata præſcribere. Cognitionem habent ſententiæque abſque ulla provocatione dictionem, cum de fraudibus, dolis, impoſturis, quæ in publicis commeatibus ſolent deſignari, tum de controverſiis, quæ inter navales ſocios oriri conſueverunt. Poſtremo quæſtiones liteſque terminant de prædis ſpoliiſque maris: de mercibus naufragorum in mari repertis, de debitis, quæ contraxiſſe, quam diu merent, deprehenduntur duces ſociique navales, de piratis prædonibuſque, de delictis denique, criminibus, erratis in mari fluminibuſque perpetratis. Iam quo pacto negotia, quæ ad juſtitiam ſubditis impertiendam, quæ ad dirigendas pecuniæ publicæ rationes, quæ ad conferenda feuda beneficiaque Principalia, quæ ad regendum ſaltus, ſilvas, aquas, aliaque iis, quæ hactenus commemoravi, conſentanea, quo pacto, inquam, ea Illuſtriſſimi Ordines adminiſtrare per alios conſueverint, ut jam nunc explicem, temporis, quo circumſcribor,

cumſcribor, brevitas non patitur. Sed quærere jam poſſet aliquis cui trium civilis adminiſtrationis formarum noſtra hæc, hactenus paucis & ſupremis coloribus à me delineata, conveniat? Non contendam, eſſe ſimpliciter monarchicam, non ariſtocraticam, non democraticam; allatis in medium ſpecioſe iis omnibus, quæ pro cujuſque præſtantia & dignitate dici conſuerunt. Rogari interim me ſentio ex formula, quæ in habendo apud veteres Romanos ſenatu uſurpari ſolita; Dic, quid cenſes? Ingenue dicam. Abſit ſiniſterior, quam contra mentem meam promovere poſſit invidia, interpretatio. Cenſeo Batavorum Remp. temperatam eſſe ſalutariter ex triplici genere laudabili, Regali, Optimate, Populari. primi quidem notas eſſe in ſummo exercituum noſtrorum Ductore, cujus arbitrio & nutu omnia poſt acceptum imperium militiæ terra marique gubernantur. ſecundi ſigna eſſe in ipſis Ordinibus, qui de omnibus rebus agundis conſilia ineunt, viasque iis bene feliciterque perficiundis cum cura diligentiaque ſternunt. tertii denique eſſe indicia in ipſis civitatibus; queis non præconſultis majora negotia inſolens tractare, nefas pertractare. Plura non debeo. ſufficiant illa, exque paucis deducantur multa.

# DECRETVM DE PRISTINA APVD HOLLANDOS Reipublicæ Forma.

EQueſtris ordo, Nobilitas, & Hollandiæ Weſt-Friſiæque urbes, in quis ejuſdem terræ ordines conſiſtunt, re deliberatâ cum Nobilibus, & cujuſque urbis Senatu, eorumq; reſponſis ſuper præſenti ditionis ſuæ ſtatu expenſis, jurisjuradi officiique ſe vinculo obſtrictos cenſuere, ad exponendam publico libello veram apud Hollandos ac Weſt-Friſios Reip. formam; certo confiſi, quemque in ferendo judicio integro animo, ac placido uſurum,

uſurum, qualem calamitoſa hæc Reip. tempora expoſcunt.

Hollandiam, Weſt-Friſiam, ac Zelandiam octingentis abhinc annis ſexus utriuſque comites habuiſſe conſtat, imperium ex legibus adeptos, Equeſtris ordinis, Nobilitatis, Vrbiumque delatu, in quis earundem terrarum ordines conſiſtunt. Quod ipſi ita moderati ſunt, ut quamvis non deſtituerentur prudentibus conſiliariis, ex nobilitate, & indigenarum præſtantiſſimo quoque dilectis, bellum tamen, pacem, tributa, & quæ alia majoris momenti, nunquam decernerent, niſi adhibitis in conſilium, & conſentientibus Nobilitate atque Vrbibus, quorum, quoties res gravior incidiſſet, conventum indicebant. Adeo ut non aulicis tantum conſiliis, verum & his promti ſemper aditus, numquam negata fides, & benignè reſponſum à Principibus fuerit, ſiqua publicum ſpectantia attuliſſent. Hunc in modum juſtiſſimis legibus ſubnixo, & forma, ſiqua unquam reperta eſt, optima conſtituto regimine, multum ſubditis, multum ipſis comitibus utilitatis, atque incrementi. Etenim quamvis anguſtæ Domini terræ, apud omnes penè Chriſtiani orbis Principes, ſumma exiſtimatione, & magnis Regum domibus innexi fuere: quomodo anno poſt mille quingentos quadrageſimo ſeptimo, Guilhelmus, id vocabulum ſecundus, Romanorum electus Imperator eſt. At hoſtes aut devicerunt, aut quamvis præpotentes finibus ſuis depulerunt, non exiguo in finitimos terrore ſuo, ac reverentia. Adeoque veriſſime firmare licet, Hollandiam Zelandiamque, ab octo ſæculis, ſeu externo, ſive inteſtino bello, neminis unquam armis fuiſſe ſubjugatas; rara hodie aliis regnis, aut Rebuſpublicis (niſi fortaſſe una Venetorum excipienda) laude; neque ea aliis quæſita artibus, quam concordia, mutuaque inter Principem ac Patres caritate. Quippe Comiti, ſine Nobilitate atque Vrbibus, vix quidquam poteſtatis; ne reditus quidem, niſi quos è re fiſcali acceptos, aulæ miniſteriis, & tuendæ principali fortunæ inſumebat. Compertum quoque jus Patribus fuiſſe non modo monitis ſuis ad ſalubria revocandi Principem pravis conſiliis ſeductum; ſed & ſi minus audirentur, animadvertendi in malos conſultores, & quicumque Principis autoritate abuterentur, cujus rei ob-

via paſſim exempla ſunt. Convenit etiam, Patrum officii fuiſſe, Principibus impubertatem haud dum egreſſis, tutores addere: ita Guilhelmo quinto, emotæ mentis, tutor, idemque populo rector ab iis impoſitus eſt. Poſtremo dubium non eſt, Supremam penes Patres poteſtatem conquieſcere, quoties fato Principis, aut impubertate, vel mentis impotentia, errore, vel aliam ob cauſam intermiſſa ſit Reip. adminiſtratio. Quamobrem ſæpius caput ſibi, Tutoris, ſive, ut nuncupabant, Ruwardi nomine, delegerunt. Quod factum imperitante domo Burgundica, quando Carolo duce, filiaque ejus Maria exſtinctis, Maximilianus Auſtriacus, per vim diverſum inducere morem tentans, in extremum has terras diſcrimen conjecit. Etiam ipſi Carolo, donec juſtam ætatem attingeret, tutores, ſubditis rectores à Patribus impoſiti. Et Carolus (quanquam ſub domo Burgundica Belgarum libertas jam pluribus modis infracta erat) Patrum autoritatem ſemper fecit maximi, gnarus tutiſſimum id rebus ſuis munimentum. Itaque & filium ſuum, Regem Hiſpaniarum crebris monitis ad moderationem flectere tentans, diſertim teſtificatus eſt, maximum rebus ejus diſcrimen impendere, quandocumque Patrum autoritatem in levi habiturus eſſet. Veraque parentem monuiſſe, experitur hodie Philippus, ingenti ſuo, nec minore Belgarum damno. Neque enim (quidquid contra diſſeratur) alia huic bello cauſſa, quam quod extraneo milite per vim ſubditos ad ea Rex adigere conatus ſit, quæ tanquam noxia injuſtaque Patres diſſuaſerant. Hæc quamquam extra controverſiam poſita, repetere pretium fuit, quod multi incerti, & in diverſum abeuntes, Proceres æſtimant ex dignitate eorum qui conventui interſunt, & rebus ibidem tractari ſolitis; perinde ac ſi hi, quibus hoc muneris à Nobilitate atque Vrbibus imponitur, ſemet pro ordinibus venditent, & ſummo liberrimoque ſibi jure arrogato, pro lubidine rapiant cuncta agantque. Vnde & quicquid actum eſt, in illorum invidiam detorquent. Cæterum quiſquis hæc, & quæ alia magni momenti Principibus aſſenſu Patrum tranſacta, reputaverit, & imprimis ea quæ ab annis XV in Hollandia Zelandiaque geſta ſunt, facile advertet, nequaquam Patrum autoritatem in XXX aut XL hominum manibus ſitam, qui intereſſe conventibus

tibus ſolent. Ipſi Hiſpaniarum Regis miniſtri, qui id genus argumentis terrarum ſtatum, atque in contemtum adducere Proceres conati ſunt, experiendo didicere quam falſa diſſeruerint. Porro ut conſtet, unde tanta Patrum poteſtas originem traxerit, notandum, Principes, quotcumque ex legibus præfuere, non tantum populi deferentis conſenſu placitoque imperium habuiſſe, ſed & adminiſtraſſe, ita ut cuncta corporis (cujus ipſi caput erant) membra integra, atque intemerata permanſerint. Nec durare in longum id poterat, cum facile Principem vafri atque ambitioſi homines tranſverſum agant, niſi facultas indigenis fuiſſet, adverſandi pernicioſis Comitum conatibus; ipſosq; ad ſalutem ac libertatem tuendam non modo non omnium nomine admonendi, ſed &, ſi ad violenta tranſgrederentur, publicis viribus coercendi. Quam ob cauſſam duos in ordines diſtributi ſunt, Nobilium alterum, alterũ Vrbium. Nobilitati datus ordo ob dignationẽ generis, quo (quod pace aliorum dicere liceat) de antiquitate cum quavis natione contendunt. Hi in poſſeſſionibus ſuis, jus de criminibus, ac civilibus negotiis dicunt; & conventibus, quotieſcumque tranſiguntur, interſunt, & cum legatis urbiũ in commune conſulunt. Regiminis forma urbium pleriſque eadem eſt; videlicet collegium Senatorum ex præcipuis gente ac cenſu lectorum: Sed non eodem ubique numero. Eſt quippe ubi XL aut XXXVI, eſt ubi XXXII, XXVIII, XXIV, aut denique homines non plures vicenis numerentur. Nec ipſis urbibus antiquitate hæc collegia cedunt, certe exordia vetuſtas abolevit. In ea qui adlecti ſemel fuerint, ordinem cum vita, aut jure civitatis, nec ante amittunt. Defunctis, aut alio migrantibus, collegæ pariter omnes delectos ex tota civitate ſufficiunt. Iis collegiis poteſtas eſt deliberandi ac ſtatuendi de cunctis, quæ communem patriæ, aut proprium urbis ſuæ ſtatum ſpectant. Earumque decreto ſtant civium cæteri, nec quiſquam tranſgreditur. Etiam magiſtratus creant; conſules quaternos, ternos, aut binos; judices ſeptenos, quorum annuus honor eſt. Sed delectus in civitatium nonnullis ſimplex; in aliis, è duplici nominatorum numero, Præfectus gentis, quos viſum, recepto numero eligit. Conſulibus curæ eſt regimen, proventus, cuſtodia, ac ſalus urbis. Iudices criminale

minale ac civile jus reddunt. Adeo ut illa penes collegia ſummum per Hollandiæ, Weſt-Friſiæ, ac Zelandiæ oppida imperium ſit. Quorum ſe regimini nunquam Comites interpoſuere; ſolum Prætorem urbanum mittere ſoliti, qui eorum nomine noxios legibus interroget, judicium poſcat. Hæc vera Reip. apud Hollandos, apud Zelandos, forma. Vnde apertum cuique prædicta collegia, cum nobilitate, haud dubie univerſæ Reip. ac terrarum ordines compendio complecti. Nec reperire ullam Reip, formam licet, qua accuratius de omnibus cognoſcatur, ac ſtatuatur, aut decreta majori concordia atque autoritate perficiantur. Vt mirari non conveniat, ſtabilem, etſi ullus, perennem hunc ſtatum fuiſſe. Iam vero, quoniam interventu negotiorum, quæ totam ex æquo gentem tangunt, non facile univerſa hæc collegia in unum coguntur, conſuetudinis eſt, ut potiſſima rerum capita deſcribantur: ſuper quibus ubi diſceptatum in collegiis, factumque decretum eſt, legatos ad conventum mittunt, cum mandatis, quæ maxime in rem publicam judicaverint. Nobiles juſto adeſſe numero, Vrbes conſulem, cum nonnullis ſenatoribus mittere adſuevere, pluribus, aut paucioribus pro rei mole. Sed durante hoc bello, miſſis ad conventum, ob multitudinem occurrentium, perpetua mandata fuere, ut quæcumque ad patriam ſalutem pertinere viderentur, cognoſcerent, decernerentque maxime publico utilia: maxime tamen jura, libertatem, atque inſtituta terrarum defenderent, ac violari prohiberent. Hi, poſtquam convenere, ordinum præ ſe autoritatem ferunt; non quaſi ſuo nomine ordines ipſi ſint; ſed à collegis ad id munus delecti. Neque ſuſpicandum, ambitione quenquam irrepere; præterquam enim quod à natura Belgis inſitum ambitionis odium, ne cadere quidem in liberam electionem poteſt. Multo minus turbidis & calamitoſis temporibus, quis Remp. exercere Numini placuit, regimen ullus affectabit, in quo laboris ac triſtitiæ plena omnia, nec ſpei quidquam, niſi calumniarum, & odii ab hoſtibus Reipublicæ, qui ſæpe præſtantiſſimos viros falſis delationibus avertere, ut de optimis Reip. miniſtris pravam conciperent opinionem. Hinc inter munera neceſſaria reponenda ea dignitas fuit. Et quicumque Reip. partem ipſi cepere, teſtari poſſunt, quo labore permovendi, ac propem-

propemodum adigendi fuerint, qui designati erant, ut ea munera susciperent. Soluto conventu, his à quibus missi erant, rationem actorum reddere iidem tenentur. Hæc reipublicæ fundamenta sunt, quis Hollandiæ, West-Frisiæ, ac Zelandiæ res, per quingentos, sexcentos, imo septingentos annos, innixæ fuerunt, ut vetustissima produnt monumenta; hæc imperii forma est, qua, post Deum Opt. Max. angustissimis rebus, validum hostem, ingentibus animis, summaque concordia Fœderati sustinuerunt. Inde factum, ut membrorum ne unum quidem, nisi violenter, à communi corpore avelleretur. Numquam civium, nunquam militum seditione, in Hollandia Zelandiave, dum bellum hec sterit, laboratum. Cujus rei, secundum Numinis providentiam, non alia ratio, quam quod bona fide, & sine dolo malo cuncta administrata sint. Multis etiam minimorum oppidorum, certe omnibus quæ id cupiebant, suffragii jus, quo ante carebant, eo consilio datum, ut gnaro cuique Reip. statu, ac necessitatibus, intoleranda olioqui onera promtius ferrent, & illæsa agerent concordia. Vnde & Nobilitatiatque Vrbibus solutum semper fuit, quem vellent numerum è Senatu suo ad conventum mittere, dummodo tales, qui legibus haud prohiberentur. Quod si nobilium, aut legatorum, contra mandata (quod nos latet) egisse quenquam ostendatur, omni tempore rationes ab eo repetere, etsi reddere nequeat, pœnam irrogare licet. Tales qui bona fide deferunt, pro optimis habemus civibus. Sed quibus Ludibrio Patres, quibus eorum facta calumniis insectari mala libido est, admodum se fallunt, si rem sibi cum solis nobilibus, aut legatis urbium, tanquam hominibus privatis, esse arbitrantur; nisi quatenus probent, mandatorum limites eos exiviſſe. Et quanquam multis, ignorantia ac simplicitate ad id genus calumnias prolapsis, facile ignoscatur; illos tamen, qui prudentes id faciunt, certissimum est hostes Reipub. esse, & talibus comparandos, qui ut dohostes Reipub. esse, & talibus comparandos, qui ut domum præcipitem in ruinam dent, ejus subruunt fundamenta. Quod Principis juxta ac subditorum interest. Etenim, quæ Principi vires, nisi mutua inter eum subditosque concordia, mutuo amore nitantur? Quomodo autem concors sit, aut auxilio eorum utatur, si proceribus adversari, si plebem opprimere velit, aut in subditos

tos ſe ſuos concitari patiatur? Quomodo firmus Reipſtatus ſit, ſi in Patres, hoc eſt in Nobilitatem, magiſtratus, atque urbium Senatores, defenſores ac rectores ſuos multitudo inſtigetur? qui ſæpius pro commodis ejus offenſam Principis aut Præfecti incurrunt. Liquido hinc prudentior quiſque colligat, nullos nocentiores Reipub. hoſtes eſſe, quam qui univerſe rectores traducunt. Etſi pro talibus nequaquam habeantur, qui demonſtrent, unum quempiam in conventu procerum, limites mandatorum, aut officium ſuum exceſſiſſe Quare ſciant omnes, cum ſupremam Patribus poteſtatem adſcribimus, non privatim legatos intelligere nos, ſed, à quibus ii mittuntur, Nobiles atque urbes. Ita ſane alii Principes, ita Britanniæ Regina, quando cum Fœderatis proceribus fœdus inivit; ita denique ipſe Liceſtrius, cum præfectura traderetur, accepere: de quo nemini ambigendum eſt. Adeo ut credere nequeamus, eſſe adhuc, qui juſtis rationibus probare poſſint, Nobiles, magiſtratus, urbiumque Senatores, nunc ea deſtitui poteſtate, quam olim habuiſſe eos demonſtratum eſt; & illo etiam tempore, quo pacti cum Regina præfecturam Liceſtrio contulere. Niſi pariter & hæc, & quæcumque proximis quindecim annis proceribus acta ſunt, in dubium devocentur; quod non alius quam Reipub. hoſtis factitaverit. Hinc cognoſcitur, quam neceſſarium ſit integram Patribus relinqui poteſtatem ſuam; quippe cui munimento univerſæ Belgarum inſiſtant res, haud dubie ruituræ, ſi ſubducatur. Et manifeſtum eſt, ut olim ſub Principibus, ita nunc quoque ſummum eos imperium habere. Statutum Hagæ Comit. a. d. XVI. Iulii. Anno MDLXXXVII. factumque decretum, ut XVI Octobris die Harlemi Liceſtrio offerretur.

*Subſcriptum*,

Ex mandato Procerum Hollandiæ.

*Subſignatum*,

C. de RECHTERE.

*Huc*

*Huc usque Additamenta, sequitur denuo Guicciardinus.*

VNde recens nomen Hollandiæ, variæ sunt doctorum sententiæ. probatiorum nonnulli Houtlandiam prius dictam contendunt, id est, ligneam, ut sic dixerim, terram. volunt enim silvis admodum densam fuisse, & molliore pronuntiatu dictam Hollandiam. alii, quibus ego consentio, compositum adserunt nomen è duabus hisce Teutonicis vocibus, hol quod est cavus, & land, id est, terra. quasi tu concavam terram dixeris. quia nempe, si curru aut equo per eam incedas, palam multis in locis observes ipsum solum contremere, non aliter quam si aquis supernatet. cujus rei manifestam fidem faciat admirabilis quidam casus, qui duobus abhinc annis accidit prope Harlemum. ubi cum media fere ab urbe leuca in loco mediterraneo pasceretur, ut fit, quædam vacca, & fortuito casu in foveam esset demersa, triduo post inventa est mortua in lacu urbi ad orientem propinquo. unde judicabatur è terra in aquam demersa, & ab hac porro transportata, habuisse tandem hunc exitum. Quod si mirum fortasse, vel & incredibile videatur cuipiam, tantum terræ spatium velut fundatum esse in aquis: palam tamen apparet, ipsam, si non omnino, at saltim ex parte (forte ob naturalem terræ cum aqua conjunctionem) non aliud habere fundamentum quam aquam, eaque velut inniti. quod nominatim videmus in ea Hollandiæ regione, quam Waterlandiam, id est, terram aquaticam vulgo appellant, in qua opidum Monachodamum, una cum aliquot pagis, è regione urbis Amsterodami. Quin in Artheſia quoque ad Divi Audomari vastissimus quidam (ut suo infra loco dicemus) est lacus, cui compluria innatant terræ segmenta, velut pascua quædam & prata, ea magnitudine, ut pecudes oberrantes admittant. cum tamen is lacus non habeat corpus aut amplitudinem sustinendæ huic terrarum massæ respondentem: prout habet Oceanus. ita quidem ut ista, etsi prima fronte videantur naturæ repugnare, revera tamen non pugnent: cum videamus quotidie, in fodiendis puteis aliisve id genus fossis, terram in aqua fundatam esse. Sed quo magis firmetur hæc nostra sententia, videamus, quid de hac terræ

& in-

& insularum, adeoque vastissimorum nemorum in aquis fluctuatione, tradiderit Plinius, arcana sane naturæ miracula non sine animi voluptate intellecturi. Hæc ergo ejus ſr verba: *Quædam insulæ semper fluctuant, sicut in agro Cæcubo & eodem Reatino, Mutinensi, Statoniensi. in Vadimonis lacu, & ad Cutilias aquas opaca silva, quæ numquam die ac noctu eodem loco visitur. In Lydia quæ vocantur Calaminæ, non ventis solum sed etiam contis quo libeat impulsæ, multorum civium Mithridatico bello salus. Sunt & in Nymphæo parvæ, saltuares dictæ, quoniam in symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur. In Tarquiniensi lacu magno Italiæ duæ nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis implentibus, quadratam numquam.* Hollandia ab Septemtrione & occasu clauditur mari Oceano: à meridie Mosam habet & Brabantiam: ab ortu partim est lacus Flevi, vulgo de Zuyder-zee / partim ducatus Geldriæ. sic ut peninsulam vere, non autem uti quidam dicunt creduntque insulam Batavorum efficiat. Irrigatur maximis fluviis Rheno & Mosa qui compluribus velut ramis & cornibus alia passim atque alia adsciscentibus nomina, eam pererrant. Quibus incolæ tamen non contenti, maximam ipsi naturæ artem atque industriam, adjecerunt: factis passim tot tantisque canalibus, alveis, fossis, aliisque id genus aquagiis, ut non omnia tantum opida, sed & pagi plerique terra simul & aqua commode possint adiri. Regio ipsa palustris, & stagnis, lacubus, finibus, passim referta. in qua mare una, cum cornibus Rheni varias passim efficit insulas, suis quasque vocabulis quidem distinctas. sed generali tamen Hollandiæ nomine, uti supra jam diximus, comprehensas. Cœlum, non obstante ingenti aquarum copia, & ob ventorum salubritatem marisque salsedinem, & ob maximam habitationum, aëra, ut Venetiis quoque contingit, purgantium, densitatem, benignum apprime & clemens. Solum adeo humile atque depressum, ut omnia pæne flumina, omnes majores & reciprocum maris æstum admittentes fossæ, ne videlicet ipsam terram inundent, aggeribus clausa sint. unde multis in locis, non sine ingenti admiratione, aquas videas longe quã terra sit altiores. Estq; in tantum aquosa hæc tellus ut majori ex parte pauciſſimas tantũ arbores, fruges etiam pauciores producat. etsi antiquitus

tus tamen, adeoq; Diocletiani & Maximiniani Imperatorum temporibus, legatur ſilvis admodum denſa fuiſſe: nec legatur dumtaxat; ſed in partibus mari ereptis, vel ab eo derelictis, hodieque ſub terra ingens inveniatur proceriſſimarum ſimul & vetuſtiſſimarum arborum copia, obrutarum, ut quidam exiſtimant, à procellis & tempeſtatibus, quo tempore pater Oceanus, multis poſt Iulium Cæſarem ſæculis, terram hanc inundavit. quod accidiſſe comperior triennio ante quam Carolus Calvus, ut poſtea dicam, erexiſſet eam in Comitatum, id eſt anno Chriſti 860, quando nempe tam ſpurca in eam tempeſtas, tamque horribiles & monſtruoſi debachati ſunt venti, ut inde ab illo jam tempore, ſolū aquis plurimum illic regnantibus obrutum, ac multoquam ante depreſſius, indolem etiam atque naturam mutaverit.

ADDIT. [*Alicubi tamen diſtincta, arboribus fructiferis conſita, aut nemuſculis amœnam faciem oſtenſura. tertiam ferme partem mari objecta ſabuleta occupant, ſterilia quidem illa, ſed cuniculorum fœcundiſſima. arbuſtorum magna raritas eſt, quæ olim abundarunt. Aquarum multitudinem, quæ demiſſioribus arvis gravis eſt & ſtagnantibus paſcuis hyeme innatat, frequentioribus molis aquariis exonerant. ea quaternis alis inſtructa, vento circumaguntur, & pinnato tympano aquas in altum evehunt, atque in ouripos & inciles foſſas ejectant, invento valde utili ac prope neceſſario. (quod ſuperioribus annis plurium induſtria auctum; ita ut nunc ejuſmodi molæ aquariæ incredibilem aquarum vim brevi ſpatio non tam evehant, quam everrant.) aquæ altioribus aggeribus utrimque coercitæ & in majores latioreſque aquæductus corrivatæ, per emiſſaria opportunis locis collocata, quotieſcunque maris reciprocantis fluctus refluit, in maris ſinum aut amnes effunduntur: alii depreſſos illos agros, aqua prius deducta, meliores reddunt, inducto ex arena corio, quod deſuper infuſa terra è cinere, luto, aliiſque rejectamentis coacta, interdum & fimo ſtercorant, inſigni profectu & ſucceſſu lato. Cœli clementia (inquit idem) deſtituitur: heyms ipſi maturior, aſperiorque: vis ventorum infeſtior; præcipue Caurus, Hollandiæ veluti peculiaris tyrannus additus; hoſtis arboribus, ſatis inimicus, valetudini adverſus, procelloſus, mariſque turbator. Habet porro hæc regio agros frugiferos quoque, & quidem luxurioſo & opimo frumento ſupra modum ſcatentes, (tritico præſertim excellenti prope Lugdunum Batavorum, Rhenoburgi, & in occidua Hollandiæ plaga quam vocant* Weſtland;) *ſed*

*qui*

*qui tantillo in ſpacio & in regione: qua non aliam populoſiorem uſquam invenias, ad ſuppeditandam tantæ multitudini alimoniam ſint impares.*]

Quæ tanta ejus humilitas atque aquoſitas in cauſſa eſt, ut tritici admodum parum, ſecalis etiam minus producat. quo utroque tamen frumento uſqueadeo quidem abundat. ut complures Provincias eo impertiatur, ſed invecto nimirum cum ex aliis mundi partibus, tum nominatim ex Dania & terris ſeptemtrionalibus, vulgo dictis Ooſtlandia. Vinum tellus non gignit, cujus major tamen in ea eſt copia, proque incolarum numero, etiam uſus, quam in ulla Provincia illud gignente. ſed importatur videlicet aliunde, & præcipue vinum Rhenanum. Linum terræ negatum eſt; tamen major in ea conficitur linteorum tenuium vis, quam in ulla totius mundi plaga. ſed nanciſcitur linum ex Flandria, nonnumquam & terra Leodicenſi, item Ooſtlandia, etſi non ea bonitate, qua ipſum vernaculum. Lanarum pæne eſt expers, cum innumeros tamen conficiat pannos, & præſertim villoſos, ſuppeditantibus ipſi lanas Hiſpania, Anglia, Scotia, nonnumquam & Brabantia. Materiam non producit, & plura tamen in ea ſtruuntur navigia, plures lignei aggeres, aliaque id genus opera, quam in reliqua omni, pæne dicam, Europa. ſed ligna ſubmittit præſertim Ooſtlandia, cum Provinciis adjacentibus.

ADDIT. [*Luſit in hæc Hollandicæ terræ miracula elegantiſſimo epigrammate Magnus ille Muſarum Antiſtes Ioſephus Scaliger, quod non poſſum quin hic adſcribam. eſt autem tale:*

De mirandis Bataviæ.

*Ignorata tua referam miracula terra*
*Douſa, peregrinis non habitura fidem.*
*Omnia lanitium hic laſſat textrina Minervæ.*
*Lanigeros tamen hinc ſcimus abeſſe greges.*
*Non capiunt operas fabriles oppida veſtra.*
*Nulla fabris tamen hæc ligna miniſtrat humus.*
*Horrea triticeæ rumpunt hic frugis acervi.*
*Paſcuus hic tamen eſt, non Cerealis ager.*
*Hic numeroſa meri ſtipantur dolia cellis.*
*Quæ vineta colat nulla putator habet.*
*Hic nulla, aut certe ſeges eſt rariſſima lini.*
*Linifici tamen eſt copia major ubi?*

Hic

*Hic mediis habitamus aquis. quis credere poſſit?*
*Et tamen hic nullæ Douſa bibuntur aquæ.*]

Fundus, & ut ſic dixerim, fundamentum opum & fructuum hujus terræ in pratis conſiſtit & paſcuis pecori nutriendo ſaginandoque perquam idoneis. hinc in venis illis ſive fodinis uſtibilis ceſpitis ſupra nobis deſcripti. unde numeroſiſſima hic multitudo equorum præſertim, item vaccarum & boum.

Equi celſo in primis ſunt corpore, & quamvis capite aliquanto graviori, admodum tamen pulchri, ac multi uſus, maxime in bello. quin & indies fiunt meliores: conantibus ſcilicet, incolis jam ab annis aliquot retro ipſam ſobolem emendare, & Hiſpanicis aliiſque præſtantis generis equis naturales ſuorum defectus expletre. quos ſimulatque paullo grandiores evaſere educando, in Friſiam mittere ſolent: quia experimento compertum eſt, quod & Arioſtus noſter alicubi indicat, & fortiores eos & alacriores in paſcuis illis fieri. cum interea equi in Friſia ipſa progeniti, non corporis pulchritudine Hollandicis æquari nequeant, rem profecto conſiderabilem! quod nimirum in tanta terrarum vicinitate, tanta inveniatur naturæ diverſitas, ſitque regionum iſtarum altera generando magis, quam educando, altera rurſus enutriendo magis, quam producendo huic pecoris generi opportuna. Boves Hollandici magnitudine juxta & forma laudabiles. eadem quoque in vaccis ratio. quarum ex lacte tanta conficitur caſei ſimul & butyri vis, ut non niſi qui coram adfuerit, oculiſque aliquatenus uſurpaverit, induci umquam ad credendum poſſit. Certum eſt, non minus pretium ex lactario utroque in Hollandia provenire, quam ex advectis è Luſitania in Belgicam aromatibus conficitur, quamvis inde, ut in Antverpiæ deſcriptione ſupra oſtendimus, plusquã decies centena florenorum millia quotannis colligantur. Neque mirabitur id, qui ſciat Aſſendelfii (is Hollandiæ pagus leucæ unius itinere Bevervico, duarum ſpatio Harlemo abeſt,) quatuor vaccarum millia numerari, quarum ſingulæ, æſtate hybernam inopiam compenſante, binos quotidie lactis cantharos reddant, ſive, ut cum vulgo loquar, ſtopas. Iam vero ea lactis ubertas, quã reddere perhibent quatuor alios pagos, Aſſendelfio pæne conterminos, Oſtſanam nempe, Weſtſanam, Crommeniam,

meniam, & Crommenierdicum, tam immenſa eſt, ut non auſim eam memoriæ prodere. Id conſtat, fuiſſe nuper, et in his Ioannem Benningium, judicem in Hollandico conſeſſu, qui pignore certarint, compererintque, quinque quos dixi pagos, accenſo Aſſendelfii, plus quotannis lactis producere, quam Rhenani vini Dordracum convehitur: cujus tamen admiranda pene vis, quia Dordracenis jus fori talium vinorum datum eſt. Diſtribuitur autem omnis iſte caſeus ac butyrum per totam Belgicam, ubi maxima ejus copia abſumitur. inde in Germaniam, in Angliam atque Hiſpaniam.

ADD. [ *Avium paluſtrium, præſertim anatum, captura nuſquam copioſior, inſtitutis ad id quæſtuoſis admodum aviariis, in quæ illices aves manſuefactæ feras pelliciunt primo, eas dein catulus artem edoctus latratu conſternatas, diffugere in caveas cogit, ubi aucupis manu cadunt. Piſcium amnicorum copiam ſtagna, lacus, paludes, fluvii ſuppeditant; marinorum incredibilem vim vicinum undiquaque mare.* ]

Conflatur deinde & ingens pecuniarum vis ex terræ uſtilis teſſellis quæ quotannis ex Hollandia exportantur. cujus rationem inire eſt ex ſolo vectigali, quod Goudæ exſolvi, & â publicanis ternis ducatorum millibus in ſingulos annos conduci ſolet. Et quamvis non grave pretium menſuræ cuique impoſitum ſit, numerus tamen menſurarum decies centena millia longe excedit. Nec tum accenſeo vectigalia ceſpitum quæ aliis locis exportantur, aut cives in domeſticos uſus vertunt: quorum vis maxima eſt. Sed mercaturæ potiſſima piſcatione ac navigationibus hic nituntur, quæ propria Hollandorum exercitia ſunt. Habentque cum in uſum pluſquam octingentas juſtæ magnitudinis corbitas naves, quæ ſingulas minimum, nonnullæ quaternas aut quinas, pleræque ternas in malo corbes habent, & ducentarum aliæ, aliæ ſeptingentarum ſunt vehium, aliæ medii inter hunc numeri capaces. Sunt præterea alia navigia piſcatui adornata, numero pluſquam ſexcenta, quorum nonnulla quinquaginta, centenarum alia vehium ſunt.

Patet autem hæc regio, quam Hollandiam proprie dicimus, in circuitum leucas circiter ſexaginta. latitudo nuſquam eſt tanta, quin conſtitutus aliquis in quacumque telluris parte, ſex eam horarum ſpatio poſſit emetiri. & anguſto tamen hoc ambitu viginti & novem



HOLLANDIA MERIDIONAL.
Milliaria German
1 2 3
SEPTENTRIO.
MERIDIES.
OCCIDENS
30
26
52
MARE GERMANICUM
Catwyck op Zee
Berkerhay
Scheveringen
Heyde
Gravesande
De Mase
Bredenrode
Santvoort
Velsen
Sparendam
Haerlem
Heemstede
Hillegom
Lisse
Haerlemmer
Saerdam
Amsterd
Aelsme
Reyn
Myda
Noortwyck
Rynsburg
Catwyck
Valckenborg
Leyden
Does
Alphen
Hagewasse
Soet
Benthuysen
Voorburg
Soetermeer
Goude
Verduyn
Bleswyck
Iselmeer
Berkow
De Ist
Lier
Vlardingen
Rotterdam
Schiedam
Briel
Geervliet
Recaing
Fugge
Blickvliet
Pugge
Pernis
Charloos
Alblas
Donck
Papendrecht
Beyerlant
Pierhil
Chilbershouck
Dort
Biesbosch
Goere
Flackee
Harinckvliet
Melissant
Herkinge
Oelkensplaet
Ouwetonge
Stryē
Geley
Bommele
Zirixzee
Zerlanslant
Capelle
Crammer
Willem
Swal
Mee de Sevenbergen

30
27
Monickedam
ZUYDER
ZEE
Elburg
Nunspeet
Hulsl horst
Herderwyck
Sherenlo
Elspeet
Arlar
Hulkesteyn
Gardere n
Hoemen
Hoel
Kemma
Biesken
Brouchuysen
Hac foort
An stoot
Eysch aten
Scarpenseel
Gerstein
Doo rn
Amerongen
Rhenen
Laren
Wage ningen
Ranwyck
Slick ewick
Wees
Lee
Liend en
Eege
Wyn sen
Nimmegen
Ochten
Wamel
Dru mel
Al ssen
Ba tenborg
Ravesteyn
Grave
Zeelandt
Borkel
Volkell
Vden
Nestelre
Coudewater
Oss
Sca ick
Kess el
Driel
Empel
Shertogenboshs
Vechel
Vucht
Crom voort
Sprang
Geertruyenberg
Baertwyck
Gansoyen
Heusden
Cuyck
Heel
Rossum
Bommel
Brakel
Aelst
Ael
Vee n
Meewe
Ryswyck
Almkerck
Gorcum
Worcum
Tuyl
Ast
Hessel
Asperen
Tiel
Leerdam
Bue ren
Sermont
Culen borg
Twael
Tg oy
Iutphas
Oosbrouck
Meersbergen
Natewis
Wyck
Tum
Nyvelt
Montfoort
Dalen
Vtrecht
Blaukapel
Lochorst
Amersfoort
Oudam
Eembrug
Oudkerck
Ymenes
Laren
Buysen
Naerden
Huysen
Oud Naerden
Muyen
Abcoude
Veen
Weesp
Bunschote
Nie kerck
Alar
Kemma
Ranstorp
Hoor
Dyck
Niupoort
Maersfelt
Tsel steyn
Vianen
Bottendam
Brenkelen
Maersen
Muylen
Weerden
Hertvelt
Hoekelum
Oriens.
52





30
26
SEPTENTR
HOLLANDIA
SEPTENTR
Texel I.
Noorder haecken
Spangiaerts gat
Keysers plaet
De Slenck
Suyer haecke
Land diep
OCEANUS
Tooge
Petten
t'Honds-bosch
Camp
Egmont op Zee
GERMANICUS
Wyck op Zee
53
OCCIDENS
Miliaria Germanica commun.
1 2 3 4 5
30
26
MERIDIES

30
27
De Weerdt
Schute sant
Harlingen
Fri-siæ
Pa rs
Mackum
De nes
Oude Vlie
Doode balch
Dominicus plaet
Bolswaert
Gasum
Sneeck
Ylst
De nes
Wieringen
t' Breesant
Worcu
Heeg
Steert vant Breesant
Hindelopen
Sloten
Echte-den
Oost erlant
Scharle
Mirls
Oldemar dum
Lemmer
53
ORIENS
Colhorn
De Meer
Staveren
Creupel
Veenhuysen
Medenblick
Winkel
Aertswoude
Hauwert
Grotebrouck
Watw-eyde
Swaech
Enckhusen
Enc huser sant
Urck
Opdam
Wydenisse
Leeck
Emeloort
Scarwou
Rustenburg
Ter beets
Hoorn
Hoorniker hop
Ens
Beemster bedyct
Madewie
ZUYDER
Edam
Purmerent
Vollendam
Ooszan en
Marken
ZEE
Monikedam
Rams: dorp
Vtdam
Sloten
Diemen
30
30
27

vem includit opida muris clausa: Dordracum nempe, Harlemum, Delfos, Leidam, Amsterodamum & Goudam, primarias terræ totius urbes: hinc Enchusam, Hornam, Alcmariam, Purmerendam, Edamum, Monachodamum, Wesopiam, Nardam, Woerdam, Veteraquinum, Schoonhoviam, Helsteinium, Vianam, Lerodamum, Asperam, Huclemium, Goricomium, Worcomium, Heusdam, Roterodamum, Schidamum, paulloque inferius Gertrudibergam & Sevenbergam. Præter hæc opida muris cincta habet & quædam opidula, qualia Medenblica, Bevervicum, Muda, Neoportus, Vlardinga & Gravesanda. quæ & ipsa muris aliquando fuere circumdata: sed cum externis hostium bellis, tum civili discordia, aliisque id genus calamitatibus, vel penitus, vel majori saltim ex parte iis nudata sunt: etsi iisdem adhuc gaudeant privilegiis, eodemque habeantur loco & gradu, quo mœnibus clausæ fuerunt. Habet denique supra quadringentos pagos, & inter eos complures, qui, excepto quod mœnibus careant, non adspectu tantum & forma, sed conditione quoque & jure, mediocribus opidis pares sunt. talis, ut mox dicturus sum, nominatim est Haga. Extra vero hoc territorium, vel ut melius dixerim continentem, invenias in Hollandiæ ditione etiam aliquot Insulas. quarum præcipuæ, si septemtrionem adspicias, Flevolandia, vulgo het Vlielandt / juxta Flevum, ostium quondam Rheni: Tessellia, vulgo Texel / & Wiringia, nomen à voce Wier / adepta algam ut volunt signante, cujus tanta ibi est copia, ut & aggeres ea sartos tectos conservent. Ad ortum, in sinu quem vocant de Zuyder-zee / sunt Vrca & Ensia, pagis quibusdam insessæ. Ad meridiem inter Mervam & ostium Mosæ sunt Vorena, vulgo 't Landt van Voorn / Goereda, Somerdica, quæ & ipsa dicitur Vorena, Corendica, & Collis Petrinus, vulgo Piershil.

ADDIT. [*Hollandia in plures partes dividitur, quæ peculiaria nomina sortiuntur; ut Kennemariam, Waterlandiam, Amstelandiam, Goelandiam, Vornanas insulas, Schielandiam, Delflandiam, quæ & Maselandia, Rhenolandiam, ac similes. sed maxime communis & alicujus usus divisio est, in australem & septentrionalem; quarum hæc etiam* West-frisia *dicitur: nam hæ partes nonnihil moribus & institutis variant; incolarumque ingenia & habitus plurimum discrepant. Atque harum quidem partium*

*partium limites ratione regiminis politici & ecclesiastici diversi sunt. Nam politici ratione, australi accensentur Harlemum & Amstelodamum; ecclesiastici vero, hæc oppida cum suis vicinis pagis & classibus Synodo septentrionali Hollandiæ accedunt. Est & strictior Zuyt-Hollandiæ notio, quæ longe antiquissima est; ea autem complectitur complures pagos; ejusque metropolis est Durdrechtum; Batavum habet primæ dignationis, & jure utitur nonnihil à reliqua provincia diverso, & amplissimis privilegiis jam olim a Comitibus Hollandiæ fuit donata.*]

Ordines hujus Comitatus constant è terræ Nobilibus, & sex primariis Civitatibus. Sed deinceps sigillatim quasque partes, & principio urbium primarias describere aggrediamur.

## DORDRACVM.

DORDRACVM pervetusta urbs, Mervæ incumbit & quia flumen hoc ex Rheno, Mosa, & Linga urbem præterfluentibus nascitur, non desunt qui adserant, quatuor eam adjacere fluminibus. quaipsa imagine nuper fuit expressa, cum anno 1549 ingrederetur eam in felicibus suis auspiciis Hispaniarum Princeps Philippus, subscripto hoc disticho,

*Me Mosa & Walis cum Linga Mervaque cingunt.*
*Æternam Batavæ virginis ecce fidem*

Vtut sit, redacta est inter hasipsas aquas in Insulæ formam, idque anno demum 1421, quo tempore Vahalis simul & Mosa, exæstuante in eos Oceano, ex agro antea inter hancipsam urbem & Brabantiam interjecto, effecerunt immensum illum aquarum gurgitem: absorptis violenter septuaginta duobus egregiis pagis, & in iis plus centum hominum millibus, qui cum omnibus suis fortunis miserando illo diluvio perierunt. Recuperantur tamen paullatim & vindicantur ab undarum injuria nonnullæ agrorũ hac clade obrutorum partes, propria fere harum gentium arte, de qua postea in Zelandiæ descriptione dicturus sum. In Merva, ob causas supra memoratas, præter alia quædam optimorum piscium genera, accipenserum salmonumque immensa vis. qui largissima etiam copia capiuntur in lacu Flevi, imprimis ad opidum Campas. Dordracum Gouda quaternis,

# DORDRECHT.

nis, Vltrajecto ſeptem leucis diſtat. opidum pulchrum, dives, potens, ampliſque & elegantibus ædificiis denſum. primarium ejus templum, eximia certe ſpecie, Deiparæ Virgini ſacrum eſt.

ADDIT. [*Vix alia urbs tota Hollandia magnificentiora & Agrippinenſium fere æmula habet ædificia, quæ cælum fere culminibus feriunt; cellæ vinariæ numquam ſolem admittentes, arcuato opere fornicatæ ſunt. Fuit autem anno* CIↃIↃXXI *atroci tempeſtate, dirjectis ac diſruptis aggeribus, à continente avulſa, & inſtar inſulæ deſtituta: nunc incolarum induſtria non exiguum agrum ex undis ereptum rurſus mœnibus ſuis conjunxit.*]

Dordracenus fuit Guiljelmus Lindanus, Epiſcopus, uti ſupra meminimus, Ruræmundenſis, qui magna ſua cum dignitate & laude, nec minori emolumento, electus poſtea fuit Gandavenſium antiſtes. Eſt in hac urbe forum, ſive ut vulgo appellamus *ſtapula* vini Rhenani: item frugum, quæ ex Geldria, Clivia, terræ Iuliacenſi, aliiſque provinciis mediterraneis, apportantur. ſic ut non una de cauſſa Dordracum mercimoniis floreat, ſitque amplum ſimul & civibus frequens. Quia vero in hac noſtra deſcriptione crebro eſt mentio *ſtapularum*, pretium judico erudire lectorem, quid vocabulo iſtoc denotetur. Originis Gallicæ eſt; qui *Eſtaple* dicunt, ducta ſignificatione è numero plurativo Latini nominis *ſtabulum*. ſignificat autem communiter forum, ſeu locum publicum in urbe aliqua deſignatum, quo Principis auctoritate & privilego, vina, frumenta, aliæque merces exoticæ vendendi cauſſa convehuntur. Sic, Atrebatum Artheſiæ, *ſtapulam* habet vini ex Gallia in illas oras terreſtri itinere convehi ſoliti. adeo ut mercatores primo huc deferre illud teneantur, & publice in foro ad tempus aliquod vinum exponere, antequam alia in loca tranſferri poſſit. exacto autem tempore illo, & perſolutis reipublicæ vectigalibus, civibuſque ut fas eſt proſpecto, vina quocumque viſum eſt avehunt. Middelburgum Zelandiæ *ſtapulam* habet vinorum ex Gallia, Hiſpania, Luſitania, Provinciis cæteris, in hanc Belgicam advehi ſolitorum. quare tenentur tam nautæ quam negotiatores naves ſuas cum vinis eo adpellere atq; in aggerem ripæ exponere; quæ poſtea exſolutis vectigalibus; quo lubitum tranſportant. Dordracenſium vero

hoc potissimum est privilegium, quod quicumque Rheno & Mosa amnibus vina, frumentum, ligna, & quæ alia id genus mercium devehunt, illorum in portu naves suas exonerare teneantur, & persolutis vectigalibus, merces habitantium in illa urbe navibus impositas, alio transvehunt; nisi forte cum publicanis aliter paciscantur. Licet autem hæc privilegia hodie multum inter se discrepent, pro mercium juxta & urbium quibus concessa sunt ratione: omnia tamen à prima sui origine vetus *stapulæ* nomen conservant. Cumque variæ passim in iis quæ situ maxime oportuna sunt Belgicæ opidis habeantur hujusmodi *stapulæ*, non potest quin summa tam publice quam privatim in Principem subditosque inde redundet utilitas.

ADDITAM. [*Dordrechtum est Hollandiæ metropolis, in qua olim inaugurari solebant Comites, qui amplissimis eam hoc nomine privilegiis exornarunt. inter alia quidem, ut sit velut asylum ac tutum quoddam perfugium, iis qui violentia creditorum oppressi, nomina sua nequeunt expedire, ideoque à carcere sibi & arctiore custodia metuunt. his inquam Dordracum se licet recipere, inibique tantisper libere agere, dum cum creditoribus transigant. Est deinde Dordraci & officina monetaria Comitatus Hellandiæ.*]

ADD. [*Pagi & dominia sunt:* Werkendam / Dussen / Beyerland / den Clundert / Besoyen / Sprangh / Cappel / Zydewijn / Nederveen / cleyn Waspick / groot Waspick / 'sGravenmoer / Raemsdonck / Drimmelen / Stanthasen / Mernwede / Dortsmonde / Crayensteyn / langh Ambacht / cort Ambacht / Houweninghen / Dobbeldam / Puttershoeck / Mijns-Heeren-Land / Heynkens oort / Wieldrecht / Strien / Maesdam / Heer-Jans-dam / de Lind / Kijf-Hoeck / Heer-Oude-land; Scobbeland / Swijndrecht / Develsteyn / Rysoort / Strevels hoeck / Sandeling / Rieder-Kerck / Yselmonde / oost en west Barendrecht / Carnisse / Papendrecht / Alblas / Alblasserdam / Nieu lecker-land / Streef-Kerck / Brantwijck / Molenaers graef / Hofweghen / Blaskens graef / Wijngaerden / Slydrecht / Gissen-oude-kerck / Gissen-nieuwe-kerck / Hardunevelt / Crimpen op de Leck / ende Crimpen op de Yssel / Ouwerkerck / Lecker kerck / Zuydbroeck / Bergh Ambacht / Berkou / Stolwijck.]

ADD. [*Dordraco Oriundus fuit Paulus G. F. P. F. Merula, vir celebris, cujus complura exstant monumenta, Professor Historiarum*


HAERLEM.

1 Groote kerk
2 S Ians Heeren
3 Bagyn hof
4 ſtadthuys
5 Princen hof
6 Weeſhuys
7 Martvelt
8 Oſſemart
9 Waech
10 Kraen

*Historiarum in Academia Lugduno Batava, cum Rostochium ad invisendos amicos profectus esset, ibidem morbo correptus, excessit anno ætatis suæ undequinquagesimo, hujus sæculi septimo. Eadem in urbe natus Valerius Gouthovius de historia patria vir non male meritus. Denique & Ianus Rutgersius, eruditus & exacti judicii vir, scripsit varias lectiones dicatus Gustavo Magno, Suecia Regi; à quo legatus ad potentissimos Fœderatæ Belgicæ Proceres missus, eodem in honore Hagæ Comitis exspiravit anno* MDCXXIII.]

# HARLEMVM.

CONDITVM fuit Harlemum à viro illustri nomine Lemo, unde Teutonica voce appellatum est Heer-leem/ id est Dominus Lemus. Distat Amsterodamo tribus leucis. Egregia sane urbs, in qua inter alia quotannis contexuntur duodocies mille volumina panni. ædificia habet admodum splendida commodaque, & plurimis intus foriſque amœnissimis pratis, nemoreque perpulchro decorum est. unde saluberrimo gaudet cœlo, & propinquo pulcherrimorum pagorum arciumque fruitur adspectu. magnitudine reliquas omnes Hollandiæ urbes præcellit, ordine tamen Dordraco posterius est, primarium ejus templum dicatum est Divo Bavoni:

ADD. [*Quod pulcherrimum, architectorum judicio, foro spatiosissimo imminet. è regione curia est operis haud vulgaris. Vrbem interlabitur Sparnus, olim è Rheno corrivatus, sed qui jam ex immenso lacu incrementum accipit. Linearum telarum candoris & tenuitatis eximiæ, aliorumque pannorum textura satis celebris est urbs, & populosa admodum ob advenarum ingentem numerum: magno quippe incolarum numero aucta est, postquam Hispanus Flandria & Brabantia potitus est: ita ut superioribus annis hic supra viginti quinque millia hominum numerata fuerint, eorum qui sexagenariis minores, & tamen pubertatis annos egressi, artes varias mechanicas & mercaturam exercent. Quo factum est ut non modo ædes, superioris belli clade incendio deformatæ, aut collapsæ, pulchrius longe reædificatæ fuerint, sed etiam omnibus locis vacuis eleganter superstructum sit. Muro lateritio cincta est utrinque firmo, & fossa satis lata. Abest ab oceano circiter V mill. passuum; qui marinorum pi-*

*ſcium omne genus abunde ſubminiſtrat. Ad euronotum lacus eſt ampliſſimus; verſus aquilonem Tyus ſinus: uterque bene piſcoſus. Ita ut opportunus mirum in modum ſit undecunque ſitus, ſoli, cœli & aquarum bonis affluens.*

ADD. [*Derivant plerique Harlemenſium rerum ſcriptores originem nominis à Domino quodam Guiljelmo, filio Dittibaldi regis Wiltorum. ſic ut dictum prius adſirment* Heer-Willem / *atque inde molliore pronuntiatu & abſorpta per ſyncopen ſyllaba,* Heer-Lem. *Inſignia ejus enſis argenteus in ſcuto, ſeu campo ut vocant, rubro, cruce & quatuor ſtellis conſpicuo. data hæc oppidanis ob inſignem virtutem & fortitudinem, qua uſi olim in expugnanda Syria Damiata.*]

In hac urbe, non publica tantum incolarum aliorumque Hollandorum voce, ſed & ſcriptorum quorumdam ſuffragio, aliiſque aliquot monumentis, inventa primum traditur typographia, id eſt ea librorum formulis excudendorum ratio, quæ nunc paſſim in uſu eſt: ſed auctore, ante perfectam & evulgatam artem, extincto, famulus, uti narrant, Moguntiacum abiit. ubi edito levi aliquo artis ſpecimine, perbenige fuit acceptus. Moguntini vero cum ſummo ſtudio in hoc tantum negotium incubuiſſent, conſecuti ſunt tandem integram ejus notitiam. unde increbuit poſtea & cum tempore magis magiſque invaluit fama, prodiiſſe ex ea urbe hanc tam inſignem ſcientiam. Ego ſane de rei ipſius veritate nec poſſim nec velim decernere, quippe quam ſatis habeam, obiter attigiſſe, ne urbi regionique iſti præjudicem. Sed audiamus de ea differentem in libris de Inventoribus rerum Polydorum Virgilium: *Ioannes Cuthembergus, natione Teutonicus, equeſtri vir dignitate, ut ab ejus civibus accepimus, primus omnium in opido Germaniæ, quam Moguntiam vocant, hanc imprimendarum litterarum artem excogitavit, primumque ibi exercere cœpit: non minore induſtria reperto, ab eodem, prout ferunt, auctore, novo atramenti genere, quo nunc litterarum impreſſores utuntur. Decimo ſexto deinde anno, qui fuit ſalutis humanæ* 1458, *quidam nomine conradus, homo itidem Germanus, Romam primo in Italiam attulit, quam deinde Nicolaus Ienſon Gallus primus mirum in modum illuſtravit: quæ paſſim hac tempeſtate per totum fere terrarum orbem floret.*

Non debebat ſane Polydorus hic omiſiſſe Aldum Manutium, civem Romanum, virum utraque lingua doctiſſimum,

ctiſſimum. qui omnium plane doctorum judicio, ſumma profecto cum diligentia & laboribus indefeſſis, nulla omnino ſumtuum & privati ſui incommodi, ſed honoris tantum & publicæ utilitatis habita ratione, typographiam omnibus numeris ſuis abſolvit. ita ut nihil uſquam audires, nihil quiſquam expeteret, præter typos Aldinos. quia ſcilicet adeo nitidi, adeo elegantes, ut exiſtimarent plerique eum uti argenteis characteribus. quin & hodie, licet excultiſſima apud omnes arte, vix invenias cui ille concedat. At ante eum; ſi recte judicium feras ut in re recens inventa, editiones omnes ineptæ, incultæ, mendoſæ, ac ſine venere ulla & gratia. ipſe vero, nihil inauſum linquens, ingenio ſimul & judicio artem polivit, ex difficili facilem expeditamque reddidit, & ad ſummum (ut dixi) perduxit faſtigium. neque tantum ipſammet artem, ſed qua erat inſigni doctrina, etiam plerorumque auctorum ſcripta, ingenti ſua cum laude, caſtigavit. atque adeo, ni fallor, omnium primus libros Græcos excudit. quam in rem eo quidem incumbebat ſtudio, ea perpetuo utebatur vigilantia, ut ne à quoquam interrumperetur, adeuntibus ſeſe ſtatim aures velleret hoc pulcherrimo monito, beſſalibus litteris ſcripto & ad Muſæi fores appenſo: *Quiſquis es, rogat te Aldus etiam atque etiam, ut ſiquid eſt, quod à ſe velis, perpaucis agas, deinde actutum abeas. niſi tamquam Hercules, defeſſo Atlante, veneris ſuppoſiturus humeros. ſemper enim erit, quod & tu agas, & quotquot huc attulerint pedes.* Ex hac autem divina inventione typographiæ, præterquam quod innotuerint nobis innumera in omnibus pene linguis volumina, quæ hac demum via prodierunt in lucem, cum alioqui latitarent, ac velut intercidiſſent, maxima illa ſummo cum fructu conjuncta exurgit commoditas, quam non tam ipſi typographi, quam ſtudioſi, omneſque adeo generatim lectores ex ea percipiunt. Subjungam hiſce & aliud, quod videlicet Luſitani adfirment, neque deſint qui litteris etiam prodant, typographiam nec in vaſta illa, opulenta ac bene inſtituta Sinarum in Indiis orientalibus regione ignotam eſſe: adſerentibus populis ea ſe uſos jam à millenis aliquot annis retro. quod ipſum tamen haud uſqueadeo mirum ſit: cum in beatis illis oris innumeras fere, adeoque plures fortaſſe quam in alio ullo terrarum tractu,

admirandæ antiquitatis invenire ſit elegantias, adfabre prorſus atque induſtrie elaboratas: ut non hominum modo relationes & rariſſimæ quædam illinc allatæ merces oſtendunt, ſed in peculiari quoque deſcriptione, quæ (ut ſpero) brevi viſura eſt lucem, ſumma cum animi voluptate eſt legere.

ADDIT. [*Ea quæ Auctor noſter hic obiter tantum attingit de inventione typographiæ, fuſius certiuſque in Batavia ſua exequitur doctiſſimus Hadrianus Iunius. qui validis ſane & prorſus invictis argumentis oſtendit, nobiliſſimam artem, Harlemi primum excogitatam ab Laurentio quodam Ioannis, cognomento Coſtero. cui ſuffuratus inſtrumentum omne Ioannes Fauſtus infauſtus hero famulus, Amſterodamum primum, inde Coloniam, atque hinc Moguntiacum tandem profugit. plura vide apud eumdem Iunium, & Moguntinenſes falſo ex hoc muſtaceo ſibi laureolam petere, diſcito.*]

Harlemo natus fuit Nicolaus Simonius, doctus & venerandus Antiſtes. item Albertus Ioannis, ordinis Carmelitarum, vir inſigni doctrina, & complurium operum ſcriptor. Conducta eſt in hanc urbem, narrante Iacobo Mejero, & conſentientibus non Hollandiæ tantum annalibus, ſed & publica omnium voce, anno Chriſti 1403, mulier quædam marina, ſive Syren dicenda eſt, nuda & muta; quam ceperant piſcatores in lacu quodam Hollandiæ, quo videlicet tempeſtatibus agitatum mare ipſam expulerat. veſtita & aſſuefacta paullatim eſui panis, lactis, & aliorum id genus ciborum, etiam nere & reliquum opus domeſticum exequi didicit, crucis inſuper ſigno honorem & reverentiam exhibens, alioſque uſurpans ritus, quos à domina docebatur. vixit autem complures annos, ſed muta perpetuo perſtitit. Adfirmant item pro certo, annis abhinc circiter quadraginta, captum fuiſſe in mari Frifico quemdam Tritonem, ſeu, ut vulgo vocant, virum marinum, toto corporis habitu nobis adſimilem, niſi quod barba & cætero capillitio hiſpidus admodum eſſet atque ſetoſus. aſſueverat autem & iſte tum panis, tum cæterorum in uſu quotidiano cibariorum eſui, quamvis initio prorſus ferum, ingenitam, feritatem vix unquam penitus exuere potuiſſe tradant. vixit annos complures, ſed perpetuo mutus, tandemque populari morbo, quem jam ſemel evaſerat, periit. Nicolaus Nicolaius, homo antiqua

1 Bagyn-hoff
2 Oude-Kerck
3 Princen-hoff
4 S. Hieronimus
5 h. Geest-susteren
6 Nieuwe kerck
7 Stadt-huys

# DE




L F T
6
7
5.

qua virtute & fide, retulit mihi, præter alia multa documenta, audiviſſe ſe ex Caſparo Lævini, Conſiliario, & quodam Magiſtro Petro, à ſecretis Senatus Hollandiæ, amiciſſimis ſibi Collegis, ipſos ſcilicet hominem illum marinum coram ſæpe vidiſſe, & permulta de illo narraſſe. Invenimus præterea in annalibus noſtræ Hollandiæ, quod & Romam id ævi Gilberto cuidam, doctori medico, ſcripſit Cornelius Amſterodamus, captum anno 1531 in mari Norvegico, non procul ab *Elepach* opido, virum quendam marinum, ea corporis facie, ut videretur Epiſcopus aliquis, ſacro amictu indutus. qui & oblatus fuerit Regi Poloniæ, ſed cum nollet quidquam guſtare, triduo tantum vixerit, nulla interim edita voce, præter altiſſima quædam ſuſpiria. & hujus quidem Epiſcopi hodieque penes me extat effigies. Sunt revera hæc talia monſtruoſa & nova: ſed qui attentius conſideraverit ea quæ de ſimilibus viris marinis jam olim inventis memoriæ produnt Plinius & alii quidam auctores graviſſimi, non uſqueadeo iſta mirabitur. minus vero is, qui expenderit, quidnam iidem illi ſcriptores referant de Tritonibus aliiſque monſtris marinis, deque Faunis & Satyris. quorum etiam, libro de vita Paulli primi anachoretæ, tamquam rei prorſus indubitatæ, meminit Divus Hieronymus.

## DELFVM.

DELFVM, vel ut alii vocant Delphi, nomen habet à foſſa, ſeu aquæductu ex Moſa in urbem perducto. foſſam enim vulgo appellant *Delf*. Diſtat Roterodamo duabus leucis, opidum eſt ſatis magnum, cultum, ſplendidis ædificiis, ſpatioſis plateis, templa in eo magnifica valde & ſumtuoſa, quorum primarium ſacrum eſt Divo Hippolyto, viro, ut ipſi perhibent, Italo. Condidit Delphos Godefridus, cognomento Gibboſus, Dux Lotharingiæ, is qui occupatæ à ſe Hollandiæ per quadriennium Comes, navali in Moſa prælio victus fugatuſque fuit à Diderico quinto, legitimo terræ Principe. Incidit iſta urbs in graviſſimam calamitatem anno Chriſti 1536, cum fortuito incendio major ipſius pars, non ſine ingenti civium damno, deflagravit.

flagravit, poſtea tamen inſtaurata, formam priore pulchriorem accepit. Viſa in illo incendio & à multis obſervata eſt res miræ ac memorabilis, cui ſimilem forte nec noſtra nec priſca vidit memoria. Notat quidem, & merito, Plinius, cumque eo non pauci ſcriptores, ceu rarum quiddam & obſervatu dignum, pullos ciconiarum, parentibus ob ſenectam volandi impotentibus, de alimentis proſpicere: ſed longe memoria dignius eſt id, quod Delphis evenit. Quæ, urbs loco ad harum avium paſtionem opportuniſſimo ſita eſt. unde innumeros fere in domorum culminibus earum conſpicias nidos. Incidit autem hoc incendium in quintum nonas Majas, qua tempeſtate pulli adoleſcere ſolent. ſeniores ergo Ciconiæ, igne jam nidis appropinquante, viſæ ſunt magno primum conatu anniti ſiqua pullos flammis poſſent eripere; & cum ob pondus corporum nequirent, expanſis alis ſobolem ſuam obtexerunt, quædam etiam pertinaciter pullis adhærentes eodem incendio hauſtæ ſunt. Deprehendi poſtilla, Caſparum Veldenium, faceto illo in laudem illarum avium ſcripto, diſertim quoque mentionem hujus rei facere, teſtem, vel ſi ſolus ſit, locupletiſſimum. Conficiuntur hic magna copia tenuiſſimi ac celebres panni, tum & alii viliores, ac raro & craſſo textu. ſed commendabilis præ cæteris eſt cereviſia, cujus hic varia coquuntur genera, & in Zelandiam maxime, hinc in alios terrarum tractus mittuntur, atque uberrimus civitati quæſtus. Delphis natus fuit abominandus ille David Georgius, pictor, ex eorum reliquiis, qui Weſtphaliæ Monaſterium pridem infecerant. hic obſcuro prorſus loco natus, neque litteris ullis excultus, ea tamen ingenii vi fuit ut non modo novæ hæreſeos autor fuerit, ſed & ſectatoribus ſuis perſuaſerit, ut ſe tanquam verum Meſſiam adorarent. Vxorem & liberos habebat, vitæ, ſi exteriora æſtimares modeſtæ, cæterum ſine religione, ſine pietate, nihilominus (ea eſt in quibuſdam hominibus rerum novarum aviditas, ſimplicitas, levitas: ea contra in aliis tempora & occaſiones captantibus verſutia atque perverſitas) hæreſim ſuam variis monſtruoſiſq; admodum legibus ſtabilitam per complures Inferioris Germaniæ partes ita jam ſparſerat, ut non paucos haberet aſſeclas, nec pœnitendum ex iis perciperet quæſtum, dum certatim

quiſque

quisque novitio Deo quam largissime studet offerre. Sed cum detecta hominis pravitate Magistratus in eam qua par erat diligentia severitateque inquireret, ipse Basilæam profugit, mutato nomine, Ioannem Bruquium se appellans: atque ita velata pravitate sua, familiam prius, inde plurimos etiam ex amicis atque clientibus eo pertraxit. hos instituebat secreto & erudiebat in stultissima illa religione: absentes interea litteris nuntiisque quantum commode poterat firmans, pluresque subinde in partes suas pelliciens. Verum deficiente ab eo assectarum uno, ipse multum metuens ne re vulgata, puniretur, subitanea morte præ animi ægritudine Basileæ obiit, anno 1556. Magistratus de toto negotio factus certior, studiose inquisivit in hominis vitam habitaque quæstione, in cadaver nefariam Doctrinam ultus est, bonaque defuncti publicavit. Domesticis, quique præterea culpam agnoscerent, & religionem veram susciperent, clementer ignotum est; & totius rei historia typis orbi vulgata. Sed Delphis quoque nati sunt viri aliquot clari & virtutibus inclyti. quales non ita pridem Ægidius Vates, & Ioannes grammaticus. sed præ cæteris magnus ille Iuris utriusque Doctor & idem poëta cultissimus, Iodocus Sasboutus, creatus à Carolo Quinto Imperatore Cancellarius Geldriæ; qui vicinus jam morti sibi ipse composuit epitaphium, quod hodieque videre est in primario templo Arnhemiensi, & quia non scitum minus quam pium, hic à nobis adscriptum:

*Siste gradum. quod es, ipse fui; fortasse eris eras,*
*Quod sum, cadaver putridum.*
*Olim Iodocus eram Sasbout. me misit in auras*
*Delft clara pars Batavia.*
*Ter denis patria caussas decidimus annis,*
*Pars consili haud ingloria.*
*Deinde & pacatis Præses jus Cæsare Geldris*
*Dixi jubente Carolo.*
*Quid tituli? quid opes? quid nunc sapientia prodest?*
*Mors summa miscet inferis.*
*Sola manet virtus homini post funera. solam*
*Dum vivis hanc ama. Vale.*

Hodie inter litteratos Delphenses suo merito numeratur Arnoldus, Iodoci illius Sasbouti filius, juris utris-

que Doctor, vir perhumanus, qui & ipſe Cancellarius Geldriæ fuit, & poſtea ſummo omnium applauſu, ob inſignes virtutes, factus eſt Præſes Conſilii Sanctioris. Eſt deinde Cornelius Muſius, Præpoſitus Virginum Divæ Agathæ, homo rara virtute & doctrina, magnus Theologus & Poëta cultiſſimus. Extra portam Delphenſem, & ad leucæ dumtaxat quadrantem, eſt cœnobium Ordinis Præmonſtratenſium, quod Conincx-beld vulgo appellant, priſco alicui Hollandiæ Principi conditum, nec ſæculari minus quam eccleſiaſtica juriſdictione, & prælauto annuo cenſu locupletatum; ſuſtentandis nobilibus virginibus; quæ priuſquam ſeſe obſtrinxerint ſodalitatis illius ſacramento, libere, cuicumque viſum eſt, nubunt. præclarum profecto & venerandum hoc cœnobium eſt.

## LEIDA.

LEIDA Delphis abeſt trium leucarum intervallo: opidum perantiquum, & juxta quoſdam idipſum eſt, quod Ptolemæus quidem *Lugdunum Batavorum*, Antoninus vero noſter in itinerario *Caput Germanorum* appellat. Conſtat certe antiquis temporibus urbem magni nominis fuiſſe, adeoque (ut volunt) perpetuam ſedem Prætoris Romani, cum legione ibi agitantis. à qua fortaſſis deductum eſt recens urbis vocabulum, quam Latini videlicet Legiam, & molliore pronuntiatu Leidam indigetant. Sita eſt plano & humili admodum ſolo, & foſſis, viridantibus pratis, hortiſque fructiferis omni ex parte circumdata. ambitus, præter novendecim inſulas pontibus junctas, triginta & unam includit cymbis & actuariis navibus circumnavigabiles. pontes in univerſum numerat centum & quadraginta quinque, quorum centum & quatuor quidem è lapide, cæteri autem ex ligno. Numeratur, ut diximus, Leida inter ſex primarias urbes Bataviæ, eſtque caput agri Rhenolandici, novem & quadraginta tum pagos tum vicos continet. quorum plerique agreſtes ſuas opes in urbem venales important, unde ſumma hic rerum è terra naſcentium copia. etiam propinquitas maris (nam leuca tantum una abeſt) maximam ei ſuppeditat marinorum piſcium abundantiam. fluviatiles vero tam aves

quam


LEYDEN
1 Nieuwestadt.
2 Vrouwekerck
3 Het Gasthuys
4 Gevangenhuys
5 Vniuersiteyt
6 Pieters kerck
7 't Stadt huys
8 hoochlantse kerck
9 Wees huys
10 De Borcht

quam piſces ubertim ſemper hic proſtant. Poſtremo opidum eſt luculentum, nitidum, & amœno imprimis adſpectu, & egregiis tam privatis quam publicis ædificiis valde concinnum. Summum templum dedicatum eſt Divo Petro. Parantur eadem in urbe quotannis plus quam duodena pannorum millia. Fœminæ Lugdunenſes forma & candore Batavicas omnes præcellunt. cœlum quoque longe hic temperatius eſt, quam in cæteris Hollandiæ partibus.

ADD. [ *Situm eſt Lugdunum in medio pene cæterarum urbium, quippe Delphis tribus; Harlemo, Gouda, Roterodamo, quinque; Amſtelodamo, Durdrechto, Trajecto ſeptem communibus milliaribus diſtat. Medius quondam Rheni alveus, ab Vltrajecto deſcendens, ſed, oblimato oſtio, & curſu alio detorto, jam reſtagnans, paulum ſupra urbem in duo veluti brachia divaricatus, urbem ab oriente ingreſſus, poſtquam bonam illius partem bifido alveo pervagatus eſt, rurſus in unum alveum conjunctus ad occidentem egreditur, & mare petit. Vrbs aliquoties ampliata eſt mœnibus productis primum anno* 1249, *ſecundo* 1355, *tertio* 1389, *quarto denique* 1611, *ita ut nunc forma pene orbiculari* CLXXII *jugera Rhenolandica occupet; quum ſuperioribus ſeculis, quando primum muro cincta fuit, vix triginta contineret. Cincta eſt autem partim muris vallo terreo firmatis, quibus ingentia propugnacula terrea ſunt adjecta; partim, qua nuper ampliata fuit, firmiſſimo & craſſiſſimo terreo vallo & validis propugnaculis, foſſaque undiquaque ampliſſima. Hæc urbs poſt Amſtelodamum omnium populoſiſſima eſt, quippe advenis è Flandria & Arteſia Hannoniaque & Leodienſi agro, aliisque, in immenſum aucta: unde & opibus quoque ſupra modum crevit.* ]

Eſt hic arx quædam, ſeu burgus, cujus cum laude meminit Ianus Douſa mox nobis dicendus, ſic quodam loco canens:

*Putatur Engiſthus Britanno*
*Orbe redux poſuiſſe victor.*

In burgo nullæ domus ſunt, ſed fructibus undique & arboribus cingitur. habet & puteum in medio ſui, ea altitudine, ut neſcire me fatear, quomodo ſitus ferendo ſit. opus eſt valde antiquum, & à Romanis, ut perhibent, conditum. Ab hoc puteo autem & titulum ſimul & inſignia gentilitia deſumſiſſe videntur Illuſtriſſimi Waſſenarii, adeo inclytæ vetuſtatis familia, ut proverbiali

biali ſchemate inter Hollandos celebretur, Waſſenaria vetuſtiſſima, Brederodia nobiliſſima, & Egmondana ditiſſima. Ne vero intereat tam venerandæ antiquitatis monumentum, diligentiſſime, quoties uſus poſtulat, puteus iſte reficitur, & ſartus tectuſque conſervatur. Leucæ unius intervallo Leida diſſidet ipſa Waſſenaria, inſignis profecto & celebris pagus, qui ob melioris ſexus in nobiliſſima ea gente defectum, Dynaſtam nunc habet Comitem Ligniacenſem. Leida natus fuit perfidus ille anabaptiſta Ioannes Bucholdus, ſartor. qui mira quadam malitia & inauditis plane commentis regem creari ſe fecit Monaſtrii, Weſtphalium principe urbe, anno Chriſti 1534, & poſt varia ibi commiſſa flagitia, quæ ipſius urbis ruinam ſecum traherent, captus tandem anno ſequenti, & atroci ſupplicio affectus fuit. prout fuſius ipſi in Commentariis noſtris exequimur. Edidit etiam Leida complures virtute & eruditione præſtantes viros. inter quos Petrum Blomevennam, Theologum ſummum: Ioannem Gerbrandi, hiſtoricum egregium, & aliarum etiam rerum ſcriptorem: Ingilbertum Leidenſem, poëtam & litteratorem eximium: Nicolaum Leontium, rhetorem perinſignem: & qui familiam ducit, Ianum Douſam, virum nobilem, Toparcham Nordovicenum, utraque lingua doctiſſimum, & Poëtam egregium: quod ex editis pridem viri operibus nemini poteſt eſſe ignotum. Diſtat hinc tantum exigua leuca Rhenoburgum, non ignobilis pagus, ubi cœnobium illud ampliſſimum Ordinis Divi Benedicti, eleganti imprimis templo aliiſque pulcherrimi operis ædificiis omni ex parte concinnum. Sed conditores celeberrimum hoc & unicum, prope dixerim, monaſterium, quaternos enumerat, Theodericum & Florentium Comites, Petronellam Principis Hollandiæ conjugem, & Principem quandam è domo Saxonica, qui in vitrea feneſtra illic depicti viſuntur. Fuit autem jaminde à prima ſui fundatione donatum hoc cœnobium lato in agros & pagos circumjectos imperio: ita quidem ut ejus Antiſtita ſæculari ſimul & eccleſiaſtica juriſdictione præpolleat, ac ſupremum & infimum, uti vocant, jus in ſubditos ſuos exerceat, luculento præterea gaudens cenſu. Non admittuntur vero in nobiliſſimum iſtud religioſarum collegium niſi virgines domi nobiles. collegium

gium certe pulcherrimis legibus inſtitutum, & cum religioni, tum & virginum dignitati conſervandæ peropportunum. ubi inter alia multa opera pia & ſancta, ternis in hebdomada diebus tam multæ ſumma cum pietate diſtribuuntur eleemoſynæ, ut bina & amplius hominum millia per ſingulos illos dies, magno ſane paupertatis levamento, ex vicinis undique locis eo accurrant. atque hæc quidem publice. nihil attinet enim de ſubſidiis illis hic agere, quæ privatim in certas quaſdam tenuiores familias erogantur. Præterea valde cœnobium illud commendatur; quod præter quatuor illos conditores, alioſque plures hujus terræ Comites, ſepulti in eo ſint varii non Hollandiæ tantum, ſed Zelandiæ quoque & adjacentium regionum Dynaſtæ. quorum admodum ſplendidos adeoque regales paſſim adſpicias tumulos, epitaphiis & inſignibus gentilitiis exornatos. ſic ut ſub uno adſpectu hic habeas, & magno cum animi gaudio recognoſcas plurimorum illuſtrium Dynaſtarum memoriam. Eſt & aliud quoddam cœnobium Ordinis Divi Bernardi, vulgo dictum Ter Leer / ſeſquileucæ fere ab Leida itinere, juxta Nordvicum pagum, fundatum ab uno è priſcis terræ Comitibus, & ampliſſimo cenſu auctum. in quo itidem agunt nobiles aliquot virgines. quibus, ut convenerunt in manus antiſtitæ, nefas poſtea nubere. quare & major earum pars, ploplane ut Rhenoburgenſes, quo videlicet pœnitentiæ locus ſit, & reſilire poſſint ab inſtituto, profeſſionem quam diutiſſime differunt, religioſe tamen & ex decori præſcripto ſua hic obeuntes officia.

ADD. [*Poſt Hiſpanum Leida feliciter pulſum, & fortiſſime toleratam obſidionem, penſarunt egregiam opidi fidem Illuſtres Hollandiæ Ordines, præeunte Guiljelmo Naſſovio, Principe Arauſino, publico omnium artium Athenæo. cui & Theologicum nox acceſſit collegium: item publica bibliotheca, hortus medicus, anatomia, & quidquid præterea ſcholam commendat. accerſitis undecumque viris doctiſſimis, qui juventutem omni honeſtiſſimarum diſciplinarum genere & ſanctiſſimis moribus imbuant.*]

# AMSTERODAMVM.

SITVM est Amsterodamum sub grad. 26 minut. 44 longitudinis, latitudinis vero grad. 52 minut. 4 ad Yam, seu Tyam fluvium, è quo complures per urbem fossæ derivatæ sunt, quarum maxime excellit amplitudine & specie, quæ in medio urbis Ammerath vocatur. His fossis ab Orientali urbis parte exeunt in mare Oceanum, naves quotquot per vastum illum sinum seu lacum Flevi, Hollandis de Zuyder-zee / ex omni pæne Europa, & nominatim ex Belgica, Gallia, Anglia, Lusitania, Hispania; hinc Germania quoque Polonia, Livonia, Norvegia, terris Hanseaticis, Suecia, reliquoque septemtrione, maximo in dies numero, ad hunc portum appellunt, & ex eo vicissim iter in eas oras instituunt. unde è solo septemtrione bis quotannis adpellere videas ducentarum ut minimum, nonnumquam & trecentarum, vario mercium genere, Gedani potissimum, Rivaliæ, Rigæ, & Nervæ oneratarum navium classes. ita ut videatur hoc opidum velut publicum quoddam emporium, & stupendus omnino negotiatorum portus. in quo sæpe observes consistere supra quingentas naves majores, è variis quidem terrarum tractibus appulsas, sed magna tamen ex parte Hulcas Hollandicas, & in civium hujus urbis peculio. qui pulcher profecto & superbus adspectus est. unde porro consequitur maximopere hic vigere commercia, & post unam Antverpiam, Amsterodamum primarium esse universæ hujus regionis emporium. Sed quod maxime quis miretur, quodque fidem pæne exuperat; mox ut appulit aliqua ex jamdictis trecentarum & amplius navium classibus, ea incolarum est opulentia, ut quidquid illæ advexerint mercium ipsi statim inter se coëmant: sic ut naves intra quintum vel sextum diem exonerentur, & ad suos illico possint reverti. Conficiuntur hic plurima omnis generis navigia, & plus duodena quotannis pannorum millia, Edidit ista civitas doctissimum illum Alardum Amstelredamum, virum scriptis notum. Superstructa est tota urbs prælongis & crassis palis, fistuca & aliis machinis alte in aquosum illum fundum depactis. unde argute quidam amicus noster, si in-

1 Twee Doelen
2 t Wees huys
3 Nieweſyds Capel
4 De Borſe
5 De Visch mart
6 Den Dam
7 De Waagh
8 Het ſtadt huys
9 Nieuwe kerck
10 Weſter Kerck
11 Carthuyſers
12 Noorder kerck
13 Weſt Indiſch huys
14 De Oude kerck
15 Antonis marckt
16 De ſuyder kerck
17 Het princen hof
18 haring packerys tooren


AMSTERDAM

ſi inquit videri queat hic fundus, numquam quiſquam amœniorem vidiſſet ſilvam. ferunt autem fiſtucata hæc domuum fundamenta, (tanta ſcilicet iis inſumi ſolet materia, tantum operæ atque laboris impendi) longe pluris conſtare, quam reliquam omnem ſubſtructionem. Amſterodamum tam publicis quam privatis ædificiis admodum ſplendet, maxime autem templis & locis piis. ſumma ædes dicata eſt Divo Nicolao, & templum vetus vocatur, vulgo de Oude-Kerck/ ad diſcrimen nimirum alterius, quod indigetant novum, & Deiparæ Virgini ſacrum eſt. urbs cive & opibus potens, ſitu oportuno & plane inexpugnabilis, quia mira quadam & ingenioſa ratione, ac ſine ullo prorſus incommodo, ad latiſſima undique ſpatia poteſt inundari. ita ut aëre, unda, ſitu, & foſſarum fere ad ſingulos vicos ſimilitudine ſimul & copia, tum & aliis rebus, Venetias noſtras quodammodo referat. Denique, non felix minus quam admiranda eſt. compoſuit olim de ea doctus poëta Nicolaus Cannius, civis Amſterdamenſis, ſcitiſſimos hoſce verſiculos, quos adſcribere libet:

*Hæc illa eſt Batavæ non ultima gloria gentis,*
*Amnis cui nomen cui cataracta dedit.*
*Dicta prius Damum, rariſque habitata colonis,*
*Cum contenta caſis ruſtica vita fuit.*
*Hinc Amſterdamum jam facta celebrior, atque*
*Fortunæ crevit tempore nomen item.*
*Vrbs bene nota prope atque procul diſtantibus oris,*
*Dotibus innumeris ſuſpicienda bonis.*
*Dives agri, dives pretioſæ veſtis & auri,*
*Vt pleno cornu copia larga beet.*
*Quod Tagus atque Hermus vehit & Pactolus, in unum*
*Vere huc congeſtum dixeris eſſe locum.*

ADDITAM. [ *Amſterodamo factum eſt nomen ab Amſtela fluvio & dictione Teutonica* Dam / *id eſt aggere, ſive clauſtro aquis objecto, quo excluditur vel admittitur mare. Primi loci conditores & accolæ pauperes aliquot piſcatores, qui tuguria primum coluerunt & ſtramine tectas caſas. fuit autem initio piſcatorius iſte viculus in ditione nobiliſſimæ gentis Amſteliæ. ſub qua gradatim accrevit, & ligneis tandem pontibus, mœnibus, turribuſque munitus, in opiduli formam redactus eſt. Devolutum deinde ad Comitatum variis privilegiis exornavit Guiljelmus tertius, Comes Hollandiæ, anno Chriſti* 1342.

*Pomœria*

*Pomœrio vero pluries inde producto, opidum ſub Maria demum Burgundica, Maximiliani primi Imperatoris uxore, muro claudi cœpit, anno* 1482.

ADD. [ *Hi muri lateritii fuere firmi & egregii operis; ſed hodie omnes ſolo adæquati, duabus tantum portis exceptis, quæ in alium uſum converſæ fuere, & elegantiam operis hodieque teſtantur: Prodiit ſuperioribus annis accuratiſſima urbis delineatio, è qua magnitudo illius conſpicua eſt. Incrementa autem illius in hunc modum annotantur. Amſteledamum vetus complectebatur perticas, ſeu menſuras agrarias* XII *pedum Rhenenſium,* 18383, *id eſt, jugera* XXX *& perticas* 383. *in circuitu numerabat* IↃ CXXXV *perticas, ſive* III *mill. paſſuum* 175. *Primum incrementum, quod hodieque latus novum dicitur, complectebatur ſua acceſſione* XXIX *jugera &* 120 *perticas cum dimidia. Secundum incrementum continebat* XVIII *jugera &* 92 *perticas. Producta tertio pomeria, cinctaque urbs mure lateritio, qui inchoatus fuit anno* CIↃCCCC-LXXXII; *agri modus erat iſti incremento* LII *juger. &* 387 *pertica. Quartum incrementum, anno* CIↃIↃLXXXV *foſſa latiſſima & vallo terreo munitum, muris antiquis remanentibus, complectebatur ſpatium* XCVI *juger. &* 233 *pertic. cum dimidia. Quinta & poſtrema, eaque prodigioſa acceſſio, anno* CIↃIↃCXIV, *cæteris omnibus ipſaque urbe veteri major, complectitur* CCCIII *juger. &* 346 *pertic. Oppidumque totum continet in univerſum* IↃXXX *juger. &* 362 *pertic. Habetque in circuitu* 2789 *perticas, ſive paſſus* 13945, *menſura facta ad extimos Ya flum. palos. Incredibilis autem eſt civium atque incolarum frequentia, & longe major quotidie advenarum concurſus. Opulentia ex hiſce æſtimari poteſt, quod anno* CIↃIↃCI *ædes pluſquam ſexcenta privatorum opibus à fundamentis exſtructa fuerint; è publico autem ſuperioribus annis duo magna & ſumtuoſa templa perfecta, tertiumque longe utroque majus & magnificentius quotidie perficiatur; ut innumera alia ædificia publica præteream, & tantum lapideorum & ſubliciorum pontium numerum ut vix iniri poſſit. Commerciorum admirabilis frequentia vel ex eo æſtimari poteſt, quod vectigal libræ publicæ, quod ipſi oppido cedit,* (Exciſam *vocant,*) *quotannis* XLIII *millibus florenorum; Impoſitio vero, quæ publico penditur, totidem & pluribus interdum millib. in ſingula ſemeſtria redimitur. Nec jam ullus pene orbis angulus eſt cui hujus urbis nomen ignotum ſit. Ædium privatarum magnificentia ſumma eſt, nitor ingens, ſupellectilis pompa*

*pene*




1 Klariſſen-klooſtet
2 Agnieten-kerck
3 Stadt-huys
4 't Verlaet
5 S. Iooſten-cappel
6 Viſs-mart
7 De-Kraen
8 S. Ians-parochie
9 Weeſs-huys

DER GOVDE


De Yssel



*penenimia ; & , qui divitias plerumque comitari ſolet , civium potentiorum ingens luxus. Denique, uti ſingulis non omnia largitur Deus , qui opulentiam & lucrifaciendi oportunitatem indulſit, agri negavit amœnitatem; qui fere in ambitu ſquallet triſti uligine , ut longinquius animi relaxationem & ruris delitias oppidani petere cogantur.*

*Inter opera publica , proximis annis ſtructa , eminet maxime lani medium illud , ſeu ut vulgo appellant* Burſa , *deſtinata negotiatorum conventibus. opus herele herculeum , ſplendidum, pulchrum , quod nec arte nec mole ulli in tota Europa ſui generis operi cedat. Eſt præterea templum quod vocant auſtrale, vulgo* de Zuyder Kerck / *quia non ab ortu videlicet in occaſum , ſed ab auſtro in aquilonem porrigitur : maximis nuper ſumtibus inde a fundamentis eductum , & cum cæteris omnibus partibus, tum concinno in primis pavimento , vitreiſque eleganter depictis, conſpicuum. Habes inſuper in hac urbe duo illa ergaſtula, ſive domos rigidioris diſciplinæ : quorum alterum vulgo* het Tucht-huys / *alterum audit* het Spin-huys. *in priore multiplici opere exercentur domanturque mendici , furciferi, prodigi, & id genus in publicum noxii mares : in altero gregis ejuſdem fœmineæ. Nihil hic dicam de celeberrimo illo gerontotrophejo, deque aliis publicis ædificiis , ſicuti nec de reliqua urbis magnitudine & ſplendore. nam de Amſterodamo, quod Salluſtius olim de Carthagine, ſilere melius puto, quam pauca dicere.* ]

## GOVDA.

GOVDA poſita eſt ad fluvium Iſalam , ſed non eum quem ſupra deſcripſimus , ad fauces amnis Goudæ, qui & opido fecit nomen. Diſtat Leida quatuor leucis majoribus, eſtque lautum in primis opulentum , prævalidum , & frequens ſatis opidum. quod complures produxit doctrina & ſcriptis illuſtres viros. quales præſertim Henricus & Ioannes , inter claros ſcriptores Trithemii. hinc Guiljelmus Hermannus , & Cornelius Aurelius , uterque hiſtoricus & poëta : Hermannus Goudanus, Theologus : Iacobus præterea non ignobilis vates : Theodorus Gerardi , vir litteris & virtutibus clarus,& Reinerius Snojus: omnes viri inſignes, & variorum librorum ſcriptores. Conditam lego hanc urbem anno Chriſti 1272.

ADD.

ADD. [*Non erat omissurus hoc loco Guicciardinus, si ad notitiam ejus venissent, doctissimos viros Schonæum & Leosium, magna istius opidi lumina, & insignem utrumque scriptorem. atque alterum quidem in Comœdiis ita felicem, ut renatus in ipso videri queat Terentius, sed Christianus nimirum, & quem vel rigidi legant Catones.*]

*Typographus Lectori. S.*

DVM sub prælo desudat hoc opus, submissa est nobis, amice Lector, ab Amplissimis viris Consulibus & Senatu Reipublicæ Goudanæ, fusior aliquanto & prolixior ejus urbis descriptio, ex publicis ibi archivis desumta. quam quod speraremus tibi non fore ingratam, in egregiæ urbis commendationem & gloriam, hoc loco existimavimus subjungendam. Vale.

ADDITAMENTVM. [*Ex Annalium scriptoribus, alii Goudam oppidum à muliere quapiam loci illius domina nomen suum sumpsisse, alii vero ab auratis bracteis, lamellisve, quibus turris, insigni gloriosæ magnificentiæ exemplo, olim fuerit contecta, sortem nominis datam autumant. Rectius vero illi, qui nominis sui originem trahere arbitrantur à Cimbrica voce* Gouw. *quæ & aggerem fossæ, sive aquagio obductum, & ipsum quoque aquæ-ductus alveum denotat: quando & hodie ejus nominis aquæ-ductus, sinuoso ripæ gyro flexuosoque, in quendam laciniarum fere modum curvato, exstat, qui è Rheno derivatus, & originem sumens ab emissario quodam non ita longe ab Alpheno pago, ubi olim Alpheniana, sive ut alii, Albiniana Romanorum castra fuerunt, dissito, primo Boscopium perlabitur, deinde ipsum oppidum Goudam magno aquarum pondere interluit, & in Iselam fluvium, ad quem Gouda situs est, exit: atque hanc propiorem vocis originem esse censet doctissimus Hadrianus Iunius in Batavia sua. De urbis hujus fundatore, propter Historiographorum negligentiam, nihil certi constat; fundamenta tamen Gouda eo quo nunc est loco, jacere cœpisse ad annum à salutifero partu millesimum ducentesimum septuagesimum secundum Annalium fides tradit, idque ex diplomate quodam beneficiario Florentii ejus nominis quinti, decimi sexti Hollandiæ Reguli, dato eodem anno, die Martis post Margaretæ festum, quo Florentius illustri cuidem viro Nicolao Catzio Equiti ad ampliationem territorii Goudani largitur trecentas quinquaginta virgas, Belgice* gheerden *vocant,*

cant, à medio Iselæ introrsum in longitudinem, totidemque in latitudinem. Adfertur etiam hoc distichum

FVNDABAT, CATTOS FLORENTE REGENTE, NOTATO
POSTERITAS, GOVDÆ MOENIA, CATTVS EQVES.

Doctissimus Iunius ad annum sexagesimum secundum facta colligit: verum Gouda ante etiam exstitit, tituloque ejus multi se ornarunt, in quibus fuit Illustrissimus Heros Theodericus Goudanus eques, & Wilhelmo Romanorum Regi à supremis consiliis, cujus honesta fit mentio in diplomate Trajectensibus ab eodem rege dato, anno millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo. Neque ipsum Florentii diploma loquitur, Goudam tum demum cœpisse, sed tantummodo contractiores territorii limites extensos esse; unde urbis hujus fundamenta ad inferiora longe tempora rejicienda videntur. Ostenditur etiamnum hodie ad quartam milliaris partem, extra urbem locus, ubi olim templum extructum fuit, veteris sepulchreti nomine adhuc notus, qui olim, vigentibus adhuc avitis illis ceremoniis, quotannis sub Majum, feriis Rogationum, publica quadam supplicatione invisi solet. Est insuper & via quadam regia qua prisca Gouda dicitur. Nec à vero dissilire videtur, incolas hujus urbis, quia longius ab Isela dissiti, negotiationis oportunioris gratia, qua popu los interdum ad versuram soli faciendam excire solet, ad ipsas Iselæ ripas, propter facilem undecunque appulsum, sedes cœpisse. Dimidio circiter ab hac urbe miliario, non ita pridem, multa ex argento numismata reperta sunt, cum hac ab adversa parte Epigraphe LHVDOVICVS IMP. aversa vero hac XPISTIANA RELIGIO. qua causa videbantur tempore Regis Ludovici Pii, Caroli Magni filii, Caroli vero Calvi patris, qui primus Hollandiam comiti Theuderico Aquitano, cum primum Christiana religio in his regionibus exurgeret, domationis titulo habendam dedit. Facies urbis hujus rotunda fere. Fossas habet latas & profundas, olim mœnibus & vallis circundata, nunc muris septa: palustri & uliginoso loco condita, & undique quovis tempore per emissaria sua, spatio viginti quatuor horarum inundari potest; ita ut à nulla parte obsidionem, aut tormenta bellica metuat, nisi per aggeres utrimque Isela (ad quam ejus situs est) obductos, quibus tamen fortia satis propugnacula objecta, hostilem incursionem facile excludura. Iuxta urbem hanc, durante adhuc fatali illo & internecivo bello, Illustriss. Ord. impensis publicis novum quoddam emissarium,

solo

*ſolo prius diligenter ſtructato, & crepidine lapidea è ſaxo duriſſimo coloris cærulei communito, ſapienter faciendum curarunt, per quod (urgente ſic neceſſitate) ingentes corbita & celoces onerariæ, paſſu velis, quod per urbem fieri non potuit, citius ad belli uſum perveherentur. Pontem habet ſublicium trans Iſelam. Proprietarios & dominos hujus urbis per aliquot annos fuiſſe comites Buloſios (quorum monumenta etiam marmorea in media Baſilica, in ſacello quodam ferreis cancellis ſepto ante annos aliquot viſa ſunt) certum eſt. Horum primus fuit illuſtriſſimus quidam & ſummo loco natus Heros Iohannes Hannonius, Iohannis Hannonii Hollandiæ Reguli filius, Dominus in Beaumont, atque Wilhelmi, Hollandiæ item Reguli (cui cognomentum Boni virtus dederat) minimus natu frater: huic ex Comitatu Hollandiæ bona quædam ceſſerant, & inter alia Gouda ac Scoonhovia cum appendicibus ſuis, per matrimonii vero contractionem comes Buloſii, quod eſt in Gallis, factus eſt. Buloſiorum ultimus fuit Guido, qui obiit anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, XI Kal. Iánuar. poſt cujus obitum (quandoquidem nulli legitimi erant hæredes) Gouda & Scoonhoviæ territoria, Bailivatus Buloſius dicta, rurſus ad Hollandiæ comitatum, atque hoc temporibus Alberti Bavariæ ducis, delata ſunt. Arcem in ea, ut & Schoonhoviæ, Iohannes Hannonius dominus in Beaumont, de quo paulo ante, exſtruxit, inſtitutis utrobique teloniis portoria & vectigalia exacturis. hæc arx admirabili fabrica conſtructa, ut tutiſſimum adverſus pericula perfugium, deſtinata eſt per Hollandiæ Proceres atque Ordines tanquam gazophylacium & conditorium aſſervandis diplomatibus privilegiiſque principum Hollandiæ indultis: verum & hanc fatalis illa ſuperioris tempeſtatis procella diruit, ſoloque æquavit, ſola editiore turre arcis memoriam adhuc tuente. Anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo XIV Kal. Septembr. hæc urbs luctuoſo incendio ita dejecta & in cineres verſa fuit, ut quinque tantum domus remanſerint, eæque apud portum, quarum adhuc hodie tres viſuntur antiqua frontiſpiciorum ſtructura: incendium hoc incidit in feriás Ludovvici, loquente Hexametro hoc homæoteleuto*

FLETIBVS ID DIDICI QVIA GOVDA CREMAT LVDOWICI.

*Habet hæc urbs inſignia quædam ædificia, ac primo templum quo haud ſcio an alibi ſpatioſius ſit atque amplius, ipſam etiam Cathedralem Eccleſiam Colonienſem aliquot pedum menſura ſuperans, ſpectandum olim altiſſimo turris faſtigio, verum (ut in*

rebus

rebus humanis nihil diuturnum aut perpetuum, natura patitur) anno partæ salutis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo pridie Id. Ianuar. cæleſti igne conflagravit, prodigio haud dubiis divinitus facto inter arundineo tegulo conſtrata undecunque tecta, quæ tum templum ambibant, ſed intacta tamen à fulmine. Incendium hoc exprimunt hi numeri ab Hadriano Iunio hoc diſtichо comprehenſi.

LVX BISSENA FVIT, IANI HORA VESPERE NONA
CVM SACRA IOANNI VVLCANO CORRVIT ÆDES.

Poſtea vero magnificis operis atque impenſis reparatum, ſuperiorum temporum ſplendorem & amplitudinem obſcurat. Hujus ſpeculuria & opera vitrea, omnia fere à potentiſſimorum Regum & Principum, tam ſæcularium quam Eccleſiaſticorum, D.D. item Ordinum. Oppidorum, & Collegiorum liberalitate profecta, & à duobus fratribus Theodoro & Gualtero Crabeth, luminibus artis encauſticæ, Gouda oriundis, confecta, tota fere Europa admiratur. Forum habet auguſtiſſimum, triangulari propemodum forma, cujus in medio, ceu centro, exiſtit Prætorium, juri dicundo, habendo Senatui, obeundis urbis muniis deſtinatum, ædificium, quo Iacoba Heroina, Hollandiæ olim Comitiſſa, Goudam, cum ab omnibus fere Hollandiæ oppidis quæ ad Philippum Burgundiæ ducem deſciverant, deſertæ, habitaculum ſibi in urbis hujus arce deligeret, donavit: quanquam extrema demum manus anno MCCCCXL. Prætorio addita videantur: hujus pars ima columnis ſuffulta, & opere fornicato concamerata, macello, poſterior vero theatro Iuſtitiæ ſanguinariæ, publicæque ſecuritatis vindici dicata, ſingularem architecti urbani induſtriam demonſtrat. Multa in hac urbe ſacra ſunt hoſpitia. Cives in extruendis ædificiis mediocritatem adhibent, quæ in omni uſu cultuque vitæ laudatur, caventque ne inutili ſumptu & magnificentiæ modum, quo in genere multum boni (Ciceronе teſte) ineſt, exceedant; nec tamen ædificiis deeſt mundities, ornatus, & elegantia. Vrbs eſt copioſa, & rebus omnibus affluens, ob fluvii portuſque opportunitatem, immo pylori vicem in corpore humano obtinet, quando intermedia intercipit quidquid Hollandia, Brabantia, Zelandiaque mutuis neceſſitatibus ſubmittit. Hunc trajectum, ut jus privilegiarium, tanquam nervum & Reipublicæ hujus columen, urbs (quamvis ab aliis ſæpe oppugnatum) fortiter, & ex longi temporis præſcripto & diplomate ſummo jure urget, & ſibi ſervat. Magna hic cœli ſalubritas,

ſalubritas, tum quia aër liber à maris offenſa & gravitate ejus ſecretus eſt, tum etiam propter reciprocum illum Iſelæ æſtum, & quia collicijs rivorum undecunque ita diviſa eſt, ut nullum fere tota urbe domicilium extet ἄνυδρον, quod non præterlabatur aut perlabatur aquæ alveus, ſordium & inquinamentorum colluviem reciproco Iſelæ æſtu expurgans. Nulla uſquam urbium, prope dixerim cum fidei periculo, vel fœliciora vel frequentiora producit alitque plantaria, non vicinis modo Belgis, ſed etiam longe diſſitis regionibus, expetita. Tres habet hæc urbs anniverſarios mercatus, quos ingens omnis generis rerum affluentia, & ubertas exornat, maxime vero laneis pannis, & Stolvvicenſium caſeorum molibus & bonitate non incelebres. Olim in hac urbe trecentas quinquaginta officinas cereviſiarias fuiſſe conſtat Cereali namque potu adeo inclyta fuit, ut bona Flandriæ, Zelandiæque pars vix alio exotico zytho uteretur, quam quod Goudanorum cortinis concoctum eſſet, quod Goutſche Kepte dicebatur. Plurimæ hic etiam juxta Iſelam ſunt lateriariæ. Status Politiæ commodus, & regitur, ab iis qui ætate, ſapientia, conſilio, & induſtria cæteros anteire putantur. Incolæ bene morati & culti. viget apud eos humanitas & concordiæ ſtudium, maxime in Religionis negotio, quæ laus utinam vere hoc turbulento ſæculo adeo exacerbatis & exulceratis plerorumque animis, de aliis etiam prædicari poſſet. Bellica etiam virtute, ſemper claruerunt, & navalis rei peritiſſimi, in quibus principem honoris ac gloriæ gradum aſcendunt, Cornelius & Fredericus Houtmannus, par nobile fratrum, qui ſingulari patriæ ſtudio & ſumma induſtria, Confœderatarum Provinciarum nomine, in Indiam Orientalem primi advecti, maximo earundem Provinciarum emolumento & fœnore, per multos annos ibidem commercia exercuerunt, & Batavo illi Mercurio Lucrioni officinam inſtitoriam conſtituerunt. Dedit hæc urbs ſuperiori ſæculo ingenia quædam non infelicia neque ſterilia, quorum nonnulla autor libri hujus recenſet; quædam etiam hoc noſtro, quorum doctiſſimi viri Iuſtus Lipſius, Ianus Gruterus, & Dominicus Baudius Inſulenſis honeſtiſſime in libris ſuis memineruntur. Oriundus etiam hac urbe magnus ille Deſiderius Eraſmus, Goudæ enim conceptus & utero geſtatus, Roterodami (quo cum ad pariendum vicina eſſet mater ſe certa de cauſa contulerat) in lucem editus eſt. Complures in hac urbe annos vixere magni nominis viri Balduinus Ranſaus, & Paulus Traudenius; quorum ille alter quidam Hippocrates, magna cum laude medicinam exercuit; hic vero numeroſiſſimam undique ad hanc

urbem


1 Buyss Haven
2 d'Osse marct
3 Admiraliteyt
4 De Kerck
5 't Stadt huys
6. Stats-herberg
7. 't Hooft
8. 't Giet huy

ENCHVYSEN.

*urbem confluentem pubem, humaniori litteratura fideliter, ad magnam urbis hujus gloriam, instituit.* ]

Describamus deinceps reliquas urbes Hollandiæ, & primo quidem, ex ordine jam præmisso, Enchusam.

## ENCHVSA.

ENCHVSA posita est ad eam maris australis partem, quæ Frisiam adspicit, Horna tribus leucis absita. lautum sane, concinnum, & quod caput est, munitissimum opidum, portu prorsus mirabili, quique mole & amplitudine nulli Hollandico cedat. ubi ingentem adpellentium undecumque, & solventium varii generis navium copiam videre est, quæ majori ex parte opidanorum propiæ sunt. Aperuere autem nunc recens & laxavere, non sine immenso sumtu & egregia quadam industria, portus ipsius fauces, structo intra pomœrium amplo & laxo navali, quo, superbo sane adspectu, & singulari commoditate, ingentes sæpe navium classes coadunantur: diffusa videlicet adeo late maritima hujus urbis potentia, ut in hoc quidem tractu, vere Oceani regnum possideat. Ædificantur hic etiam plurimæ naves, & quemadmodum Hornæ quoque opido huic vicino, aliisque Hollandiæ locis, adsalum repurgari consuevit salis, ratione postpaullo in Zelandia fusius explicanda.

ADDITAM. [*Enchusam nonnemo appellatam arbitratur ab harengis, quos vulgus haleces vocat: quasi* Harenchusam: *priore syllaba truncata: quia id genus piscium frequens hic olim piscatus fuit. Alii dictam existimant quasi* enchel huysen, *id est sparsas minimeque inter se cohærentes piscatorum casas, quæ in pagum deinde paullatim excreverint. ex quo tandem surrexit hoc opidum, quod, Hollandiæ divexandæ, nequam olim conatus est occupare Carolus Dux Geldrorum, anno, quem denotat numerale distichon, turri ad veterem urbis portum incisum:*

ENCHVSAM INSIDIIS TACITIS SVB NOCTE SILENTI
OBRVERE ADNIXA EST GELRICA PERFIDIA.

*Oppidum hoc lateritiis plerisque ædibus ornatum; paucioribus ligneis,*

*ligneis, ob incendiorum periculum, quæ semel iteramque olim expertum metuit. qua mare respicit, muro: qua terram, vallo terreo cingitur. Quin etiam majorem factitii salis gloriam affectat, numerosis admodum longo secundum aggerem tractu extructis tectis salariis, in quibus strues salinarum aggestas videre est, sudantibus noctes dieſque operis: quæ olim extra illum, nunc intra illud recepta sunt. Oppidani homines gnavi, industrii, ex Armoricis civitatibus atque aliunde salem asperum & pullum devectum, cortinis amplis excoquunt affusa marina, quæ nonnihil inertem mitemque gustu salis saporem corrigendo exhibet, ac candorem mensis cibisque gratum arte conciliat. Ampliatum id oppidum postremo, anno* CIↃIↃXCI, *pomeriis longe lateque productis, & vasto terrarum spatio intra vallum accepto, ita ut nunc extra vallum vix sesquihora spatio ambiri possit: verum magna hujus incrementi pars nullis dum ædibus aut admodum raris superstructa est. Anno* 1605 *Danicorum boum mercatus, quo hactenus Horna floruerat, Enchusam translatus est. Habet eadem urbs peritissimos naucleros, & industrios valde navales socios, quorum operam, utilitate & fidem expertus est Carolus Quintus Imperator. Fundamen columen urbis est navigatio, & cum piscium cæterorum, tum haleum imprimis captura. urbis, cum maxime nunc florentis, & quæ magnis etiam auctibus crescat. Enchusanus fuit Ruardus Tapperus, Lovanii olim ad Divi Petri Decanus, & Academiæ Cancellarius.]*

## HORNA.

HORNA sita est ad eumdem illum sinum, seu lacum Flevi, duabus ab Edamo leucis. opidum peramœnum, dives, & satis amplum est, & egregio ac patenti admodum portu, adeo oportuno situ, & crebris ac spatiosis undique fossis circundatum, ut, pervim expugnari non posse videatur. accedit, quod habitantibus, & ad quidvis audendum parati sunt animi. Gaudet mense Majo anniversario casei butyrique mercatu, quorum tanta huc terra marique conducitur copia, ut solus qui coram spectaverit, credere possit, quanta hinc pecuniæ summa proveniat. & quam opportunus navibus locus est, non in varias tantum Belgicæ terras, sed Hispaniam quoque & Lusitaniam, merces illas distribuunt. Floret etiam Horna variis opificiis, quæ non



# HOORN

1 De Groote kerck
2 S Teunis kerck
3 Stadt huys
4 Vrouwen kerck
5 De Waech
6 Ooſt Indiſch huys
7 De Doele
8 't Hooſt
9 de Nieuwe haven






1 het Stadt huys 2 De Kerck
3 De Visch marckt 4 De Sout ketens
5 t Wees huys 6 de Ossen marct
7 de Waege 8 d Cappel 9 armen wees huys

ALCMAER

non minori induſtria, quam commodo ſuo & quæſtu, cives exercent. Hac in urbe natus eſt Hadrianus Iunius, profeſſione Medicus, & in omnibus liberalibus ſcientiis verſatiſſimus, poëta eximius, & Philoſophus celebris,

ADDIT. [*Hornam alii nominatam volunt à tortuoſo & cornu inſtar obliquo portu. cornu ſiquidem Belgæ appellant* Hoorn. *alii inde, quod ad angulum auſtrini maris poſitum eſt oppidum; nam Horn etiam angulum veteres Belgæ vocant: unde Heda, qui pro vernaculis Romana fere nomina urbibus imponit, ſæpius Hornam vocat* Angulum. *Alii rurſus originem nominis deducunt à tribus olim ad eum locum, qui vulgo* de Kupl/ *ubi & urbis principium collocant, pandochais: quorum præcipuum quidem pro interſignio cornu oſtenderit. Non deſunt etiam, qui habitaſſe olim hic tradant ſtrenuos quoſdam & militares viros, ad cornu clangorem, quod & hodie inter equitum alas obtinet, ſolitos convenire. Vt ut ſit, illud quidem plerique adſirmant, condi cœptam hanc urbem anno circiter trecenteſimo poſt milleſimum, quo tempore Dani primum cœpere, ſicut hactenus etiam faciunt, macros ſuos boves ad mercatum eo conducere. De caſeo vero quod obiter tangit Guicciardinus, ſciendũ, hic vel in hebdomadario urbis mercatu (anniverſarias ſiquidem nundinas mitto) venire interdum ad centum & quinquaginta millia libras pondo. Horna caput eſt ejus Hollandiæ tractus, quem Weſtfriſiam vulgo appellitant, & à Friſiis Ciſrhenanis olim fuit inſeſſus. Habetque monetam Weſtfriſiæ. Oppidum eſt copioſum; quod ex ſemiſſe mari ſive freto auſtrali alluitur; reliquam partem, amœni agri & lata paſcua cum pagis minime obſcuris & locupletibus cingunt. Plateas habet peramplas; portum tutum & tranquillum in interiori ſinu.*]

Alcmaria diſtat Harlemo itinere quinque leucarum, eſtque civitas admodum opulenta: quia nempe ex territorio circumjecto, fertiliſſimo illo & armentis prædivite, largior multo caſei butyrique proveniat copia, quam ex alia uſquam Hollandiæ parte. Fuit hæc patria Petri Nannii, docti & clari viri, pluriumque voluminum laudatiſſimorum ſcriptoris.

ADDIT. [*Alcmariæ nomen videtur factum à lacubus, vulgo* meeren *vocatis, quaſi dicas* al-meer/ *id eſt tota ex lacubus conſtans, quia ſita nempe eſt loco paluſtri & uliginoſo. Alii dictam autumant* a-let-meer/ *quod exponunt lacum manantem, & componi adſirmant ex particula* a/ *quam veteris loco* een

*ſubſtantivis præfixerint, & vocibus* leken *manare, ac* meer *palus, ſeu lacus. Conditor fertur fuiſſe Adgillus, pius impii genitoris, Radbodi videlicet Friſiorum Principis, filius. qui in mediis hiſce paludibus arcem extruxit, cujus, Nannio teſte, cum opidum mœnibus cingeretur, reperta ſunt fundamenta. Non longe ab urbe campi monſtrantur, in quibus condita olim Verona, celeberrimum illud & amplum Weſtfriſiorum emporium, dirutum à Ioanne Hannoniæ regulo, anno quem loquitur hemiſtichion iſtud,* ECCE CADIT MATER FRISIÆ. *Ex ruinis autem Veronæ ſunt qui ſurrexiſſe credant Alcmariam, opidum hodie copioſum, amœnum, nitidum, ac longe quam olim auguſtius. conſtat ante annos quadringentos & quinquaginta à Weſtfriſiis incendio corruptam; nunc ab inſultu & impreſſione hoſtium vallo egregie tutam, ædificiis ſplendidis ornatam, populoſam, & omni genere commeatuum abundantem eſſe. Nomen meruit ſuperioribus annis, Hiſpanorum exercitu poſt Harlemi deditionem à mœnibus ſuis fortiter repulſo. Alcmariani fuere, Petrus Foreſtus, Medicus, ſcriptis clariſſimus, & Bernardus Deſſennius, cujus itidem opera vulgata ſunt.*]

Purmerenda leucæ tantum majoris ſpatio à Monachodamo abeſt. Arcem habet vetuſtam & firmam, in qua ingens univerſo illi tractui munimentum eſt. Dynaſtam agnoſcit Comitem Egmondanum.

ADDIT. [*Purmerendæ nomen Purmera Flumen dedit. Initia ejus ad Wilhelmum Eggardum referunt. Hic Wilhelmo Bavaro ob iram patris profugo ſæpius pecunias mutuatus eſt. Quod ob meritum Wilhelmus, poſtquam, defuncto parente, ipſe ſumma rerum potiebatur, cum, ærario præfectum, toparchia Purmerendana, adjectis villis duabus, Necka & Ilpendamo donavit. Ubi anno circiter* 1410, *arcem validiſſimam exſtruxit. Filius ejus Ioannes Eggardus civiles motus fugiens, Purmerendam Gerardo Zuilenſi vendidit, ipſeque in Flandriam abiit. Zuilenſis rurſum Ioanni Burchgravio Montfurtenſi. Cujus cum nepos rebellionis reus eſſet, Maximilianus Auſtriacus, Purmerendam fiſco adſcripſit, & circa annum* 1486, *Balthaſari à Valkenſtein, caſtrorum præfecto, donavit. Qui Ioanni primo Egmondæ Comiti eam vendidit. Atque ita Egmondana familia ad annum* 1590, *Purmerendam habuit, quo tempore ab Hollandiæ Proceribus empta, rei fiſcali eorundem acceſſit. Septemdecim ante annis, dum cuncta bello adverſus Hiſpanos arderent, vallo munita erat. Plurimum vero illi ſplendoris & opum acceſſit, poſtquam ſuperioribus annis Beemſtria (& mox alii quoque lacus) in arva & paſcua,*

*& pascua, circumducto valido aggere, conversa fuit.*]

Edamum adjacet sinui maris australis, tribus leucis ab Amsterodamo. opidum sane haud infimi nominis, in quo plurimæ semper ædificari solent magnitudine simul & specie commendabiles naves. laudatissimus quoque in territorio circumjecto premitur caseus, idque tam incredibili copia, & cum tanto civium quæstu, ut universum opidulum inde locupletetur, & rebus omnibus affluat.

ADD. [*Edamum dictum nonnulli volunt ab Ya flumine, quasi Ydamum, cui hic olim agger objectus fuerit. Situm ad interiorem freti australis sinum ab una parte; ad permagnum lacum ab altera; qui hodie exhaustis undis & aggere septus, in pascua & arva conversus est.*]

Monachodamum leuca tantam majore Edamo abjungitur.

ADD. [*Ad eurum illi objecta Marca insula, (est qui nomen ejus à veteribus Marsacis deducat) tranquilliorem maris sinum parit. Oppidum exiguum est, vallo & aliquanta parte muro cinctum: jam anno* CIↃCCLXXXVII *extitisse, ex annalibus asseritur.*]

Wesopum semileuca dumtaxat dissidet Muda. Sunt autem hæc duo opidula situ in primis opportuna, & neutiquam contemnenda, nec pascuis tantum in pastum armenti, sed piscatu quoque in usus humanos admodum copiosa.

ADD. [*Wesopum oppidulum distat ab Amstelodamo 2 milliaribus. hinc muro cingitur, inde Vecta (qui è Rheno Trajecti originem suam ducit) alluitur. ædificia habet pro loci conditione satis splendida; oppidani opulenti, utpote qui olim quidem pannificio rem fecerint, nunc cerevisia toti Hollandiæ & vicinis provinciis expetita.*]

Narda, quam & Nardenum Latine scribentes indigetant, Muda pariter & Wesopo leucæ tantum majoris intercapedine distat.

ADD. [*Oppidulum muris arduis circumdatum; domuum structura & elegantia impar. Hic anno* CIↃIↃIXXII *Hispanus miles, quanquam apertis portis deditione acceptus, contra omnia divina humanaque jura, corruptis dolo fœderibus, cuncta indignissimis cædibus, stupris, flagitiisque immanibus complevit, nulla ætatis sexusve habita reverentia; ipsumque oppidum tam misere deformavit, ut ne hodie quidem pristinum ni-*

*torem recuperaverit. Eſt alioquin caput ditionis Goedelandicæ, quam hodie corrupte Goylandiam vocamus; quamque olim Imper. Otto I Goedelæ cœnobii Altenatis Antiſtitæ donarat; ſed poſtea Comes Hollandiæ acquiſivit. Condita eſt Naerda circiter anno* M C C C L. *Nam vetus Naerda, quam anno* 1348 *Ioannes Arckelius antiſtes Trajectinus incendit atque evertit, poſita erat ad ſinum auſtralem, qui penitus eam aquis ſuis obruit: adeo ut hodieque humiliore earum diſceſſu videantur rudera oppidi demerſi. Poſtea Wilhelmus, Hollandiæ Comes id vocabulum quintus, diplomate conceſſit oppidanis novum oppidum exſtruere. Naerdenorum celebris in Annalibus memoria eſt, ob fidem Florentio quinto Hollandiæ Comiti anno* 1296, *quamvis fruſtra præſtitam, adverſus Velſenium, aliosque conjuratos.*]

Woerda diſſidet Leidâ ſpatio quinque leucarum. opidum arce valide ſatis munita conſpicuum.

ADD. [*Condidit illud anno* 1160 *Godefridus Trajectinorum antiſtes duodetrigeſimus, ad ſuos in obſequio contmendos. Et ſæpe poſtea bellorum inter Hollandos Trajectinoſque cauſa fuit: donec anno* 1296 *tum Hermannus Woerdanus, conſpirationis cum Gerardo Veldinio reus foret, ad Hollandiæ Comites devolutum eſt. Oppidulum ſane non ignobile eſt, cum ſuo mercatu, tum ædificiorum ſplendore: paluſtri loco conditum, ideoque munitiſſimum natura loci, & opere quoque. perlabitur medium, Rheni quondam medius alveus. Extra urbem grandis vis laterum & tegularũ coquitur, ex quibus, præter agriculturam, magnus quæſtus eſt oppidanis. Woerdæ ſubeſt Bodegravia, celebris valde pagus.*]

Natus hinc doctus ille Ioannes Piſtorius. Ceſſit autem hoc opidum, nupera Regis donatione, Brunſvicenſium Duci Erico.

Veteraquinum eidem cui Gouda Iſalæ flumini adjacet, à Woerda unius tantum leucæ ſpatio. Colligitur autem & in iſtius & in ſuperioris opidi territoriis ingens vis laudatiſſimæ cannabis. unde & in utroque opidulo, quidquid fere rudentum & retium, ad maximas illas Hollandorum Zelandorumque piſcationes requiritur, ſolet elaborari. quæ tam magni momenti res eſt, ut in ea conſiſtat quaſi fundus & columen fortunarum utriuſque oppiduli, quæ hacipſa de cauſſa multos admodum opulentos numerant cives. Veteraquino natus fuit Ioannes Palæonydorus, ordinis Carmelitarum, religione ſimul & ſcriptis, magno ſtudioſorum bono vulgatis, toto orbe clariſſimus.

ADD.

ADD. [ *Dedit Veteraquinum annis proxime lapsis clarissimos illos, nec sine laude umquam dicendos viros, Rodolphum Snellium, & Iacobum Armininum, alterum linguæ Hebrææ, sed in primis Matheseos, alterum Sacrosanctæ Theologiæ, in Academia patria Professorem.* ]

Schoonhovia jacet ad dexteram ripam fluminis Leccæ, leuca tantum ab Veteraquino, estque lautum & nitidum opidum, laudabili satis portu, & piscatoriis actuariisque navigiis locuples. Capitur hic, inter cæteteros pisces, ingens admodum vis salmonum, quorum in opido hoc forum est, vel ut vulgo loquimur *stapula*.

ADD. [ *Creditur è Neoportt oppidi, quod in adversa ripa stetit, ruinis crevisse. perlabitur oppidum elix ex Isela derivatus: itaque magna illi subvectionis commoditas ex amnibus, altero præterfluente, altero medium perlabente. Anno* MCCCLXXV *tota Schoonhovia cum Carmelitarum cœnobio conflagravit, quod testatur illius temporis versiculus:*

*Schoonhoven insignis cum claustro devorat ignis.*]

Natus hinc reverendus ille Ioannes, cujus meminit inter viros Illustres Trithemius. Item doctus ille & venerabilis Anianus, ordinis Divi Dominici, Episcopus Asaphensis. Ex eodem hoc opido prodiit etiam mater clarissimi viri Longolii, cujus eximiam claritudinem opidani hoc nomine sibi adsciscunt, verum pater revera Gallus, ipse, ut diximus, in lucem editus fuit Mechliniæ, prout palam in scriptis suis testatur.

ADDIT. [ *Quem Guicciardinus Mechliniæ editum ait, Erasmus in epistola ad Damianum Goes Hollandum ait, & Schoonhoviæ natum: idque se accepisse à patruo ejus Petro Longolio.* ]

Iselsteinium semileuca tantummodo distat Viana. locus aqua & terra peropportunus, cui & ampla satis in pagos agrosque finitimos jurisdictio. super qua adhuc pendet lis, utrumne à Comitatu Hollandiæ, an vero à ditione Vltrajectina dependeat. Interea tamen Comitatui subest, & Dynastam agnoscit Philippum Guiljelmum, filium Principis Arausini, Maximiliani, ultimi Comitis Buranorum, nepotem.

Viana posita est ad lævam ejusdem Leccæ ripam, & Schoonhovia duabus tantum leucis abest. & quanquam separata ditio, propriique juris habeatur. continetur ta-

men Hollandiæ finibus. Dynaſta illi Henricus Brederodius. qui à reliqua omni Hollandia ſeparatam, juriſdictioneque & imperio regio liberam prorſus & immunem eſſe contendit. contra inſtante Rege, & ſupremum ſibi in eam imperium vindicante. ſic ut in Magno Mechlinienſi Conſilio inter utrumque pendeat lis. Henrico vero ſine liberis nuper extincto, variæ, non de hoc tantum opido, ſed de reliqua omni ipſius ditione, exortæ ſunt lites, de quibus nihil hactenus quidem in alterutram partem ſtatutum eſt. Natus hinc magnus ille Theologus, Guiljelmus Vianenſis.

Prima Vianæ fundamenta jacta ſunt anno MCXC, à Zwedero, Iohannis, qui inter Culenburgi Dominos tertius id vocabulum erat, fratre, cui è paterna hæreditate tractus ille obvenerat, etiam arx eodem tempore exſtructa legitur.

Lerodamum adfidet flumini Lingæ, ſemileuca tantum ab Aſpera. territorium autem habet trans flumen, quod propterea vulgo dicunt het landt van Dam. quo pacto, ex trito iſtorum ritu etiam alia quædam opidorum Hollandiæ nomina ſolent formari. Dynaſtam habet eumdem Buranum. Sunt qui Leerdamum quaſi Lingerdamum dictum velint; & Lingam ipſum à longitudine dictum eamque ob cauſſam à Iohanne Leidenſi Longam vocari. Leerdamum nunc Arauſionenſis Princeps habet. Olim Arckelienſium Dynaſtarum feudum fuit. Sed anno 1500 mortuo Friderico Leerdami primo Comite, & poſtea anno 1539 filio ejus Florentio, venit in poteſtatem Maximiliani Egmondani cujus filia & hæres unica Anna Egmondana, cum anno 1558 decedens, Leerdamum filio ſuo Philippo Guilhelmo Arauſionenſi Principi reliquit, à quo anno 1618 Mauritio legatum eſt.

Aſpera eſt ad prædictum Lingam, & Hueclonio ſemileuca dumtaxat abjungitur. Præterlabitur oppidulum fluvius ea ſuavitate, ac tam leni ſuſurro, ut hoc loci Amoris ſibi cognomen invenerit, dicaturque de Liefde. Paſſa eſt Aſpera, Caroli Geldriæ Ducis temporibus, atque adeo anno à Chriſto nato 1516, extremam quamdam calamitatem. Geldri ſiquidem, comitantibus eos non pauci ex ipſa Hollandiâ perduellibus, eam adorti, poſt diutinam oppugnationem, & ſtrenuam incolarum

colarum protectionem, tandem vi & manu armata invadunt, tanta edita hominum strage, tamque immani crudelitate in omnes promiscue sævientes, ut nec ædibus ipsis sacris abstineretur, neque fœminis, una cum parvulis liberis eo confugientibus, parceretur, & ut paucis absolvam, ut ne lacessiti quidem & irritati graviter Turcæ, inhumanius fuerint sævituri. Aspera olim Dynastarum Arckelienſium feudum erat. Postea anno 1354 Guidone ab Asperen cæso, filia ejus denupsit in domum Diderici Polani, ex qua natus Otto Polanus Asperæ dominus. Filia Othonis Alferadis, Polanæ domina, ex Ioanne Longerackio Elburgim suscepit; cujus Maritus Rutgerus à Bœtselaer Asperam dotis nomine accepit. Atque exinde Asperam Bœtselarii tenuerunt.

Heuclonium Reginoni Hercules dicitur, & conditum anno jamtum 784. situm est ad eumdem Lingam, semileuca quidem ab Lerodamo, Schoonhovia vero tribus & dimidia. arcem habet satis inclytæ vetustatis, quam fundatam volunt ab Hercule Allemanno. plures enim viros fortissimos Alcidæ fuisse cognomines, etiã pueris notum est. Heukelom ũ originem Arckelienſibus debet. Anno M C C arx ejus constituta dicitur. Primus Heuclomi Dominus salutatus est Otho Arckelius Ioannis octavi filius natu minor. Id accidit anno M C C L X X I I possederunt oppidum posteri ejus, donec anno M D X C V, Ottonis Arkelii filia innupta excessit. Quo tempore ad Elisabetham Arckeliam, viduam domini de castres delapsum est.

Goricomium distat Scoonhovia tribus leucis, estque ad dexteram ripam fluminis Rheni, quod eo loco Vahalis dicitur, in ipso adeo Lingæ, quem diximus, ostio. opidum quidem prælautum, & arce valide satis munita conspicuum. ea condita fuit sub Florentio quarto, Hollandiæ regulo, ab Ioanne Dynasta Arkelio. qui incolas pagi Wolfortii jussit veteres suos lares deserere, seque ad arcem istam recipere, & in ejus dumtaxat confiniis ædificare. quod cum sedulo ipsi fecissent, ille mœnibus statim & fossis locum clausit, & Goricomii nomen imposuit. Spectantur è summa turri, præter innumeros pagos, viginti & duo opida muris clausa, Philippi Regis imperio subdita. pulcher profecto & memorandus adspectus! Celebratur hic quotidianus quidam

caſei butyrique & aliarum rerum eſculentarum mercatus. unde ex iſto portu incredibilem fere annonæ vim, cum in alias quidem partes, tum Antverpiam maxime, deportari conſpicias. opidanis non modo negotiationem, ſed & nauticam plerumque exercentibus, unde ſupra modum diteſcunt. Goricomio natus fuit Henricus Gorichemius, vir Theologico ſtudio nobilis. item clariſſimus ille Ioannes Harius, qui etſi non admodum litteratus, ea tamen & pietate, & in litteras virtuteſque fuit affectu, ut per omnem ætatem, ſumma quidem cum diligentia, nec minori impenſa, conquiſiverit undique & congeſſerit admirandam plane omne genus librorum bibliothecam. Erat egregius iſte vir Canonicus Goricomienſis: ſed beneficio Cæſaris cooptatus fuit in Collegium Canonicorum, quod in regio illo municipio Hagienſi, & ſacello ibidem aulæ Principalis. quo cum larem ſuum transferret, & una tot libris inſtructam bibliothecam, populus admirari, ſtupere, fateri denique numquam ſe credidiſſe, vel in toto terrarum orbe tot volumina reperiri. quare & inditum homini cognomentum *Ioanni de Libris*. Hagæ poſtmodum annos complures vixit, & bibliothecam ſummo ut ante ſtudio ivit auctum. quam moriens tandem anno circiter 1532, teſtamento legavit eidem Carolo Quinto Imperatori. Gorichemi quoque natus eſt anno 1574. Thomas Erpenius, vir Orientalium linguarum Hebraicæ, Chaldaicæ, Arabicæ, Syriacæ, Perſicæ, Turcicæ, & Æthiopicæ peritiſſimus, & in Academia Lugduno Batava profeſſor. Peſtilentia tactus anno CIↃIↃCXXIV eadem in urbe extinctus eſt. Oſtenditur juxta hoc opidum locus, in quo caſtra metatum ferunt Herculem Allemannum. unde & territorium circumjectum, bonis aliquot pagis inſeſſum, ad hunc uſque diem vulgo audit *Ager Herculeus*, ita enim interpretor voces illas Teutonicas, 't Landt van Arckel.

Woricomium adjacet lævæ jamdicti Vahalis ripæ, Goricomio pæne adverſum. eſt autem in ditione Comitis Hornæ. Woudrichemum (ita enim oppidi hujus vocabulum in antiquis diplomatis ſcribitur) jam anno 1150 paruit Dynaſtis Hornanis, qui poſtea Comites dicti. Antea feudum cliviæ Comitum fuerat. Sed anno 1332. Wilhelmus Bonus loci Dominium à Diderico clivienſium


1 Engelsche kerck
2 S. Laurents kerck
3 De huy bregghe
4 Koperen Erasmus
5 Het stadt-huys.
6 De Visch-markt
7 De Borsse
8 De hooft poort

ROTTERDAM

clivienſium Comite emit, quo ex tempore Hollandiæ feudum factum eſt. Hornani autem Comites illud tenuere ad annum uſque 1600, quo Walburgis à Nienarendt, vidua Phllippi Montmorentii, Comitis Hornani, qui anno 1568 Bruxellis decollatus eſt, ſimul & dominium Altenatenſe, & Woudrichemum Hollandiæ Ordinibus nonaginta florenorum millibus vendidit. Oppidum demum anno 1460 vallo & portis circumdatum eſt.

Heuſda, ſive Heuſdenum, Woricomio diſtat duabus leucis. arcem habet ſic ſatis egregiam. tum & amplum in pagos aliquot circumjectos imperium. In campis urbi vicinis & Capellã verſus porrectis eruitur copioſe uſtibilis ille ſupra nobis deſcriptus ceſpes. Heuſdæ natus eſt Godeſchalcus Stewechius, vir egregius, cujus ſcripta exſtant, & leguntur.

## ROTERODAMVM.

ROTERODAMVM propinquum eſt Moſæ, & ad Roteræ, unde nomen deſumit, fauces. Vetuſtiſſimam urbem eſſe, & à conditore Ruterio rege denominatam, tradit Robertus Cœnalis. cui adſtipulatur & Abbas Trithemius. qui fundatam vult anno à nato humani generis redemtore octogeſimo nono, & ſepultum in ea Ruterium illum, vigeſimum tertium regem Francorum. Schidamo unius, Gouda trium leucarum intervallo abjungitur; opidum valde munitum, lautũ concinnum, & pannificio ſatis florens: civibus deniq; & prænitidis ædificiis denſum. ſummum templum, ſacrum eſt Divo Laurentio, pulchra profecto & ſumtuoſa ſubſtructio. Hoc opidum patriam habuit doctiſſimus ille & celeberrimus vir Deſiderius Eraſmus Roterodamus, plurimorum voluminum ſcriptor: qui obiit Baſilææ, anno à partu Virginis ſexto & trigeſimo ſupra ſeſquimilleſimum. Dum ad exitum properaret hoc opus, Roterodamum gravi afflictum eſt infortunio. ſiquidem caſu exortum incendium, breviſſimo temporis ſpatio, plus nongentas domos, ac non paucas etiam naves, cum nonneminis morte, & graviſſimo omnium damno, abſumſit. quæ omnia tamen, ea eſt civium opulentia,

intra annum mox reparata: gliſcentibus hodie magis magiſque commerciis, exteriſque certatim ad urbem hanc confluentibus.

ADDIT. [*Roterodamum, varias olim calamitates expertum, in ampliſſimam tandem & prapotentem urbem excrevit. idque ex eo potiſſimum tempore, quo ab Hiſpanis deſertum, omnibus belli incommodis liberum reſtitit. Inde ſiquidem cœpit à mercatoribus undique frequentari, & vacua quaque in urbe loca tectis impleri. donec irruentibus è Brabantia Flandriaque ingenti frequentia profugis, non ſemel productum eſt urbis pomœrium. Et ſuperioribus quoque annis magna acceſſio facta eſt, mœnibus aliquoties prolatis; ut jam ſi molem ſpectes inter majora oppida annumerari poſſit. Nam quum antea urbs inter ortum & occaſum juxta Moſam porrecta tantum* LXXI *jugera &* IOXXXVII *perticas occuparet; nunc pomerio verſus meridiem & amnē Moſam prolato, duplo major occupat* CXLIV *jugera &* CCCCXXXV *perticas, quemadmodum è publicis inſtrumentis ſumus edocti. ſic ut hodie quidem merito numeretur inter Batavia primas, & quod ſpectat commercia, uni dumtaxat Amſterodamo cedat. Prater mercaturam, his ſuperioribus annis quoque cerevisia coctura celebrari cœpit, qua jam ab omnibus magnopere expetitur. Inter publica adificia eminet maxime domus Senatoria. Templum ſtructura magnificum, & turri altiſſima longe conſpicuum: forum etiam ampliſſimum. hinc Burſa quam vocant, ſive baſilica, celebrandis negotiatorum conventibus deſtinata. Monſtratur hodieque haud procul ſummo templo familiaris Magni Eraſmi lar. cui viro S. P. Q. Roterodamus, refricanda in civium animis quotidie concivis maximi memoria, togatam in foro ſtatuam ex are lubens merito poſuit. adſervans praterea loco publico ejus effigiem, fideliſſime ex ipſius vultu, quadriennio ante exceſſum, delineatam, & à S. P. Q. Baſilienſi tranſmiſſam. in quam cingulo tenus tantum depictam acutiſſimo epigrammate luſit poëta quidam:*

*Ingens ingentem quem perſonat orbis Eraſmum,*
*Hæc tibi dimidium picta tabella refert.*
*At cur non totum? mirari deſine, lector.*
*Integra nam totum terra nec ipſa capit.*]

Schidamum eidem Moſæ vicinum eſt, ad foſſam, ſive canalem Schiam, qui & opido nomen impertit, ac ſemileuca dumtaxat abeſt Vlardinga. Schidamum hodie piſcatura floret. cives texendis verriculis & reticulis ad harengarum capturam operam intendunt. Non tam magnitudine

gnitudine quam elegantia commendatur. Arces Mateneſiam, Rivieream, Spierenckhouquam, Hodenpiliam, Spangiam, aliaſque quarum nunc rudera tantum exſtant, olim ſub ſe complectebatur.

Berga Divæ Gertrudis, vulgo Sinte Geertruydenbergh/ adjacet ripæ finiſtræ fluvii Mervæ, ac Dordraco, Heuſdeno, & Breda æquali fere trium leucarum ſpatio diſſidet, præſtans ſane & munitiſſimum opidum, adeoque ob ſitum fortaſſis inexpugnabile. Ad hunc locum indicto jam Merva capitur omnis illa vis aloſarum, quæ ſtatis anni temporibus, in hac Belgica nobis ſuppetunt. incipit autem præcipua hujus piſcis captura inde à primis tonitruis menſis Martii, eaque tam copioſa, ut in retibus uno aliquo die numerata ſint plus octodecim piſcium millia. magnitudine inter ſe differunt, ac falliri etiam ſolent: atque hinc porro in varias terræ partes & recentes ſimul & ſale contactæ diſtribui. Ad hoc uſque opidum comitari olim ſolebant Hollandi ſuos & terræ Hannoniæ Principes, quoties eo ſeſe conferrent: atque hic item in Hollandiam revertentes rurſus excipere. etſi enim certis de cauſſis Brabantiæ Duces ſupremum ſibi in hanc urbem imperium vindicent, poſſeſſio tamen ejuſdem eſt penes Hollandiæ Cómites. quare & moris olim utriqne genti, Hollandis quidem, Principes ſuos ad retinendam, Brabantis contra, ſuos ad recuperandam, jurejurando obſtringere.

ADD. [*Paret Arauſino Principi; qui oppidum ab Hiſpanis dolo interceptum, & poſtliminio ſingulari virtute recuperatum, operibus, propugnaculis, foſſiſque ita communivit, ut hodie inter inexpugnabilia non immerito numeretur. Ab hac urbe verſus eorum ingens fretum ſeſe aperit, pluribus pagis jam ab anno* CIↃCCCCXXI *hic abſorptis: in quo feliciſſima eſt ſalmonum captura, ita ut anno* CIↃIↃCXX *in urbe Durdrechto ſolum* 8921 *ſalmones publice vaniſſe obſervatum ſit. Gertrudisberga nomen habet à Gertrude, Pipini Landeni, aulæ Galliarum Regis præfecti, filia, quæ in hoc tractu claruit, & mortua eſt anno* DCLXIV. *Anno* CIↃCCCXXI *arx exſtructa eſt. At nonaginta novem annis poſt tota urbs conflagravit.*]

Sevenberga ſita eſt ad eumdem Mervam, in ſolo quidem Brabantico, juris tamen Hollandici, & Gertrudisberga Bredaque æquali trium leucarum intervallo abjuncta. opidum ſatis lautum, quodque olim in ditione

Illustris viri Cornelii de Bergis. quo defuncto, delatum est ad Illustrissimum Comitem Arembergium.

ADD. [*Hoc quondam muris fuit cinctum, sed anno* CIↃ CCCCXXVI *à Philippo Burgundo captum & mœnibus nudatum, municipium non infrequens: quodque è familia Strienſi & Bergenſi ad Arenbergicam familiam per connubium devenit; cujus hodieq; peculium est. Wilhelmi oppidum admodū novum est, quippe a Principe Auraico Wilhelmo immortalis memoriæ heroë primo condi jussum, anno* CIↃIↃLXXXIII; *à quo & nomen suum obtinet. Est autem conditum opportunissimo admodum situ, ad navigationem inter Hollandiā & Zelandiam tutam præstandam; in promontorio insulæ, quæ ab aliis Ruygenhil, (& proprie, uti existimo) ab aliis Roggenbil, (sed perperam,) appellatur: ea primum è fluctibus, qui illā multis annis operuerant, aggere jacto, educi cœpit anno* CIↃIↃLXIV. *Est autē hæc insula soli Brabantici, &, ut quidam opinantur, quondam Marchionatus Bergensis pars, una cum Fynartio eodem tempore è fluctibus erepto. Dominium autem insulæ & oppidi accepit dictus Princeps ab Ordinibus Brabantiæ anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto. Oppidum hoc ambitu haud admodum spatiosum, sed satis eleganter structum, cum templo & curia. Habet forum pro conditione sua, & privatas ades haud inelegantes. Ad hæc bene munitum vallo & variis propugnaculis, & lata fossa circumdatum. Habet præsidium militare, cum suo Gubernatore, & aliis officialibus militaribus.*]

Hæc quæ descripsimus oppida tametsi magnitudine cedant Flandriæ ac Brabantiæ urbibus, haud tamē aspernandæ sunt amplitudinis; & egregia pleraque, opulenta, frequentia habitatoribus, & amæna. Quæ quia magna ex parte, in regiminis ratione, vix quidquam inter se discrepant: nos à peculiari ejus rei descriptione supersedebimus, & ad ea transibimus opida, quæ, etsi muris non cincta, gaudent tamen eodem cum illis jure. ac primo quidem occurrit.

Medenblica, posita in extremo ad septemtrionem Hollandiæ littore, & Enchusa duabus leucis ac dimidia absita. municipium sane haud pœnitendum, validaque admodum arce conspicuum. territorium ejus, quod ad pascua quidem pecori saginando idonea, magno sane municipum bono, universæ Hollandiæ præstantissimum.

ADDIT. [*Medenblicam, durante bello civili, propugnaculis simul & vallis adversus hostiles insultus valide munien-*

*dam*

*dam curarunt Illustres Hollandiæ Ordines. qui & arcem necessario omni ad bellũ apparatu copiosissime instruxerunt. Firmissimi hic omnium sunt aggeres, qui obices suo oppositu septentrionalis maris furiam excipiunt; quos alga (qua maris ejectamentum est in propinquo) prætexunt: materia ubi consederit, tam firma & solida, ut moles saxeæ vix densius firmamentum coagmentumve præbere possint; tantopere illa sævientis fluctus proterviam respuit. Medemblicæ sedem olim habuisse ferunt celeberrimum Frisiorum ducem Radbodum. Nomen ejus à Medemelacha, inclyto fluvio, cujus hodie ne vestigium quidem conspicitur. Et plerique ferunt ante Hornam, Enckhuisam, aliasque urbes conditas, hanc primam Westfrisiæ civitatem, & quasi metropolim fuisse. Nunc mediocre oppidum est. Sed olim Ballivatu floruit, qui omnia hæc loca complectebatur:* Hoorn / Enchuysen / *pagi* Werverthooft / Bovencatspel / de stede van Grootebroeck / Luthebroeck / Hoichcatspel / Westerwoud / Oosterblocker / Westerblocker / Swaech / Hem / Venhuysen / Benewijsen / Wijnes / Schellinckhout / Scherwoude / Scherdam / Etersem / Oostbuysen / Opterbeets / Nieuwerdijck / Grosthuysen / Avenhoorn / Outdoorp / *quatuor pagi* de Langedijck / Koedijck / Kalverdijck / Warmenhuysen / Reingenburch / Nienburch / Sinte Maerten / Schagen / Harnichuysen / Barringhoorn / de Reiens / oude Nyeorp / nieuwe Nyeorp / Winckel / Eertswoudt / Hoichtwoudt / Opmeer / Hemsbroeck / Opdam / Veenhuysen / Oterlick / Spanbroeck / Wadway / Woggenum / Nubbixwoud / Hauwerdt / Midwoudt / Bennigbroeck / Sibecarspel / Abbekerck / Lamberschaech / Twisch / Oostwoudt / Opperdoes / & Almerdoorp. ]

Beverwicum positum est ad sinum Tyam, & Harlemo duabus leucis abjunctum.

Olim S. Agathæ fanum dicebatur, ut Chronographus popularis & Heda autores sunt. Et in diplomate Wilhelmi Episcopi Trajectensis indigetatur quoque Agathenkirka. Et prodit vestigia ejus nominis via, quæ hodieque *S. Agathenvvech*, appellatur. Beverwici autem nomen à peregrinationibus accepit, quæ precum suscipiendarum caussa illuc instituebantur. *Bevaerden* appellant Belgæ.

Muda sita est juxta lacum Flevi, ad fluviolum Weichtam, & semileuca tantum Wesopo, Narda vero leuca prægrandi abjuncta. opidum sane mediocre, & ab altera fluvii ripa insigni & forti admodum arce communitum.

munitum, ex qua per pontem ad opidum tranſitus.

Neoportus ſita eſt è regione Schoonhoviæ, unde leucæ tantum quadrante abjungitur. Olim quidem lautiſſimum opidum. hodie vero mediocre.

Vlardinga, ſita fere ad Moſæ fauces, Roterodamo & Delphis æquali propemodum ſpatio abeſt: leucis nimirum duabus: eſt ex antiquiſſimis terræ Hollandiæ civitatibus.

ADD. [*Nomen ejus in diplomatibus ſcriptum invenias Flerdlinc: quod adepta eſt a cognomine fluvio, cujus nihil ſuper eſt præter mentionem in archivis repertã. Sane tantì olim fuit, ut eam Lambertus Schafnaburgenſis urbem munitiſſimam nuncuparet: & Hermannus contractus Didericum quartum Hollandiæ comitem Flardirtingæ vocaret Marchionem. Sed nunc abſorptis ſimul cum arce mœnibus, voragine Moſæ, qui late ripas & littora adedit, ſuccedaneam operam addente mari; tantum tenuis pagus & piſcatorum ſedes eſt.*]

Graveſanda, Moſæ propemodum faucibus adſita, Delphis Hagaque pari duarum leucarum intercapedine diſſidet, opidum valde antiquum, & olim non mœnibus tantum clauſum, verum etiam potens, & judicum Hollandiæ ordinaria ſedes. hodie, licet à veteri illo ſplendore multum amiſerit, tolerabili tamen conditione eſt. Seminatur in ejus confiniis largior multo frumenti vis, quam in alia ulla Hollandiæ parte, quia nempe feliciter iſthic & ſpecioſiſſimum naſcitur. Suppeditat inſuper Graveſanda nobiliſſimos caſeos, quos Graveſandios vulgo appellant, & magnopere paſſim ab omnibus expetuntur.

Sunt inſuper in Hollandia, & pagorum in ea catalogo, multi admodum memorabiles, & iiſdem fere cum opidis muro clauſis privilegiis præditi loci. quorum nobiliores aliquot & maximi momenti obiter excerpemus. Initium ab Haga erit, loco celeberrimo.

## HAGA.

HAGA, quam Batavi vocant den Hagbe / mari ab occidente vicina eſt, ac Delphis majore una, Leida vero duabus, Roterdamo tribus leucis diſtat. hic, meo quidem judicio, non pulcherrimus modo, ſed ditiſſimus



# 'S GRAVEN HAGE

1 t' Hoff
2 De Kerck
3 Cappelkerck
4 Cloosten-kerck
5 Engel-Kerck
6 Stadt-huys
7 Princen-hoff
8 Princen tuijn
9 Vijver-berch
10 t Voor-hout
11 Nieuwe graft of Cingel
12 Bier kaij
13 Turfsmart
14 Spuy
15 de Vyver



ditiſſimus quoque, & fortaſſis etiam maximus, univerſæ Europæ pagus eſt. habet enim ſupra bis mille domos, quarum pleræque ſplendidæ atque amplæ. Habet ſuperbum illud & regium palatium ſimile arci muris clauſæ, & foſſis undique communitum. quod conditum olim à Guiljelmo, Hollandiæ comite, & poſtea Romanorum Rege. qui & conſeſſum Iudicum Hollandiæ, Graveſandæ prius, ut diximus, commorantem, in hunc locum traduxit. ab hujus conſeſſus ſententiis provocare porro licet ad ſupremum regis quod Machliniæ eſt, Conſilium. Conſtat autem nunc temporis Præſide uno, & quatuordecim judicibus: advocato item fiſcali, procuratore, ut vocant, generali, Scribis, arcanorum curatoribus, aliiſque id genus miniſtris. Præſidis hodie munus obit Cornelius Suſius, toparcha Riſvicanus, cujus infra prolixior mentio. Iudices ſunt Martinus Nardenus, Arnoldus Saſboutus, Dominicus Bootius, Quintinus Weitſius, Arnoldus Nicolaius, Balduinus Iacobi, Nicolaus Lajenus, Adrianus Verhouvius, Reinerus Moonſius, qui & procurator generalis, Ioannes Lezavius, Iacobus Merſchius, Witto Wittenius, Carolus Smiterus, & Adrianus Mylius. Eſt in ipſo palatio peregregium ſacellum, & in eo Canonicorum Collegium. Eſt quoque Hagæ ratiocinarium, ſeu collegium inſpectorum ærarii, quod vulgo, cameram rationum appellant. cui accepti pariter & expenſi rationes reddere alias tenebantur regii omnes per Hollandiam, ditionem Vltrajectinam, Zelandiam, Friſiam, & Tranſiſalanam Quæſtores, Theſaurarii, & quidquid præterea talium miniſtrorum eſt. In eodem palatio adſervabatur & regia illa bibliotheca, collecta ut diximus & congeſta à clariſſimo viro Ioanne Hario. quæ perpetuum quidem & peculiarem olim habebat cuſtodem, ſed nuper curam ejus Philippus Rex, Præſidi Viglio. & ſimul munus impoſuit conquirendi libros, quos Gallica aut Latina lingua olim habuit Margareta Auſtriaca, Imperatoris Caroli amita, & ab eo Belgicæ Præfecta. Abnuunt habitantes, ſola animi magnitudine impulſi, nobiliſſimum iſtud municipium mœnibus claudere. quia honeſtius exiſtimant (quod & Cæſari Iulio & aliis magnis viris dictitatum) dominos eſſe pulcherrimi potentiſſimique Europæ totius pagi, quam urbis, quæ ſi mœnibus foret clauſa,

clauſa, cenſeretur quodammodo inter minores. ſed næ iſthæc animi magnificentia magno ipſis ſuperioribus annis conſtitit. cum Martinus Roſſemius, Geldriæ Ducis archiſtrategus, cognito, locum expugnatu facillimum, & opulentia ejus illectus, parva manu, ſed non ſine magno periculo, ſola diripiendi illius cauſſa, omnem fere Hollandiam pervagatus, & Hagam miſerrime depopulatus eſt. quæ ſi muris fuiſſet clauſa, numquam id ille tentaſſet. interjecto namque vel minimo temporis ſpatio, oppreſſiſſent hominem militares undique Hollandorum copiæ. Hagæ adjacet amœniſſimum nemus, vario in venantium uſus ferarum genere copioſum, ac jucundum pulchrumque adeo, ut proprie videatur unus ex iis lucis, quos Poetæ antiquitus ſacros dixerunt. extant autem in eo & finitimis aliquot locis antiquitates quædam, & monumenta marmorea veterum Imperatorum, Hadriani videlicet, Antonini, Lucii Septimii Severi, & aliorum. Hagæ natus fuit Ioannes de Haga, alias de Indagine, vir ob excellentem doctrinam clariſſimus, & complurium operum ſcriptor. Item Guiljelmus Gnapheus, vir doctus, & primus apud Inferiores Germanos poëta Comicus, tum & aliis ſcriptis illuſtris. Ioannes Secundus, adoleſcens doctiſſimus, auctor ejus poëmatis, cui titulus Baſia, & complurium aliorum, quæ magna ſua cum laude vulgavit. Iuſtus Velſius, Medicus perilluſtris & magnus Philoſophus. qui & ipſe complura edidit ſcripta, ut videre eſt nominatim in Bibliotheca jam aliquoties allegata. Præterea nobiliſſimus ille Gerardus, Dominus Aſſendelfii, olim Præſes Hollandiæ, qui cum ſumma doctrina prudentiam ſummam conjunxerat. Hodie jactat Haga Cornelium Suſium, etiam ipſum Hollandiæ Præſidem, ſupra nobis commemoratum, virum domi nobilem, & cum litteris Græcis Latiniſque, tum Iuriſprudentia maxime celebrem, ac non infimi nominis vatem. Hippolytum inde Perſinum, Præſidem Vltrajectenſem, rara quadam doctrina, nec minori prudentia præditum virum, ideoque in magna ubique æſtimatione: Nicolaum Aſſendelfium, Gerardi jam dicti filium, virtute & litteris inclytum, ac dignam tanto parente prolem. Splinterum Hargenium, dominum Oſtervicanum, virum profundæ doctrinæ. Arnoldum Cobelium, Procerum Hollandiæ Theſaurarium,

rium, eruditione pariter & judicio magnum. necnon fratrem ejus Philippum, Senatorem Consilii Sanctioris, virum eruditissimum, & mirabili quadam in rebus tractandis dexteritate: unde factum, ut sæpe, & ad varios Principes, orator ab Rege missus sit. Subjungemus hic denique & Ioannem de Gouda, Syndicum reipublicæ Groningensis, virum insigniter doctum, & in obeundis negotiis publicis acrem pariter atque industrium. quare & domi foriſque in magna passim est fama, & eximia auctoritate. sic ut obrara in Regem officia, & navatam ei in patria fidelissimam operam, affectus ab Regia Majestate sit compluribus præmiis, variisque honorum & dignitatum titulis exornatus. nam & Equitem eum creavit auratũ, & quo cæteris ad virtutem stimulos adderet, suum in ditione Groningensi Vicarium, magna viri cum laude, constituit.

Semileuca fere ab Haga situs est pagus Lausduna. ubi amplissimum olim Religiosarum nobilium, Ordinis Divi Bernardi, Cænobium, augusto in primis Comitis Margaretæ sepulchro, &, quod sequitur, inscriptione conspicuum. qua de re cum Erasmus quoque & Ioannes Ludovicus Vives, inter alios quosdam illustres scriptores, in commentariis suis meminerint, operæpretium fuerit, epitaphium illud hic ad verbum exscribere. quod priusquam tamen apponam, præmittenda videtur compendiosa occasionis ipsius rei narratio. Margaretam Comitem, Florentii & Machthildis Hollandiæ Zelandiæque Principum filiam, mulier paupercula aliquando adierat, duos unico partu editos infantes ulnis gestans, & eleemosynam rogans: cui Margareta non solum nihil quidquam porrexit, sed irrisam insuper & contemtam his verbis dimisit: fieri non posse, ut uno partu duo nascerentur, nisi totidem forent patres: quare alterum furtivo concubitu esse prognatum. At muliercula postquam derisam se vidit, susceptis ad Deum vocis ut palam faceret pudicitiam suam, rogavit simul, ut ad manifestum rei documentum, Comes, tunc gravida, fœtibus æquaret numerum dierum totius anni. Evenitque aliquanto post ut trecentos & sexaginta quatuor liberos, partim masculos, partim fœmellas eniteretur: quorum singulos narrant fuisse pulli dumtaxat gallinacei magnitudine, sed omnes tamen vixisse, & salutari baptismo

baptiſmo tinctos ab Guidone, Epiſcopi Trajectenſis Vicario, qui maribus quidem Ioannis, fœminis vero Eliſabethæ nomen indiderit. ipſis paullopoſt una cum matre extinctis, & eodem cum ea tumulo conditis, addito epitaphio, quod verbotenus expreſſi.

*Illuſtris Domini Florentii Comitis Hollandiæ filia, cujus mater fuit Mathildis, filia Henrici Ducis Brabantiæ; fratrem quoque habuit Guiljelmum Alamaniæ Regem: hæc præfata Domina Margareta, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, ætatis ſuæ anno quadrageſimo ſecundo, ipſo die Paraſceves, hora nona ante meridiem peperit infantes vivos promiſcui ſexus numero trecentos ſexaginta quatuor. qui poſtquam per venerabilem Epiſcopum Dominū Guidonem Suffraganeum, præſentibus nonnullis proceribus & magnatibus, in pelvi quadam baptiſmi ſacramentum percepiſſent, & maſculis Ioannes, fœmellis vero Eliſabeth nomen impoſitum fuiſſet, ipſorum omnium ſimul cum matre animæ ad Deum æternaliter victuræ redierunt, corpora autem ſub hoc ſaxo requieſcunt.*

Martinus Cromerus in hiſtoria ſua Polonica teſtatur, Margaretam quamdam, Comitis Virboſlai uxorem, unico partu enixam triginta ſex liberos, omnes vivos, idq; Cracoviæ, regni illius metropoli, anno ſalutis 1269. quod etſi cum Philoſophorum quidem & Medicorum placitis, adeoque ipſa natura fortaſſis pugnet; ſciendum tamen, omnes omnino regulas aliquam ſemper pati exceptionem. accedente præſertim vel gratia, vel vindicta divina, cujus omnipotentia ſæpe ipſam naturam & elementa tranſcendit.

Schaga ſita eſt in extrema ſeptemtrionali Hollandiæ parte, & Alcmaria ſimul ac Medenblica pari trium leucarum intervallo abjuncta: pulchrum quidem, & amplum ſatis municipium, ac prænobili etiam arce conſpicuum: Solum habet tota Hollandia fertiliſſimum & herbidiſſimum.

Iſelmonda poſita eſt ad flumen Mervam, adeoque ad ipſum Iſelæ fluminis oſtium, unde accepit & nomen. Roterdamo tantum dimidia, Dordraco vero duabus leucis abeſt. pagus certe peregregius, & qui pulchram habeat arcem; poſſidetur Toparchæ Merodano.

Egmonda Oceano mari ab occaſu propinqua eſt, & ab Alcmaria quidem ſeſquileuca, à Bevervico duabus leucis diſtat. pulcher profecto & concinnus admodum

pagus.

pagus. juxta quem & Cœnobium olim, longe ampliſſimum; quod, teſtante Irenico, conditum fuit ab Adelberto. habet vero & iſte locus ſatis inſignem arcem, ita ut Comitatus dignitate gaudeat: ſumente ab eo cognomen Illuſtriſſima & antiqua gente Egmondana. cujus hodie caput Philippus, ſummæ dignitatis & expectationis adoleſcens eſt: idemque Eques aurei Velleris, Princeps Gaverenus in Flandria, & complurium opidorum pagorumque non Hollandiæ tantum, verum etiam Flandriæ, Artheſiæ, adeoque & Galliæ, Dominus. Egmondanus fuit Nicolaus de Terra Nova, Epiſcopus Harlemenſis, doctus ſane & reverendus Antiſtes.

Brederoda inſignis arx, medio fere inter Harlemum & Bevervicum itinere jacet. Sumit ab ea cognomen antiquiſſima nobiliſſimaque gens Brederodia, quæ complures edidit viros illuſtres, neque tantum iſtius arcis, ſed Vianæ præterea, opidi ſupra nobis deſcripti, & variorum pagorum Dynaſtas. hodierno loci toparchæ Henrico eſt nomen. qui cum improlis nuper deceſſerit, variæ ſuper ejus hæreditate exortæ ſunt lites. quæ, ut paullo ante meminimus, etiamnunc pendent.

Falcoburgum Leida uniustantummodo leucæ ſpatio diſſidet, pagus haud ſane magnus, ſed equorum mercatu, quotannis Septembri menſe haberi illic ſolito, admodum memorabilis, nec innumera tantum omne genus equorum copia, ſed & hominum undique confluentium multitudine frequentatus. Dynaſtam hodie, quatenus Dominum Waſſenaræ, agnoſcit Comitem Ligniacenſem, cujus etiam ſupra meminimus.

Cattovicum pagus eſt mari vicinus: eo ut quidam aſſerunt, loco poſitus, quo oſtium illud veteris Rheni, quod Trajectum perlabitur, rapido cursu in Oceanum olim ſolebat influere. Locus valde antiquus. nam annales Hollandiæ, conditum eum denominatumque volunt à Cattis, populis olim Germaniæ, qui cum Batone jamdicto in has oras delati, præcipuam iſthic ſibi delegerint ſedem: quæ, ob maris juxta & fluminis opportunitatem, brevi in urbem molis & momenti magni excreverit. ſed poſtea ſæpius diruta, vix reliquias modo & rudera, ſui ad poſteros monumentum, tranſmiſerit.

Mille

Mille circiter & ſexcentis paſſibus ab hoc pago, ad mare Oceanum, & quod diximus oſtium Rheni, ædificarunt olim Romani, & nominatim Cajus Cæſar Caligula, ſuperbam imprimis arcem, & pulcherrimum portum. unde breviſſimus ſane & commodiſſimus erat in Angliam, tunc Britanniam dictam, trajectus. eam autem ab ipſo ſitu dixerunt Britannicam. quæ, Imperio declinante, à Normannis occupata, atque ex parte etiam diruta, tandem, quia non ſarciretur, neque aggeribus aliiſque id genus operibus, ſicut aliæ quædam, communiretur, prorſus ab mari abſorpta eſt. ſic ut aliquot ſæculis nec vola inde nec veſtigium apparuerit. Ab annis vero ducentis retro regreſſo plus ſolito verſus veterem alveum Oceano, etiam aliquæ hujus caſtri partes emerſerunt. quod anno ſalutis viceſimo ſupra ſeſquimilleſimum continuo biduo pæne totum ſeſe oſtendit. cum accolæ, inter alia, ſeptem inde eximerent lapides, quorum aliqui notas præferrent & inſcriptiones Romanas. hi tranſlati fuere ad nobiliſſimam illam Hagam, & aulam inibi Domini Waſſenaræ, ubi & hactenus eos eſt viſere. Emerſit hinc iterum, & ad fundamenta uſque detecta eſt arx anno 1552. quo tempore compererunt eam eſſe quadratam, & ab uno ad alterum angulum, ducentos & quadraginta, in circuitum vero, patere nongentos & ſexaginta pedes Romanos. viſa tunc autem & facies quædam muri, meridiem verſus porrecta. unde porro ad magis mediterranea pertinuiſſe videbantur præcipuæ hujus propugnaculi domus, arenoſis hodie collibus, *Dunas* vulgo indigetant, obrutæ. eruerunt etiam accolæ plurimos lapides leucophæos, quorum, qui ſtrati in fundamento, ternis pedibus alti, quaternis lati. item lateres quoſdam terra coctos, pedali in quadrum mole, adeo ſanos quidem & integros, ut viderentur recentes ab officina. præferebant autem has litteras X. G. I. quæ denotare videntur *Ex Germania Inferiori*. Et eſt ſane hic in propinquo admirabile quoddam & coquendis lateribus, aliiſque id genus figlinis aptiſſimum terræ genus. ſed videlicet Batavis nondum exploratam eſſe accuratam terræ iſtius temperandæ rationem. unde liquet, veteres illos Romanos multis in rebus nos præcurriſſe. ſicuti nos quoque in compluribus aliis, temporis demum lapſu inventis, ſine controverſia

eos




ex germ
ex ger.
ex ger
Pavimentorum tegulæ
Armamentarium 240 pe
bet latere complectitur.
Pedali ferrei 4 quorum
centum et quinquaginta
Lapi

arenosi
IMP. CÆS. L. SEPTIMUS. SEVER.
AUG. ET M. AURELIUS ANTONI
CÆS. COH. XV. VOL. ARMAMEN
TARIUM VETUSTATE CONLAPS.
RESTIT. SUB. VAL. PUDENT. LEG.
AU. PR. PR. CVR. CÆCI. BATON. PRÆ
S. SEVERUS PIUS PERT.
P. MAX TRIB. POT. XIII.
ANTONIN. PIUS AUG
GER. MILIT. LEGI. ME
ENIDIOR
1520
inventa
Hi 6 lapides anno 1520 e
ruinis extracti sunt
Maris Germanici pars



t'Hondtsbosch
Camp
Herregen
Groet
Abts huys
Oude slaper
Petten
De Zyp
Schorel
Nieuvaert
na Alcmaer
Crabbendam
Reeckerdyck
Schoreldam
Greb
Eenigenburg
Dycstal
S. Maerten
Die Ryp
Tuitughorn
Herinckkerspel
Valck oock
Baerlingmeer
Diepsmeer
Warmenhuysen
Calverdyck
Dirxhorn
Groenveldt
Woudtmeer
Cotenburg
Witzmeer
Bleecmeer


DE ZYPE
Ketelduyn
dyck is lanck ses dusent een hondert
Zuydt
Schinckel
drientachtich roeden
Het ooghe
Die Geuwel
Abbe:
ste
Noort
Schinckel
Leech dyck
Die
Keins

eos præcellimus. Inventa fuerunt & vasa quædam operis prisci, ex metallo conflata. item nummi, & alia quædam antiquitatis Romanæ vestigia. Omnium vero clarissime sese ostendit hæc arx, dum in eo sum ut hoc opus absolvam, id est anno 1562. quo per viginti & amplius dies mansit detecta. sic ut accolæ vel millenos aliquot lapides passim eruerint, & complures invenerint nummos, tum & vasa quædam pulcherrima, quibus itidem esset incisum *Ex Ger. Inf.* Et quoniam ita spectabilis atque antiqua est hujus armamentarii fabrica, visum est hoc in loco subjicere veram ejus & ad vivum delineatam effigiem.

Pettemum, pagus est, in extrema fere septemtrionali parte Hollandiæ positus, & ad ipsum Oceani littus. ubi cum rerum parens natura non continuaverit arenosos illos montes & colles, vulgo *Dunas* vocatos, qui ab ea quidem parte Hollandiam mirum in modum tuentur, capit latissima quædam moles, sive agger magis dicendus est, quem vulgo vocant Houtsbosch ab accolis, eum naturæ defectum explentibus, multa sane industria & continuis fere ad passus ducentos operibus, versus Campium pagum ex ligno constructum. Est autem tam magni momenti hoc opus, tamque efficacis præsidii, ut casu fortasse, vel Oceani aliqua tempestate, id contingat perfringi, potiorem Hollandiæ partem undarum violentia cooperiendam adfirment. quare summa cum diligentia, nec minori impendio, accolæ illud quotidie reparant, & sartum tectum conservant. quinimo & Senatus Hollandiæ suos huc operi inspiciundo, & ne quid forte in re tanti momenti peccaretur, quotannis nuper destinare consueverat Commissarios. post clausum tamen ab Nicolao Nicolaio, incredibili pæne sumtu & laboriosis operibus, vastum illum canalem Zipam, haud procul hinc dissitum, recuperataque ex maximo illo ad septemtrionem gurgite, & pulcherrimo aggere convestita tam vasta terrarum antea submersarum spatia, desiit ea moles esse tanti momenti, tamque magni in publicum sumtus. succedentibus nempe subinde aliis aliisque aggeribus, & mirandis quibusdam vallis ac munimentis. unde laudabilis sane & plurifariam utilis Nicolai illius est opera, utilior etiam futura, si ad finem esset perducta, & ipse ager excoleretur. cujus mari

erepta

erepta pars, frumenti præcipue, tam insigniter fertilis, ut omnem pæne fidem exuperet, utque unus tritici saccus anno superiore arvo ingestus, centum & amplius saccos reddiderit.

Habet insuper, ut jam diximus, sub imperio suo Hollandia quinque illas prædictas Insulas, Vornam scilicet, Goedereedam, Somersdicam, (quæ & ipsa Vornæ vocabulo nobilis) Corendicam & Collem Petrinum, positas inter Mervam & Mosæ fauces, nec Zelandia procul absitas, & cum tribus opidis muro clausis, tum & aliquot pagis insessas. nos qua fieri poterit brevitatate, singulas percurremus. & primo quidem inter eas occurrit.

Vorna, quæ non nisi duabus leucis distat Gravesanda, & Brielam habet, opidum satis lautum, & situ fortissimum.

## BRIELA.

BRIELA illud est opidum, quod omnium primo de improviso & præter omnem Ducis Albani, terræ Gubernatoris, spem, ductu Comitis Marchiæ, qui & Dynasta Lumæjus, calendis ipsis Aprilibus anni 1572. occuparunt extorres Belgæ. luctuosum profecto in multos annos non ipsi dumtaxat Regi, sed & Belgicæ universæ gravissimarũ calamitatum principium. desciverunt enim postpaullo Flissinga, Enchusa, & alia quædam opida, non sine ingenti rerum & status mutatione, quæ horrenda in primis bella & extremas quasque miserias secum traxit. prout accuratius narramus in Commentariis nostris, quos, ne tantæ res, quæ peculiare sibi volumen poscunt, cum hac descriptione confunderentur, seorsim vulgavimus.

ADD. [*Brielam Hadrianus Iunius ab Helio Rheni ostio dictam putat, quasi* Breheele, *id est*, Latum Helium. *Etenim dubitandum non est, hic Helium ostium fuisse. Est in propinquo pagus* IV *millia passuum Briela distans.* Velvoet *dictus, manifesto documento id nomen ab amnis ostio remansisse. Et quo non aliud validius argumentum est. Melior Stockius in Chronico Hollandiæ (quod patriis rhythmis conscriptum sine nomine prodiit) flumen quod Vornam insulam, & in ea Geervlietam præterlabitur, disertim nominat* Wydelam, *ac si* latum Helium *dicas.*

Brila

*Brila Zelandiæ olim adscribebatur: uti argumento est, quod Vomani tractus Dynastæ, cujus caput est Brila, fere Zelandiæ Burchgravii fuerint. Nunc vero Brila oppidum valde munitum, jacet, qua Mosæ fluminis alveum Rhenus Oceano affundit: In Vorna insula: satis populosum ob opportunitatem portus; esset que opulentius nisi vicinum Roterodamum luminibus illius officeret. Ager illius optimum fert triticum, aliasque fruges; sed nonnullæ hic cœli gravitas ob vicinam maris. Vrbs hodie munitissima. superioribus annis Elisabethæ Angl. Reginæ ab illustr. Ordinibus pignoris loco tradita, & multis annis præsidiis Anglicis insessa sub regno Iacobi I Angl. Regis redemta & restituta fuit, & præsidium Anglorum deductum; nunc fœderatorum milite custoditur. Brila ortus fuit Cornelius Neostadius, primum jus in Academia Lugduno Batava professus, exin inter Hollandiæ judices adscitus, & Academiæ ejusdem curator. Vulgati sunt libri ejus de Feudis Hollandicis, & pactis antenuptialibus. Excessit Hagæ Comitis anno* CIↃIↃCVI.]

Est in eadem Insula & Gervlietum, mediocre quidem opidulum, una cum aliquot pagis. Hic anno 1300 Nicolaus Puttenus loci Dynasta collegium decem canonicorum excitavit. Celebre ibidem vectigal fuit Hollandiæ Comitum, ab imperatore Romano Dynastis Puttenis olim concessum. Muris quoque olim circumdatum erat, qui temporum injuria disjecti sunt. Ager ejus quamoptimus, & cum tritici mire speciosi, tum & aliarum egregiæ bonitatis segetum fertilissimus. gignit item copiosissime fruticem illum, qui Batavis dicitur Helm / nec geniстæ est multum absimilis. hic cum alte agat radices, natura videlicet singulis rebus consulente, arenosos Hollandiæ & Zelandiæ colles, adversus ventorum injuriam, vel præcipue solet tueri: quos alioquin isti Æoli emissarii

*Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.*

Goedereda est altera prædictarum Insularum, cum mediocri & cognomine sibi opidulo, Briela duarum leucarum intervallo abjuncto. Goerea nominata est, quod naves Mosam ingressæ commodam inter Vorniam & hanc insulam stationem haberent. Vrbs commertiis & navigationibus olim ad invidiam floruit. Nunc hinc obstructo portu, inde infestum habens Oceanum multum de pristino splendore amisit. Fuit cum Zelandiæ accenseretur.

Tertia

Tertia Insula Somersdica, quam & Vornam appellant, quod Hollandiæ nempe objecta sit: vernacula dictione Voren Latinorum præpositioni ante propemodum respondente: variis pagis insessa est. inter quos præcipue eminet Somersdiquium, celebre olim & commerciis frequens emporium. Notandum vero, unicum istud hujus Insulæ municipium Zelandorum imperio subjici.

Corendica, & Collis Petrinus, quarta & quinta ex Insulis antedictis, complectuntur aliquot pagos, & cum cereali, tum pascuo etiam agro, utroque insigniter fertili, gaudent. nec aliud fere habent quod memoratu sit dignum.

Vocantur autem conjunctim hæ omnes Insulæ ager Vornanus het landt van Voorn: sed revera sunt Insulæ Zelandicæ, & Zelandiæ quondam concensitæ: cum videlicet à Zelandis peterent jura, & sub Comitatus illius judicium caderent. Verum annis abhinc plus minus quinquaginta, sumta forte occasione ex distributione quadam pecuniaria Principi facienda, subjecere se unanimiter Ordinibus terræ Hollandiæ, quibus ab eo tempore tributa ac vectigalia sua conferunt, & parent.

ADDIT. [*Etsi communiter quidem hæ Insulæ audiant ager Vornanus, sciendum tamen, distribui proprie Vornam in Orientalem & Occidentalem. prioris caput est Briela: alterius Goedereda. reliquis Insulis sua distinctim vocabula; & illa quidem in qua Somersdiquium, proprie dicitur* Over-Flacke/ *quasi dicas Trans-Flacquaana. Præter autem has quinque auctori enumeratas, sunt & aliæ quædam haud levis momenti, ac nominatim ea quæ Roterodamo est proxima, & vulgo audit* het landt van Over-Maes / *territorium trans-Mosanum, in qua boni aliquot pagi, & speciatim Iselmonda, supra nobis descripta. Cæteras, brevitatis caussa, nunc omittemus, sed non possumus tamen, quin leviter attingamus & Septemtrionales illas Hollandiæ Insulas, quarum initio statim descriptionis obiter meminit Guicciardinus. harum prima quidem Tessalia, copiosa profecto & rebus omnibus affluens Insula, contra maris injuriam, partim collibus arenosis, partim aggere, communitur. ager magnam partem est pascuus, & oberrant in eo numerosissimi pecudum greges. quarum ex lacte ingens premi solet quotannis præstabilium caseorum, ne Parmensibus quidem cedentium, vis. nulla hic opida muris clausa, sed amplissimum quoddam & pulchrum*

est muni-

*est municipium, quod eodem cum opidis jure & Magistratibus gaudet. sunt deinde & celebres aliquot pagi, & munitum satis adversus hostiles incursus vallum, cum perpetuo Ordinum terra præsidio. Insulani, agriculturæ potissimum dediti, piscationibus etiam & halecum capturæ invigilant. Sequitur Flevolandia, Hollandus* Vet Vlie-landt / *quam mytuli, vel si mavis musculi illi marini, Belgis* Mosselen *dicti, vel inprimis commendant. Tertio loco Wiringiam ponimus, quæ unde acceperit nomen, Auctor supra exposuit. est autem hæc Insula & egregiis aliquot pagis insessa, & frugum insigniter ferax. nobilitant eam pinguissimi illi verveces, quorum tam numerosi hic greges, ut vicinas undique Civitates Insulani largiter iis impertiant. Apparent denique, & e mediis sinus Australis fluctibus caput attollunt, Vrca & Ensia, mirabili sanè Divinæ providentiæ nutu servatæ. Insulani, ex unâ potissimum & eadem primorum Insulæ utriusque habitatorum prosapiâ geniti, secluduntur ab reliquo omni humano consortio, & matrimoniis inter se juncti, solitarios illos recessus colunt, nec alienigenas, nisi in prætermeantibus Hollandorum Frisiorumque navibus, umquam fere adspiciunt.*]

Vniversa Hollandia incolis ad miraculum frequens est. viri in ea proceri, & justo membrorum temperamento aptaque compositione decori. feroces item; sed quod humanitatem tamen & civilitatem attinet, multum à superioribus illis sæculis discrepantes. qui enim barbari tunc & inculti, ut scriptores quidam adfirmant, hodie prorsus civiles, urbani, faceti, ingenioſi, & ad omnem humanitatem egregie facti sunt. sic ut ingredienti in illas urbes, & cum civium mores atque ingenia, tum & publica privataque ædificia contemplanti, ipsa statim civilitas ultro in oculos tibi incurrat. quod si porro in domos eorum penetres, & largissimam illam domesticæ supellectilis affluentiam, necnon ordinem, atque nitorem consideres, magnam quidem haud dubie cepenis voluptatem, sed quam major etiam admiratio subsecutura sit. Et certe si aperte loqui placet, non habet fortasse Hollandia, quantum ad cultum & elegantiam, quam comparare secum possit. quod ipsum adfirmarunt nobis Mensores Caroli Quinti Imperatoris, qui Augustissimum illum Principem comitati, totam fere Europam lustraverant: & cum singulas passim urbes, imo (ut notum est) domos pæne inspiciant, meliorem inde, quam

alius quiſquam, rationem reddiderint. Ingredere porro hinc in tabernas illas, & cum publicas, tum privatas etiam officinas & ergaſteria: conſcende iſtorum naves: conſidera denique aggeres, aliaque id genus munimina, quæ non Inſulæ modo, ſed & opidis aliquot muniendis propugnandiſque ſolent extruere: contemplare tot illas foſſas & aquæ ductus, ad ſingulos fere paſſus, non ſolum neceſſitatis, ſed vel minimæ commoditatis ergo, mira quadam induſtria fabricatos: intuere, qua ratione conſervent agros ſuos & prata; quaque immenſam illam confluentium undique, tum ex æſtuante Oceano, tum ex nimia ſoli humilitate, aquarum vim, è foſſa prius in foſſam, atque inde in mare tandem tranſmittant: hæc omnia inquam attentius paullo conſidera; mentior, niſi ſingula quæque tanta induſtria, tanto ingenio, tanta denique inſtrumentorum & manuum ſimul facilitate exercitari invenies, ut & ſenſibus tuis vix crediturus, & ſi lubeat modo, vel ſexcentas hic utiliſſimas artes imbibiturus ſis. Mulieres in Hollandia formoſiſſimæ, candidæ, animoſæ, induſtriæ, & laboris pleræque non patientes modo, verum etiam cupidæ, adeo ut pleraſque virorum partes, & præſertim quæ mercaturam ſpectant, laudabiliter obeant.

Non habet quidem Hollandia quantam ſub propriis olim Comitibus ſuis Nobilitatem: ut quæ tum aliis aliquot cauſſis, tum Mercaturæ maxime ſtudio, plurimum imminuerit: ſed non deſunt tamen potentes quidam & magni nominis Dynaſtæ, & ſatis frequens eſt hodieque virorum nobilium numerus. quorum alii quidem nobilem & à vulgo ſemotam vitam inſtituunt: alii ſeſe ad litteras applicant. Reliqua gentis pars & promiſcuum vulgus mercaturæ potiſſimum, pecuariæ, navicullariæ, denique & piſcatui, magno ſuo cum bono, attendit. unde, ut compendio dicam, floret vigetque exigua iſta terra virîs, virtutibus, opibus, omni denique rerum expetendarum genere: & quod falſe admodum Nicolajus, ne minima quidem uſquam occurrit terræ undæve particula, quæ non maximum aliquem fructum producat: quando etiam aridi illi tumuli littorales cuniculis paſſim & id genus animantibus ſcateant: & in ipſa Oceani maris crepidine, præter maximam copiam avium marinarum, quas cum alias ſemper, tum hieme

poti ſſimum

potiſſimum capiunt, incredibilem quoque ovorum ab illis procreatorum multitudinem colligant. cujus rei ſignanter in Commentariis meminit Iulius Cæſar. Ova autem iſta & aves, tum crudas, tum coctas & ſale conditas, Batavi totis navibus, ut in alias Belgicæ hujus Provincias, ſic Antverpiam maxime convehunt: tanto ſuo cum quæſtu, ut non tantum plebeji, ſed plerique etiam nobiles, bonam annui cenſus partem huic commercio ferant acceptam. Quæ tam ingens omnium rerum, & potiſſimum caſei, butyri, carnium, piſcium, avium, item pullorum, ovorum, pecudum, ceſpitum, & pannorum ex lana linoque ubertas, ex uberrima iſta regione proveniens, & in varias partes terrarum diſtribui ſolita, ſi accuratius paullo examinetur. & conjungatur cum ea utilitas illa & quæſtus, quem ex claſſibus ſuis & aſſidua navigandi induſtria homines iſti percipiunt, poterit jure merito dici Hollandia fœcundiſſimum Belgicæ Copiæ-cornu.

Erat hæc terra, priuſquam antiquiſſimis illis temporibus occuparetur à Batone, novercæ inſidias fugiente, inculta prorſus & habitatoribus vacua. verum ipſe & ſucceſſores ſubegerunt paullatim, & aliquot ſæculis coluerunt. Debellatam deinde & ſubjugatam perdomuere tandem & excoluere, magno ſuo bono, Romani. legimus enim apud Scriptores, & præſertim C. Tacitum, Imperatores Romanos, non ſolum in bello, ſed ad corporis quoque ſui cuſtodiam, plurimum uſos fuiſſe opera Batavorum, quos fortiſſimos ſemper & inſigniter fidos experti ſint. adeo quidem ut idem Tacitus, inter plures eorum virtutes, libro quem ſcripſit de vita Agricolæ, Titi Veſpaſiani temporibus, nihil dubitet uti hisipſis verbis: *Sola Batavorum Tungrorumque virtute Romanus Britannos debellavit.* & Xiphilinus abbreviator, ex Dione, illuſtri profecto Hiſtorico, hoc encomion profert: *Sub Hadriano Batavus equitatus, licet armorum pondere gravis, cum Danubium tranaſſet, Sarmatas, hoc miraculo perterrefactos, Hadriano obſequentes fecit.* quin & Plutarchus militarem gentis virtutem mirifice prædicat, dum Batavos vocat equites inter Germanos fortiſſimos, inſulæ (inquiens) ejus cultores, quam Rhenus undis ſuis circumfluit. Iſtæ autem virtutes & egregia Batavorum facinora acceptiſſimos eos & æſtimatiſſimos reddide-

runt Romanis, qui Batavos nominarunt amicos & fratres Romani Imperii. qua de re narrat alibi doctissimus ille Gerardus Noviomagus, inventum ævo suo sub terra, non procul ab urbe Leida, vetustissimum lapidem, cum ista inscriptione: *Imp. Cæs. L. Septimius Severus Aug. & M. Antoninus Cæs. Coh. xv. Vol. Armamentarium vetustate conlapsum restituerunt. sub Val. Pudente leg. Aug. P. P. curante Cæcil. Bat. Præ. Gens Batavorum amici & fratres Romani Imperii.* Atque hoc pacto possederunt hanc terram Romani donec Merovæus Francorum Rex, sub inclinationem Imperii, ex Germania forte in Galliam transiens, eam sibi subjiceret, anno, ut vult Paulus Æmilius, quadragesimo nono supra quadringentesimum. ex quo tempore cœpit esse in ditione Regum Gallorum. & quamvis haud minimam ejus partem occupaverint postea, & ad aliquod tempus tenuerint Dani, & cum iis audaculi quidam prædones, regnantibus tamen Pipinis tota iterum Gallici juris est facta. quare Carolus tandem, cognomento Calvus, Imperator & idem Rex Galliæ, anno, ut narrant probatiores auctores, octingentesimo sexagesimo tertio, Comitatus titulo eam auxit, & proprium ei Principem dedit Didericum, Principem sanguinis Franciæ, cui & Frisiæ partem attribuit. ac Diderici quidem istius primi Hollandiæ Comitis soboles imperavit usque ad mortem Ioannis primi, Comitis decimi sexti. Fuere autem omnes hi Principes viri admodum bellicosi, qui ditionem acceptam non strenue solum tutati sunt, sed magnopere propagarunt, & alias sibi terras acquisiverunt. qualis adeo Didericus secundus, qui rebelles sibi occiduos Frisios subjugavit, & imperium suum in ea Provincia duplicavit. item Guilielmus primus, qui anno 1223 debellavit Zelandiam. & Guilielmus secundus, qui anno 1248 electus fuit Rex Romanorum, Princeps multis victoriis clarus, & præsertim adversus Flandros, qui Zelandiam sibi, non sine causa, vindicabant: sed misere tandem, in ea Hollandiæ parte quam Westfrisiam dicimus, à rebellibus sibi Frisiis cæsus. cujus necem acriter postea ultus est filius ejus Florentius Quintus, qui Frisios ita tandem afflixit, ut colla iterum jugo subdiderint. Ioanni, quem diximus primo, Florentii quinti filio sine liberis mortuo, successit Ioannes secundus Comes Hannoniæ, genitus Adelheide Regis Guilielmi sorore.

rore. Atque hoc pacto Hollandia, Zelandia, Frisia, cum Hannoniæ Comitatu coaluerunt. Ioanni secundo successit Guilielmus tertius, pater Guilielmi quarti, qui renuntiatus fuit Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Dynasta seu Dominus Frisiæ, anno Christi 1337. Cumque iterum defeciſſet hic melior stirps, succeſſit Ludovicus Bavarus, Comes Palatinus Rheni, & idem Romanus Imperator, Margaretæ Guilielmi quarti filiæ maritus. Ludovico succeſſit Guilielmus quintus filius. huic rursus Albertus frater. Alberto anno 1404 Guilielmus sextus. cui unica tantum filia Iacoba nomine, insolens & terribilis fœmina, nec à bellis umquam & discordiis libera. quatuor huic fuere mariti. Ioannes, frater Caroli septimi Regis Gallorum: Ioannes, Brabantiæ Dux: Humfredus Gloceſtrius, frater Angliæ Regis Henrici & cui magis ut animo obsequeretur, quam rationibus ullis aut jure inducta nupsit, Franco Borsalus, Eques Zelandus. nec Iacobæ tamen ulli ex tot conjugiis liberi. cui propterea sine ulla omnino controversia, etsi jamante ex pacto in possessionem immissus, succeſſit Philippus Bonus Dux Burgundiæ, cujus mater videlicet Margareta, filia erat Bavariæ Ducis Alberti, & Guilielmi sexti germana. atque hoc modo ad Burgundicam domum delatæ sunt anno 1435, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Occidentalis Frisiæ ditiones. quæ deinde, modo eodem & via, qua cæteræ hactenus nobis descriptæ, ac describendæ porro Belgicæ hujus Provinciæ, transierunt ad gentem Austriacam. Gubernabat Hollandiam superioribus annis, nomine Regis Catholici, Princeps Auriacus.

## ADDIT. [*De Provinciæ totius regimine, prout olim fuit, hodieque se habet.*

*Ante Diderici tempora, qui primus Comitum recenſetur, quæ Reipub. facies fuerit, haud facile est explicatu, ignorantia temporum & scriptorum, publicorumque monumentorum inopia. nam qui proxime illis temporibus scripserunt, nobis quidem Gravios & Grasiones Flarditingæ & aliorum locorum produnt; qui haud alii fuere quam justitiæ administri & publicæ libertatis custodes; quos cur alii postea Comites vocaverint, nisi à similitudine potestatis, in ambiguo est. Primis quoque illis temporibus*

bus oppida aliquot in hiſce partibus fuere, quorum alia jam ab aliquot ſeculis nominis jacturã fecerunt, alia hodieq; ſuperant. Primi autem illi Gravii non toti genti, ſed partibus præfuerunt; neque ante Didericum quiſquam proditur, qui toti Reipublicæ præfuerit. Veriſimile autem eſt, majores, quum à Normannis quotidie infeſtarentur, & graviſſima damna paterentur, neque in ducibus, quos aſciſcebant, aut in particularibus illis Graviis ſatis præſidii eſſet, ad vicinarum gentium normam ſibi unum Principem Comitis titulo elegiſſe. Porro Comites Hollandiæ, quemadmodum poteſtatem habuerint nulli vicino principi ac ne quidem Imperio Romano obnoxiam; uti in nobili controverſia, quæ inter Hollandos & Brabantos coram Carolo V Cæſare fuit agitata, liquido fuit demonſtratum; argumenta à clariſſimo viro Hugone Grotio in commentario de antiquitate Reipublicæ Batavicæ recenſentur: Quibus oſtenditur, ex quo Didericus primus terram, nulli regno obnoxiam, è barbararum manu recuperaſſet, Ordines & Comitem ſummam poteſtatem nulli quicquam debentem & omnis generis juriſdictionem, & antiquitus habuiſſe & porro habere cœpiſſe: Nullo feudi vinculo obſtrictos fuiſſe, ſed magnas Comitatus ſui partes aliis in feudum, nullius externæ poteſtatis accedente aſſenſu, dediſſe: Imperii Germanici leges ſcriptas nunquam accepiſſe: ſed neque cauſas aut Comitum aut Ordinum à Germanico Senatu umquam dijudicatas. Scimus quidem (inquit ille) Imperatores Germanos, quale quid & de Francis modo ex Procopio attulimus, præ ſe ferre ſo'ere, tum Comites Hollandiæ, quam alios principes, etiam reges, vaſſallos ſuos eſſe: quod etſi obtinerent, non eo deſinerent Hollandi eſſe liberi; cum, ut Proculus egregie demonſtrat, (L. non dubito, D. de captivis) nec clientes liberi eſſe deſinant, quia patronis dignitate pares non ſunt; nec liber eo minus ſit populus, in cujus fœdere comprehenſum ſit, ut majeſtatem alterius Comitis obſervet, dummodo alterius poteſtati ſe non ſubjecerit. unde & feudi liberi orta eſt appellatio. Verum enim vero ne hoc quidem qualecunque feudi vinculum Comites agnovere, ut & ex his quæ modo diximus apparet, & ex hiſtoria bellorum, quæ primi Comites, & nominatim Didericus IV, pro tuenda dignitate contra Imperatores proſpera ſatis fortuna geſſere. Quod ſi qui adducti neceſſitate temporum, aut proprius de cauſis Imperatoribus obnoxii, eorum patrocinium invocarunt; id tamen ipſum, præcipue Ordinibus non conſentientibus, factum, nec reipublicæ nec poſterorum principum jus deterius potuit efficere. Burgundos certe &

Auſtria-

Austriacos principes, quorum certior memoria est, compertum satis habemus Cæsaribus fidem pro Hollandia non dedisse. Legibus autem indiciisque Cæsarum & Imperii, quod præcipuum est, subjectam non esse Hollandiam, Germani ipsi fatentur. Quemadmodum, inquam, Comites potestatem nulli alteri principi obnoxiam habuerunt; ita eandem habuerunt tum legibus definitam, tum Ordinum consultis temperatam. Licet autem inopia scriptorum & publicarum tabularum non possit liquido demonstrari, quæ primis illis temporibus Principis, quæ Ordinum partes fuerint; amplissimas tamen Ordinum partes tum fuisse, ex eo satis liquet, quod, postquam à domo Burgundica & Austriaca plus detritum quam additum fuit libertati, satis amplæ remanserunt. Leges autem imperii præcipuæ hæ fuerunt, (inquit Grotius:) Ne maritum sibi accipiat fœmina princeps, nisi Ordinum Hollandiæ arbitratu: Ne munera Senatoria, Quæstoria, Prætoria, aliis quam indigenis mandentur: Vt jus sit Ordinibus in concilium coire quoties & ubicunque voluerint, nec opus habeant eam ad rem principis venia: Nova vectigalia ne quæ imponantur, neu cui vectigalium detur immunitas, nisi Ordines auctores fuerint: Bellum suscipere pro rebus tutandis aut persequendis injuriis, principi ne liceat, nisi Ordinum arbitrio: Principes in literis Germanico sermone utantur: Monetam princeps cudat & mutet prout Ordines è re esse judicaverint: Ne quam principatus partem Princeps à se possit abdicare: Ne ordinum concilium extra fines liceat evocare: Princeps si quo tributo aut collecta opus habeat, ipse ab Ordinibus exoret; per legatum id ne agat; onera nisi sponte concessa ne exigat: Iurisdictio nisi per ordinarios judices ne exerceatur: Mores antiqui legesque sanctæ sint; eas contra si quid princeps decreverit, nemo decreto teneatur. Hæc jura diu usu solo servata, postea ne pravis adulantium artibus ingenia principum in spem illegitimi dominatus corrumperentur, per partes primum conscripta, & à principibus signata; (exstant chirographa veterum principum; deinde Margaritæ Bavariæ; Ducis Turonum & Ducis Brabantiæ conjugum Iacobæ Bavaræ; Philippi Burgundi; & sequentium:) tandem, querentibus Ordinibus multa veteris reipublicæ fundamenta per desuetudinem subverti, tum ab aliis, tum maxime à Maria Burgundica, in unum collecta corpus & perpetuæ memoriæ sunt consecrata. Quanquam autem Hollandi in successione principatus ordinem sanguinis sequebantur; tamen, ut ostenderent, non ex paterna hæreditate, sed ex

*populi, hoc eſt, Ordinum conſenſu, proficiſci imperium, non prius quemquam principis loco habebant, quam juramento ſe obſtrinxiſſet Ordinibus, leges ſe patrias moreſque ſervaturum: quo facto, viciſſim ipſi, ex legibus imperaturo, fides & obedientia repromittebatur. Multis quoque exemplis probatur, imperium principale ut ab Ordinibus profectum, ita quoties princeps defecerat, ad ipſos rediiſſe. Tributa nulla umquam indicta ſine Ordinum decreto: quæ, ob cauſas quas diximus, preces, Belgice* beden, *appellabantur. Ex omnibus autem hiſce apparet, imperium Comitibus non ſine exceptionibus datum, & ſummam ſemper Ordinum fuiſſe authoritatem. Tenuit hæc regiminis facies per aliquot ſecula. Primi Burgundi aliquid de libertate deterere cœperunt, ſed latenter & parce: Carolus dein Imperator, paulo apertius & validius: Filius autem Philippus omnes libertatis publicæ limites perfringere certus, rebellionis crimine intentato, abſolutam dominationem ſtabilire conatus fuit: unde miſerrima rerum facies conſecuta. Certavit quidem diu populorum fides cum libertate: Sed, cum violatis palam legibus, contemtis Ordinibus, illa tot ſeculorum Reſpubl. & poſterorum libertas ſalva diutius eſſe non poſſet; Ordines Hollandiæ, ad quos & legum & juris ſui atque publici tutela ſpectabat,* anno CIↃ IↃ LXXII, XIX *Iulii, inſtituto Dordraci Nobilium & ex urbibus pleriſque legatorum conventu, majorum ſecuti exemplum, qui in Romanos dominationem cœptantes arma ſuſceperant, bellum contra Albanum (qui Regis nomine præerat) decernunt: exſules per injuriam pulſos reſtituunt: Wilhelmum Arauſionenſem Ducem agnoſcunt: Tandemque* anno CIↃ IↃ LXXXI, XXVI *Iulii, tam Hollandiæ, quam Fœderatorum populorum Ordines, pronuntiarunt, Philippum, ob violatas imperii leges, ipſo jure, principatu excidiſſe. Rege abdicato, non tamen optimates ſine principatu Rempublicam geſſere; ſed ut olim regibus duces ſucceſſerant, ita tunc ſublato Comitis nomine, legitimum imperium Arauſionenſis accepit, & admirabili cum Ordinibus concordia geſſit. Huic enim Præfecti provinciæ nomine datum, ut caput eſſet Curiæ Hollandiæ: itemque præſidiis imperaret: urbanos Magiſtratus è nominatis eligeret; & pœnas etiam capitales remitteret. quæ omnia ſunt eminentiſſimæ authoritatis. Hoc vero per infandum ſcelus ſublato, Leiceſtrio præfectura oblata, qui Anglorum auxilia adduxerat: ſed cum is, regios gerens ſpiritus, moris noſtri ignarus, & pravis conſultoribus obſequens, regimen Ordinum obtrectare, & res novas moliri cœpiſſet; Ordines ſuam poteſtatem, à qua Leiceſtrius mandatum imperium accepiſſet, juſtiſſimam ſimul & antiquiſſimam demonſtrant; eoſque, qui in ipſius gratiam*

per

per seditionem res innovare instituerant, capite plectunt. Quibus intellectis, quum Leicestrius fuga imperium deseruisset, Mauritius, Wilhelmi Arausionensis filius, Hollandiæ viciniſque regionibus præficitur. Cui jam frater Fredericus Henricus feliciter successit.

Porro post imperium Philippo abdicatum, quicquid est juris publici, ab Ordinibus gubernatur vel universim per se, vel singulatim per alios. Per se quidem, coactis publicis Comitiis. Ea constant duobus membris, Nobilibus, & Civitatum delegatis.

Nobilium Ordinem referunt generis splendore & vicorum ditione præcipui, numero ferme duodecim. quorum ubi quis mortuus, alium ipsi cooptant. Inter Nobiles primum locum obtinent Brederodii. Ex hac classe in Comitiis publicis sistere se consueverunt vario numero, numquam tamen pauciores tribus; qui conjunctim unum tantum suffragium habent, sed primum. Hodie Nobilium & equestris ordinis nomine ad publica Ordinum Comitia vocantur sequentes. Illustris D. Ioannes Wolphardus Brederodius, liber dominus Vianæ, &c. Nobilissimus D. Ioannes à Wassenaria, dominus Duvenvorde, Voorschoten, Sterrenburgh, Saltuarius Hollandiæ & West-Frisiæ. N. D. Wesselus à Boetselaer, dominus Asperæ, &c. N. D. Iacobus à Wiingaerden, dom. Benthusiæ, Soetermerii, & Ruychbrouck, &c. N. D. Albertus de Scaga, liber dominus Scagæ, Versingerhoorn, Haringhuysen, & Vinckhoorn, &c. N. D. Iacobus à Wassenaria & Duvenvorda, dominus Warmontii, &c. N. D. Nicolaus Bouchorstius, dominus Norvvici; Dijckgravius & Balivus Rhenolandiæ. N. D. Henricus Raephorstius, dom. Raephorstii, &c. N. D. Franciscus Aersseenius, Eques, dom. Sommelsdijck & Ooltgensplatæ, &c. N. Dom. Ioannes Matenesius, dom. Matenesii, Riviere, Opmeer, &c.

Civitates quæ legatos suos solent mittere sunt: Dordracum, Harlemum, Delphi, Lugdunum, Amstelodamum, Gouda, Roterodamum, Gorichemum, Scidamum, Schoonhovia, Brila, Alcmaria, Horna, Enchusa, Edamum, Monachodamum, Medemblica, Purmerenda. Legati plerumque sunt civium Magistri; quibus accedit unus aut alter è Senatu, & Assessor Iuris peritus. Sententiam primo loco dicit Nobilitas, deinde urbes suo quæque loco. Conventus autem hic Ordinum, penes quem summa est Hollandiæ potestas, ter quaterve anno, aut quoties res poscit, indicitur; & Hagæ habetur. Auctis autem cum bello & oneribus & negotiis, alius quoque consessus institutus est, qui perpetuo Hagæ agit, & ærarium regit, resque eo spectantes dijudicat; atque adeo quando

*ipſorum Ordinum conſeſſus non habetur, illum quaſi repræſentati, & utiliter ab ipſis deliberata exequitur: Ordinum Conventum quum opus eſt convocat, & articulos de quibus deliberandum eſt, ſingulis membris hujus conventus ſubmittit: Vtrorumque tam Ordinum quam horum Deputatorum actiones dirigit & moderatur aſſeſſor Iuriſperitus; (quem Hollandiæ Advocatum ſolebant appellare.) Hic prima Comitiorum die breviter aperit de quibus agendum: Ordines autem præſtito prius fidelitatis & ſilentii jurejurando, de ſingulis deliberant; & quod major pars decreverit, id ratum habetur; (præterquam in rebus maximi momenti, in quibus ſingulorum conſenſus expectatur:) & ab eodem aſſeſſore in acta refertur; quorum exemplaria octavo poſt peracta Comitia die Nobilitati & ſingulis Civitatibus mittuntur.*

*Præter hæc ordinaria atque extraordinaria collegia, duo præterea ſunt collegia Rationalium. Quorum unum jam ab* anno CIↃ CCCC XLVI *viguit à Philippo Burgundo inſtitutum; penes quos eſt directio, inſpectio & adminiſtratio patrimonii publici, (quod vulgo domanium vocant,) & eorum quæ eo pertinent: hoc collegium vulgo appellatur* De kamer van de rekeningen des Graeflijckheyts van Hollandt, *&c. in eoque hodie verſantur Ventidius Riccius, Præſidens Conſiliarius & Magiſter rationum: Ioannes Baſius, dominus in Harinckarſpel, &c. Conſiliarius & Magiſter rationum: Adrianus Tauvvius, Eques, dominus in Heemſtede, &c. Conſiliarius & Magiſter rationum: D. Iacobus à Wijngardia, Eques, dom. Benthuyſen, &c. Conſiliarius & Magiſter rationum: M. Didericus à Santen, Auditor rationum ordinarius: Iacobus à Mierop, itidem Auditor: & Ioannes Perſinius, Graphiarius cameræ rationum. Alterum haud ita antiquum; quippe bellicis hiſce temporibus natum; in quo examinantur rationes omnes communium tributorum & vectigalium hujus provinciæ, itemque eorum quæ extra ordinem ex decreto Illuſt. D. D. Ordinum Holland. & Weſt-Friſ. exiguntur à ſubditis; præterea bonorum eccleſiaſticorum; & apparatuum bellicorum; denique Vniverſitatis Leydenſis, &c. Præſunt huic negotio unus è Nobilitate, & bini ex oppidis Holland. & Weſt-Friſ. Delegati, qui tribus annis eo munere funguntur. Superioribus quidem annis Bernardus Cromvlietius, (qui & rationum Magiſter erat in ſuperiori collegio,) nomine & qualitate Auditoris, actis ſcribendis fuit adhibitus. ipſo autem defuncto, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, in ipſius locum fuerunt ſubrogati M. Ludovicus à Kinſchot, & Hugo Caſſiopinus, Secretariorum titulo: qui, præſentibus dictis delegatis, rationes omnes audiunt & concludunt.*

*Iudicia*

## *Iudicia & Tribunalia.*

PRæter varia judicia & tribunalia, quæ particulatim in urbibus & pagis constituta sunt, uti cap. V diximus, est commune quoddam tribunal, quod Curiam Hollandiæ dicimus. Cujus caput est Præfectus Provinciæ: Ad quam à cæteris omnibus tribunalibus provocatur. Hic ipsæ quoque urbium controversiæ, aliaque magni momenti disceptantur. In hac sedent veteri instituto, virî nobiles, aliique legum & morum periti, atque I. V. Doctores, numero duodecim, quorum unus est Præses, cum Graphiario & Secretario. Eliguntur ab Ordinibus Hollandiæ & Zelandiæ, (nam & de Zelandorum judiciis cognoscit,) hoc ordine, ut Hollandia nominet duos Præsides successive, Zelandia deinde unum: Ex judicum autem numero Zelandi tres allegunt, Hollandi cæteros. Ii hodie sunt Nicolaus Cromhoutius, domin. Vryehove, Præses: Petrus Couvvenburgius à Beloys: Andreas Wittius: Reynerus Persinius: Ioannes Oomius à Wijngaerden: Ioannes Lœnius: Ioannes Dedel: Abrahamus vander Meer: Wilhelmus à Muylvvijck: Hugo Blockius: VVilhemus de Lyra, dominus Ostervvici; qui hodie D. D. Ordinum Legatione fungitur apud Serenissimam rempublicam Venetam: Gerardus Crommon. Ab hac curia, Machliniense auditorium appellari solebat; quod ut in commune sibi jus diceret, rogatu Principum Burgundorum, diversarum nationum Ordines consenserant. Ejus in locum (jam anni sunt quadraginta septem aut circiter) Hollandi & Zelandi novum consessum virorum doctrina eminentium instituerunt, (supremum senatum vocant,) à quorum sententiis nemo appellatur. Supplicari tantum D. D. Ordinibus solet, ut lectos extra ordinem judices ad collegium adjungant, qui diligenter exquirant, rectene an per errorem sit judicatum: Revisionem ejusmodi actum vocant. Constat hic senatus Præside, & novem senatoribus; quorum itidem tres à Zelandis eliguntur: hodie autem eo munere funguntur Reynoldus Brederodius, Eques & liber Baro in Wesenbergh, dominus Veenhuysen, Spanbrouck, Oosthuysen, Præses; Rochus Honardus: Apollonius Scottus: Paulus ab Asperen: Franciscus Fagelius: Reynerus Pauvvius: Iacobus Coren: Leonardus Casenbrootius: Nicolaus Reygersbergius: Cornelius de Ionge, dominus Oosterlandiæ & S. Ioannislandiæ.

*Leges quædam aut instituta.*

HOllandia & Westfrisia, præter jus Romanum, quo libere utitur, suas proprias leges & consuetudines habet, quæ interdum in singulis urbibus variant. De iis hic multa dicere non est nostri instituti. De successionibus tamen ab intestato pauca hic notabimus è Clar. viri Cornelii Neostadii observationibus. Hollandia (inquit observatione rerum judicatar. 11) antiquitus, ut fertur, unica fuit, Rheno & Mosa flum. ad plagam meridionalem concluſa. Cæterum urbium agrorumque plurium ultra Rhenum Mosamque acceſsione in ſeptentrionalem & meridionalem diſtingui cœpit. Meridionalis illa dicta fuit, cujus metropolis Dordracum eſt: cætera vero ſeptentrionalis. Et licet utrobique iiſdem legibus & moribus viveretur; inteſtatæ tamen ſucceſsiones diverſiſsimo jure deferebantur. In hac enim, Boreali ſcilicet, (Hagacomitenſi & Roterodamenſi ditionibus exceptis,) jus in uſu erat quod Aſingicum ſeu Aſdomicum, ab Aſingiis ruſticis, qui ruri jus dicentibus præerant, dicebatur. In meridionali vero jus Scabinicum vigebat, ſic à Scabinis vetuſtiſsimis judicibus dictum. quod & à loco jus meridionalis Hollandiæ nuncupatum fuit.

Succeſsio autem Aſingica ita ſe habet: ut primo loco liberi ſuccederent, ſed proximi tantum, omni ſubmota repræſentatione: adeo ut nepotes ex filio, patris præmortui locum in ſucceſsione avi non referrent. Poſt liberos prima ſucceſsio erat parentum ſeu adſcendentium pro gradus cujuſque prærogativa. Deinde ſequebantur fratres & ſorores, nec intererat, uterini, conſanguinei, an germani eſſent; ſolius etenim gradus, non etiam ſanguinis plenioris, ratio habebatur. atque ita poſt fratres ſuccedebant fratrum filii, una cum patruis, avunculiſque in capita. Et ſic tranſverſales, deinde proximi, graduum tantum computatione habita.

Scabinico porro jure, liberorum prima erat ſucceſsio in ſtirpes. Secunda utriuſque ſimul parentis: Non tam quod primo eſſent gradu, quam quod defuncti bona (ex eo quod plerumque accidit) ab iis profecta cenſerentur: Si vero ſola graduum ratio fuiſſet habita, ubi parentum alter duntaxat ſuperſtes eſt, ipſe fratreſque per eum defuncto juncti, excludi non potuiſſent; quos tamen iſto jure non admitti certiſsimum eſt. Tertia autem ſucceſsio, altero parente etiamnum in vivis exiſtente, deferebatur parentis præmortui hæredibus, etiam iis qui remotioris erant gradus, ſed pro ſanguinis modo & quantitate. Si uterque parens è vivis exceſsiſſet, omnes quidem fratres & ſorores ſuccedebant; ſed Germani gemina

mina divisione & consanguineis & uterinis partem auferebant: ut qui duplici sanguinis vinculo, patris scilicet & matris, defuncto essent agnati. Post fratres & sorores, eorumque descendentes, succedebant defuncti avus & avia, si simul vel paterni vel materni in vivis essent: Sin ex iis alteri tantum, vel paterni vel materni è vivis excessissent, superstites avi aviaque, quique per eos defuncto cognati erant, non succedebant, verum hæreditas prædefunctorum avorum aviarumque hæredibus deferebatur: Hi defuncti erant patrui, avunculi, cæterique in stirpes. Licet autem amplissimorum Ordinum constitutione politica, 1580 edita, jus scriptum & omnia succedendi ab intestato in allodiis jura sint abrogata, novaque legi cedere jussa; usus tamen quotidianus docet, constitutioni politicæ, ejusque moderamini & interpretationibus consequutus, per pacta antenuptialia ut plurimum derogari, successionemque Scabinicam seu vetus jus Hollandiæ meridionalis in usum revocari.

Politica institutio hodie ita se habet: In omnibus successionibus ab intestato liberi & eorum descendentes per rectam lineam in infinitum parentibus succedunt in stirpes & per repræsentationem. Si autem desint ejusmodi descendentes, & parens uterque superstes sit, ii in bona defunctorum liberorum universaliter succedunt. Verum utroque parente aut altero tantum defuncto, succedunt fratres atque sorores & eorum liberi atque nepotes per repræsentationem in omnia defuncti bona; ea tamen cautione, ut uterini tantum fratres & sorores, eorumque liberi & nepotes, utì & alii collaterales agnati, qui defunctum tantum ab uno latere contingunt, dimidia solum manu succedant, & secundum proportionem qua defuncto agnati sunt. Si omnes descendentes, pater atque mater, fratres & sorores, eorumque liberi, nepotesque aut alii descendentes, desint; tum patrui aut amitæ defuncti, & ipsorum liberi in stirpes & per repræsentationem succedunt. Nisi forte avus & avia ambo ab uno latere sint superstites: tunc enim illi patruis & amitis ejusdem lateris, & eorum dein liberis, (qui licet eorumdem avi & aviæ liberi aut nepotes sint, non tamen sunt defuncti fratres aut sorores,) in successione, quæ ab eodem latere venit, præferuntur. Itaque nulli parentes aut ascendentes, cum alter parentum aut ascendentium conjugum discessit, liberorum aut eorum descendentium hæreditatem capiunt. Et defuncti bona semper ad agnatos utriusque lateris, paterni & materni, devolvuntur æqua proportione, nulla ratione ineunda, plurane bona defuncto à parte patris an matris & è contra obvenerint. Denique infinita collateralium repræsentatio ad fratrum aut sororum tantum

*rum nepotes & patruorum filios restringitur, omni ulteriore repræsentatione cessante: nam extra hos gradus, ut quique defuncto gradu & cognatione proximi sunt, in capita æqua portione succedunt. Denique nova Ordinum constitutione cautum, inquit, Neostadius Decis. XLVI,) omnem hæreditatem dividendam primum in duos semisses, quorum alter hæredibus paternis, alter maternis cedat, siquidem uterque parens sit vita functus: sin alteruter tantum etiamnum in vivis agat, (puta mater,) defuncti bona excluſa matre dividenda esse inter hæredes tantum paternos, eadem tamen subdivisione inter heredes avi paterni & aviæ paternæ, ut illi unum, hi alterum semissem auferant.*

*Est & hoc observandum: Tametsi fundi emtor jure scripto colono venditoris stare non teneatur; secus tamen moribus nostris receptum esse: in tantum, ut colonus, cui alioquin de jure non nisi personalis actio competit, etiam retentionis jus habeat; funduſque conductus non alia sub hasta distrahi possit; quam cum onere locationis, ut ut hypothecarii creditores reclament. Neostadius.*

*Feudorum apud Hollandos duo sunt genera: quorum alterum ex Principis ipsius patrimonio; alterum ab ipsis subditis originem traxit. Quod ab ipso principe ex ipsius patrimonio subditis concessum est, id* feudi recti, veri *seu* proprii *nomen utplurimum obtinuit: ejus autem successio ita procedit, ut prima filio debeatur qui sub mortem patris, cui successurus est, reliquos ætate antecedit: sin filii defuerint, succedunt nepotes; nec refert sintne nepotes ex filio majore, an aliquo minore natu progeniti; repræsentationi enim in feudis locus non est: si nepotes desint, eadem est pronepotum ratio: deficientibus vero virilis sexus hæredibus, sive successoribus, feudum caduci juris titulo Principi vel domino committitur; nisi dissertim filiarum etiam successio in dominicis primævæ institutionis tabulis fuerit expressa; tum enim ob propriam feudi recti naturam, ex pactionis forma immutatam, filias primigenias Principi aut domino anteferri oportebit: & post eas, qui iisdem legitimo jure ordineque successuri; ita tamen ut mares semper, quoad ultimi successoris recta linea defecerit, sequiori sexui anteponantur. Alterum vero feudi genus, quod ex clientis ipsius bonis (rei proprietate, fiduciarii juris titulo in principem translata) originem cepit, hæreditarium appellatur; quia traditur pro se proque hæredibus suis, ac successoribus seu post venturis in bonum, neque ullo tempore intermoriturum feudum: ita ut, quandiu aliquis existit, qui, vel remotissima sobrinarum cognatione defunctum contingens, in vacuum succedere possit, ad feudi possessionem domino aditus non fiat, Eaque causa est quamobrem* feudi

boni

boni *vulgo nomine vocitetur*; *contra vero feudum rectum*, *ob contractiores successionis limites*, *ac præproperam nimis in jus dominici fisci reversionem*, malum feudum *apud nostrates audiat. Habent & aliam feudi distinctionem, in novum, & paternum. Novum vocant, quod à Principe ipsiusve vasallo datum, alius nemo decessorum acquirens antea possedit. Hujus prima successio filio primigenio defertur; secunda filiæ natu majori, tertia ex filio filiave nepoti; quarta nepti; atque ita deinceps cæteris agnatis, cognatisve; sexus semper, gradus, ætatisque, non etiam originis, discrimine servato. Vnde, si nepos ex filia, nepotem ex filio, ætate superet; origine non attenta, nepos ex filia feudo potietur: Sed si mas ulteriori gradu sit constitutus, natu minor, qui gradu prior est, vel etiam fœmina, haud dubio præferetur. Feudum paternum vocant, quod antea constitutum successionis ordine ad nos pervenit. Hujus successio plane eadem est: sed in eo differunt, quod feudum hoc absque conferendi onere percipiatur; quam successor in feudum novum, (modo non sit gratuitum,) quantum acquirentis patrimonium feudi causa diminutum est, tantum communi hæreditati restituere cogatur. Qui plenius cætera cognoscere desiderat, adeat ipsum Neostadium, de feudi juris scripti, Hollandici, Westfrisicique successione.*

## *De regimine urbium & pagorum singulatim.*

VRbium cura (inquit Grotius, in lib. de antiquitate reipub. Batavicæ) *penes cujusque Senatum & Magistratus, quibus concessum intra suum territorium & leges quasdam condere & ad urbis necessitates onera imponere. Senatores perpetui: Magistratus annui, nullo aut exiguo salario. Magistratuum majorum, civium quidem Magistri jura plebis & urbis statum defendunt: judiciis Scabini præsunt, cum pecuniariis, tum etiam capitalibus, accusatorum publico munere, non sine imperio quodam, fungentibus his quos Balivos & Scultetos dicimus. Iurisconsulti Magistratibus assident. Vicorum duplex Iurisdictio, major minorque, partim penes Rem. publ. est sive Comitatum, partim penes Nobilitatis præcipuos, qui eam à majoribus acceperunt. Minor per Scultetum & Scabinos: major per Balivum & feudorum possessores, aut agrocolentium potissimos, quos bene natos vocant, expediri solet. Sunt & propria cognitiones silvarum & venationum penes Saltuarium ejusque sodales: aggerum vero, quibus Hollandiæ salus maxime continetur, penes Dijck gravium, hoc est, aggerum Comitem*

tem, & Heymradios. Ab horum omnium ſententiis, niſi quod rerum capitalium damnatis appellare vix conceditur, ad Curiam Hollandiæ provocatio eſt, quam & Zelandia agnoſcit. Hæc ille.

Licet autem ſingulæ urbes ſuum Senatum perpetuum, ſuoſque Magiſtratus habeant; tamen in pluribus atque adeo pene ſingulis tam Senatus quam Magiſtratus nonnihil variant. quia autem in ſingulis urbibus id perſequi nimis longum eſſet, in præcipuis aliquot, differentias haſce aperiemus.

Durdrechti (cujus urbis regimen à cæteris Hollandiæ urbibus plurimum variat) ita ſe res habet. Vniverſum urbis regimen eſt penes Scultetum, Conſulem ſive civium Magiſtrum, Scabinos, Senatores, Ex-Senatores (vulgo Oudt-Raden) & octo-viros (quos ipſi vocant goede luyden van achte.) Scultetus, qui Principem repræſentat, à Gubernatore Hollandiæ eligitur ex tribus à Senatu nominatis. Civium Magiſter, qui hic unicus tantum, ter quotannis eligitur ab Ex-Senatoribus, (quorum ipſum unum eſſe neceſſe eſt) & octo-viris à prætore ad id citatis & juratis: Si vero octo viri omnes ſuffragiis in unum conveniant, VIII ſuffragia illorum pro XII computantur. Scabini & Senatores ſunt qui quotidie jus dicunt; Scabini nimirum novem, & Senatores quinque. Eorum dimidia pars quotannis mutatur, nimirum uno anno quatuor Scabini & tres Senatores, altero quinque Scabini & duo Senatores. Nominantur autem duplo numero à XL viris; ii ſunt omnes ex qui Magiſtratu funguntur, & qui ab Magiſtratu fungentibus è cæteris civibus ad juſtum numerum ſubleguntur; quorum XL-virorum nullum aliud munus eſt, quam ſemel quotannis Scabinos & Senatores nominare, aut iterum ſi quis intermedio tempore vita functus fuerit alium in demortui locum ſurrogare; è duplo porro numero à XL-viris nominato, Præfectus Hollandiæ ſingularem numerum eligit: Scabini denique & Senatores ita electi munus ſuum auſpicantur pridie feſt. S. Michaelis, & munere ſuo per biennium defuncti, deinceps pro Ex Senatoribus habentur, quorum numerus incertus eſt. Octo viri communium ſive plebis vicem obeunt, ii quotannis à Gildarum præfectis, ſive decurionibus artificum mechanicorum, triplo numero nominantur, nimirum è quatuor urbis regionibus ſeni; è quibus dein à Præfecto Hollandiæ octo eliguntur; qui feſto S. Simonis & Iudæ munus ſuum auſpicantur.

Lugduni Batavorum Senatus conſtat XL-viris; qui ſoli Scabinos nominant. his, cum de aliis rebus in commune conſulitur, accedunt omnes ii qui aliquando Magiſtratus functi fuerunt, (& appellantur

pellantur Vroedſchappen,) *licet extra numerum illorum* XL *ſint. Conſules annui ſunt quatuor, quorum unus ſemper in biennium prorogatur. hi ab omnibus Senatoribus eliguntur. Scabini octo; qui à* XL-*viris duplo numero nominantur, & à Præfecto Provinciæ, aut, ipſo abſente à Curia Hollandiæ, eliguntur. Theſaurarius unus.*

*Amſtelodami* (ut Pontanus accurate deſcripſit) *Senatus conſtat* XXXVI-*viris jam à tempore Philippi Burgundi. Ab hoc Scabini numero novem creantur, (more aliis quoque urbibus uſitato; quo duplicem numerum produnt, è quo juſtum eligit Præfectus Provinciæ.) horum Scabinorum munus annuum eſt: & ut eos* XXXVI-*viri quotannis eligunt; ita viciſſim penes illos, adjunctis iis, qui annis ſuperioribus Scabinatu perfuncti ſunt, Conſulum eſt electio, à quibus deinceps ſubalternus omnis & minor Magiſtratus pro arbitrio conſtituitur. Conſules quatuor. ii fere dicuntur è Conſularibus; quorum numerus duodenarius plerumque ſervatur, licet jam ab aliquot annis crebro minor fuerit; ubi autem completus eſt duodenarius numerus, non temere extra illos quiſquam Conſul nominatur. Præter autem hoſce novem Scabinos, alii quatuor veluti arbitri & Commiſſariorum nomine jam ab* anno CIↃ IↃC XI *conſtitui cœperunt. qui de cauſis cognoſcunt, quæ valorem* XL *florenorum nõ excedunt, (exceptis areſtatis, ut vocant:) item de cauſis inter heros & famulos, artiũ mechanicariũ decuriones & ſingulos mechanicos; & ſimilibus: item de injuriis, verbiſq; minacibus, verberibus, plagiſq; à quibus ad Scabinos provocatur. Theſaurarii hic bini: Rationarii autẽ plures. Habet hæc urbs præterea Magiſtratũ peculiarem, qui de aſſecurationibus, ut vocant, jus dicit. nam commerciis in immenſum auctis, & periculis itidem maritimis, ſolent mercatores certo pretio alii aliis naves merceſq; aſſecurare; id eſt, omne periculũ ſtipulatione prævia in ſe recipere, excepta certa portione, quam proprietarius ipſe periclitari cogitur: è qua re quamplurimæ lites oriri ſolent, quæ ab hiſce judicantur, ita tamen ut ab iis ad alia tribunalia provocetur. Huic dicaſterio (inquit Pontanus) proxima eſt menſa argentaria, ſive collybiſticam potius dicere libeat; cujus præfecti tres, Commiſſarii Banci vulgo appellantur, & è viris Senatoriis eliguntur. Ad inſtitutum demum* anno CIↃ IↃC VII *obtinere cœpit, abrogatis atque inhibitis cæteris omnibus quicunque è civibus huic negotio operam impendebant. Haud minimum hodie & emolumenti & commoditatis hanc rationem publicis commerciis adferre conſtat. Nam præterquam quod nummi & moneta omne genus legitimo & æquabili hic pretio haberi, eorumque permutatio fieri, & facili & haud magno*

*gno impendio poſsit, etiam maximum in teſſeris collybiſticis, quas literas cambii barbare vocant, uſum obtinet. Nam Mercatores plerumque paratam pecuniam in hanc veluti publicam cuſtodiam deponunt, & quantum cuique ibi in arca ſit, publice à ſcribis in acta refertur: adeo ut ingens perpetuo apud hos auri & argenti vis deponatur, ſerveturque. Iidem ſoli & aurum argentumque infectum, itemque monetam peregrinam legibus interdictam redimunt, & publica moneta cudendam curant: aut eis quibus peregrinis nummis opus eſt vendunt; magno reipubl. arcano.*

*Roterodami Senatus perpetuus conſtat* XXIV-*viris, quorum Scultetus unus eſſe ſolebat, qui nunc excluditur: horum cum unus mortem obierit, cæteri, tres in demortui locum nominant, è quibus unus à Præfecto provinciæ eligitur: Atque hoc diverſum habent à cæteris urbibus, quæ Senatum ſuũ per ſe eligunt. Tres his civium Magiſtri ſive Conſules. Scabini ſeptem. Ii ſingulis kalendis Majis mutantur. nominantur autem modo peculiari:* XXIV *fabæ, inter quas ſunt quinque nigricantes, in urnam conjiciuntur, quas* XXIV-*viri ordine educunt; quibus nigræ obvenerunt, ii eo anno nullo Magiſtratu fungi poſſunt, ſed penes illos Magiſtratuum nominatio eſt; quorum duplum produnt numerum; ſingularem conſtituit Provinciæ Præfectus, ut fere alibi.*

*Enchuſæ Senatus perpetuus conſtat* XX-*viris: qui in demortuorum aut alioquin ignominioſe deſtitutorum locum (quod rarum) ipſi plurium ſuffragiis alios ſubrogant. Conſules hic* IV; *Scabini* VII. *Conſules ſive civium Magiſtri eliguntur hoc modo: Pridie kalend. Ianuar. à Sculteto, Theſaurario & Secretario ſchedæ ſeptuaginta duæ aut circiter tribus nominibus honeſtiorum & opulentiorum civium inſcribuntur; & poſtquam à Conſulibus viſitatæ & correctæ fuerint, complicatæ in ærario urbis in craſtinum reconduntur: kalend, autem Ianuariis, ipſo meridie, poſt preces conceptas, à ſeptem Scabinis ſingulæ ſchedæ ſorte educuntur; & qui illis inſcripti fuerint, ſtatim vocantur; qui è reliquis ſedecim Senatoribus tres civium Magiſtros eligunt pluritate ſuffragiorum; qui ſtatim cum quarto, qui in biennium è præcedentibus prorogatur, munus ſuum auſpicantur. Scabinos vero creat Scultetus eiſdem kalendis, è quatuordecim à Conſulibus præcedentis anni pridie nominatis.]*

Et hactenus quidem de nobiliſſima iſta & celeberrima Regione. procedamus deinceps in inſtituto nobis itinere.

ZELAN-

25
SEPTE
Miliaria Zeelandica
1 2 3 4
52
Germanicum
Mare
Ooſtvo-
orn
Recamge
Goeree
Brouwerſhaven
SCOU- -WEN
Hamſtede
Zereeſkercke
Zuytkerck
Bommenee
Zierickzee
DUVE
LA ND
Ooſterlant
Campen
Domburch
Vere
Weſtkapel WALCHE
REN
Armuyen
Poppendam
Middelburch
Vliſſingen
Scheldeſtu
Goeß
ZU YDT
Bieſel ingen
B- -EVER
Baersdorp
LANT
Baerlant
Coedorp
Valke-
nis
Dullaert
Terneus
Nieuvliet
Heyn
30
OCCIDENS
25
MERI

NT. 30
26
52
30
26
DI. 30
ORIENS
Vlaer: dingen
Sch-ie-dam
Perniß
Yselmont
Papendrecht
Hekelin gen
Coblants
Beverlandt
Dort
Westmase
Stryen
Biesbosch
Stadt
OVER FLAC: KEE
Oelkensplaet
Volkerack
S. Geertruden: berge
Bergen
Breda
Loer bosch
Ouden-
Etten
Voße maer
Westkerck
Steenberghen
Tolen
Woude
Pars Brabantiæ
Bergen op zoom
Agger
Weele
ZEELANDIA

ZEELANDIA

# ZELANDIA

## COMITATVS.

ZELANDIAM ſunt qui dicant eas inſulas eſſe quas priſci *Arboricas* dixerint. Recens terræ vocabulum, ſi Danorum quidem annalibus credimus, inditum à Danis, quos occupatam, ut mox dicturi ſumus, Walachriam, de primaria Danici Regni inſula, Zelandiam nominaſſe adfirmant, atque hoc ipſo nomine & finitimas aliquot inſulas eſſe complexos. Ego, ne in aliorum opinionibus memorandis longior ſim, componi hoc nomen crediderim ex duplici voce vernacula *Zee* nimirum & land / quas Latine expreſſeris *terram marinam*, quæ originatio mihi ſatis videtur liquere. Galli ad Belgas fere accedunt, & *Zelande* pronuntiant. Itali vero hanc vocem, ut & cæteras omnes, ad dulcedinem idiomatis noſtri aptamus, & *Sielanda* vulgo proferimus. Conſtat, ut verbo dicam, Zelandia ex variis Inſulis, quarum ſingulis, ſua diſtinctim vocabula ut majori quidem ex parte ſuis infra locis docebimus. atque hæ quidem Inſulæ, quindecim, vel ut alii volunt, ſedecim numero, generali iſto Zelandiæ nomine continentur, & Comitatum inter ſe junctæ conſtituunt. poſitæ autem ſunt in ea maris Oceani parte, quæ ad Africum Zephyrumque obvertitur, ſed Cauro tamen magis expoſitæ. à ſeptemtrione habent finus quoſdam marinos, pæne foſſarum inſtar, & nominatim Flackæam, qua ab Hollandia ſeparantur. ab auſtro eſt lævum cornu ſeu brachium Scaldis, quod vulgo audit de Houdt / & à Flandria eas diſtinguit. ab ortu, dextero ejus fluminis cornu, quod vocabulum nuſquam mutat, à Brabantia diſpernuntur. ab occaſu denique Oceanum habent, & Angelis jacent obverſæ. Quidam Inſulas Zelandicas aut certe nonnullas earum ſuſpicantur eaſdem eſſe, quas Cæſar efficere tradit Rhenum, multis capitibus in Oceanum influentem. Alii continentem ejus ævo fuiſſe exiſtimant, ac Scaldim, ipſas & inter ſeſe & Flandria diſtin-

distinguentem, influxisse, ut perhibet idem Cæsar, in Mosam eo adeo loci, ubi in Mervam hactenus influit ille rivulus, cujus in descriptione ipsius Scaldis supra nobis facta est mentio. Cornelius Battus visa sibi commemorat monumenta quædam antiqua, in quibus perscriptum esset, Zelandiam, anno circiter primo à nato humani generis Redemtore, & aliquamdiu post, aliud nihil fuisse quam perpusillas aliquot Insulas, fossis quidem distinctas, sed cultoribus vacuas. Ioannes Reigersbergius rerum Zelandicarum chronographus, & cum eo alii quidam recentiores, ostendit pleraque has Insulas, aut saltim proximas quasque, cohæsisse olim videri cum Flandria, & ab ea inusitata quadam maris tempestate, Scaldi novam viam aperiente, anno 938 fuisse avulsas. Agit etiam hisce de rebus, Principis olim, nunc Regis, Philippi per hunc tractum itinere, Ioannes Christophorus Calvetus Stella. Lævinus Lemnius, medicus Zirizæus, de quo infra prolixius, ut amantior patriæ civis, nititur quidem probare, Zelandos esse eos, qui olim Mattiacorum nomine à Cornelio Tacito celebrati sunt; cujus etiã verba è libro de moribus Germanorum profert: *Est in eodem obsequio Mattiacorũ gens, Batavis similes, nisi quod ipso terræ suæ solo ac cœlo acrius animantur:* Verum siquis attentius paullo rimabitur præcedentia simul & subsequentia Taciti verba, inveniet sane, Mattiacos in Germania habitasse, & quidẽ, ut addit ille, trans Rhenum. Neq; vero is auctor in toto hoc scripto aliud propositum habet, quam ut solos Germaniæ populos, urbesq; ipsorũ & mores describat. Batavos autẽ solum exempli caussa nominat, ut ostendat quo obsequii genere Mattiaci olim Romanis essent obstricti. nec invenietur profecto vel hoc ipso opusculo, vel in reliqua omni historia ullam omnino facere mentionẽ alterius cujuscumque rei, quæ referri possit ad nostros Zelandos. Quin ne Plinius quidem, aut Strabo, aut cæteri illi classici & antiqui scriptores, ullam usquam invenientur hujus rei notitiam habuisse. Illud potius colligetur, denominatos fuisse Matticos à Mattiaco urbe Germaniæ, in Hassia (quod ex Ptolemæo observes) sita. urbe inquam calidis fontibus celebri. unde Plinius lib. 31 cap. 2. *Sunt* (*inquit*) *& Mattiaci in Germania fontes calidi trans Rhenum, quorum haustus triduo fervet, circa marginem vero pumicem faciunt aquæ.* & Martialis:

*Si*

*Si mutare paras longævos cana capillos,*
*Accipe Mattiacas (quo tibi calva?) pilas.*

Consideretur porro, ut alias rationes nunc omittamus, in quanam parte Zelandiæ, quæ in aquis quodammodo tota est posita, umquam fuisse potuerint nobilissimi illi calidi fontes, ex ipsis adeo terræ visceribus soliti scaturire: & constabit profecto, veteres illos Mattiacos nihil habere cum Zelandis nostris commune.

ADDIT. [*Negat Guicciardinus, Zelandos olim dictos fuisse Mattiacos, & Lemnium, Taciti maxime auctoritate subnixum, non uno argumento refellit. cujus tamen sententia, ne quidem si demus nihil pro nobis facere Tacitum, non propterea debet cuiquam videri absurda: nedum ut falsa protinus judicanda sit. etsi enim Mattiaci origine olim Germani, quid vetat, quo minus quam Catti, populi ipsis finitimi, cum Batone quondam in has oras delati sint, & quemadmodum illi Hollandiam, ita ipsi Zelandiam nostram insederint? quodque passim receptum est, colonias primum à se deductas gentis & patriæ suæ nominibus insigniverint? ita Hispanos videmus novas illas nuper inventi Orbis provincias, aliam quidem Hispaniam Novam, aliam rursus Castellam auream; nostros, rigidas illas ad aquilonem oras, Novam Hollandiam, Insulam Ordinum: Anglos denique terras recens à se inventas, aliam quidem Albionem Novam, aliam vero Virginiam appellasse. Certe vernacula illa vox, qua hodieque Zelandi utuntur, dum collegas suos & compares a sociali concordia nuncupant* Maet / *cum sit ipsis plane peculiaris, non obscure videri queat à Mattiacis derivata, quorum metropolim, non Mattiacum, ut mendose est apud auctorem, sed Mattium potius idem Tacitus nominat. Vide si lubet doctissimum Iunium, qui Zelandos diserte negat, alio quam Mattiacorum vocabulo priscis umquam fuisse cognitos.*]

Insulas autem istas sigillatim describere, & peculiaria quæque in iis commemorare vix queam, cum earum nonnullæ horrendis Oceani tempestatibus inundationibusq; haud semel mutaverint, & in aliã aliamq; formam subinde transierint. alia maris quadam alluvie incrementum nonnumquam capiente; alia rursus decrescente: ista fluctibus aliquando cooperta; illa vicissim emergente. Quare præcipuas tantum, adeoque firmiores quasque & quæ altius paullo caput è fluctibus exserunt, sigillatim

gillatim & ordine deſcripturus ſum. atque hæ quidem numero ſeptem: quæ capite quodam Scaldis ipſi oſtio ejus propinquo diſparantur in duas partes, relictis earum tribus, nimirum Scaldia, Duvelandia, Tola, ad Orientem, ideoque Orientalibus, vulgo de Ooſter-ſcheld: quatuor vero, Walachria nempe, Zuidbevelandia, Nordbevelandia, Wolferſdica, una cum angulo quodam terræ Walachriæ quondam continente, ad Occidentem, ideoque vulgo de Weſter-ſcheld/appellatis. Qua mare eſt, muniuntur & præſervantur perpetuis ſabuletis, & albicantis arenæ collibus, ā natura, vel Oceani magis alluvione factis. cætera, quæ videlicet magis mediterranea, & fluminibus tantum alluuntur, claudunt undique & circumdant mirifici quidam aggeres, iſti Dijcken indigetant, ea ut plurimum altitudine, quam longa quadam ac diligenti obſervatione & experientia didicerunt requiri ad excludendam Oceani inundationem, id eſt duodecim præterpropter brachiorum Florentinorum, ſive decem ulnarum Antverpienſium. latitudo ad ipſas radices viginti quinque ut minimum ulnarum eſt. extruuntur autem hi aggeres manu atque induſtria hominum è terra, non ordinaria illa aut communi, ſed figulari, & tenaciſſima quadam argilla; & introrſus quidem materia lapideque effarciuntur, extrorſus vero ad repellendos continuos illos & abſorbentes cuncta undarum impetus, veſtiuntur veluti faſcia quadam è ſtramine duos tantum digitos craſſa, ſed revincta, tamque induſtrie concinnata, ut aggerem ſupra quam quiſquam credat tueatur, & incolumem præſtet. Etſi autem requirantur, ad aggeres iſtos reparandos & conſervandos non immenſi dumtaxat ſumptus, ſed & perpetuus labor: ea tamen eſt incolarum induſtria & in talibus tractandis ſagacitas, ut quam optimis & æquiſſimis legibus omnem iſtam rem conſtituerint, aggereſque pro ratione latifundiorum poſſeſſoris cujuſque ſumtibus, ſarciantur. Solum Zelandicum pingue inprimis, & cum aliarum quarumlibet frugum, tum tritici maxime, feraciſſimū. quod ea quidē hic bonitate ſimul & ſpecie naſcitur, ut nō temere uſquā pulchrius meliuſve invenias. accedit enim quam proxime ad oryzam. provenit item copioſe hic coriandrum.

ADDIT. [*Pro coriandro ſubſtituendum putem id ſegetis genus, quod Zelandi dicimus* Kool-zaed/ *id eſt braſſicarum ſeu caulium*

*caulium ſemen. unde copioſiſſime exprimi ſolet oleagineus ille liquor, quo, ut alios ejus uſus omittam, nocturnas potiſſimum tenebras tenuioris fortunæ Zelandi diſcutiunt.*]

Gignit item Zelandia noſtra ſat multas lauros, quarum baccæ ad juſtam etiam maturitatem pertingunt. quod cæteris tamen hujus tractus provinciis à natura negatum eſt. gignit varia herbarum medicinalium, ſive ſimplicium genera. quas cum feliciſſime ſimul & copioſiſſime iſthic proveniant, non facile tamen, uti Lemnius quidem contendit, alibi uſquam invenias. & tamen propius aliquanto, quam cæteræ Belgicæ regiones (Hollandia tantum & Friſia, cum adjacentibus aliquot tractibus excepta) Zelandicæ inſulæ polo arctico ſubjectæ ſunt. unde rigidæ magis & frigidæ eſſe, & quod ſequitur, pauciores, aut ſaltim acerbiores fructus, minus item herbarum & florum producturæ, videantur. quod palam oſtendit, quantopere aqua marina tepidis ventis temperata & cælum ſimul & ſolum Inſularum iſtarum molliat. docet idem & Anglia quæ cum magna ex parte Septentrioni propior ſit quam hæc terra, nuſquam tamen non & pulcherrimis lauris & vario arborum genere abundat. tum variis quoque herbarum & florum, Belgicæ fere denegatorum, ſpeciebus nulla non anni tempeſtate luxuriat. & quid amplius dicam? conciliat Oceanus tantam illi cœlo temperiem, ut per totum quam longus eſt annum omne pecudum genus non noctu minus quã diu in paſcuis oberrare permittant. contra vero quemadmodum illic moderatur hibernum frigus, ita hic æſtivos calores intendit. unde fit ut in Anglia, cum alia quædam fructuum genera, tum uvæ inprimis, nõ capiant eam, quã in hac noſtra Provincia, maturitatem. Gignit inſuper ager Zelandicus rubiæ quam tinctorum vulgo appellant præſtantiſſimũ genus, ea quidem luxurie, ut non parvã Europæ partẽ largiter ea impertiatur. Eſt & ceſpitis uſtibilis, ſeu bituminis potius genus, incolæ Darring appellant, ſed quod nefas eruere, maxime juxta aggeres, cum ſit ſoli ipſius veluti fundamentum, & magnum adverſus aquas præſidium. Sunt denique & uberrima pecori ſaginando paſcua, & innumera paſſim in uſus humanos piſcoſa ſtagna. In Zelandia octo ſunt opida muris clauſa, Middelburgum videlicet, Zirizæa, Veria, quæ & Campo-veria, Fliſſinga, Tola, Agger Divi Martini, Romerſwvala,

Romerſwala, Goeſa. Sunt & alia quædam haud infimi nominis, etſi muris carentia. pagi denique centum & duo. Ordines hujus terræ conſtant uno Antiſtite, unico Nobili,& Magiſtratibus opidanis.

ADDIT. [*Abbate nimirum S. Nicolai, ordinis præmonſtratenſis, qui Middelburgi agebat, totius eccleſiaſtici ordinis nomine; Marchione Veriæ, nobilitatis univerſæ vice; & urbium communitate. Nunc Eccleſiaſtico ordine una cum dominio regio abdicato, duobus tantum membris Ordinum comitia conſtant; nobilitate nimirum, & communitate urbium. Nobilitatem univerſam, uti olim, ita hodie, repræſentat Marchio Veriæ & Fliſſingæ, qui jam eſt Princeps Auraicus: communitatem autem Deputati urbium Middelburgi, Zirizeæ, Goeſæ, Fliſſingæ, Veriæ, & Tolenæ. Hi, uti & in Hollandia diximus, certis temporibus, aut quum neceſſe eſt, comitia publica celebrant Middelburgi, & ſummum provinciæ imperium moderantur. Præter hæc publica comitia collegium eſt deputatorum, ut vocant, Ordinum, quod* VII-*virorum liceat appellare: conſtat enim ex uno nobili, quem Princeps Auraicus, Marchio Fliſſingæ & Veriæ, deſignat, & qui illius vice ſententiam dicit; & ſex aliis, quos ſex jam dictæ urbes delegant. Delegati autem hi fere perpetui ſunt, ſecus quam in Hollandia; niſi quod delegatus Middelburgenſis ſingulis trienniis muneris prorogationem tenetur poſtulare à ſenatu civitatis. Cæterum munus illorum fere idem eſt, aut parum ab Hollandorum inſtituto diverſum; nimirum in eo, quod iidem etiam maritimarum rerum curam habent, & in collegio deputatorum Admiralitatis adſident. His autem, ab Ordinibus, adjungitur Penſionarius unus, itemque Secretarius. Eſt & collegium rationalium totius provinciæ,* VII *item viris conſtans, ad eundem modum; uno nimirum nobili, quem Princeps Auraicus & Marchio Veriæ & Fliſſingæ deſignat, &* VI *quos eadem urbes mittunt.*

*In Zelandia, præter tribunalia in ſingulis urbibus, nullum eſt ſuperius tribunal, ſed à ſingularum urbium judiciis ad Senatum provincialem, & ab eo ad ſupremum Senatum (quorum uterque Hagæ Comitis ſedem habet, uti ſupra diximus) provocatur; eodem quo in Hollandia modo.*

*Leges Zelandicæ ab Hollandicis parum diſcrepant; neque eſt noſtri inſtituti, ſpeciatim diſcrimina hic rimari. Hoc tantum dicemus; quoad ſucceſſiones ab inteſtato jus Scabinicum vetus, de quo ſupra in Hollandia diximus, hic plene obtinere, licet nomen ipſius inſuetum ſit; adeo quidem, ut, quum apud Hollandos repræſentatio collateralium poſt fratrum nepotes ceſſet, hic in infinitum procedat.*

De

*De feudis quoque pauca adjungamus ex D. Frederici à Sande I. C. Commentario. Zelandica (inquit) feuda sunt vel mala vel bona. Hæc ejusdem conditionis sunt cum Hollandicis, de quibus, supra diximus. Illa ad hanc primam feudorum classem pertinent. Nam per vasalli cujusque sine liberis masculis decedentis mortem domino committuntur. Ea tamen in re horum Zelandicorum quam præcedentium feudorum benignior est conditio, quod in his omnes liberi masculi pariter admittantur. Zelandica mala feuda, deficientibus liberis masculis domino commissa, secundum antiqua Comitum privilegia atque indulta, filiabus, vel, his non extantibus, agnatis masculis, aut, si agnati non extent, cognatis masculis, redemtionem intra semestre postulantibus, pretiumque constitutum offerentibus, ex gratia speciali denuo conceduntur. Ad hanc vero redemtionem filiæ pariter admittuntur; sed inter agnatos vel cognatos unus præreliquis gradus atque ætatis habet prærogativam: admittitur tamen remotior, si præcedens suo jure uti nolit. Hæc autem redemtio decimarum feudalium nomine solis datur fratribus inter propinquos laterales, nec cuiquam remotiori agnato vel cognato jus illud competit. De pretio redemtionis in singula jugera constituto videantur Zelandicæ constitutiones quas Philippus Burgundus Zelandiæ Comes sanxit. Elapsis sex mensibus, quibus redemtio non fuerit per filias vel laterales propinquos postulata, neque pretium oblatum, hæc feuda plenissimo jure Principi committuntur.]*

Sed accedamus deinceps ad peculiarem magis singularum Insularum descriptionem, initio sumto ab Orientalibus. quarum quæ prima est, Latine scribentibus *Scaldia*, à præterlabente Scaldi, Belgis vero Schouwe vernacule dicitur. ea olim multo quam hodie major: grassatis nimirum in eam diluviis & horrendis Oceani tempestatibus, quæ attrivernnt valde & minuerunt: sic ut ambitus hodie septem tantum leucas includat. Scaldia olim Nordbevelandiæ tam vicina, ut Insulæ utriusque cultores, quos latissimus nunc aquarum tractus dispercunit, alii alios compellarent, & alternos miscerent sermones. Ambitum tamen suum auxit hæc insula per annexos jam ab aliquot annis Poldros (ut vocant) qui vulgo Dreyschor, Zonnemaer, Noordgouvven, &c. atque multis populosis pagis ac colonia distincta, prædiis quoque rusticis & nobilium palatiis ornata est: uti Heemstedio, Reniſſa Noermonda & aliis. Illustrat præcipue Insulam opidum Zirizæa, cujus descriptionem lectori subjiciam:

# ZIRIZÆA.

ZIRIZÆA Arnemuda quinque leucis & dimidia. Middelburgo vero ſenis diſtat habetur autem pro urbium univerſi Comitatus Zelandiæ vetuſtiſſima: quippe quam conditam narrent annales anno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo nono, ab Illuſtri quodam viro Ziringo, cujus hactenus claret vocabulo. Fuit olim & fama ſimul & commerciis nobiliſſima, adeoque inſignis & magni momenti civitas ob pulcherrimum & valde à mercatoribus frequentatum portum. quem cum obſtruxiſſet poſtea & arenis oppleſſet Oceanus, maximum civitati intulit damnum: nihilominus nunc quoque mœnibus clauſa, & cum domibus ſatis concinnis, tum & publicis ædificiis, mediocriter exculta eſt, unde inter Zelandiæ univerſim acceptæ oppida ſecundum hoc eſt, at orientalium ejus Inſularum metropolis. Neque vero extincta hic prorſus commercia. quæ, ſi ſalem potiſſimum ſpectes, & rubiam illam tinctorum, cujus Inſula iſta præ cæteris ferax, magis magiſque in dies gliſcunt. Zirizæus erat clariſſimus ille Amandus, Ordinis Divi Franciſci, variorum ſcriptorum auctor, ut videre eſt nominatim in Bibliotheca Geſneri. Item Iacobus Suſius, Dominus Griſenordæ, illuſtris profecto ac doctus admodum vir, & antiquitatum ſtudioſiſſimus. Lævinus Lemnius, quem & paulloante laudavimus, Medicinæ potiſſimum Doctor, ſed idem inſigniter eruditus. ut ex pluribus quidem laudatiſſimis viri operibus conſtat. cujus filiusitem Guilielmus, ejuſdem cum patre profeſſionis, ob egregias ſuas virtutes, medicus eſt Suecorum Regis Erici. Petrus deinde Peckius, eruditiſſimus vir, & perplurium magni in publicum fructus librorum ſcriptor.

ADDIT. [*Gaudet opidum Zirizæa luculentiſſimis aliquot privilegiis. inter alia; ut qui civis ob facinus capitale in vitæ diſcrimen adductus ſit, & vel capite luerit culpam, vel fuga ſaluti ſuæ conſuluerit, multari non poſſit graviore quam ſexaginta librarum Pariſienſium, id eſt, florenorum triginta pecuniaria pœna. Item quod Magiſtratus urbanus non in urbem tantum ejuſque diſtrictum, ſed in totam inſuper Scaldiam, maxime quod ad rem agrariam pertinet, ſummam obtineat poteſtatem. qua*

*exerceri*

exerceri solet ab altero Consulum urbanorum, parifere (si parvis componere maxima fas est) quo apud Romanos olim Tribuni plebis, auctoritate prædito, atque inde vulgariter dicto de Ghemeynte-Borgmeester / quasi dicas Consul communitatis: & septem præterea curatoribus aggerum, qui vulgo audiunt Heymraden / id est consultores domestici, sive communis terræ consiliarii. Inter publica urbis ædificia eminet maxime templum illud quod vulgo audit de Munster / dedicatum alias Divo Lævino, primo, vel inter primos, Zelandiæ nostræ Apostolos. pulcherrimum sane opus, bene & apte commensuratum, ac multa luce undique collustratum. cui non aliud usquam in tota Zelandia dederis simile. etsi multum tamen de veteri illo splendore amiserit, cum de cœlo tactum flagravit anno quem numeralis iste versiculus indicat: CRAS CANE TERRIBILIS. NON POSSVM. CVR? CADIT IGNIS. Mirum est, quod inter doctos & scriptis illustres viros Zirizæa oriundos non recenset Guicciardinus peritissimum illum & celeberrimum Medicum, eumdemque dulcissimum vatem: Iasonem inquam à Pratis. qui non video equidem quare heic accenseri non debeat, cum ipse passim in editis suis operibus Zirizæum sese inscribat.]

Capti sunt ante aliquot annos non procul ab hoc opido pisces quidam marini, horrenda plane & monstruosa corporis vastitate. qui cum cætera forma, tum prælongis ore exertis dentibus, apro haud multum absimiles sunt, verum corporis mole vel bis tanto majores, ac longe magis terribiles. Convexerunt eorum nonnullos Antverpiam, ubi, ob carnis suavitatem, care admodum venierunt. Et ad hoc quidem exemplum capiuntur subinde in hisce, ac Batavorum etiam aquis, vasti quidam, horrendi & monstruosi pisces, qui ad excoquendum potius oleum, quam in alios usus, expetuntur: nec tamen, utcumque res cedat, luendo sunt gravissimo illi detrimento, quod ordinariis illis piscibus assidue deprædantur, fugandisque & deglutiendis, piscatoribus infedis.

ADDIT. [*Zirizæensis urbis regimen politicum.*

ZIrizeæ Senatus perpetuus constat XXXVI-viris; quibus in deliberationibus de rebus magni momenti accedunt Scabini, licet extra horum numerum forte sint: XXXVI-viri autem hi,

ubi quis eorum decesserit, à Senatoribus reliquis & Scabinis designantur, & à præfecto provinciæ eliguntur. Magistratus constat duobus civium Magistris sive Consulibus, & duodecim Scabinis. Consulum alter dominicus, alter communitatis Consul appellatur. Prioris munus est, justitiam administrare, & res politicas curare; quare & præses est Scabinorum, & decimustertius Scabinus censetur. Posterioris munus est, providere ut privilegia, quæ urbi à suis principibus sunt concessa, sarta tecta conserventur; & aggerum totius Scaldiæ, quibus salus insulæ constat, una cum supremo aggerum præfecto curam gerere. Consules quidem altero post natalem domini die à Scabinis eliguntur: prior quidem ex ipsorum numero; posterior vero è reliquo senatu aut è lautiorum civium numero: in hunc pene modum: Primo publice rationes accepti & expensi superiori anno in ærario urbico coram frequenti populi corona redduntur; quibus absolutis, populo vinum infunditur, & gratiæ aguntur. Dein populo dimisso, consules & scabini secedunt in conclave, posteriorque consul certis ceremoniis magistratu se abdicat, & exit è conclavi; reliqui ad electionem utriusque consulis sese accingunt: qua peracta prior consul, quem ex ipso collegio eligi diximus, fores conclavis aperit, & per apparitorem secundum consulem accersi jubet; è quo actu statim populo innotescit qui electi fuerint: & uxoribus aut familiæ utriusque consulis electio nunciatur; quæ pro se quæque domi convivium parant, amicis & consanguineis utriusque certatim dapes & quæ quisque domi jam ante in incertum paraverat conferentibus. interim ut mora aliqua intercedat, Consules, & Scabini, & Balivus, &c. minora quædam munia & emolumenta inter se sortiuntur; & quibus nihil eorum sortito obtigit, iis decem solidi Flandrici sive tres floreni numerantur. quibus peractis, magna pompa consules cum funalibus (nam plerumque actus in noctem protrahitur) ab amicis domum ducuntur, & cum iisdem laute cœnant. Scabinorum vero electio mense majo peragitur. ii duplo numero à Senatu (quem diximus) designantur ex Senatoribus aut honestiorum civium numero, & à Præfecto provinciæ eliguntur. Porro magistratus Zirizææ non tantum in oppido, sed & in tota Scaldia jurisdictionem obtinet; Balivus civitatis, idem quoque omnium pagorum illius insulæ balivus censetur, & in singulis pagis vicarios suos instituit; rei tamen coram tribunali opidano citantur, & ibidem judicium subeunt. Idem magistratus & jurisdictionem habet in vicina Duyvelandia in tribus causis, homicidio, pacis ruptura, & fœminarum raptu: In pagis quoque insulæ Tolensis, qui vulgo S. Annenland & Stavenis appellantur, in omnibus causis:

*rausis: In Someldijckia denique (amplissimo sane municipio, & in proxima insula sito) in causis criminalibus. Atque hæc de singularum urbium regimine dicta sunto; nam in singulis persequi longum esset.*]

Est in eadem Insula Brouwversh avia, opidum Zirizæa duabus leucis abjunctum, & prædivite magis piscatore, quam alio cive populosum. Natus hinc tamen Petrus à Brouwversh avia, vir insigniter litteratus, & Theologicorum aliquot operum scriptor. *Item Cunerus Petri, Leovardiensium primus Episcopus.* Erat non ita pridem hoc opidum in ditione Maximiliani Burgundi, Bevriæ apud Flandros Dynastæ, & Belgarum Archithalassi: cui una cum aliis aliquot opidis ac ditionibus, mox describendis, obvenerat ex hæreditate Illustrissimæ Dominæ Annæ, aviæ suæ maternæ, ortæ ex illustri & præpotenti quondam familia Borsalorum, in meliori sexu jampridem extincta. Cujus Maximiliani quidem, anno superiori 1558 sine liberis mortui bona delata sunt filiis Dominorum Bossutii & Cruningii, quorum & hic & ille in matrimonio tunc habebant ejus sorores. Sunt denique in hac Insula multi pagi, & virorum nobilium arces.

Altera Insularum Orientalium, & quæ Scaldiæ lateri adjacet, Duvelandia dicitur, à columbarum in ea mirabili multitudine: sonat enim nomenclatura illa vulgaris regionem seu territorium columbarum. Erat autem & ipsa nuper in ditione jamdicti Archithalassi.

ADDIT. [*Potior hujus Insulæ pars, ea nempe quæ vulgo dicitur* de vier Ambachten / *id est quatuor fora seu Conventus juridici, & totidem pagos, Neokerckiam nempe, Ouderkerckiam, & Vianam Cappellamque complectitur, emptionis jure & titulo ante annos aliquot cessit opido Zirizææ. cujus Magistratus, interjecto nuper inter utramque Insulam aggere, Duvelandiam istam cum Scaldia sua conjunxit.*]

Patet quidem in ambitum circiter quatuor leucas: sed quia nimis exposita violentæ undarum injuriæ, nullo prorsus infesta est opido. pagos tamen habet compluſculos, & cum domi nobilium, tum & aliorum quorumdam prætoria. Submersa fuit & salo cooperta anno Christi 1530, cum magna hominum pariter & jumentorum clade. sed mari eam rursus eripuit, non sine immenso sumtu, labore, atque industria, vir Illustris Adol-

phus Burgundus, Maximiliani prædicti parens. Et insularum quidem aliarumque id genus terrarum vel Oceani impetu submersarum recuperandi, vel novarum etiam adquirendi ratio in genere fere est talis. Operiuntur isti opportunum maxime anni tempus, id est ipsam æstatem,

*Cum venti posuere, omnisque repente resedit*
*Flatus.*

Inde vero recedente, quod sex quibusque horis fieri solet, æstu marino, ingens hominum numerus aggerem ea parte qua ruptus est instaurare aggreditur. quod si nullus forte sit agger, ut in terris numquam ante à mari vindicatis idoneum maxime deligunt terræ illius locum, & nova jaciunt aggeris fundamenta. atque hoc modo vel restringitur pedetentim & coarctatur vorago, vel educitur agger ille novus ad justam altitudinem. eo vero cum per canales quosdam, & vorticum data opera relictorum fossas tandem deventum est, emittuntur dehinc via cataractarum aquæ in agro sic vindicato residuæ. quod si minus hac via succedat, adhibentur mox molæ aquaticæ, aliæque id genus machinæ in hunc usum comparatæ, quibus reliqua omnis aqua in solidum exhauritur. Atque ita cum tempore simul & assiduo labore, impensa, industria, nisi conatum abrumpat insana ventorum rabies, tota res ad finem tandem perducitur. sed ventorum, ut innui, vehementia & adverso flatu interdum contingit, ut operam omnem perdas. quin & accidit aliquando, ut absoluta jam & ad finem perducta re, spirare incipiat impetuosior aliquis ventus, vel alioqui exoriri insolens quædam & fœda tempestas, quæ vel temporis puncto fluctibus cooperiat quidquid continuis aliquot mensibus, vel & annis nonnumquam, ab undarum injuria vindicaveris. Nec propterea tamen opportunis rursus temporibus à conatibus istiusmodi solent desistere. qui si feliciter cedant, ut plerumque sane contingit, hominem intra paucos annos ditant. ea siquidem est terrarum ita recuperatarum fœcunditas, ut quidquid iis ingeritur, ad miraculum fere multiplicetur.

Tertia Orientalium Insularum est Tola, in ditione terræ Zelandiæ Comitis, quæ à territorio Aggeris Divi Martini intermedia tantum fossa, & ea quidem aquis vix semi-


MIDDEL-
BVRGH.

MIDDLE
BVRGH.

ſemiplena, dividitur. unde tamen contendunt nonnulli duas eſſe diſtinctas Inſulas. quod ut olim ſic habuiſſe concedam, hodie tamen revera tantum eſt una. in qua duo ſunt modica opidula. quorum alteri nomẽ eſt Tolæ, à vernacula dictione Tol/ quæ vectigal ſignificat. olim ſiquidem eo loci telonium, & pendebantur Principi vectigalia. unde non opidum modo, ſed & Inſula ipſa denominata. alterum dicitur Agger Divi Martini. quibus ſui deinde accedunt pagi. Aliæ quædam minorum gentium Inſulæ, quas ab Orientali illa Zelandiæ parte conſpicias, ita parvi momenti, ac pæne deſertæ ſunt, ut non ſit operæ pretium pluribus eas attingere. Quare cum ipſo Sole tranſituri ſumus ad Occidentem ubi plura multo quam tractu hucuſque deſcripto & viſenda occurrunt & deſcribenda. ac primo quidem Walachria.

Quam Latine ſcribentes Walachriam nominant, ea vulgo dicitur Walcheren / eſtque omnium univerſæ Zelandiæ Inſularum primaria, non tam ipſa ſoli amplitudine, quod decem tantum leucas in ambitum continet, quam ſecuritate & opportunitate ſitus, opidorum conditione, & incolarum non opulentia minus quam frequentia. Tria numerat opida muris clauſa, ut è noſtra deſcriptione lectoribus conſtabit.

## MIDDELBVRGVM.

MIDDELBVRGO nomen impoſitum à ſitu, quippe fere in meditullio inſulæ jacet: quod ipſum quoque vocabulum prodit. Sita eſt tribus quadrantibus ſupra gradum primum & quinquageſimum æquatoris: tertia leucæ parte ab Arnemudenſi portu ad orientem, à Libonoto vero Sluſa Flandrorum quinque, Dordraco Batavorum prima urbe decem & ſeptem leucarum intervallo abjungitur. Duplex urbi eſt portus, uterque non longe ab Arnemuda in Oceanum influens. quorum alter antiqui eſt operis, ſed flexuoſus idem & ſtrictus, ita ut vix amplius frequentetur. alter recens effoſſus, & ea cum latitudine, tum profunditate, ut ingentes & ſupra ducentarum vehium, id eſt, quadringentorum doliorum naves, inde à portu Arnemudenſi uſque ad ipſam urbem, magna civium commodi-

tate ſimul & voluptate, commeantes nulla difficultate tranſmittat. Ipſa urbs luculenta in primis, amœna, & ut firmis admodum mœnibus, ita latis quoque & altis foſſis, alio rurſus muro extrorſus ſeptis, omni ex parte clauſa. quæ omnia, ut examinanti liquet, prævalidam eam & probe adverſus hoſtem communitam efficiunt. Plateas habet admodum elegantes, domos amplas & laxas, pulchra denique & magnifica cum templorum tum & cœnobiorum ædificia. Inter quæ potiſſimum eminet pulcherrimum illud & auguſtum cœnobium inſtituti Præmonſtratenſis, vulgo dictum Abbatia Divi Nicolai, & inſtitutum primo ab Godebaldo, vigeſimo quarto Vltrajectenſium Præſule, ſed auctum deinde & veluti renovatum ab glorioſæ memoriæ Principe Guilielmo, Romanorum Rege, & eodem Hollandiæ Zelandiæque Comite, anno, ut habent annales milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto. qui Princeps, una cum conjuge Iſabella regina, regio inibi tumulo conditus. Habet iſtud Cœnobium, inter alia quædam ornamenta, pulcherrimam bibliothecam. ſed quod caput eſt, magnis gaudet proventibus. & Cœnobiarchæ quidem ea eſt & auctoritas ſimul & præeminentia, ut in publicis Ordinum Comitatus Zelandiæ conventibus, ipſe ſolus, totius eccleſiaſtici ordinis nomine, ferat ſuffragium. Evectus eſt nuper, petente Philippo rege hic locus & cum eo civitas Middelburgenſis ad dignitatem Epiſcopalem, electo ad tantum faſtigium, *& in Nicolai de Caſtro locum ſuffecto*, Ioanne Striano, docto & reverendo Antiſtite. qui, cum munus hoc, ob civiles Belgarum motus, Middelburgi obire non poſſet, dum conſileſcunt turbæ atque iræ leniunt, Lovanii honeſtiſſime vitam exegit. Habet inſuper Middelburgum ſtapulam, ſive forum vini, è Gallia, Luſitania, Hiſpania, aliiſque Provinciis mari in has partes importari ſoliti; cumque navigationibus maxime & negotiatione marina, tum & aliis quoque varii generis mercimoniis floret: eſtque non hujus dumtaxat Inſulæ, ſed & Comitatus Zelandiæ caput. ita potens quidem & dives, ut ante aliquot annos à Domino Arnemudano emerit ipſam Arnemudam, ubi (ut infra dicturus ſum) capaciſſima eſt & tutiſſima navium ſtatio.

ADDIT. [*Middelburgum nonnulli Metelloburgum appellant,*

pellant, à Metello videlicet, consulari apud Romanos viro. sed videtur hæc originatio longe nimis petita. conditum etiam volunt à Mattione, & Zelandos ab eo dictos fuisse Mattiacos. nos hæc talia, ut incerta nimis atque ambigua, in medio relinquimus, dicimusque hanc urbem, etsi opibus nunc & potentia splendeat inter Belgica primas, exiguis tamen & vix notis initiis ortam; atque adeo anno à Christo nato 2121, quo tempore Godebaldus Episcopus Trajectensis pulso, ob laudabilem parum œconomiam, canonicorum regularium cœtui surrogavit Præmonstratensis Ordinis monachos, nihil fuisse quam pagum. & præcipua quæque privilegia impetrasse ab Romanorum Rege Guielmo, qui voluerit inter cætera jusseritque ne alibi usquam in tota Occidentali Zelandia suprema quam vocant justitia redderetur, utque de capitali omni delicto, ruri & extra urbis pomœrium perpetrato, Middelburgi solummodo posset cognosci. quo in carcerem etiam rei adducerentur, & ad causæ usque decisionem adservarentur. Inter publica urbis ædificia eminet hodieque cœnobium illud auctori nostro descriptum, sed in alios longe & meliores usus conversum. destinatum est enim & comitio Prapotentium Dominorum Zelandiæ Ordinum, & solenni quorundam ex iis sedi: Camera, item rationum, comitio Senatorum rei maritimæ, officinæ denique monetariæ, & similibus usibus. Spectabilis quoque est Curia, sive Senatorum domus, statuis & emblematis varie ornata. item fastigium illud summæ urbis turri impositum, & horologio longe pulcherrimo exornatum. quod opus stetisse dicitur reipublicæ centum & quinquaginta millibus florenorum.]

Natus fuit in hac civitate Paulus à Middelburgo, vir mathematicis studiis clarus, & hoc nomine Romam vocatus: ubi factus brevi Episcopus, inter alia quædam de Paschatis quoque celebratione scripsit. Natus item è viculo urbi vicino, ideoque de Middelburgo dictus, Nicolaus Everardi, vir cum aliis studiis, tum jurisprudentia maxime perillustris, & idem insignis politicus. quare ob consiliorum felicitatem adhibitus semper à Principe ad res magnas, & creatus tandem non solum Hollandiæ, sed & Magni Senatus Mechliniani Præses. in qua urbe decessit anno à Virginis partu 1532, relictis compluribus liberis, qui & variis dignitatum titulis nobiles, & digni omnino tanto parente filii. maximo natu, Petro nomen erat, Theologiæ & Iuris utriusque Doctori, Antistiti ordinis Præmonstratensis. alteri, Nicolao Everardi, itidem Iurisconsulto, & primo quidem Consi-

lii Frisiæ, mox Mechliniæ Præsidi, ubi & vita defunctus est hocipso anno quo scribimus 1560. tertio nomen est Nicolao Nicolaio Grudio, pariter Iurisconsulto, sed eidem & aliis studiis claro, & præsertim historico ac poëtæ præstantissimo. unde & maximos semper honores gessit, hodieque est Consiliarius Regius, Ordinisque aurei velleris Scriba. quartus dicitur Adrianus Nicolai Marius, itidem Iurisconsultus, & virtutibus ornatissimus vir, qui & ipse jam functus est variis dignitatibus, & hoc tempore Cancellarius Geldriæ. quintus denique fuit Ioannes Secundus (solent enim & eruditi isti trans Alpes, non secus quam olim Romani, varia sæpe ex variis caussis cognomina sibi adsciscere) qui magnæ jam famæ & expectationis adolescens in ipso ævi flore extinctus est, doctus sane & elegantissimus vates, ut ex poëmatibus hodieque extantibus constat. & videtur profecto singulare quoddam fuisse omnium fratrum istorum donum, ut inter alias suas dotes, in poësi præsertim excellerent, unde magno cum desiderio docti libros eorum expectant.

## ADDIT. [*Middelburgensis urbis regimen politicum & civile.*

*Middelburgi regimen politicum & civile est penes duos Consules, undecim Scabinos, & duodecim Consiliarios. Consules autem non tantum præsident in consilio sive senatu; ubi politica tractantur, tam quæ urbem quam quæ provinciam tangunt: Sed etiam in tribunali, sive prætorio, atque consessu Scabinorum; ubi omnes causæ civiles & criminales disceptantur & judicantur, tam ad instantiam & citationem Balivi oppidani in causis oppidanorum, quam ad citationem Quæstoris ad occasum Scaldis in causis omnium insulanorum qui limitibus quæsturæ illius comprehenduntur. in quibus judiciis adhibentur Secretarii duo, unusque & interdum alter Syndicus, omnes juris utriusque periti; qui non modo actis concipiendis præsunt, sed & judicibus in gravioribus & dubiis causis consilia subministrant. Horum magistratuum duo consules, & media pars scabinorum, (puta uno anno quinque, altero sex,) munere defunguntur; ita tamen, ut, si contingat, consules munere decedentes non plenum biennium in scabinorum collegio precidisse in futurum annum inter primos scabinos asciscantur. In decedentium locum pridie calend. Augusti quotannis*

quotannis alii duplo numero designantur, quorum nomina ad præfectum provinc. Holland. Zelandiaque per seniorem apparitorem in litteris obsignatis mittuntur, etiam extra provinciam. Ille autem ex dicto numero, tum consules, tum Scabinos, quot opus est, eligit, & electorum nomina, obsignatis item literis, per eundem apparitorem ad senatum remittit. Designatio porro dupli numeri est penes duodecim consiliarios, & duodecim electores, ut vocant. Is XII-viri electi sunt ex honestissimis incolis, qui neque indigenæ sint neque horum munerum capaces. Hi XXIV-viri prid. cal. Augusti ad curiam hora octava matutina à Ballivo oppidano vocantur, mulcta constituta mille florenorum in absentes sine sontica causa: ubi convenerunt, à ministro verbi divini per concionem brevem, de officio magistratuum & qualitatibus eorum qui eligendi ad hoc munus, admonentur, & preces concipiuntur: dein suffragia ineunt occulta per fabas & pisa; quorum illa electum numero probant: primam autem rationem habent consiliariorum; & si qui justo numero desint, tum honestissimorum civium, & eorum qui in insulis ad occidentem Scaldis nati sunt. Horum XII Consiliariorum, uti & Electorum, munus perpetuum est. Consiliarii autem ubi semel consulatu aut scabinatu functi fuerint, possunt in posterum à consiliariorum ordine atque alio regimine excludi; licet moribus pene receptum sit, consulatu aut scabinatu defunctos rursus in consiliariorum numerum adsciscere. Consiliariorum horum electio, sive per mortem sive alio modo collegio decedant, penes consules & scabinos est: Electorum vero ubi quis aut oppido aut vita cessit, è triplo numero à Senatu designato electio est penes Præfectum provinciæ, eodem quo supra modo. Est præterea & aliud collegium, pupillorum curam habens, constans è IV-viris honoratis & secretario: itemque tribunal agrarium, constans è tribus Scabinis, & uno Graphiario, qui à Magistratu eliguntur; eorumque munus est causas agrarias in prima, ut vocant, instantia audire; à quibus ad Consules & Scabinos provocatur.

Est & aliud in oppido collegium, toti Walachriæ commune; unde illius collegæ. Ordines Walachriæ appellantur, quorum munus est, aggerum, quibus salus hujus insulæ continetur, viarum publicarum, fluentorum, &c. rationem habere, & sarta tecta conservare: in eo sedent, è nobilitate unus, & ex oppidis Middelburgo, Vlissinga, Veria singuli; quibus adjunguntur duo ex iis qui latifundia in insula possident, de breed-geesde vulgo, & unus graphiarius.

# VERIA.

VERIA, quæ & Canfera, vel Campo-veria potius dicitur, alterum eſt inter opida hujus Inſulæ muro & mœnibus clauſa. ſitu quidem ad aquilonem obverſa, & in ipſo Oceani littore. foſſam habet, quæ Middelburgum uſque extenditur, à qua urbe leucæ tantum unius, Fliſſinga vero duarum leucarum intervallo abjungitur. muris cingi incepit anno 1358, eſtque opidulum ſatis concinnum, & mercimoniis florens, maxime propter commercia navium Scoticarum, quæ in iſto potiſſimum portu ſtare adſueverunt. unde ob varias ſuas dotes, Marchionatus dignitate ſe jactat. cujus Marchio, jam antiquitus jus habuit ut ſolus, in conventibus Ordinum terræ, ſuffragium ferat pro Zelandica omni nobilitate. Eſt in opido iſto armamentarium, amplitudine ſimul & forma ſpectabile, in quo adſervantur machinæ bellicæ, & reliquus omnis Regis ad expeditiones maritimas apparatus. Erat & Veria nuper in ditione jamdicti Archithalaſſi. nunc ex cauſſis ſupra narratis Marchionem agnoſcit Maximilianum Cruningium, ejus nepotem.

ADDIT. [*Veriæ nomen eſt à trajectu, qui Teutonice dicitur* Weer. *quia nempe olim iſthinc trajicerent Campam, pagum Nordbevelandiæ, nunc ſubmerſum, unde & Campo-veriæ nomen eſt. Tempore Maximiliani Auſtrii ad Marchionatus dignitatem evecta eſt: atque ob ſitus commoditatem & opportunam navium ſtationem navibus & mercimoniis à variis gentibus frequentari cœpit: ut ab Hiſpania; unde ſaccharum primum ex inſulis Canariis in illum ſinum primo advectum fuit* anno CIↃ IↃ VIII: *ex Gallia; in quem uſum hæc civitas jus gruis liberæ impetravit: Ooſtlandia; ubi civibus negotiantibus privilegia & commerciorum contractus conceſſi ſunt olim priuſquam Antverpia aut Amſtelodamum commercia hæc haberent: Scotorum denique ſuperioribus annis frequentatione celebris, & Scoticarum mercium, præcipue vellerum ovillorum, ſtapula, ut vocant, & emporium eſſe cœpit. Vrbs hæc inſuper exornata eſt inſigni alecaria captura & piſcatura; ut piſcium muria conditorum, eorumque qui* ſtapel-viſch *vulgo dicuntur, aliorumque. quibus rebus opes oppidanorum auctæ, urbs publicis privatiſque adificiis auctior & ornatior facta: licet ne nunc quidem*

*ambitus*

*ambitus illius admodum amplus sit ; & muris illius , qua sinum maris respiciunt , ruinam minetur profunditas alvei , qui ripas illius ab hac parte exedit, & superioribus annis turrem majori cum periculo quam incolentium damno subvertit : atque adeo nuper dum hæc scribo altera turris quæ portui imminebat , solo ab æstu sensim à fundamentis subducto , magno oppidanorum metu subsedit , & profundo gurgite absorpta fuit ; ita ut nunc , æstu recedente, ubi turris stetit, sex aut septem orgyæ deprehendantur. Dynastarum prætorium extra urbem olim, & teli jactu à porta, sed dirutum per hæc bella & solo æquatum, emit Marchionatum utrumque Verianum nimirum & Flissinganum pretio centum & quadraginta sex millium florenorum Illustrissimus Princeps Auriacus, cui inaugurato sub annum Christi 1581, & triennio post à sicario trucidato successit gloriosæ memoriæ Princeps Mauritius : nunc Excellentissimus Princeps Fridericus Henricus eodem potitur.*]

# FLISSINGA.

FLISSINGA tertium est in Walachria opidum, Africo fere obversa,& in Flandriæ terræ conspectu: Middelburgo autem leucæ unius itinere dissita. neque aliud fuit anno,ut habent annales , millesimo quadringentesimo,quam trajectus in Flandriam. exinde vero paullatim auxit. donec annis abhinc quadraginta, muris & portis clausa est : ab Illustri Heroe Adolpho Burgundo jam sæpius nominato. sic ut hodie dici queat communis quidam totius orbis terrarum Trajectus. est enim & opportuno adeo situ , & tam eximio portu spectanda,ut quotquot fere ab Oriente,Occasu, Austro denique ultro citroque commeant naves , hac perpetuo transeant. ut non injuria clavem hanc Oceani Belgici appellare possis quare & Carolus Quintus Imperator, inter secretiora consilia , & præcepta etiam hoc Philippo Regi reliquit , ut quam diligentissime tueretur hunc locum : quod dum ille per Ducem Albertum arce extructa conatur violenter perficere dominio illius excidit , & cæteris belgis portam aperuit ad libertatem sedulo recuperandam.

ADDIT. [*Postquam cives singulari virtute servituti Hispanicæ subduxerunt , & libertatis Belgicæ fundamenta posuerunt : hæc urbs longe munitissima , publicis privatisque ædificiis*

*cultа præſertim curia pulcherrimo opere ſuperioribus annis ſumma magnificentia exſtructa. Floret hodie inter primas navigationibus, navium & navalium ſociorum copia; qui Hiſpania littora infeſtant, & plurima opima ſpolia ab hoſtibus reportant. Initio fuit ſub imperio Comitum Zelandiæ; ſed tenuere poſtea illuſtres Borſſali; tandem jure & titulo emtionis, conſentientibus Zelandiæ Ordinibus, delata eſt una cum Marchionatu Veriæ ad Guilielmum Naſſavium, immortalis memoriæ Principem; cujus filius, Illuſtr. Princeps Henricus Fredericus, Auranſiæ Princeps, hodie illam poſſidet. Tenuit urbem ab* anno CIↃ IↃ LXXXV, *pignoris loco ab Ordinibus confœderati Belgii, Anglorum Regina Eliſabetha, in eaque præſidia militaria collocavit, & poſt illam Rex Iacobus ad* annum CIↃ IↃ CXVI; *quo deducto præſidio, domino ſuo Mauritio, Auranſiæ Principi, & Veriæ atque Fliſſingæ Marchioni, & Illuſt. Ordinibus, reſtituta fuit.*]

Deflectentibus inde ad occaſum Caurumque & Oceani littora Veriam verſus legentibus occurrunt ſub arenariis Inſulæ collibus opidula quædam muris carentia, tum & pagi perplures, & item cœnobia. & in opidis quidem numerantur potiſſimum Soutelanda & Weſtcappella. quod poſterius hodieque habet jus civitatis: etſi opidum ei cognomine jam à centum viginti annis retro mari ſubmerſum ſit. opidum, uti narrant, egregium, & portu totius Walachriæ præſtantiſſimo quondam conſpicuum. ægerrime hodieque inſanis ſumptibus & immanibus aggeribus hac parte inſula contra rabiem Oceani defenditur.

Sequitur inde Domburgum, & juxta prætorium illud Cœnobiarchæ Middelburgenſis, quod Weſthoviam nuncupant, amœniſſimus ſane Præſulis ejus receſſus. Inter Fliſſingam vero & Arnemudam eſt promontorium illud quod vulgo Rammekens dicunt, & vulturno jacet obverſum. ubi nuper Carolus Quintus Imperator, firmando ab ea parte ac defendendo oſtio fluminis, condidit arcem Zeburgum.

## ARNEMVDA.

ARNEMVDAM Itali & Hiſpani *Ramua*, Belgæ Armuyden vulgariter nuncupant. eſt autem opidorum Walachriæ noſtræ poſtremum, ac perexiguum

guum,& murorum expers, ſed quod portum habeat tota Europa celebratiſſimum, ob navium undique adpellentium, & in varias rurſus terrarum plagas diſcedentium prope innumeram multitudinem. ita ut ſæpenumero exeuntes hinc videas,& ſingulis hiſce Provinciis, Hiſpania nempe, Luſitania, Gallia, Angliaque redeuntes triginta, quadraginta, quinquaginta, imo & centum nonnunquam ac ducentarum navium claſſes. ut omittam jam eas quæ vel ſolitariæ prorſus, vel exiguo ſaltim comitatu, perpetuo fere ultro citroque commeant, & innumera varii generis merce onuſtæ Antverpiam maxime, ubi mercatorum pleriſque & navium merciumque dominorum ſolennis ſedes eſt,ad mercatum contendunt. uti fuſe latis & exacte in urbe illa deſcribenda fuit à nobis expoſitum. Vnde adunatas nonnumquam in hoc portu conſpicias ad quadringentas quingentaſve onerarias naves. nec ceſſari umquam à novis ſubinde omne genus navigiis conſtruendis. Sita eſt Arnemuda mirabili prorſus & eximia opportunitate ad ipſum Oceani littus. ſed videamus quæſo paulliſper quænam ſit ejus à præcipuis quibuſque & famoſiſſimis ſimul Europæ totius portubus pæne exacta diſtantia. nam cum frequentiſſima inter ipſam illoſque intercedant commercia, non debet ſane exacta rei illius notitia cuiquam videri ſuperflua, quæ non una de cauſſa, maxime vero propter ſecuritates quas vocant, & periculorum receptiones, Antverpiæ inter mercatores fieri ſolitas, multifariam utilis eo magis, quod ipſi etiam nautæ, licet aſſidue fere frequentent has vias, magnopere tamen alius ſæpe ab alio diſcrepent. Numerantur itaque Arnemuda Amſterodamum uſque leucæ vigintiquinque (nos in toto hoc opere, quotieſcumque ſermo eſt de maritima quorumcumque locorum diſtantia, loquimur ex ſententia præſtantiſſimi fere cujuſque Coſmographi, & peritiſſimi item naucleri) ita ut denis ſeptenis leucis mariani & ſemi, id eſt ſingulis gradibus, ſeptuagena millia Italica, vel ſi mavis vicenæ & ternæ leucæ Flandricæ cum triente reſpondeant. Arnemuda deinde Bremam numerantur leucæ nonaginta & tres. Hamburgum, centum & quinque. Zondam, Daniæ fretum, centum & octoginta. Dantiſcum, ducentæ quinquaginta quatuor. Rigam, trecentæ. Rivaliam, trecentæ triginta quinque.

que. Nervam, trecentæ & ſexaginta quinque. Parte alia computantur ab Arnemuda, uſque ad Picardiæ Caletum leucæ viginti & tres. Londinum, duæ & quadraginta. Antonam, ſexaginta & duæ. Diepam, quinquaginta & quatuor. Rhotomagum, quinque & ſeptuaginta. Breſtoum, centum viginti quinque Rupellam, centum & nonaginta quatuor. Burdegalum, undecim ſupra ducentas. Bilbaum, ducentæ viginti ſex. Promontorium finis terræ, ducentæ ſeptuaginta. Olyſſipponem, trecentæ & octoginta. Gades, quadringentæ & octoginta. Hiſpalim quingentæ. Malacitam vero quingentæ & quadraginta. Maderam, maris Atlantici Inſulam, quadringentæ & octoginta. Canarias, olim Fortunatas dictas, quingentæ viginti. Liburnum denique ſive Livornum, Etruriæ portum, ſeptingentæ & octoginta. Arnemuda in quoſcumque terrarum tractus ſoluturis opus eſt aquilone ſeptemtrioneve: ſed nec Eurus iis incommodus. quia vero ſuperandum omnino eſt promontorium Zeburgenſe, quod non alio vento, quam aquilone ſuperatur, ſolent plerumque naves ſecundo æſtu eo primum defluere, atque inde porro, flante quo indigent vento, iter auſpicari. contra vero, ut portum iſtum feliciter ſubeant, contrarios, uti notum eſt, ventos exoptant.

ADDIT. [*Fuit Arnemuda uſque ad annum 1572, municipium Reipublicæ Middelburgenſis, & iiſdem cum ea gaviſa eſt privilegiis. ſed obſeſſo a Principe Arauſino Middelburgo, quia varie vexabatur a militaribus ejus copiis, nec diutius erat reſiſtendo, maluit ſeſe victori ſubjicere, quam extremam belli calamitatem experiri. quod indigne ferentes Hiſpani locum impetu oppreſſerunt, & incolas quidem alios trucidarunt, alios vero fortunis exutos coegerunt lares ſuos deſerere. Middelburgo deinde capta, Princeps, quo magis animarentur cives ad collapſum opidulum inſtaurandum, ex pacto cum Middelburgenſibus inito, Arnemudam omni ipſorum imperio liberavit, & ſui in poſterum juris eſſe voluit. variis inſuper privilegiis & immunitatibus eam exornans, tum vallis undique, propugnaculis, foſſis, & portis communiens. ita ut Arnemuda exinde habita fuerit, habeaturque pro civitate. etſi veterem illum ſplendorem, cujus obiter meminit Guicciardinus, ob pulvinos quos vocant, & arenas maris, reciproco fluctuum meatu denſatas, ac ſoli inſtar duratas, pæne totum amiſerit, & importuoſa jam prorſus, vixque vectoriis navibus adeunda, in miſerandam plane conditionem redacta ſit, ac tantumnon deſerta.*] Habet

Habet deinde hæc Insula & compluſculos pagos, inter quos nominatim Zuidburgum, medio fere inter Fliſſingam & Middelburgum itinere, locum certe amœnum, & palatio quodam peramplo insignem. ubi anno 1556 in Hiſpaniam abiturum, nec rediturum amplius Carolum Quintum, venti aliquamdudum morati ſunt.

Sequitur in occidua iſta parte Zuidbevelandia, Insula Belgisſic dicta, quod priuſquam aggeribus cingeretur, quaſi fundo non ſatis ſolidato, ſub pedibus tremeret. eſt autem hæc Insula Zelandicarum omnium longe ampliſſima, ut quæ aliquando viginti leucas ambitu ſuo incluſerit. hodie, propter ſævas Oceani tempeſtates & horrenda ſubinde diluvia, deinde & perpetuum illum Scaldis, Bergozomium inter & Rometſwaliam, violentiſſimo ſuo curſu jugiter eam atterentis æſtum, dimidia fere parte minor. claruit olim tribus haud ignobilibus opidis. quorum primarium quidem Borſala dicebatur, ad auſtralem Insulæ plagam extructum: ſed miſere tandem anno 1532, una cum territorio omni circumjecto, quod Dominium Borſalanum audiebat, mari abſorpta.

Romerſwalia ergo impræſentiarum quidem Zuidbevelandiæ caput eſt, & ab ortu adſpicit Bergozomium, unde leucæ dumtaxat intervallo abjungitur. ſed diluvium idem atque inundatio ab Insula omni avulſam ſeorſim in Insulæ formam redegit. unde continua illi cum Oceano ſimul & Scaldi pugna: quam non ſine ingenti labore, impenſa, diſcrimine, atque adeo pœne digna miraculo, hactenus ſuſtinet. ut quam elegantiſſime nuper Philippo Regi, dando accipiendoque fidelitatis ſacramento iſtuc delato, ſcitiſſimis hiſce verſiculis oſtio domus ſuæ inſcriptis, oſtendit perdoctus ille Nicolaus Cromflietenſis, opidi civis:

*Vidimus aſſueto privatum lumine ſolem,*
*Pallida turbato vidimus aſtra die.*
*Vidimus undanteis horrendos æquoris æſtus,*
*Nos miſeros Belgas cum obruit Oceanus.*
*Vidimus at poſtquam te, gloria noſtra Philippe,*
*Cæſarea proles, ſemideumque decus:*
*Cuncta refutamus tranſacti tempora ſæcli,*
*Quod præſens noſtrum teſtificatur opus.*
*Si licet exiguum, ſit pro ratione voluntas.*

Nil

*Nil facit ad vastum parva carina fretum.*

In hoc igitur opido, cui diserte id privilegii, anno Christi 1549, ab Ordinibus Zelandiæ, una inibi congregatis, Princeps Philippus Comes ejusdem terræ designatus est.

ADDIT. [*Hoc tempore, per civiles Belgarum motus, Romerswvaliæ, prater rudera quædam, & veteris muri parietinas, tum & pauculas aliquot piscatorum casas, vix quidquam supereſt.*]

Goesa, quam vernacule vocant Ter Goes, sola è tribus opidis mansit intacta, & ad aquilonarem Insulæ partem, ac brachium illud Scaldis, cui Schengæ nomen est, posita. opidulum satis lautum, & luculentis admodum privilegiis exornatum. Goesæ natus est Ioachimus Polites, Ampliſſimæ Antverpiensium reipublicæ Graphiarius, eruditus inprimis vir, & poëta insignis, qui inter alias aliquot elegantias, pulcherrimam instructissimamque habet bibliothecam. est item hæc patria Cornelii Baersdorpii, Doctoris medici & philosophi longe graviſſimi, Archiatri & inter intimos familiares Caroli Quinti Imperatoris. Iuxta Goesam est pagus Barlandia, unde natus doctiſſimus ille Ælius Adrianus Barlandus, qui cum alia quædam opuscula, tum accurate inprimis conscripsit terræ Brabantiæ chronicon. Habet inde hæc Insula multos insignes pagos & toparchias, & præsertim amœnam illam & amplam Elsdicam, quæ majori ex parte toparcham agnoscit Petrum Lutianum Florentinum. quod ostendit nullum fere locum carere hominibus nostræ gentis. Habet denique amœniſſimas aliquot silvulas, & in iis non tantum feras, sed innumera quoque avium utiliſſimarum genera.

Tertia Insularum Occidentalium Nordbevelandia dicitur. Insula olim tam fœcunda, tamque omni ex parte amœna, ut jactaretur pro Zelandiæ deliciis. sed diluvies illa anni 1532, prorsus illam absorpsit. opidum habuit satis celebre, cui nomen Cortchenæ, Campo-veriæ fere oppositum. quod ipsum quoque sic fluctibus obrutum, ut præter turrim è summis aquis extantem, nihil inde relictum sit. extant autem in istis & finitimis aliquot locis etiam aliæ quædam pagorum miserè submersorum turres, navigantibus satis clara miserandaque calamitatis suæ indicia. Sed vindicat se nostro ævo hæc

tellus,

tellus, & assidua maris alluvione sensim attollitur. ita ut spes sit fore, ut cis paucos annos majori ex parte recuperetur, & aggeribus rursus obsepiatur.

ADDIT. [*Educta sunt ante annos circiter quindecim & aggeribus cincta duo hujus Insulæ territoria, totidem hodie pagis insessa. quorum alteri nomen est Colinsplatæ, alteri Catzio. Sicuti vindicata quoque civium Zirizæorum maxime opera sumtibusque est Oresanda, insula inter Scaldiam & Nordbevelandiam media, nec aggeribus antea umquam septa.*]

Quarta ultimaque prædictarum Insularum Occidentalium dicitur Wolfersdica, estque cæteris longe angustior, & duobus dumtaxat pagis, tum & pascuis satis uberibus memoranda.

ADDIT. [*Solet autem, qua Walachriam & Arnemudam spectat, agrum possidere longe majorem; sed illum jam dudum fluctus absorbuere, cum oppidulo Pyto, (cujus turris diu ex aquis eminuit, & demum* anno CIↃ IↃC XII *concidit,) & duobus pagis, Tarmuyo & Zabbinga. Iidem & reliquæ insulæ exitium hodieque minantur; quippe quæ utrinque à Scaldis æstuario, quod* Schenge *vocant, & altero canali, qui* Zuydvliet *dicitur, quotidie abedatur: unde vulgari proverbio dicitur, hæc duo æstuaria inter se certare, & jam dudum minari se Wolfardi insulam devoratura. Hæc olim à Ioanne Reygersbergio prodita. Eventus respondit; nam parum admodum hodie hujus insulæ superest.*

*Porro insulis, quas jam attigimus, variis locis interjacent aut adjacent planicies herbidæ, quæ nullis licet cinctæ aggeribus, tamen utplurimum è fluctibus extant; quarumque ea conditio est ut modo hinc avellantur & alio adjiciantur, & crescant decrescantque; ita ut nunquam in hisce partibus insularum cingendarum materies videatur defutura. Harum quædam à virenti gramine ac lætâ pabulatione* garsen *appellantur; quædam parcius virentia neque tam uberem pabuli copiam suppeditantia* scorren *vocant. Ex his, ubi aliquot jugerum millia conglobari contigit, aggeribus circumductis, insulas efficere tentant Zelandi & vicini Hollandi, & valde verisimile est, jam antiquitus nonnullas harum insularum ita undarum dominio esse subductas.*]

Sunt in Insulis istis Zelandicis duo Ministri, seu Magistratus Regii, Belgice ſient-meesters/Latine Quæstores ærarii dicti: quorum utrique magna est in provinciam suam auctoritas, magna jurisdictio. & alteri quidem, Occidentalis ac præcipuæ terræ partis Quæstori, sedes est

eſt Middelburgi : alteri, partis Orientalis, Zirizææ. Sunt autem veluti Vicarii Principis, quatenus terræ Zelandiæ Comes eſt, in collatione feudorum, aliiſque id genus majoris momenti negotiis. audiunt Conſiliarii Regis, cujus & reditus omnes conquirunt, acceptique & expenſi rationem reddunt. deferuntur ad eos edicta & placita omnia Principis, quæ ipſi publicanda deinde & obſervanda procurant. habent denique poteſtatem prehendendi & conjiciendi in carcerem facinoroſos quoſlibet in agris pagiſque deprehenſos, quos tenentur ſiſtere Magiſtratibus utriuſque metropolis, damnandos ab iis, vel ſi inveniantur inſontes, abſolvendos. Hodie Magiſtratum hunc gerunt, in Orientali quidem Zelandia, vir Illuſtris Hieronymus Seroof kerquius, eques auratus, ac loci unde nomen adſumit, toparcha : in occidua vero, filius ejus Philibertus, generoſus item & perilluſtris vir.

ADDIT. [*Hodie vero multum horum Queſtorum muneri & dignitati deceſſit, præſertim præfecto Orientali; cujus juriſdictionem pene omnem Balivus Zirizeanus & Tolenanus ad ſe traxerunt. Alter carcerem adhuc ſuum habet Middelburgi, & reos coram tribunali oppidano judicandos ſiſtit. Solet autem uterque ab Ordinibus Zelandiæ deſignari, a Præfecto vero provinciæ eligi.*]

Inſulani naviculariæ maxime & piſcationibus dediti. præterea ut agriculturam omittam & pecuariam, quam utramque ſatis ſedulo profitentur, purgant & nivium inſtar candefaciunt prope immenſam vim rudioris illius & popularis ſalis ex variis mundi plagis in Zelandiam ſuam convecti. nec modo purgant ſed & aqua marina atque igne ipſum ſalem magnopere augent. ita quidem ut ſingula ſalis Hiſpanici centenaria, in centena & quadragena quina, vel præterpropter : Luſitanici, in centena tricena quina : Gallici denique in centena ut minimum & vicena quina excreſcant. inſignem profecto & conſideratu digniſſimam rem! præſertim cum cæteris omnibus rebus, quæ & recoqui ſolent & repurgari, metallis nempe, & ceris, & quidquid præterea tale eſt, non parum inter purgandum, nec ſine cauſſa quidem, decedat. nam quod ſaccharum quoque videatur inter purgandum accreſcere, id ex hominum magis malitia variis illud & ſæpe parum honeſtis rebus adaugentium, quam

ex

ex ipsa rei natura procedit. Sed in sale, ut diximus, exaugendo nulla plane intervenit fraus, nulla humana malitia: sed mera tantum adhiberi consuevit industria, qua ex aquis marinis sali abunde adfusis & probe cum eo decoctis, non candorem dumtaxat & vigorem, sed & incrementum illud eliciunt. etsi mare tamen iis anni temporibus, æstate videlicet atque autumno, in hisce quidem Provinciis, quod salsuginem attinet, ultra sena ut plurimum in centena continere non soleat. Et hanc quidem purgandi & excoquendi salis rationem testantur annales apud homines istos fuisse in usu jam à quadringentis & amplius annis retro: unde ad summam & omnibus numeris absolutam perfectionem ab iis perducta est. Vtuntur Zelandi in quotidianis colloquiis idiomate Flandrico, ceu vernaculo ipsis, & ut sic dicam materno. sed cum varie passim viri peregrinentur, cumque domi etiam crebra iis cum exteris intercedant commercia, ægre virum ullum invenias, imo ne fœminam quidem, quin & Gallice simul & Hispanice calleat. neque desunt complures qui sonent Italice. Pervenerunt ad fidei sacrosanctæ cognitionem temporibus Divi Willebrordi, qui sollenniter eam, multo ante sæcula Caroli Magni, id est anno circiter 620, in toto illo Zelandiæ, necnon Hollandiæ Frisiæque maritimo tractu annuntiavit.

Eductæ fuerunt hæ Insulæ (ut è scriptis quidem & monumentis colligitur) atque à maris injuria vindicatæ, multo ante Carolum Martellum, Pipini (ut notum est) patrem: idque à Danis. qui perpetua fere cum Anglis Franciscque gerentes bella, quo commodius hostem utrumque invaderent, & facta præda, tutiores haberent receffus, elegere potissimum istas syrtes (tales enim re- vera tunc erant) tamquam loca cohatibus suis opportuna. & primam quidem occupavere Walachriam, quam ex mari eductam, ac paullatim deinde excultam, magis magisque frequentare cœperunt & habitare. præsertim vero postquam eo delatus est famosissimus ille Rollo. qui (narrante Paullo Æmilio) cum in somno vidisset, elephantiasi se, vel si lepra magis dicenda est, derepente correptum, sed ablutum deinde in puro fonte, lue continuo liberatum, moxque in verticem montis cujusdam enixum: cum inquam hæc somniasset, & mane quibusdam è suis referret; Christianus quidam captivus

ptivus ita ſomnium illud interpretatus eſt: elephantiaſis (inquiens) Domine, denotat religionem illam falſiſſimam Deaſtrorum, qua videlicet tu infectus: aqua vero puriſſimi fontis, ſanctiſſimam aquam baptiſmi: quæ & mundatura te, & mundatum ad montis culmen, id eſt ſummam aliquam dignitatem eſt perductura. quæ interpretatio cum Rolloni mirifice arriſiſſet, ipſe ex Inſulis hiſce, anno circiter nongenteſimo, regnante in Gallia Carolo Simplici, numeroſo exercitu ſuccinctus in eam terræ illius partem, quæ tunc Neuſtria dicebatur, contendit. ubi mox præmiatoribus ſuis edixit, ne quis ultra terram auderet depopulari, neve prædas in ea facere. oblatis inſuper, ſive religione id fecerit, ſive ad conciliandam ſibi auram & gratiam popularem, in templo tunc primum obvio multis & pretioſis donariis. quin ut populos illos eo magis obſtringeret, obſequentioreſque efficeret, matrimonio ſibi junxit unam è filiabus Berengarii, Comitis Bellovacenſis. unde factum, ut Principi tam modeſto, tamque ut videbatur religioſo brevi ſe daret Rhotomagus, dictæ Provinciæ caput. quam urbem tunc ipſe obſederat, neque Carolus Rex, partim ſimplicitate quadam & imperitia rerum, partim fatalibus illis cum Proceribus regni diſcordiis, ſuccurrebat. Rollo motus tam proſpero rerum ſuarum ſucceſſu, Chriſto illico dedit nomen, & baptiſmo tinctus à Francione, Rhotomagenſium Præſule, mutato nomine Robertus dictus eſt, à Roberto fratre Regis Odonis, initiationis arbitro. Mox fortuna porro utentem virum, & magnos in dies facientem progreſſus, creavit atque inſtituit idem Rex, ex fœdere inter utrumque percuſſo, Ducem Provinciæ Neuſtriæ. quam ipſe in poſterum à Normannis ſuis dici juſſit Normanniam. Dani ſiquidem apud veteres Gallos, Belgarum in eo ſequentes morem, audiebant Normanni, dictione compoſita ex vocibus Noord, quæ Septemtrionem, & man, quæ virum hac lingua ſignificat. Succeſſit defuncto Rolloni in Ducatu Guilielmus filius. cui & inſecutis aliquot ex hac gente principibus tam propitia fuit fortuna, ut non tantum fundaverint ampliaverintque & diutiſſime retinuerint Principatum Normanniæ: ſed & poſteris viam munierint ad ſubdendas imperio ſuo Apuliam, Calabriam, Neapolim, Siciliam, quas omnes Græcis ereptas terras

longo-

longo annorum ſpatio poſſederunt. Parte alia ſubjecerunt imperio ſuo ad annum 1067, univerſum regnum Angliæ. cum videlicet Dux Guilielmus nothus, adjutus à ſocero ſuo Balduino Pio Comite Flandriæ, magno & memorabili illo prælio ſuperavit Haraldum, ejus regni uſurpatorem. unde vulgari Gallorum lingua dictus fuit Guilielmus Conquæſtor. Dedit autem is regno recens quæſito cum novo imperio novam etiam linguam novaſque leges & ſanctiones. quarum pleræque in hunc uſque diem incorrupte apud Britannos obſervantur. qui propterea patrem eum appellant, & imperii ſui conditorem. etſi Anglica tamen lingua, cujus uſum indigenis in judiciis interdixerat, revocata ſit poſtmodum, & in eam, qua hodieque præcellit, dignitatem reſtituta. Tam conſtantem vero fortunam in eo regno expertus eſt, ut hucuſque in poſterisillud obtineat. quin & Scotiam ejus poſteri ſed ex ſequiori ſexu deſcendentes, noſtro etiam ſæculo moderantur. Revertamur unde digreſſi eramus, vindicata (ut ſupra dixi) jaminde ab ævo Rollonis, & magnopere culta, frequentataque Walachria, ſubactæ quoque paullatim & novis coloniis occupatæ ſunt pleræque ex Inſulis circumjectis. Quæ poſt varios caſus & multiplicia rerum diſcrimina, redactæ ſunt tandem vi ac manu armata, etſi variis tamen juris prætextibus obvoluta, in ditionem Comitum Hollandorum. Sed cum anno Chriſti milleſimo ſeptimo Imperator Henricus tertius Walachriam & vicinas aliquot Inſulas donaſſet Balduino Barbato, Comiti per id tempus Flandrorum: diuturna & gravia admodum bella inter Flandros Hollandoſque vario quidem ultro citroque eventu exorta ſunt. nominatim vero internecinum illud prælium anni 1253, quo Florentius, frater Guilielmi Regis, & Cliviæ Princeps Lupus, in Walachriæ fere conſpectu ediderunt horribilem illam ſtragem in exercitu Margaretæ Comitis Flandriæ. quo prælio, juxta quoſdam Scriptores, cecidere quinquagies mille Flandri: totidem aquis ſubmerſi ſunt: iterumque totidem capti. Inter captos præcipui erant Guido & Ioannes Dampetræ, Margaretæ ipſius filii: Theobaldus Comes Guiſiæ: Godefridus Comes Bituricenſis, & cum iis ducenti triginta circiter viri primates; ac non infimi nominis equites. At Mejerus hiſtoricus Flander (qui propius ſane videtur

ad

ad veritatem accedere) cæsos narrat fuisse dumtaxat tricies mille. addens, Guilielmum Regem, victoria tam insigni elatum, aures præbere noluisse illis de pace sermonibus, ac Margaretæ duras admodum leges tulisse. sed cum ipse biennio post in aciæ cæsus esset, prælio quod cum Frisiis tunc imperium detrectantibus committebat, subiecuta brevi inter jam-dictos Florentium Regis fratrem, & Margaretam est pax: nec dimissi dumtaxat, persoluta redemtione Flandri; sed sponsalia etiam facta inter Florentium quintum, Regis Guilielmi filium, & Beatricem, Margaretæ ex filio natu majore, Guidone videlicet, neptem: quibus Flandri quicquid in Zelandiam juris habebant dotis nomine Hollandis tradiderunt ac tunc demum ditio Insularum Zelandicarum Comitatus nomen accepit. Sed nec ista pax diuturna satis aut firma. Guido enim Dampetra, jam ipse imperii compos, impatienter ferebat Comitum Hollandorum in Walachria dominatum. quare & bellum redintegravit. cui inter utrumque hunc principatum non ante impositus finis, quam Zelandia, cum Hannonia, Hollandiaque & Frisia tandem conjuncta, deferretur, ex caussis in Hollandia nobis expositis, ad Burgundiæ Ducem Philippum Bonum. Sic ut hodie hæ Insulæ domus Austriacæ pareant, cujus nomine gubernantur (ut diximus) à Guilielmo Nassovio, Principe Arausino. Deinceps Zelandia eandem cum aliis provinciis fortunam subiit, & demum ex cusso Hispanorum jugo à suis Ordinibus regi cœpit. Atque hæc de Zelandia dicta sufficiant.

# VLTRAIECTVM ARCHIEPISCOPATVS.

PROVINCIA VLTRAIECTINA, etsi cum Hollandia conjunctissima, peculiaris tamen & distincta est ditio. ea præter metropolim Vltrajectum, quatuor opida muris clausa, & quidem satis concinna, nec memoratu indigna, complectitur Batavodurum scilicet, Rhenam, Amersfordiam, & Montfortium. Cingitur autem hic Status à septemtrione, occasu, atque meridie, pæne omni

ex



26
15
SEP:
Bylmeer
Oudekerke
Weesp
Oude naerd
Naerden
Huysen
Laren
Iamen
Bamburg
Abcoude
Horst
Larem
Wauveren
Vreelant
Hilfertsen
Lonerstoot
Cortehoef
Vinckeueen
Loenen
Meyert
Aade
De Vecht
Croonéburg
Willes
Braeckelen
Loosdrecht
OCCIDE. 15
Nieuwerode
Westbrouck
S. Mart
Norden
Cokengen
Zulen
Maersen
Chartusers
Vrouwen cloist
Camerick
Haer
Dale
Secuelt
Vlieten
Ham
Betlehem
Outwyck
Woerden
Vtrecht
Bonn
Lynschoten
Montfoort
Houtem
Rhyn
Waerder
Iutfaes
Werchou
Tgoy
Oudewater
Iselsteyn
Tgeyn
Vreeswyck
Benscop
Twael
Cappelle
Thonswyc
Vianen
Lopick
Iaens
Heldingen
Euerdingen
Pols brock
52
26
15
ME: 30

TEN.
45
27
Zuyder Zee
GELDRIÆ
Imenes
Bunschoten
Hulkesteen
Eembrugge
Niekercken
Barent
Amersfoort
Ultrajectum
Zoest
Birckt
Miliaria
Germanica
1
2
Eem
Leusden
PARS
Lunteren
Wouwenberg
Scharpenzeel
Zeyst
Oeyck
Emmickhuysen
Doorn
Beverweert
Stekenburg
Neerlangebrouck
Leersem
Amerongen
Ouer langebroeck
Coten
Elst
Rhenen
Wyckte duerstede
Leck
Ingen
Culenborg
Ryswyck
ORIENS
15
52
RID.
45
27





W

TRECHT.



ex parte Comitatus Hollandiæ finibus: ab ortu, terminatur ducatu Geldriæ. Solum ejus & bonum & fertile: quod ut editum magis & ſiccum, ita etiam multo eſt quam Hollandicum illud excultius, & ad ſegetem opportunius.

ADDIT. *Multis quoque pomariis & viridariis diſtinctum, amœnitate cum quavis provincia certat: nonnulla tamen ſui parte inf. dis ſabuletis horret, inprimis inter metropolim & Amersfortiam & qua Gelriam attingit.*

*Provinciæ totius regimen, prout olim fuit, & uti hodie ſe habet.*

IN *locis hiſce, ubi ante aliquot ſecula Epiſcopatus Trajectenſis ex Imperatorum, Regum, Principum atque adeo privatorum devotione atque liberalitate coaluit, olim Batavi, Cainefates, Salii, Tenßteri, aliique populi habitarunt, ad Galliarum Germaniarumque limites; qui primum fœdere ac ſocietate Romanis juncti, deinde ſubditi facti, eorum legibus uſi fuerunt; donec Friſonum, Francorum, Normannorumque potiſſimum irruptionibus, variante fortuna, victi, nunc his nunc illis vel ſubditi vel conjuncti, eorum ſe moribus accommodare coacti ſunt, tandemque Romanis omnino expulſis, in Francorum jus abierunt. Verum quum à Chriſtiana religione adhuc alieni eſſent, à conſanguineis Anglis, annitentibus Francorum principibus, ad Chriſtianiſmum perducti ſunt; Vtque in hac religione perſtarent, Antiſtes ipſis datus, qui collegium ſacerdotum, juxta caſtrum Trajectum, Principum auxilio conderet, qui vicinos veritatem docerent. His multa conceſſa loca, caſtra, telonia, comitatus, immunitates; ita ut non tantum doctores, ut ante, ſed & Principes Imperii fierent; quorum ſubditi paulatim in duas provincias cis & ultra Iſalam abierunt. Ac primo quidem Antiſtitibus & ſacerdotibus divinæ rei intentis, regimen provinciarum judicibus comitibuſque à Regibus & Imperatoribus committebatur: Antiſtites vero à populo commendati, etiam ex aula paulatim procedebant, & per baculum & annulum inveſtituram à Principibus accipiebant. Comites ac Graviones ſic à Principibus conſtituti, aſſumtis miniſterialibus, (qui nunc* Ambachts-heeren *vocantur) Imperatorio nomine, certis ſtatutiſque temporibus convenientes jus dicebant; cujus moris veſtigia multis in locis Velaviæ ac Betuæ hodieque apparent. Antiſtites interim & collegia ſacerdotum bonis ac donationibus fruebantur; nec bella ulla ſuſcipiebant contra vicinos, aut controverſias*

versias exortas componebant, nisi Principum forte jussu atque authoritate. Verum hæc omnia mutata fuerunt, postquam Pontifices Romani, post acerrimas multorum concertationes, Imperatoribus quasi sub jugum missis, omne jus in Episcopos & clerum ademissent: tum enim Antistites cum suis collegiis, comites ac præfectos constituere, bella gerere, limites producere, nulla ratione Principum habita, cœperunt. Tum quoque electio Antistitum, excluso populo, à quinque Canonicorum collegiis facta fuit, Pontifice electum confirmante. Post illa, summa potestas ac authoritas in rebus quæ totam provinciam concernebant penes 5 Canonicorum collegia mansit. hæc leges præscribebant Episcopis; non bellum gerere, non pacem facere, auxilium cuiquam ferre, vectigalia imponere, aliudve quid magni momenti agere, absque illorum consensu poterant; iis interdum magistratus, & postea ministeriales accedebant, quum res de qua consultabatur majoris ponderis videretur. Circa annum autem 1570 tres ordines, sive statuum membra, haberi & convocari cœperunt, quorum suffragiis, Antistite præsidente, omnia constituebantur. Quinque nempe Ecclesiarum (ut vocabant) Canonici, primum occupantes suo (ut quidem tunc videbatur) jure locum: secundum Equestris ordo, in ministerialium, uti videtur, locum substitutus: ultimum Magistratus urbanus Vltrajectinus; cui interdum Amersfordiensis accedebat. Quum autem hæc Canonicorum collegia jus omne eligendi Antistitis sibi arrogassent: Vicini principes ambire suffragia, suos commendare, aliquando vim intentare cœperunt; maxime postremis temporibus, quum contra Brederodium legitime electum Burgundus suum Davidem armata manu intruderet, & invitis plerisque Antistitem daret. Tentatum quidem jam ante id fuerat ab aliis principibus vicinis, quorum intererat sibi obnoxios aut addictos ad Episcopatum hunc assumi; sed modestius nec tam aperta violentia: eaque re factum jam dudum fuerat, ut ita electi atque introducti, non tam pastorem quam principem absolutum agentes, multa invito populo, atque adeo clero & nobilitate, facerent, sæpiusque cum suis quam cum vicinis dissiderent. Quæ tandem simultates huic provinciæ exitio fuerunt. Nam quum anno CIↃ IↃ XXIV Philippus, Burgundi quidem nothus, cæterum vir pacis bellique artibus insignis, ex ægritudine animi, ut creditur, decessisset; succesit Henricus Bavarus, è familia Palatina, post varios animorum motus senatu ac plebe annitente electus. is quum insolentius potestate abuti videretur, oppidoque excluſus vindictam pararet; urbani cum Gelro fœdus inierunt; ille autem in sinum Burgundicæ domus se conjecit. Quæ tam victores quam victos

ctos deglutiens, utrorumque jus sibi retinuit. Nam quum fœderati debiliores essent quam ut Burgundicis possent resistere, accedentibus quibusdam factiosis civibus, Trajectum recidit in manus Antistitis; qui, velut se ulciscereturvel quia jam antè promiserat, jurisdictionem omnem temporalem in Carolum V Imper. transcripsit, provinciæ ordinibus necessitate parendi imposita. Qui licet jura omnia ac privilegia salva stipulati essent, pleraque tamen statim mutata. Præfecto enim constituto qui ad principis voluntatem omnia referret. Clero quidem libera suffragia ademta. Equestri ordini umbra quædam pristinæ libertatis relicta, oppidanorum libertas pœnitus eversa. Post illa, misera conditio provinciæ hujus, uti & cæterarum, fuit, ad Albani usque tempora, quibus plures ex clero & nobilitate hujus provinciæ, inter primos, priscæ libertatis memores, sese tyranni mandatis opponere & decimi nummi tributum recusare cœperunt. eoque tandem res devenit, ut abjurato Hispaniarum rege anno 1580 antiquam libertatem cum cæteris provinciis recuperarent. Ab illo tempore provincia hac ad vicinorum modum ab Ordinibus suis regi cœpit. Illi autem constant tribus membris; Clero nimirum, Nobilitate & Oppidanis. Clero, licet sacris mutatis, & Romani Pontificis authoritate abrogata, atque adeo Episcopo abdicato, suus honos mansit & prærogativa inter Ordines; sed non eo quo olim nomine; Electi namque hodie appellantur; quia e quinque Canonicorum collegiis alleguntur. quorum primarium est Canonicorum S. Martini, (vulgo domum vocant;) cujus decanus reliquos Ordines ad comitia solet vocare, agenda proponere, vota colligere & concludere. cætera collegia sunt S. Salvatoris, (vulgo Oude munster,) B. Mariæ, S. Petri, & S. Ioannis. Secundum membrum Ordinum constituunt Nobiles & Equestris ordinis viri; non quidem omnes qui olim hoc jure usi sunt, sed qui in patriæ libertate vindicanda operam navarunt, hodieque illam una cum religione in hisce provinciis recepta sartam tectam volunt. Tertium membrum constituunt quinque civitatum hujus provinciæ Delegati. Atque hi Ordines licet in Præfectum provinciæ multum authoritatis contulerunt, tamen summam sibi potestatem servant, atque ad cæterarum provinciarum modum in comitiis publicis statis temporibus, libere de omnibus quæ communem utilitatem & salutem Reipublicæ tangunt, deliberant atque decernunt.

Idem uti & in aliis provinciis suos habent Delegatos, qui quotidie conveniunt, numero XII; nimirum quatuor ex electis, quatuor ex Equestri ordine, duo Consules urbis Trajectinæ, & duo è reliquis oppidis. Quibus adsistunt Advocatus provinciæ & Secretarius.

## *Iudicia & tribunalia.*

PRæter tribunalia quæ in ſingulis urbibus habentur, eſt & Senatus provincialis in oppido Trajectino, qui de provincialium litibus cognoſcit, quæ per provocationem partium ad ipſum deferuntur. Is conſtat uno præſide & quinque ordinariis ſenatoribus; procuratore generali & graphiario; quibus ab Ordinibus provinciæ adjunguntur tres ex aliis oppidis. Atque hic Senatus in hac provincia ſupremus eſt, nulli alterius provinciæ Senatui obnoxius; adeo ut etiam vicinos & exteros, eorumdem bonis arreſto incluſis, eoſdem apud ſe etiam in mere perſonalibus cauſam dicere jubeat. Ab hoc tribunali nulla eſt provocatio; ſolummodo licet per libellum ſupplicem reviſionem, ut vocant, ab Ordinibus poſtulare. Præter tribunalia, quæ in ſingulis oppidis ſunt ſingula, in agris quoque in ſingulis pagis tribunalia ſunt conſtituta, in hunc modum. In ſingulis pagis ab iis, quibus id juris competit, nominantur Prætor & Secretarius, qui juramentum præſtant coram Præfecto provinciæ, aut conventu Ordinum, aut eorumdem Delegatorum. Mareſcalli autem & vaſalli ejuſdem provinciæ in ſuis ſinguli diſtrictibus Scabinos & juratos quotannis ſacramento obligant, ex æquo & juſto partibus, jus adminiſtraturos. Porro prætores; hi & jurati judices quater quotannis ſtatis temporibus jus dicunt, & controverſias omnes audiunt & dijudicant. Præterea extra ordinem dies judiciales conſtituunt ad petitionem partium. Ab omnibus autem eorundem tribunalium ſententiis ad Senatum provincialem provocatur.

## *Iura quædam & leges.*

OLim quidem in hac provincia nepotes ab hæreditate avi & aviæ ſecludebantur, ſi patrui aut materteræ illorum ſuperſtites eſſent: itemque ab hæreditate patruorum & materterarum, quamdiu illorum patruorum & materterarum fratres aut ſorores ſuperabant: verum Carolus V Imper. prius jus, ſancita repræſentatione in linea recta, mutavit: poſterius autem demum ab Ordinibus hujus provinciæ mutatum fuit anno CIↃ IↃ XCIV, in hunc modum: Fratrum & ſororum liberi in bona allodialia defunctorum patruorum & materterarum, una cum patruis & materteris qui ſuperſunt, ad poſtremum uſque, incluſive, poſthac ab inteſtato ſuccedent in ſtirpes, & loco parentum una manu capient hæreditatem; poſtremo vero patruorum aut materterarum decedente,

*decedente, succedent nepotes in capita, nulla ratione habita utrum unus frater aut soror plures an pauciores liberos reliquerit.*]

Sed describamus deinceps paullo exactius ipsam terræ Metropolim, & reliqua illa quatuor opida; subjecturi postremo, quo pacto hæc ditio ad Austriacam gentem delata sit. Dico igitur, ex quorumdam scriptorum sententia, Vltrajectum initio dictam fuisse Antoninam, ab Antonio Senatore Romano, qui, relicta propter Neroris tyrannidem Roma, & in oras istas delatus, urbem inibi istam condiderit. quam alii tamen conditam volunt à Marco Antonio, Cæsaris Gallos tunc debellantis Legato. alii denique nomen sumsisse contendunt ab Imperatore Marco Antonino Pio, qui collapsam videlicet instaurarit. Vtcumque sit, illud quidem aperte constat, nec à pluribus tantum scriptoribus adfirmatur, sed ex nummis etiam & monumentis antiquis isthic olim repertis colligitur, Antoninæ vocabulo alias eam claruisse. Diruerunt postea & vastarunt veteres Wiltii, excitata in vicem amplissima quadam arce, quam de suo adeo nomine Wiltenburgum dixerunt. eam arcem vi & manu armata expugnavit Clotarii filius Dagobertus, & validius multo quam antea communitam *Trajectum* vocavit: quia scilicet multus inibi commeantium transitus, & portoriis decendis telonium. atque hoc nomen apud Latine quidem scribentes ad hunc usque diem perdurat. Situm est Vltrajectum ad veterem alveum Rheni. quod flumen, priusquam in Leccam olim prorupisset, ea præterfluebat, atque hinc porro, ut in ejus descriptione jam dixi mus, ad Oceanum properabat. unde nunc quoque temporis aquæ ab accolis undique conquisitæ, & per varias fossas in urbem corrivatæ, ac Woerdam inde & Leidam ea qua Rhenus tunc via perductæ, Rheni apud promiscuam turbam vocabulo celebrantur.

ADDIT. [*Nunc Vechta haud procul mœnibus illius labens, & fossa inde à Durostato ex Lecca deducta, (quam vulgo vocant* de Vaert,) *annoque* CIↃ IↃC IV *ab Ordinibus hujus provinciæ profundior reddita, subvectionum opportunitatem summam illi præbent.*

*Vrbem perlabuntur duo alvei, eamque per longitudinem secant; minimum ille quem* de Vaert *appellari diximus, & alter à Clero & Nobilitate effossus, qui* de nieuwe gracht *nuncupatur, splendidis ædibus utrimque decoratus: ambo autem quinque & viginta*

*triginta latericiis & fornicatis pontibus strati sunt. Munitissima quoque est urbs; & quatuor ingentibus lateritiis propugnaculis, quinque terreis, & lateritio muro undique cincta, cum amplo vallo terreo, & lata atque profunda fossa. Quatuor illi portæ sunt, cum suis singula suburbiis; quorum unum, quod* de Waert *vulgo appellatur, suos quoque habet muros quibus includitur, sed debiles.*]

Illud vero notatu dignum, eo loco positam esse hanc urbem, unde unius diei itinere (& ubi terrarū quæso hæc urbiū densitas?) pedibus pervenire queas ad quodcumq; libuerit è quinquaginta ut minimum opidis, nostrum hoc undiq; circumstantibus, nec majore saltim quā diximus spatio, quod & tabula geographica satis ostenderit, illo abjunctis, & iis quidem, quod magis mirere, in ditione Philippi Regis. cui, cum coram id monstraretur, extrema quædam voluptas oborta est. certum etiam, facta inter viros egregios sponsione, compertum fuisse, rem ita ut diximus sese habere. amplius, posse aliquem mane Trajecto egressum ad quodvis è sex & viginti prædictis opidis etiam lento gradu inambulantem accedere, genio inibi indulgere, & vespere domi rursus ad cœnam adesse. Vltrajectum pulcherrimam habet & munitissimam arcem, à Carolo Quinto Imperatore, paullo post quam hoc statu, ut mox dicam, potitus esset, extructam, & vernacula voce Vredenburgh, id est arcem pacificam, nuncupatam.

ADDIT. [*Verum hæc* anno CIↃ IↃ LXX VII *demolita fuit à civibus, primum per tumultum, ob gravia detrimenta quæ oppidani à præsidiariis aliquoties acceperant; dein Ordinibus generalibus conniventibus, & Ioanne Austrio (ut putatur) non invito, ne Principi Auraico, in cujus manus urbem perventuram prævidebat, usui esset ad sedem belli hic constituendam.*]

Vrbs est ampla & potens, quam concinnæ & elegantes admodum domus, tum hypogæa quoque & ædificia subterranea miri equidem & pulcherrimi operis passim exornant. templa ejus magnifica, & præsertim quinque illa primaria, totidem perantiquis reverendisque Canonicorum collegiis olim spectanda, Divi nempe Martini, Sanctissimi Salvatoris, quod & Divi Bonifacii dicebatur, Divi Petri, Divi Ioannis, & Divæ Mariæ. quod postremum, pulcherrimum sane & artificiosi admodum operis

operis templum est, conditum Frederico Ahenobarbo Imperatori, idque luendæ in partem multæ, ipsi à Pontifice Maximo, ob excidium splendidissimæ urbis Mediolani, & omnium inibi delubrorum, uti perhibent irrogatæ.

ADDIT. [*Miraculo fuit, cum jacerentur hujus templi fundamenta, inventam fuisse voraginem quandam, sive gurgitem vorticosum: cui cum nihil omnino posset superstrui, & in fundum iret quidquid injiceretur (plane ut de Dianæ illius Ephesiæ templo apud veteres legimus) bubula pelles ingestæ sunt. quo facto solidatus tandem est fundus, & superstructa ei hæc ædes. in cujus rei memoriam extant apud Vltrajectinos hi versus:*

*Accipe posteritas quod post tua sæcula narres,*
*Taurinis cutibus fundo solidata columna est.*]

Sed præcellit reliqua omnia templa sumtuosissima illa & splendidissima ædes Divi Martini, episcopali sede conspicua. in qua celebravit anno 1546 Carolus Quintus Imperator comitia Ordinis aurei velleris. Dirui jussit hoc templum, & in augustam hanc formam restitui Trajectensium Præsul Adelboldus, quod angustum scilicet prius videretur, nec pro cathedræ dignitate. restitutum, anno vigesimo tertio supra millesimum, consecrarunt duodecim Præsules, præsente Sereniſſimo Imperatore Henrico secundo. Sunt præterea Vltrajecti amplissima duo Cœnobia, alterum Equitum Melitensium, alterum Teutonicorum suo utrumque templo & superbis admodum ædificiis nobile. & illius quidem cœnobii Caput, vulgo audit *Bailivius Divæ Catharinæ:* hujus vero, *Commendatarius terræ.* habent enim complura luculentissima sacerdotia; quas commendas vulgo indigetant. ne quid dicam de innumeris illis prædiis; quæ in variis Belgicæ partibus & Provinciis possident. ita ut splendide prorsus & magnifice vivant. quod percommode quidem multis hominibus cedit, qui magnificentiam istam & splendorem libenter admittunt. Est item egregium illud & opulentum cœnobium Divi Pauli, ordinis Benedictini, quod spissò ab incolis accolisque frequentatur. Sunt & alia multa templa, & varia variorum ordinum cœnobia. inter quæ, atque professionum utriusque sexus duo illa potissimum eminent, in nobilium, aliarumque primariarū virginum, *domicellas* appellant, usum extructa: alterum Ordinis Divi Bernardi, alterum vero Præmonstratensis.

ſtratenſis. Extra urbem denique,& à duplici ejus parte, neque procul à mœnibus (ô felicia illa & vere aurea ſæcula, quibus tam pia paſſim fiebant opera!) tria ſunt virginum domi nobilium, vel ſaltim primariis civibus oriundarum,cœnobia: quorum unum communiter audit Ten Dale/ad Vallem, eſtque Ordinis Divi Bernardi: alterum, Oude-Wijck/ iſt eſt veteris Vici, ordinis Divi Benedicti: tertium denique 't Wrouwen-Kloofter/quaſi dicas Cœnobium fœminarum, in amœno admodum luco & juxta longiſſimam quamdam ſilice ſtratam viam extructum, Benedictini item eſt Ordinis. agunt autem in monaſteriis iſtis religioſæ illæ & piæ virgunculæ piam quoque & religioſam vitam. Eſt inſuper in propinquo,& alio quodam pulcherrimo nemore, ampliſſimum illud Cœnobium Divi Laurentii, Benedictini itidem inſtituti. cujus monachi tam auſteram olim & arctam agebant vitam, ut locus paſſim audiret *Benedictinorum carcer*, etſi proprium ei & vernaculum nomen Oofſtroeck. Nec omittendum hic, extra portam Vltrajectinam qua Amſterodamum tenditur ad quartam dumtaxat milliaris partem,& aquagii illic ripam, nobiliſſimum eſſe & opulentiſſimum Ordinis Divi Brunonis, ſive Carthuſianorum cœnobium, quod frequentes quotidie ſumma cum pietate eleemoſynas erogat.

Cives Vltrajectini humani, induſtrii, locupletes. nec defuere hic umquam viri inſignes, & virtutibus inclyti. qualis adeo nuper Hadrianus ſextus Pontifex maximus, piæ memoriæ Princeps, & inter clariſſimas Belgicæ terræ ſtellas. qui ſola nixus virtute, ſed cum ſumma doctrina conjuncta, renuntiatus eſt primum utriuſque Iuris Doctor, & laudatiſſima quædam edidit ſcripta. in matheſi item excelluit. & in ipſa Lovanienſi urbe & ſchola,ubi multum diuque ſtuduerat, varios dignitatum & emolumentorum gradus, etſi minime talium appetens, ultro delatos accepit. ita parce deinceps & frugaliter cenſibus illis uſus, ut ingenti quadam fiducia ſtruxerit amplum illud Collegium, quod hodieque nomen ipſius conſervat, & Pontificium dicitur. Hinc autem ſparſa jam paſſim fama præceptor adſcitus fuit Caroli Quinti Imperatori etiamtum puero. cujus vicem Legatus abiit in Hiſpaniam ad Catholicum Regem Ferdinandum. hic ob egregia merita mox delatus eſt viro

Epiſcopatus

Episcopatus Eccleſiæ Dertuſenſis. poſtea commendatione Maximiliani Cæſaris, ad ſublimem illum Cardinalatus honorem evectus, defuncto jam Ferdinando, & item Philippo primo, Catholicis Regibus, regnis illis, vicario Coroli nomine, diu feliciter præfuit: donec tandem poſtridie nonas Ianuarias anni 1522, concordibus Sacri totius Collegii, demto unius Cardinalis Vrſini, ſuffragiis, (ea erat jam viri fama) renuntiatus eſt Pontifex Maximus. quo nuntio in Hiſpaniis, ſicut rem divinam celebraturus erat, accepto, nihil tamen commotus eſt; ſed qua erat prudentia, vultu pariter & ſermone ad ſeveritatem compoſito, dolere ſe magis, quam lætari oſtendit: imo palam teſtatus eſt, ſe, niſi & iram divinam, & hominum indignationem metuiſſet, quoniam optime explo-ratam haberet ejus oneris gravitatem, minime quidem id ſubiturum, ſed tantæ potius dignitati renuntiatu-rum fuiſſe. Pontifex, noluit ſibi aliud nomen adſciſcere, nec ultra menſes viginti ac pauculos dies, & eos quidem in ſummis anguſtiis, vixit. repperit enim pontificatum mire confuſum, imo exhauſtum pæne, & à deceſſore Leone decimo alieno in multos annos ære obſtrictum: perturbatam Italiam: gliſcentem & magnis auctibus accreſcentem Martini Lutheri ſectam. acceſſit, quod ſummo cum ejus dolore, per id tempus amiſſa fuerit Rhodus. quare breviſſimum illum imperii terminum luctu tantum atque ſuſpiriis, publicas illas & pæne quotidianas Chriſtianorum calamitates ſerio deplorantibus, tranſigens, nec tempus nec facultatem habuit, etſi ardentiſſime tamen id cuperet, ſuæ in Chriſtianam rempublicam propenſioni, bonitati, atque præſtantiæ demonſtrandæ. Sub finem vitæ in Divorum catalogum retulit Gandavenſem Bavonem, & doctiſſimum noſtrum Antoninum, Archiepiſcopum Florentinum, cum magno ſane ac publico civitatis & territorii gaudio. tandem vero nec temporum ipſa injuria, nec malevolorum calumnia quidquam obſtante, relicta bona & gloriosa nominis ſui memoria, rebus humanis exemtus eſt. poſt obitum demum clarius longe emicuit præſtantiſſimi viri virtus, innocentia, gloria, quam in vita ſe oſtendiſſet. Erat ſane optimæ indolis Princeps, & vel maxime in amicos pronus, quorum intimi quidem & præ cæteris familiares erant Guilielmus Enckevordius, poſtea

S. R. E. Cardinalis, Albertus Pighius, & Adrianus Marſelarius Antverpianus, Pontifici à Cubiculis, honeſtiſſimus & virtutum ſtudioſiſſimus vir. Scripſit fuſe & publicavit cum Hadriani, & aliorum quorumdam Pontificum vitas, tum & alia quædam ſcripta, Doctor Conſalvus Illeſcas Hiſpanus. Ego inter omnia viri epitaphia non aliud ſane invenio, quod, meo quidem judicio, magiſ ipſi conveniat, quam ecce iſtud: *Hadrianus ſextus hic ſitus eſt: qui nihil ſibi infelicius in vita duxit, quam quod imperaret.*

Sedem inſuper Vltrajecti habet Conſilium Regium, quo totius Provinciæ provocationes, ceu ad ſummum tribunal, deferuntur. conſtat autem idipſum ex Præſide, novem Senatoribus, Quæſtore, Graphiariis, Secretariis, & id genus miniſtris. Præſes hodie Hippolytus Perſinus: Senatores Guilielmus Diemenus, Gerardus Reniſſius eques auratus, Ioannes Lentius, Leo Gillekenius Senator & idem Procurator generalis, Antonius Griſperus, Gerardus Ratingius, Paullus Bergius, Godefridus Rhedius, itidem eques auratus, & Iacobus Boeſecomius Conſiliarius idem & Quæſtor generalis.

Sed quod familiam ducit, nobilitatur clariſſima iſta Civitas perantiquo & potenti in primis Epiſcopatu, eſtque ut diximus luculentæ & amplæ admodum Ditionis Metropolis. etſi longius tamen latiuſque patuit ejus imperium, cum primum à Dagoberto Francorum Rege datum eſt Divo Willebrordo Anglo-ſaxoni, primo Vltrajectenſium Præſuli, Romæ à ſummo ipſo Pontifice Sergio coram inaugurato, & Clementi deinceps dicto. qui, ut habet hiſtoria Venerabilis Bedæ pariter Anglo-ſaxonis, vita functus eſt anno à nato Chriſto 636. Huic in Præſulatu ſucceſſit Divus Bonifacius. & horum quidem ſanctiſſimorum Præſulum tempore Civitas valde floruit, ita ut Archiepiſcopatus dignitatem & titulum ſibi invenerit. qua ipſa tamen, poſt affectum martyrie poſteriorem illum Divum, iterum fuit exuta: tranſlata videlicet, de ipſius Eccleſiæ Trajectenſis, graviter tunc à Normannis oppreſſæ conſenſu, Archiepiſcopali ſede Coloniam Agrippinam. Sed inſtaurata mox fuit ab Rege Pipino, & filio ejus Carolo Magno. qui non veterem tantum Epiſcopatus dignitatem civitati reſtituit, ſed Epiſcopo

inſuper,

insuper, quo tueri posset adversus hostes, temporariam quoque ditionem concessit, ita late quidem diffusam, ut veterem illam Bataviam pæne totam includeret. quamquam autem de integro laceraverint eam & cremaverint aliquoties Frisii, Dani, Normanni: ipsa tamen & amissa quæque recuperavit, & potentiam suam ac vires strenue studioseque retinuit. Ordines hujus Provinciæ constant è quinque Ecclesiis Collegiatis, Nobilibus item ab Rege delectis, & quinque urbium prædictarum Magistratibus. Sed non erit fortasse alienum ab instituto, si ad illustranda corroborandaque ea quæ hactenus dicta sunt, quæque dici præterea poterant, subjecerimus hujus tam celebris urbis descriptioni versus quosdam Latinos, etsi pro ævi illius conditione incultos: qui extant in æde Divi Martini, bessalibus quidem, sed præ nimia vetustate obsolescentibus litteris exarati, & in gemina pensili tabula binis ibi ad cellam columnis appensi. Sunt autem ad dexteram quidem isti:

*Circumquaque fluens Hollandia gurgite Rheni*
*Cingitur, Oceani fluminibusque mari.*
*In qua cum muris urbs Antonina novellis*
*Tempore Neronis ædificata fuit.*
*Hanc devastavit fera flamma gens, & ibidem*
*Castrum Wiltorium conditur inde novum*
*Turribus excelsis. quod adhuc plebs Abroditorum*
*Funditus evertens, diruit usque solum.*
*Hinc Trajectense Castrum cum mœnibus altis*
*Conditur à Francis Christicolis: sed idem*
*Vulgus Danorum confregit humotenus, omnes*
*Cum clero cives insimul ense necans.*
*Denique Baldricus Præsul nova mœnia struxit,*
*Quæ modo subsistunt auxiliante Deo.*
*Sic Hollandensi terræ veraciter omni*
*Trajectum constat urbs capitalis adhuc.*

Ad lævam vero eccisti:

*Tempore Francorum Dagoberti Regis, in isto*
*Præsenti fundo conditur ecce decens*
*Primitus ecclesia Sancti Thomæ, prope castrum*
*Trajectum: quam gens Frisica fregit atrox.*
*Sed prior antistes dominus Clemens in honorem*
*Sancti Martini mox reparavit eam,*
*Desidis Hildrici sub tempore Regis. at illam*

*Præsul Adelboldus fregit, abinde novam*
*Ecclesiam fundans Henrici tempore primi*
*Cæsaris electi: quam duodena cohors*
*Pontificum pariter benedixit. denique Præsul*
*Henricus cœpit hanc renovare suam*
*Ecclesiam, Regis Guilielmi tempore, qui tum*
*Hollandensis erat inclytus ecce Comes.*

## ADDIT. [*Oppidi Vltrajectini regimen politicum & civile.*

TRajectum olim tantum castrum fuit, habuitque suum præfectum, aliquando Comitem, iterum Castellanum & Burggravium vocatum. hic cum ministerialibus Episcopi, quibus jurisdictio competebat, incolas regebat, qui à burgo burgenses appellabantur. Inde cum ex castro civitas fieret, & ædes atque templa, quæ circa castrum jam olim extructa fuerant, muro cingerentur, illi quibus judicandi jus à majoribus competebat, quales nunc vernacule Ambachts-heeren nuncupamus, consilium civitatis constituebant. Castroque paulatim ruinam agente, Burggravii tamen titulus in hodiernum diem mansit; quo hactenus Brederodii gaudent, qui illum hæreditario jure à Vianiis adepti sunt; hi autem à Goyana familia; quæ à Cuyckiis emerat, vel permutationis jure possederat. Atque ita deinceps Bruggravius, Scultetus, Scabini & Consules primum civibus jus dixerunt; sigilloque utebantur, castri vel oppidi forma insignito, hac inscriptione in limbo notato, SIGILLVM BVRGENSIVM CIVITATIS TRAIECTI; usque ad annum à Christo nato CIↃ CC LXX vel circa; quando factione plebis à Kenemariis concitatæ ministeriales ejecti fuerunt, & deinceps ex collegiis artificum (vulgo Gilden) magistratus haberi cœpit; qui paulatim confirmatus, sigillum quoque mutavit in aliud, quod simulacrum D. Martini Episcopi referebat; eoque per annos fere CC LIX publica instrumenta signata, ad annum CIↃ IↃ XXIX; quo ad Burgundos Principes hæc provincia pervenit. Atque hactenus Magistratus omnino popularis fuit, etsi interdum ex primoribus civibus miscerentur nonnulli, sed tanquam cives & in urbe habitantes. Fuit etiam aliquando cautum, nequis à collegiis nominaretur, qui non ipse vel saltem illius parens ea arte vel opificio, cujus esset collegium à quo proponeretur, usus fuisset. Antistiti parum authoritatis erat in rebus urbanis. Artificum collegia obscuro ac perplexo quodam electionis genere Magistratum constituebant,

una

una cum veteri Magistratu: cui nulla alia approbatione opus erat vel ab Antistite vel ab alio quoquam, ut hodieque in liberis Germaniæ civitatibus fieri videmus. Consuetudine Asdomica in jure dicundo, quod & vestigia quædam etiamnum docent, utebantur. Magistratus fere annui erant: liberi cum parentibus aut fratres cum fratribus uno tempore non admittebantur: leges condebant, & sontes gladio feriebant: Artificum quoque collegia plebiscita quædam in suis singula viciniis condebant, sed parum firma, si Magistratus non probasset. Hæc porro omnia a Burgundis principibus mutata. Nam prætor, qui ante ex corpore Senatus eligebatur, tunc à principe ex præcipua Nobilitate dici cœpit, & quodammodo vicarium præfecti provinciæ in rebus urbanis agere, atque adeo jam nihil minus quam popularis esse: cæteri quoque Magistratus ex arbitrio Principis constituti. Duravit hic ordo, donec excusso Hispani jugo provincia & civitas sese in libertatem vindicavit. Neque tamen urbanus Magistratus ad pristinam formam rediit, sed majore uti cœpit authoritate: Sunt præter Prætorem duo Consules, XII viri litibus dijudicandis, XXIV Senatores, & duo Quæstores constituti; quorum nonnulli quotannis munere suo defungerentur: in quorum locum vetus Magistratus alios duplo numero designabat: ex quibus cæteri Ordines eligebant, Præfectusque provinciæ omnium nomine approbabat. Institutum quoque collegium VIII-virorum, qui armatis civibus præessent; quorum potestas olim quam nunc major, & quandoque plebis factionibus turbulentior fuit: quam dudum male habebat, quod primus consul ex equestri ordine assumeretur, atque ita fieret, ut oppidanus Magistratus, qui tertium in Comitiis Ordinum membrum constituit, ex alio ordine ducem haberet, & in iis, quæ cum nobilitate agenda sæpe occurrebant, minus æquis conditionibus transigere putaretur; quæ res dissensionum & turbarum causam peperit. Demum anno CIↃ IↃ CXVIII ad evitandos civiles motus, qui jam cœperant erumpere, perpetuus Senatus ad exemplum vicinorum constitutus, & Consul ex equestri ordine creari desiit: quod & olim tentatum legitur sub Episcopo Davide, sed tam exiguo tempore duravit ut vix memoria illius supe-ret. Hic Senatus constat XL-viris qui quotannis circa festum S. Remigii aut calend. octobrib. Consules (qui bini) & Scabinos (qui XII) duplo numero designant; è quibus singuli à Præfecto provinciarum eliguntur: designantur vero Consules è Senatorio ordine, Scabini autem etiam è cæteris civibus. Consules fere biennio rempubl. administrant. Sunt & Quæstores duo; (quos vulgo Kaemelaers appellant,) quorum prior pecuniarum publicarum, impositionum

*positionum atque vectigalium; posterior operum publicorum curam gerit.* VIII-*viri quoque urbanorum cohortium ex illo perpetuo Senatu eliguntur, ut omnis turbarum causa præcidatur. Cohortes autem illæ excubias nocturnas agunt; & vocabulo a vicinis mutuato sagittarii vulgo adpellantur. Denique hic unus est Prætor urbanus, præcipua dignatione; qui fere ex equestri ordine assumitur. Reliqui* XXIV *Senatores cum hisce Magistratibus semel singulis mensibus, aut quum extra ordinem à Consulibus vocantur, de rebus politicis in commune consulunt.*]

Batavodurum, vulgo Wijck te Duerſtede, opportune admodum ſitum eſt ad ramum illum ſeu brachium dexteri cornuum Rheni, quem Leccam vulgariter nuncupant. diſtat autem Culenburgo quidem unius, Vltrajecto vero trium leucarum itinere. vetuſtiſſimum hercules opidum, cujus honorificam mentionem facit Cornelius Tacitus. Dirutum legitur à Normannis. & quamvis contractius multo poſt inſtaurationem ſurrexerit: fuit tamen & alias ſemper, ob egregiam ſitus commoditatem, opidum ſatis potens, & in hunc uſque diem concinnitate ſimul & opibus floret, bona inſuper arce conſpicuum.

ADDIT. [*In qua fere ſedem habere ſolebant Præſules Vltrajectini; non tantum ob amœnitatem & omnimodam commoditatem quam vitæ humanæ præſtat, ſed quod veluti ſeceſſus quidam eſſet ſecretus à turba interpellatorum.*]

Rhena eſt ad eumdem illum ramum, ſeu brachium Rheni, Batavoduro duabus, Vltrajecto quinque & præ grandibus quidem leucis abjuncta. opidum item antiquum, & Cornelio Tacito, mea quidem ſententia, *Grinnes* dictum. Rhena Trajectum petentibus vaſti occurrunt campi, & prædivites venæ uſtibilis ceſpitis. unde ad unam hinc leucam oſtendit ſe Venendalia, novus & annis abhinc vigintiquinque conditus pagus, qui in hujus magis commercii, quam in alium ullum finem extructus, pæne in ſingulos dies augetur. Templi, Sanctiſſimo Salvatori ſacri, fundamentis primum lapidem ſubjecere Thomas Gramajus, is de quo alias mentio, & Ioannes Calvus.

Amersfordia ſita eſt ad torrentem Emam, & Vltrajecto tribus leucis abjuncta. opidum valde bonum & civibus denſum. quod aliquoties olim captum, & mox rurſus amiſſum, peſſime autem ſemper multatum fuit à

Geldris,

Geldris. ac postremo quidem anno Christi 1543, vi & manu armata invasit Martinus Rossemius, Cliviæ Ducis Archistrategus. sed restituit brevi ipse Princeps, ex fœderis, quod Venlonæ cum Carolo Quinto Imperatore contraxit, præscripto. Amersfordiæ natus fuit Ioannes Foncquius, Collegii Divæ Mariæ apud Vltrajectinos Præpositus, aliis quoque Ecclesiasticis titulis exornatus, ac doctissimus sane & virtutibus addictissimus Præsul. quo nomine in Hispaniam nuper ab Rege Catholico evocatus est, & electus rerum totius Belgii, sive ut ipsi vocant, Flandriæ Præses.

ADDIT. [*Ema fluvius (vulgo* Eems) *in Velavia ortus medium oppidum interméat, & uno ab illo milliari in sinum freti australis sese exonerat. Oppidum initio parvum fuit, ut ex antiquo muro & fossa liquet; postea productu pomeriis amplificatum. Olim quam hodie florentius, quum hic cerevisiæ vicinis omnibus expetitæ coctura vigeret; (uti hodieque è multis ædificiis, quæ faciem illam præferunt, satis liquet:) Nunc fere oppidani ex agrorum cultura & armentorum pastura quæstum faciunt: Habet enim oppidum ad ortum & meridiem agros frumenti feracissimos; ad occasum silvas; ad septentriones pascua, quare plerumque aliquot turmæ equitum hic stativa sua atque hyberna habent. Oppidum utcunque munitum est, sed ob vicinum montem debilius creditur, neque satis permuniri potuit. Publica privataque ædificia haud inelegantia, præsertim in urbe veteri; nam novæ, quæ fere e suburbanis nata est, rus quodammodo olent. Porro opidum hoc satis amplum est, ita ut vix tribus horæ quadrantibus ambiri possit; undiquaque muro alto cinctum, interius arcuato, & multis in ambitu turribus ornato. Quinque portas habet majores cum suis pensilibus pontibus, præter tres minores. Olim murus hic vallo terreo extra præcinctus fuit, sed jam à multis annis terra valli interiori parti adjecta, præterquam inter portam quam vocant de* Slijck-poorte, *& munimentum alterius quam* Koppel-poorte, *ubi vallum hodieque exterius manet. Post infelicem autem superiori anno oppidi hujus deditionem & Cæsareanorum rursus fugam, oppidum hoc muniri ab Illustr. D. D. Ordinibus cœpit, variaque opera exterius adjecta.*

*Amersfordiensis oppidi regimen.*

AMersfordiæ regimen est penes Prætorem, duos civium seu burgi Magistros, duodecim Scabinos, & totidem Senatores; quibus

*quibus politicæ res curæ ſunt ; juſtitiæ autem adminiſtratio pertinet ad duos Burgimagiſtros & duodecim Scabinos , quum à Prætore ad jus dicundum rogantur. Magiſtratus autem, tam Conſules, quam Scabini, quotannis calendis januariis munere ſuo defunguntur; aliique à Principe aut Præfecto provinciæ, ex illorum numero qui à Senatu nominati fuerint, ſurrogantur. Quibus ab eodem Principe vel præfecto provinciæ adjungitur Secretarius , qui Magiſtratibus in cauſis politicis & civilibus criminalibuſque adſiſtit. Singulis autem diebus lunæ ante meridiem convenit totus Senatus, agitque de rebus politicis & regimine oppidi; Senatoribus autem diſcedentibus, Conſules & Scabini una cum Prætore de civilibus cauſis cognoſcunt. Dies mercurii potiſſimum judicialis eſt , quo lites coram Prætore , Conſulibus , & Scabinis ac procuratoribus diſputantur ; & ſaturni , quo cauſæ jam ſatis ventilatæ definiuntur. Ab hoc tribunali ad curiam provincialem provocatio eſt.* ]

Montfortium adſidet flumini Iſelæ, & Woerda, Veteraquino , Iſelſteinioque pari unius leucæ intervallo abjungitur. opidum quidem concinnum , ac valide ſatis munitum. puta quod conditum olim à Godefrido Vltrajectenſium Præſule in limitaneum contra Hollandos propugnaculum. Montfortius fuit Lambertus Hortenſius, vir eruditus & ſcriptis clarus.

ADDIT. [*Arcem habet antiqui operis , amplam & magnificam, ſed jam neglectim habitam. Oppidani ex agricultura potiſſimum quæſtum faciunt. Magna calamitas nuper admodum illud oppreſſit , templo ſatis ſpatioſo & eleganti , atque privatis ædibus ſupra ſeptuaginta, fortuito incendio abſumtis, aliiſque pluribus miſere deformatis.*]

Erat olim ditio Vltrajectina (veluti ſupra oſtendimus) & ampliſſima ſimul & maxime potens. Sed placuit tandem Carolo Calvo, Gallorum Regi, in Epiſcopatum eam & Comitatum dividere. Ex qua ipſa diviſione graviſſima ſtatim diſſidia & diuturna inter Epiſcopos Trajectenſes & Hollandiæ Comites bella exorta ſunt. illis quidem Imperatorum favore & gratia veterem omnem ditionem recipere ; his vero Galliæ Regum præſidio portionem recenter partam retinere & propagare tentantibus. Quin fidenter adfirmo , & oculatum hic teſtem adduco Pium ſecundum Pontificem Maximũ, tam potentem olim fuiſſe hunc ſtatum , ut poſtulante neceſſitate coadunare poſſet è ſuiſmet hominibus quadraginta millium armatorum

torum exercitum. ita ut licet perpetuo fere infestaretur à finitimis omnibus populis Batavis nempe, Sicambris & Frisiis, omnibus tamen fortissime semper resisteret. Verum nostra tandem memoria Carolus Dux Geldrorum, bellicosus inprimis & acer militiæ Princeps, tam asperis eam & continuis bellis impetiit, ut ad incitas sæpe Episcopos illos redegerit, & præsertim quidem eorum postremum, Henricum videlicet Bavarum, Comitis Palatini germanum. quem non minima sane ditionis parte multavit. Parte alia, cives Vltrajectini, propter nimias illas immunitates & privilegia, quibus jaminde à sæculis aliquot fruebantur, adeo erant potentes, & quod consequi fere solet in populari omni statu, etiam insolentes, ut non mutuis modo inter sese dissidiis aliisque id genus motibus crebro conflictarentur, sed cum ipsis quoque Episcopis turpiter sese committerent, idemtidemque in eos insurgerent. nec admitterent quidem, sed contumelia potius ignominiaque afficerent, nisi ex voto ipsorum electos. Omnium autem injuriarum & gravissima simul & violentissima fuit illa, qua nuperrime affecerunt jamdictum Henricum Bavarum. quem, cum quatuor ipsos annos jam præfuisset, & peregre quodam die reverteretur, male in virum animati, prohibuerunt urbis ingressu, & retrogredi coëgerunt. amplius, intromisere non multo post Martinum Rossemium, dicti Caroli Ducis præfectum, non exigua militum manu succinctum: Episcopus, in hoc rerum suarum discrimine, Carolo Quinto Imperatori sese in fidem tradere, & quo ecclesiasticum statum reciperet, temporale omne imperium in eum transferre constituit. qua de re cum certiorem fecisset Dominam Margaretam Belgicæ per id tempus Gubernatricem (Imperatore videlicet tunc absente & in Hispaniis forte agente) convenit, ut decimo quinto die Novembris anno 1527. sisterent sese Schoonhoviæ cum Episcopus Bavarus, tum & proceres aliquot Cæsaris nomine delegandi, & inter alios quidem Comes Buranus, Comes Hoogstratanus, Cancellarius aulæ Brabanticæ, & Senatus Hollandici Præses. qui cum eo ad constitutum diem venissent, post varias ultro citroque consultationes in has tandem leges & pacta convenerunt: uti nempe Episcopus Trajectensis ultro se abdicaret, cederetque Carolo Quinto Imperatori, tamquam

quam Duci Brabantiæ & Hollandiæ Comiti, necnon posteris ejus legitimis, temporalem omnem ditionem & ſtatum Vltrajectinum ac terræ Tranſiſalanæ: Comites vero & Cancellarius atque Præſes jamdicti, Imperatoris nomine, ad bellum Epiſcopi hoſtibus inferendum, ipſumque in Eccleſiaſticam dignitatem reſtituendum, ſeſe obſtringerent. Interea vero Geldrorum Princeps, accepto tranſactionis iſtius & fœderis nuntio, bellum redintegrare, & Vltrajectinos eo in Præſulem ſuum furore accendere, ut quod in ipſis quidem tunc fuerit, virum Epiſcopali dignitate privaverint, ſuffecto ei, de Geldri ipſius conſilio, Comite Bilgii, cathedralis Agrippinenſium ædis Canonico. Quare aſperrimum hercules, Cæſaris & Epiſcopi nomine, in Geldrum & ditionem Vltrajectinam, Geldri & Præſulis nuper electi partes foventem, proximo ſtatim vere motum eſt bellum. eo quidem eventu, ut poſt varias terræ illius calamitates, cives aliquot conjurati, & in Bavarum proni, Cæſarianos in urbem tandem immiſerint, idque calendis Iuliis anni 1528, ſubſecuto poſt triduum Præſule. qui habita prius publica ſupplicatione, & convocatis in foro tribus terræ Ordinibus, agnitus fuit ab iis pro vero legitimoque Epiſcopo & Dynaſta Vltrajectino, accedente ſolenni illo & uſitato fidei & obſequii ſacramento. Inde vero coadunatis rurſus Ordinibus Præſul expoſuit, ſe conſilium ſuum de cedenda Imperatori temporaria ſtatus juriſdictione Schoonhovia ipſis per Legatos ſuos ſignificaſſe, & fore omnino è publica omnium re, ſi protectorem haberent tam potentem Dynaſtam, qui adverſus tot undique imminentes hoſtes eos defenderet. quare ſi reipublicæ vellent conſultum, acquieſcerent huic decreto. Variabant hic populi vota. ſed conſenſu tandem adſtipulati ſunt iis omnibus quæ Epiſcopo fuerant placita, quæque & propoſuerat ipſis, & jam ante concluſerat: uti nempe & Civitas ipſa Trajectum, & ditioni ipſius ſubjecta opida, municipia, pagi, agri, montes, ſilvæ, flumina, ſtagna, lacus, molæ, bona, cenſus, & quidquid præterea pertineret ad temporale dominium; item rationes omnes & jura ipſi in terram Tranſiſalanam & Groningenſem quomodolibet competentia, connecterentur perpetuo & unirentur cum Ducatu Brabantiæ & Comitatu Hollandiæ. quo concluſo, abſolvit ſubditos Præſul juramento

juramento illo fidelitatis, quod paulloante sibi præstiterant, ea tamen lege, ut eodem omnino jure ac sacramento profiterentur, fore se Imperatoris, & legitimorum ejus hæredum, futurorum Brabantiæ Ducum & Hollandiæ Comitum, fidos clientes: reservata sibi & successoribus sola jurisdictione & censu ecclesiastico, cum magnifico illo palatio, quod & condidit olim & Episcopali sedi donavit glorioſissimus Princeps Carolus Martellus. Calendis deinde Octobribus inter Imperatorem & Geldrum facta est pax. & undecimo calendarum Decembrium, jussu Gubernatricis, Vltrajectum se contulit, ibique Imperatoris, tamquam Ducis Brabantiæ & Hollandiæ Comitis, nomine, in ditionis illius possessionem, accepto de integro juramento, immissus est Illustrissimus Comes Hoogstratanus, Hollandiæ per id tempus Gubernator, qui & Amersfordiam inde, Batavodurum, Rhenam, ac Montfortium denique petiit, exacto ubilibet ad formulam Vltrajectensem fidei sacramento. Hinc in urbem reversus, publica status illius composuit: & abitum nescio qua de caussa moliente, ac Wormatiam, alterum suum Episcopatum, cogitante Episcopo Bavaro, Præsulem designavit Guilielmum Enckevordium Buscoducensem, S.R.E. Cardinalem, qui tunc temporis Romæ, ubi cũ Clemens septimus Pontifex Maximus inspexisset publica cessionis & transcripti instrumenta, super dominio Vltrajectino ac omnibus membris & appendicibus ejus confecta, cessionem ejusmodi suo suffragio comprobavit. Quoniam vero hæc ditio feudum est Sacri Romani Imperii, etiam hujus suffragio Carolus noster pro se & successoribus suis indiguit, nec gravatim id impetravit. Atque hoc demum pacto redactum est Vltrajectum & universum ejus dominium, supra nongentos ipsos annos à propriis suis Episcopis rectum atque administratum, in potestatem Caroli Quinti Imperatoris, quatenus Ducis Brabantiæ & Hollandiæ Comitis. Erat aliquot abhinc annis Episcopus Trajectensis Fridericus Tautenburgius, filius inclyti viri Georgii Schenckii, Equitis aurei Velleris. Postea vero instante Philippo Rege, assurrexit iterum Civitas ad pristinum illud Archiepiscopale fastigium. quæ dignitas tamen ob motus istos civiles hactenus vacat. Ditionem profanam Regio nomine gubernabat Princeps Arausinus, qui Hollandiæ quoque & Zelandiæ Gubernator.

ADDIT.

ADDIT. [*Pacta & leges cessionis ab Auctore nostro recitatas subsecuta est postmodum* Vnio, *inter urbes & terras Ditionis Vltrajectinæ, cum omnibus membris & appendicibus suis, ex una, & Hollandiæ Comitatum, ex altera partibus. qua cautum est inter cætera: ut Ditio Vltrajectina tam arcte cum ipsa Hollandia esset conjuncta, ut deinceps ab uno eodemque Gubernatore utraque regeretur. utque Ordines utriusque Provinciæ simul convocarentur. & penes Præfectum esset, Magistratus urbanos omnium utriusque Provinciæ civitatum annuatim renovare. ne qui apud Hollandos exilio essent multati, ab Vltrajectinis in publicam fidem reciperentur. Denique ut investituræ quas vocant feudorum hisce in posterum verbis conciperentur,* tenenda (*videlicet feuda*) à Comitatu Hollandiæ & Dominio Vltrajectino. *Transactum deinde anno 1539 inter Carolum Quintum, hæreditarium Vltrajectensium Dominum, & Episcopum ac Præpositos aliosque Antistites & Capitula Ecclesiarum Vltrajectensium, item Provincialem urbis & ditionis Vltrajectinæ Senatum, de exercitio ecclesiasticæ jurisdictionis in ipsa urbe & territorio cis-Iselano. cujus quidem transactionis leges, quod jampridem oblitteratæ sint, brevitatis ergo prætermittemus.*]

# TRANS-ISALANIA DOMINIVM.

DITIO, sive Dominium terræ Trans-isalanæ, nomen ab Isala fluvio accepit, ultra quem sita est: adjacet autem ab Aquilone partim Occidentali, quam vocant, Frisiæ, partim Dominio Groningensi. à Meridie Geldriam habet, aut ut proprie magis loquar, Comitatum Zutphaniæ. ab ortu Westphaliam. ab Occasu denique Isalam flumen, & sinum, seu lacum Flevi, vulgo de Zuyderzee. Dividitur porro hæc regio in tria luculenta cum primis membra, Salandiam nempe, Drentam, atque Tubantiam. solum ejus omnino est planum, & cum aliarum frugum, tum & optimi tritici admodum ferax. Habet fluvium Vidrum, cum minoribus aliquot rivulis: tum peramœnas quasdam & utiles silvulas, nullis certis vocabulis insignitas.

ADDIT. [*Ager ejus feracissimus cum aliarum frugum, tum*

30
OCCI
Loo
Vesen
Epe
Heerde
Campen
Apel
doorn
Zallick
Buckhorst
Hattem
Ter Let
Vnn
Niebrouck
Wolde
Welsen
Vesen
Zwol
Spankeren
Nieu:
beck
Wel:
lop
Olst
Wyhe
Dieren
Deven:
ter
Wyndesem
Rucenberg
Heyde
Bronc:
horst
Vsel
fluv.
Gorsfelt
Raelte
Wych:
moeth
Zutphē
Dort
Wesepe
Zal:
Hengel
Bathman
Rechteren
Zutpha
nia C.
Vorden
Vorwolde
landt
Wyldenburg
Regge
Lochum
Holte
Scholenbor
Hervelt
Lichtenvoort
Geesteren
Wierden
Grolle
fluv.
Borkeloo
Merckel
Slinck
Diepenhem
Rysen
Sipkel
Eybergen
Ghoer
Ameloo
Delden
Twēte
Friesenveē
Haexbergen
Borne
Tubbergen
Hengel
Weersel
Oetmarsen
Halstede
Enschede
Oldenzeel
30
ORIENS.
MERIDIES.
28

NS.
53
Wilsen
Vollen
Paslo
Baerle
Steenwyckerwolt
Nyeholepad
Beets
Catlyck
Wyngetrep
Maste broeck
Ghiet hoorn
Finckegae
Steenwyck
Swartesluys
Oldevercoop
Iobbeme
Doorn
Hattem
Colderveen
Vledderen
Buel
Donbrouck
Staphorst
Rouwee
Meppel
Havelt
Wapsterven
Nieu Ooster Veen
Dalsen
Bleynsteyn
Dieveren
Foecht inghe
Ywerst
Eyer
Ommen
Dungele
Spier
Norch
Ruynen
Vrieß
Overeijst
Zuydwolde
Assen
Drente
Beylen
Rolde
Wester: heßelen
Borck
Annloo
Ooster hesselen
Sweel
Assselen
Gramsbergen
Daelhem
Borgeren
Ghieten
Sleen
Dederen
Coevoerden
Emme
Millia ria Ger
Thors
Emme: linchem
Nyen: husen
Eyschen
Trans-Isula D.
SEPTENTRIO.
28
53

tum frumenti inprimis, nec minus pascuis fœcundus. Nonnulla tamen illius pars & uligine profunda squallet, & ericetis infertilibus obsita est, præsertim in Twentana regione. Drentiæ autem ager omnis arenosus aut palustris, frumento, nisi qua uligines aut ericeta tenent, felix, ideoque horrei vicem vicinis, præsertim Groninganis, præbens, pascuis non æque commodus.

Drentia Frisiam occiduam ab oriente hyberno excipit, Groninganos à meridie; regio occidua Frisiæ quantitate pene par, sed opibus & cultu multo inferior. Ab austro Sallandiæ partem & reliqua Transisalaniæ cum Twentia habet. Ab ortu brumali Benthemensi provincia, ab æquinoctiali diœcesi Monasteriensi clauditur. Ad australem limitem haud procul Vidro flumine oppidulum habet Covordiam cum munitissima arce, caput provinciæ; unde brevissimum iter in Benthemensem agrum; nec longe distat Heideberga oppidum ad eundem Vidrum; unde per paludes universam pene regionem in circuitu obsidentes, nisi qua Groninga aditur, angusta via sunt traducendis exercitibus incommoda. Reliqua vici occupant, quorum quidam nec parvi sunt, nec inelegantes. Qualis est Meppela in eodem austrino limite in occasum vergente, oppido quam vico similior; & Runa in ditione Nobilium Munsterorum, dignitatis titulo supra communis nobilitatis gradum illustris. Eelda etiam Groningæ vicina, aliquot olim nobilium sedes: & ante Eeldam, Rolda, Devera, Andloa. Cœnobia monastica duo, Assena & Diclinga. Parent multis seculis Episcopo Vltrajectino, Imperatoris donatione aut vi armorum nixo, à quo præfectum solet accipere. Nec vero à republica tantum Frisiorum communi, parendo Episcopis, sed & à lingua, habitu, moribus ac pleriisque institutis jam dudum tota recessit, nomenque gentis pene cum rebus amisit. Quanquam vestigia adhuc supersint haud obscura originis ac cognationis pristinæ: ceu sunt libertas major plebis rusticæ in hac, quam in regionibus aliis, onerumque summa immunitas; judiciorum quoque ratio Frisicum morem redolens; venationum & aucupiorum jus integrum & liberum cuilibet, qui modo res soli illic possidet; aliaque similia. Commemoratione dignum videtur, quod in regione hac ingentis molis saxa complura, qua nulla vectatione, nulla vi hominum illuc deportari potuisse ob magnitudinem credas, congesta inveniantur: quorum ea dispositio est, ut aras referre videantur. Nam jacentibus nonnullis alia iis imposita sunt plana, relictumque foramen angustum, per quod reptare homo possit. Fabula fert, paganos quondam humanis hostiis litare solitos, ea per foramina mactandos homines transire coegisse, & stercore aliisque immundiciis conjectu vulgi fadatos in transitu,

*transitu, constitutosque ad aras, immolasse; eum ritum ad Bonifacii Episcopi Vltrajectini tempora durasse. Quam ob causam etiam nunc turpe nomen illis foraminibus apud incolas restare putatur.*]

Octo in ea sunt opida muris clausa. Daventria scilicet, Swolla, Campæ, Vollenhovia, Stenovicum, Hasseletum, Otmarsia, Oldesalia. Sunt præterea decem loca primaria, & amplissimis privilegiis prædita: Meppela, Gelmuda, Covorda, Hardemberga, Omma, Almeloa, Gora, Diepenhemium, Delda, & Enscheda. denique amplius centum turriti sunt pagi. Ordines hujus Dominii constant duobus membris, Præfectis nimirum & Viris nobilibus, ac primariis urbibus.

ADDIT. [*Nobilium ordinem repræsentant quinque præfecti agrarii, quos vulgo* Drosten *vocant. quorum tres majoris sunt dignationis; Salandicus, Twentanus & Vollenhovianus: duo minoris; Haexbergensis, & Isselmudanus; qui licet singuli suas habent jurisdictiones separatas, tamen prior non incommode sub Twentano, posterior sub Salandico comprehendi possunt. Hisce adduntur reliqui equestris ordinis viri, qui ex antiqua aut nupera consuetudine suffragandi in comitiis obtinent authoritatem. Oppidorum nomine tantum tres civitates censentur; Daventria, Campi & Swolla; quarum magistratus ad comitia communitatum nomine vocantur. Atque in hisce solis comitia annua Ordinum totius provinciæ habentur successive. Atque horum Ordinum eadem est potestas quæ in cæteris provinciis, nimirum in sua summa; atque eadem omnia deliberant, decernuntque, nulli alteri provinciæ obnoxii.*

*Ad cæterarum quoque provinciarum normam, Ordines hi suos habent Deputatos, qui in illa civitate, quæ anno Comitiorum publicorum habendorum jus habet, sedem atque domicilium habent. Deputati hi sex sunt numero, è tribus majoribus præfecturis & tribus illis civitatibus singuli; quibus munus plerumque in triennium prorogatur.*]

Sed totius Provinciæ caput, Daventria, de qua idcirco primo loco, exin de cæteris acturus sum.

## DAVENTRIA.

DAVENTRIA dexteram Isalæ amnis ripam præterexit, Swolla quatuor leucis absita. Civitas est natura & arte munitissima, & egregio circumdata muro

muro. Inter portas maxime eximii operis est, quā vulgo de Brinckpoort nuncupant. Spatium urbis egregium est, ædes qua publicæ, qua privatæ, ornatissimæ: civium frequens; denique Transisalanæ ditionis caput.

ADDIT. [*Templum cathedrale structura est eleganti & magnifica. Forum habet amplissimum, cui imminet domus in qua cives in vexilla distributi noctu atque interdiu armati excubant. Templo cathedrali adsidet prætorium urbanum, spatiosum, sed vetustum. Hæc civitas quum ante satis munita esset; quippe duplici muro, & lata profundaque fossa incincta; adhæc ad portam,* brinckpoort, *ingenti & rotunda mole terrea obsirmata, propugnaculo quoque permagno & ab ipsis fundamentis lapidibus vestito ad angulum juxta pontem (quo & obices aquarum in fossis constituti servantur) addito; denique turri Norimbergica (ut vocant) admodum magna & alta, (unde in vicina omnia prospectus est,) inter propugnaculum & portam jam dictam educta: quum, inquam, ante tam natura loci, quam hisce operibus satis munita videretur: tamen superioribus annis, tot tantisque operibus permunita est consilio Principis Mauritii immortalis memoriæ, ut nihil eorum quæ industria militaris hodie invenit hic desideretur. Monetam habet, & jus cudendorum aureorum atque argenteorum numismatum. Eadem admodum nuper authoritate Ordinum Transisalania scholam illustrem aperuit. de cujus institutis non est hic dicendi locus. Id saltem addam, in ea publicis lectionibus explicari Philosophiam, SS. Theologiam & Hebraam linguam, itemque jus civile. Porro Daventria est una liberarum Romani imperii atque adeo Hanseaticarum civitatum; sita in agro peramœno, partim pascuo partim omnis generis frumentorum feraci. Præter fora rerum venalium, quæ singulis septimanis habentur, fora habet publica anniversaria quina, quæ media quadragesima, festo S. Ioannis, festo S. Iacobi, S. Lavini, & S. Martini, magno concursu celebrantur. Templum cathedrale S. Lebuino sacrum est: cujus occiduo lateri altrum sed minus templum adadificatum, Virgini matri dedicatum. Tertium item habet templum, editissimo urbis loco superstructum, ideoque vulgo de* Berghkerck *dicitur, aliter S. Nicolao sacrum. Cœnobia quinque cum suis templis; & cætera ædificia; publica; xenodochia quinque; & orphanotrophium. Portas habet sex. quasdam eleganti opere, uti quam de* Brinck poort *vocant; in cujus frontispicio emblema incisum cernitur, nimirum aquila Imperii ex donatione Ottonis* III *Imper. civitatis insigni, cum subscriptione:*

Dat

*Dat nobis aquilam Romana insignia Cæsar,*
*Iuraque nostra sub his inviolata manent.*

*Vtrimque sunt columnæ, quarum dextræ Fortuna superstat, cum hac subscriptione;*

*Me duce Cattorum gens seditione coorta;*
*Hæc, patriam fugiens, arva inarata subit,*
*Atque meo Davonturium de nomine dictum,*
*Plus mille ante annos mœnia parva locat.*

*Sinistræ Bellona, cum hac subscriptione:*

*Addidi ego hoc urbi vallum furialis Enyo,*
*Quod secura suis hostibus objiceret.*
*Tu belli esse memor debes in tempore pacis,*
*Ne quatuum feriat vis inopina caput.*

*Supra effigies Car. V ad vivum excisa; & in medio:* D. Carolo Cæs. V, Imperatori max. S. A. P. L. vindici P. P. S. P. Q. Davonturiensis monumentum hoc defensionis ergo posuit anno MD.XLIV. posteri diligenter conservanto. *Inter opera autem publica excellit turris Norembergica, ejusdem nominis porta addita, sive firmitatem muri spectes octodecim pedes crassi, sive elegantiam operis; quippe à fundamentis ad fastigium veluti circino videtur tornata, infra vivo lapide, in medio lateribus coctis, circa fastigium rursus saxo conformata. Forma urbis ovalis, præterquam juxta Brincanam portam, ubi quodam cubito inflectitur, & veluti sinum admittit. Hæc urbs quum proditione nefaria Wilhelmi Stanlei in manus Hispanorum fuisset tradita,* anno CIↃ IↃ LXXXVII *mense januario, rursus in libertatem communem fuit vindicata ab illustr. principe Mauritio & D. Ordinibus Generalibus,* anno CIↃ IↃ XCI, *mense majo.*]

Ortus inde est Gerardus cui raræ virtutes magni cognomen pepererunt, scripta ejus extant docte, & magni judicii. Etiam Daventriensis civis erat doctissimus ille & clarissimus Alexander Hegius, *magni Erasmi Roterodami præceptor.* denique & Iacobus Daventrius, insignis plane Geographus, ut ex variis & pulcherrimis viri operibus constat.

ADDIT. [*Daventria civitas regitur à viginti quatuor viris, itemque à nonaginta sex viris, qui à præcipuis urbis vicis nomen sortiuntur.* XXIV-*viri sunt Consules, Scabini & Senatores; qui quotidie convenientes rempublicam curant, jusque ex æquo & bono administrant: Eorum munus tantum est annuum.* XCVI-*viri illi totum corpus urbanum repræsentant; & quatuor*

tuor aut quinquies conveniunt quotannis, aut quoties magistratibus necesse videtur: ii tum deliberant de rebus majoris momenti, uti de pace & bello, de contributionibus & tributis, de legibus & institutis publicis, &c. Iidem quotannis eligunt magistratus festo S. Petri ad cathedram, postquam una cum magistratu concioni & precibus publicis interfuerint, & in loco ad id destinato juramentum præstiterint, se sapientissimum quemque, utilissimum & maxime necessarium reip. electuros. Electio celebratur in hunc modum; In amplissimo atrio curiæ publicæ annexo sunt octo sedilia, pro IIX-viris, qui ex octo præcipuis vicis urbanis adsunt; octo autem hæc collegia singula è pileo sortiuntur, in quo sunt octo fabæ albæ, & quatuor nigræ. Quibus nigræ obvenerint, ii eo tempore electorum munere excidunt, ita tamen ut in magistratus eligi possint. Reliqui primum eligunt duos Weydegreven, (ut vocant) id est, præfectos compascuorum, quæ urbs habet cis & ultra Isalam bina; in quæ omnibus, qui pleno jure civium gaudent, licet gratis mittere taurum unum & tres vaccas, itemque unum equum. Deinde eligunt Scabinos & Senatores, in singulos vicos ternos, id est, in universum XXIV. Quod si octo hæc collegia, quæ singula tantum unum suffragium habent, æqualibus suffragiis, id est, utrimque quater dissideant, tum magistratus superioris anni, qui in altero conclavi convenit, suffragia dirimit, & nonum votum constituit. Magistratibus in hunc modum electis, rursus Ecclesiam ingrediuntur, ut supplicetur Deo opt. max., ut propitius magistratui in gerendo munere prolixe velit benedicere. Denique à magistratibus coram omnibus civibus, qui adesse voluerint, in curia solemne præstatur juramentum. Post octiduum cætera munera publica partiuntur. Quatuor adhæc Secretarii urbi inserviunt, quorum munus ad vitæ finem prorogatur, si nullo crimine seſe inidoneos reddiderint. Atque hæc quidem forma eligendi magistratus jam olim obtinuit; superioribus autem annis eadem sunt mutata. Nam primo numerus XCVI ad LXIV, & postea ad XLVIII est reductus: Magistratus quoque post civitatem ab Illustr. Ordinib. confœderati Belgii recuperatam ad XVI, & secundo è numero electorum tantum unus sorte fabarum è singulis collegiis abdicatur.]

## SWOLLA.

SWOLLA posita est ad exiguum, ideoque ignobilem, torrentem, qui aquas suas in Vidrum exonerat. distat autem Campis prægrandi dumtaxat leuca, estque

opidum lautum, validum, duplici fossa, aliisque adversus hostiles insultus munimentis adeo firmata, ut, si Vollenhoviæ forte oriatur aliqua belli, vel alterius cujuscumque terroris suspicio, Præfectus gentis, & concessus judicum quorum hic sedes est, ut infra demonstrabo, ad securitatem suam, Swollam statim confugiat.

ADDIT. [*Permeant illam duo canales, quorum unus forum attingit, amplissimum & pulcherrimum; cui templum S. Michaelis imminet: nec longe abest alterum templum D. Mariæ sacrum. Munitum jam olim fuit oppidum: quippe duplici muro, & fossa item duplici, incinctum: hodie autem longe munitissimum: addita quippe sunt validissima munimenta undecim, aliaque opera, secundum normam belli prout hodie geritur. Præterea vallum duplex ab oppido ad Isalam usque perductum superioribus annis; eique tria valida castra imposita, oppidulorum pene æmula; & unum minus; variaque cornua & semilunæ; Idque in eum finem, ut è Geldria commeatus & auxilia semper in oppidum admitti possint, si forte contingeret oppidum ab hostibus obsidione cingi. Distat oppidum à Campis prægrandi duntaxat leuca. Floret hodie variis commerciis, civesque habet locupletes & lautos; sed plateæ illius non sunt ita nitidæ uti Campis, ob numerum armentorum, & præsertim suum, qui in oppido aluntur, & præsertim ob curruum copiam qui à variis partibus huc quotidie adveniunt. Ius monetæ cudendæ habet haud secus quam Daventria & Campi; & inter liberas imperii atque Hanseaticas urbes annumeratur.*

*Swollæ civitatis regimen est penes duo membra. quorum prius constat è magistratu annuo, qui politicas res administrat, & jus dicit in causis civilibus & criminalibus. alterum constat* XLVIII-*viris, qui jurati Communes, vulgo* ghesworen ghemeynte *appellantur: sine quibus Magistratus, quum de regalibus, privilegiis, tributis, & oneribus publicis, deliberandum est nihil deliberare, nihil statuere potest. Magistratus porro annuus constat* XVI-*viris. quorum octo sunt Scabini: coram quibus omnes causæ controversæ disceptantur. Suntque divisi in quatuor classes secundum quatuor oppidi vicos, ut vocant, & bini singulis classibus attributi. horum octo Scabinorum bini singulis mensibus præsident, & civium Magistri sive Consules in tempore vocantur. reliqui octo sunt Consiliarii sive Senatores, qui Scabinis in regimine adsistunt, & in omnibus judiciis & conventibus à Magistratu in Senatum advocantur, pari cũ cæteris in sententiis dicendis authoritate & testate. Magistratus autẽ quotannis mutatur mense januario*

*conve-*

*conversionis S. Pauli; obtinetque consuetudo, ut, qui Magistratu decedunt, in Senatorum collegium asciscantur, & vice versa. Electio Magistratuum est penes duodecim è collegio* XLVIII-*virorum, qui sorte sive per fabas numerum hunc* XII-*virorum inter se sortiuntur; & liberrime Magistratum eligunt, & destituunt, quando opus est.*

## CAMPÆ.

CAMPÆ, etsi contineantur Ditione Trans-isalana, cis Isalam tamen ad lævam ipsius ripam, adeoque ad ipsas fauces sunt positæ, quinque circiter à Daventria leucis, civitas & mole & momento magna ac concinna.

ADDIT. [*Dives, & publicis privatisque ædificiis splendida atque superba. Templa habet eleganti structura & ampla: Prætorium haud procul à ponte elegans, sed haud ita amplum; Telonium ad Isalæ ripam, quod principibus & magnatibus hospitium præbere solet inprimis magnificum; cujus splendorem exteri, structuræ elegantiam etiam architecturæ periti admirantur. Pontem habet qui utramque Isalæ ripam jungit, validissimis trabibus in profundum adactis subnixum; tanto intervallo, ut trabes & ligna illis imposita pendere videantur in aëre. In adversa ripa, validissimum munimentum, cum suis propugnaculis, ponti custodiendo è terra aggestum. Cæterũ civitas ipsa, alto & crasso muro cincta, cum crebris per intervalla turribus validi & antiquæ operis, prout hodie belli rationes se habent, magis à natura quam ab arte munita. Habet & hæc monetam suam: privilegiaque eximia. Commerciis olim quam hodie florentior fuit, ostio fluminis sensim oblimato, nec onerariarum jam capace; cives tamen etiamnum habet opulentos, industrios, & humanos erga advenas.*]

Quæ patricium habuit clarissimum illum Albertum Pighium, virum cum in alia omni litteratura magnum, tum in Theologia eximium. qui & à acribus scriptis in Martinum Lutherum invectus est. fuit idem Cosmographus, & insignis Mathematicæ supellectilis architectus. quæ tam raræ virtutes acceptissimum eum reddiderunt Hadriano sexto Pontifici Maximo: quicum annos aliquot vixit, quemque in inferiori adhuc fortuna constitutum ex Belgio prius in Hispaniam, indeque in Italiam comitatus est. Nec quamvis extincto Hadriano,

gratiæ & favori, quo illum tam aula, quam populus Romanus prosequebatur, quidquam decessit. magnus enim & in flagranti gratia fuit apud Papam Clementem. quem in exornando Alberto subsecutus est Paulus tertius, usus eo jam olim in Mathematicis præceptore. Ita quidem ut noster Albertus non honoribus tantum, sed & opibus affluens, in patriam tandem reversus sit. ubi, postquam in publica omnium gratia aliquot annos vixisset, summa cum gloria tandem extinctus est. Paullus tamen Iovius, quem secuti sunt postmodum Frater Laurentius Surius, & alii quidam Scriptores, qui non instituta prius collatione, neque adhibita quæ requirebatur diligentia, (digni sane hoc nomine qui reprehendantur) aliena fide subnixi ad alios sese perpetuo referunt: Paullus (inquam) Iovius, libro historiarum suarum vigesimo sexto. Albertum hunc, multo antea tempore, anno scilicet Christi 1530. & in ipsa Caroli Quinti Cæsaris inauguratione, fortuita pontis ruina Bononiæ mortuum perhibet: Lutheranismi insuper, etsi injustissime quidem, eum insimulans: cum (ut diximus) à doctrina Lutheri fuerit alieniissimus, adeoque summus illius hostis & adversarius. Supereſt hodie nepos Alberti Stephanus Pighius, vir insigniter doctus, ac virtutum & antiquitatum studiosissimus.

ADDIT. [*Civitatis Campensis regimen politicum & civile hodie est penes decem Scabinos, (quorum bini singulis decem hebdomadibus præsident instar consulum, & vocantur Burgimagistri in tempore illo,) quatuor Senatores sive Consiliarios, & viginti octo-viros communitatis. Olim quidem major Senatorum atque e plebe ascitorum numerus fuit. nam ante annos complures,* XXIV, *dein* XVIII *Consiliarii fuere. &* XLVIII *Communes,* (*vulgo* Gemeynts-luyden,) *qui numerus anno 1581 Senatorum quidem ad* IV, *juratorum vero Communium ad* XXXVI *fuit reductus. Senatorum hic numerus hactenus obtinet; verum Communium (præsertim post factionum semina nuper in herba extincta) ad* XX, *& jam tandem ad* XXVIII *numerum pervenit, atque intra istum videtur porro constitutus. Communes hi jurati* (*nam & ita vocantur,* de ghesworen ghemeynte) *dividuntur in quatuor veluti tribus; ipsi peculiari vocabulo vocant* espelen; *& tum demum in consilium advocantur, quum de rebus magni momenti, puta de oneribus imponendis, tributis conferendis, bello gerendo, fœderibus iciendis, aut similibus, deliberandum est. Duo autem*

autem hic sunt tribunalia coram quibus causæ aguntur atque judicantur; unum inferius, alterum superius. Inferius vocatur in quo coram duobus illis civium magistris in tempore, causæ minoris momenti ventilantur & terminantur; dubiæ autem & majoris momenti ad superius referuntur. Superius constat toto Senatu, nimirum duobus illis Consulibus in tempore, reliquis Scabinis & quatuor Consiliaris, à quorum judicio nulla provocatio est ad aliud quodcunque tribunal.

Tria hæc opida ditionis Trans-Isalanæ, auctori nostro hucusque descripta, quod jamolim in magna essent æstimatione anno Christi 1495, accensita sunt urbibus Sacri Romani Imperii, & privilegiis sane quam luculentis supra alias aliquot urbes donata.]

Vollenhovia posita est ad lacum Flevi, & Stenovico duabus leucis abest. opidum hercle lautum, & situ admodum opportunum, ob annonam in primis, quæ summa undique abundantia civibus terra marique subvehitur. unde & Regio hujus terræ Senatui perpetua hic sedes est. à cujus quidem Magistratus sententiis nulla datur ulterior provocatio. at limitata est tamen aliquatenus ejus auctoritas, nec sententias umquam pronuntiat, nisi coram adsit Provinciæ Præfectus, qui & eum in finem hic ut plurimum commoratur, etsi Frisiæ quoque ac Groningæ idem præsit.

Stenovicum adsidet amni Blocsilæ influenti in lacum Flevi, Meppela leucæ dumtaxat spatio dissitum.

ADDIT. [*Oppidum est exiguum, & haud supra* CIↃ ICI *passus in ambitu patens; olim quidem invalidum, sed bellis hisce civilibus, & præsertim postquam* CIↃ IↃ XCII *per Principem Mauritium ab Hispano receptum fuit, adeo valide communitum, ut facile hostiles insultus contemnat. Tria habet templa, quorum præcipuum cum præalta quadrata turri S. Clementi dicatum est.*

*Satis amplum, ideoque superioribus annis primo à nostris, deinrursus ab Hispanis captum; qui illud amplius muniverunt, & retinuerunt ad annum* CIↃ IↃC XXVI: *quo anno, mense augusto, oppidum hoc à Principe Auraico, auspiciis Illustr. D. D. Ordinum Generalium, recuperatum fuit; & quia permuniri difficillime poterat, mœnibus nudatum.*]

Hasseletum adjacet flumini Vidro, duabus leucis ab Vollenhovia, estque opulentum in primis & lautum opidulum.

Otmarſia trium leucarum ſpatio diſſidet Almeloa, opidum valde antiquum, & juxta Trithemium, ab Odemaro, Francorum Rege, cujus & nomen gerit, extructum: idque ad tumulum ipſum Vechtani, magni & familiaris ejus amici, cujus egregias dotes ſupra in fluminum deſcriptione paullo fuſius explicavimus.

Oldeſalia leucæ tantum itinere diſtat Otmarſia. ſuntque hæc omnia opida ſanequam mediocria. Sed percurramus deinceps decem illa loca primaria, paulloante nobis enumerata. inter quæ prima ſtatim occurrit.

Meppela, ſita ad rivulum quemdam ignobilem, & Covorda quatuor leucis abjuncta.

Geelmuda ad oſtium fluminis Vidri eſt, medio inter Vollenhoviam & Haſſeletum itinere, à quibus pari ſpatio, nimirum leucæ itinere abeſt. eſt autem munita & pulchra ſatis arx, in qua perpetuus Regio nomine præſidiarius miles eſt.

Covorda leucæ ſpatio abeſt ab Hardemberga.

ADDIT. [*Municipium opportuniſſimo ſitu; diſtat à Groninga milliar.* VII, *Steenwico* VI, *Swolla* V, *Daventria* IX, *Oldenſalia* V, *& à Lingen totidem. Arx illius validiſſima & hodie munitiſſima maximi eſt momenti; quum aditum in Friſiam utramque veluti occludat: habet enim ad aquilonem paludoſos & alta uligine impervios campos Weddam uſque; ad occaſum ſtagnum quod ultra Haſſeletum pertingit; ad ſeptentriones pagum Daelhem & ericetum Groningam petens; ad ortum Lingenſem Comitatum; ad meridiem Benthemienſem; ad auſtrum denique Hardenbergam: quare & commerciis admittendis valde opportuna eſt, & bello arcendo ab interioribus provinciis peridonea.*]

Hardemberga adjacet flumini Vidro.

Omma diſſidet Hardemberga duabus minoribus leucis, & ad Vidrum eumdem eſt poſita.

Almeloa ſita eſt ad torrentem ignobilem, qui in Vidrum ſeſe exonerat, diſtat autem Gora duabus leucis.

Gora quoque ad Vidrum eſt, Diepenhemio leuca dumtaxat abjuncta.

Diepenhemium Delda duabus leucis abeſt.

Delda ſeſquileucæ iter ab Enſcheda diſcernit.

Enſchedam leucæ ſpatium ab Oldeſalia diſparat.

Populi hujus ditionis, ut ſunt inter Geldros & Friſios medii,

medii, ita ingenium quoque & mores utriusque illius gentis participant.

Fuit olim hæc terra in ditione Præsulum Vltrajectensium. verum Henricus Bavarus Præsul, iisdem plane de caussis, ob quas anno 2527, sæculare, ut vocant, diœceseos suæ imperium, ut dicturus sum postea, Carolo Quinto Imperatori tradidit, etiam hujus tractus jura in Cæsarem transtulit. quare & filius ejus Philippus anno 1549. susceptus est & juramento designatus est Transisalanorum Dynasta, quem etiam titulum cæteris suis inserit. Hodie ab eo Transisalanis ad tempus præfectus est, Franciscus Verdugus, qui ob egregia sua merita etiam Frisiæ præsidet.

ADDIT. [*Itaque Transisalaniæ Ordines hortatu illius præsulis Trajectini cum eodem Imperatore* anno CIↃIↃXXVIII *convenerunt, seseque ipsi & successoribus illius Brabantiæ ducibus & Hollandiæ comitibus submiserunt hisce fere conditionibus. Transisalaniæ Ordinibus privilegia & immunitates universæ & singulæ sarta tecta manento. Iudiciis consuetis utuntor, nec illius rei causa inviti extra provinciam evocantor. Bellum Transisulanis à quocunque illatum, Cæsar ejusque successores suis sumtibus propulsanto. Ditionis fines antiquos vindicanto. Pecuniarias exactiones novas, bello urgente, habita civitatum ratione, modicas suo jure exigunto. Transisulanos extra provinciam suam, in aliis Cæsari subditis ditionibus, ob æs alienum, quod principes, aut provincia, homove privatus publico nomine debet, in jus vocari, trahi aut retineri ne permittunto: ob privata vero singulorum debita, fas licitumque esto. Cæsar Duci Gelriæ suo are bellum inferto, donec provincia ablata restituerit. Ordinibus Transisulaniæ, authoritate Cæsaris, pecuniarias exactiones provincialibus imperare liceat, ut æs alienum belli tempore contractum absolvant. Multam pecuniariam, quam Antistes ac Swollani Gelriæ duci datis tabulis promiserunt, Cæsar vi aut gratia reddi curato. Si quæ forte dissidia inter Transisalanos orta fuerint, aut postilla oriantur, Cæsar ejusque hæredes & successores, ut bonos principes decet, non augeri, sed quantocius tolli procuranto, illosque ut cæteros suos subditos ab omni violentia atque injuria defendunto. Bituminosos cespites, certa tantum quantitate & modo, extra provinciam evehi permittunto: atque intra triennium provinciæ statum in commodiorem ordinem restituunto. Annuam pensionem pecuniarum quam antistitibus solvere consueverunt, post hac Cæsari, donec aliter de ea re constituatur, persolvunto: de publica*

*moneta cum Cæsarianis monetariis transigunto. Contributiones annuas Antistitis, ad bellum sustinendum dari suetas, tribuunto.*

*Quibus transactis, Georgius Schenckius Baro à Tautenbergh, Frisiæ Gubernator, provinciæ præfecturam adiit, & in omnibus locis nomine Cæsaris fuit inauguratus. Sub Carolo ergo ejusque filio Philippo eadem pene hujus provinciæ quæ cæterarum fortuna fuit, donec cum cæteris se in libertatem vindicaret: ab eo tempore uti & cæteræ à suis Ordinibus regi cæpit, penes quos summa hodie est authoritas.*

*In tribus majoribus civitatibus, uti supra diximus, causæ omnes & civiles & criminales judicantur per arrestum, ut vocant; neque fas est cuiquam ab hoc judicio provocare aut appellare, à cæteris tribunalibus, quæ in minoribus oppidis & vicis hujus provinciæ constituta sunt, appellatur ad publicum quoddam totius provinciæ tribunal sive conventum juridicum, quem peculiari voce provinciales vocant* Claronge; *qui non singulis annis, sed singulis octenniis, aut etiam decennniis, vel prout Ordinibus in publicis comitiis visum fuerit, celebratur. Locus antiqua, uti videtur, consuetudine est Daventria: Iudices, Præfectus provinciæ sive Quæstor Sallandicus, specialiter ad id à Præfecto (si ipse interesse nequeat) deputatus, Præsidis nomine; tum equestris ordinis viri; atque ex Daventriensi civitate Scabini quatuor; ex Campensi bini; & ex Swollensi totidem. Ad hos causæ omnes per appellationem ex agro & minoribus oppidis referuntur, & ab his finali judicio terminantur.*]

Atque hæc velim lectori sufficiant super terra Transisalana, transeamus deinceps ad Frisiam.

# FRISIA

## DOMINIVM.

FRISIÆ nomen imposuisse Grunniũ Trojanũ tradunt, à Phrygia minoris Asiæ regione. Eumque Groningæ à se conditæ Gruningiæ vocabulum indidisse. Alii rursus (tanta homines tenet patriæ nobilitandæ cupiditas) Frisiam ita dici adfirmant à Frisio, Alani, fratris Mesæ, filio, ac Semi, (ut addunt) nepote: atque hosipsos Frisios Asiaticis illis feciſſe nomen. Mihi vero consideranti, nonnullos



27
SEPTEN 30
Mare
Germa:
Hollum
Neß
Werum
Morre
Dockum
nicum
Genum
Dre sum
Oldzerck
Steens
Lidlum
Marsum
Franeker
Leewaer den
Bergum
Conten
Oldgae
Erenwold
Oltertorp
Beets
Oldenber
Wispel
Foechtinge
Gerslot
Groengrip
Westermeer
Rot tum
Nyegea
Oldlemer
Buel
Vledd eren
Blesdyck
Spangen
Blanckenhan
Baerle
Steenwyck
Ghiethorn
Nyeveen
Swartesluys
Gryps kerck
Oldkerck
Oort
Vpende
Marum
Saxum
Wommels
Harlingen
Pi ngen
Bolswart
Bofgum
Sneeck
Vlst
Worcum
Hi nde:
loope
Dany egae
Olde gae
Sloten
Lem merhorn
Kuyn der
Staveren
Mirls
Zuyder
Zee
Nyek
Sax
Oldevercoop
Wap ster
Duyng
Havelt
30
OCCIDENS.
53
27
MERI 30

10.
28
30
Embden
Neylant
Brede
Winsum
Watum
Dorwart
Leens
Beem
Dam
Groeninga
Delfziel
Oeterdum
Reyde
Lodyck
Wittewerum
Noortbrou
Lutkeherste
Vynsterwolde
Heylighe
rlee
Medum
Roden
Modum
Winschoten
Bellingwolde
Vriesloo
Wedde
Elde
Werden-
bras
Berge
Vlachwedde
Vriess
Eyen
Torns
Onstwedde
Assen
Rolde
Asselen
Sellingen
Spier
DREN:
TE.
Borgeren
Ape
Beylen
Emme
Borck
naerle
Roofwinckel
Sweel
Sleen
Wester
hesselen
Ruynen
Coevoerden
FRISIA
Hardenberg
ORIENS.
Milliaria Germanica
1
2
3
4
5
53
IES.

los scriptores, etiam ipsam populi Romani à Trojanis originem, tanto consensu magnis auctoribus traditam, adeo ut extra controversiam esse videatur, nihilominus in dubium revocare; non ambigere modo, sed ridere etiam subit, quoties lego ea quæ scribit nonnemo de istarum & adjacentium aliquot regionum antiquitate. regionum usque adeo priscis scriptoribus destitutarum, ut non nisi ex conjecturis, quod non raro facit Becanus, quidquam possit de iis adferri. Plinius populorum istarum partem majores atque minores Chaucos appellat. Ptolomæus indigetat Frisios. Gravissimus ille Scriptor, & magnus rerum Germanicarum observator, Cornelius Tacitus, Frisios trans-rhenanam, & Germanici sanguinis gentem esse adfirmat. Popularis eorum amplissimus Viglius, classicis ea in re scriptoribus consonans, coram mihi asseruit, Frisios, supra cæteros omnes Germaniæ populos, retinuisse nomenclaturam antiquam, ideoque aborigines merito dici. quia nempe una cum nomine priscas etiam sedes servaverint. est autem revera idipsum nomen opidoquam antiquum, & quamvis apud scriptores interdum leviter immutetur, transcribaturque finitimis Frisiæ populis, ipsis Frisiis tamen perpetuo fere adhæsit. Munsterus, & alii quidam Frisiam perhibent olim fuisse regnum, & multiplici nomine patuisse inde ab ostiis Rheni, per littora maris Oceani, usque ad Cimbricam Chersonesum, quam hodie dicimus Daniam citeriorem. Atenim ea terræ istius pars, quam potissimum nobis hic sumsimus describendam, quæque principem ac dynastam habet Philippum regem, ipsissima plane est regio, quæ à priscis usque temporibus perpetuum fere, ut diximus, Frisiæ nomen obtinuit, ac cæteris sui partibus dignior habita fuit atque illustrior. Audit eadem vulgo Frisia Occidentalis, ad differentiam scilicet ejus quæ ad Visurgim flumen porrigitur, & Orientalis vocabulo passim innotuit. in qua idem Philippus, prout infra ostenditur, trans Amasiam flumen possidet oppidum Lingam, una cum aliis aliquot ditiunculis. Non agam hoc loco de terra, Frisiæ huic nostræ opposita: quæ non olim tantummodo, verum etiam hodie vulgo audit Westfrisia, & in qua opida illa pulcherrima, Horna, Enchusa, Edamum, & cætera: quia hanc Hollandi suæ ditionis esse volunt, adeoque passim in

ſermonibus, ſcriptiſque & tabulis Geographicis eo nomine nuncupatur, denique comprehenſa præterea ſub ipſius Hollandiæ præfectura, & à Friſiæ gubernatione diſtincta, non minus quam ingens ille ſinus, ſeu lacus Flevi, utramque Provinciam ſeparat. quare bona eorum qui aliter ſentiunt venia, & ſine terræ alterutrius, vel & popularium præjudicio, ſequemur hic uſum communem, & Weſtfriſiam debito ſuo loco deſcribendam ſervabimus. Friſiam igitur Occidentalem alluit à Septemtrione, & ſolis occaſu, Oceanus: à Meridie partim eſt lacus Flevi, partim ditio Trans-Iſalana: ab ortu habet quidem Friſiam Orientalem, ſed majori ex parte claditur fluvio Amaſia, vulgo de Ems/ qui à Weſtphalia eam diſpernit. Accenſentur præterea ejus dominio inſulæ quædam vicinæ, inter quas præcipuæ Schellinga & Amelandia, ambæ aliquot pagis inſeſſæ.

ADDIT. [*Friſia, prout hodie nomen retinet, Flevo olim fluvio, nunc magno maris ſinu ab occidente alluitur, Hollandicam oram longo intervallo reſpiciens; ad meridiem a Cunera. Inde ſecundum littus in ſeptentrionem primum modice flexa, ubi Stellingwerficus ager, mox velut in Hollandiam excurſura, recta in occidentem longo ſpatio ſe porrigit, occurſuque Hollandicæ oræ ſimiliter prominenti, æſtuaria Flevi ab auſtrino ſinu quaſi ſecludit. In hujus prominentis oræ promontorio extremo Stavera eſt; unde breviſſimus in Hollandiæ littora ad Enchuſam & Medemblicum trajectus non amplius trinis milliar. patens. A Stavera in ortum oblique & leniter reflexa; ubi Hindelopam primum, deinde Worcumum oppidum in ora habet. Mox in boream ſe vertit per tria milliar. magna, donec paulum ſupra Harlingam aſcenderit. Inde rurſum ſecundum litus vadoſi maris longiſſimo tractu per ſeptem ingentia milliar. in ortum æſtivum primum ſe porrigit, quouſque exiguam inſulam Bancam præterierit: deinde in meridiem; tum rurſum in orientem ſe recipit; æſtuarioque Lavicæ ſl. lato & profundo, quem ſinum potius maris dixeris, ac rivo, qui in æſtuarium influit, à reliqua quæ ſequitur Friſiæ parte dirimitur. Sic ſinuoſe deſcendens, tandem per terminum auſtralem in occidentem ad Cuneram revertitur, Drentiæ & aliis diœceſios Vltrajectinæ provinciis eo latere cohærens. Regio hæc univerſa quadratæ pene figuræ, ad* VIII *mill. magna in longum patens, pari fere latitudine, paſcuis uberrimis lata, qua boream & littus ſpectat; arenoſa ac paluſtris ac nemoroſa qua meridiem & ortum.*]

Non rigant hanc terram alia flumina, præter Amaſiam

Amasiam & Lauriam : sed in propinquo Isalam habet & Vidrum. sed fossis perquam latis, & magna industria ductis, passim interscinditur per quas insigni plane commoditate non alio tantum atque alio transferuntur idemtidem mercimonia; sed superfluæ quoque & noxiæ solo aquæ, velut per emissaria quædam, emittuntur. Solum Frisiæ planum, lutosum, paluſtre, incultum. quod postremum tamen intelligi volo de segete, cujus exigua sane & vix ullius momenti hic copia: nam alioqui diligenter satis excolitur, ac sedulo conservatur, ceterum pratis fere & luxuriantibus pascuis, tum & terra bituminosa, ex qua tessellæ foco aptæ conficiuntur, quamque Venen ipsi indigetant, tellus constat. adeo, versus mare præsertim, depressa, ut ab initio statim autumni, usque ad adultum jam ver, bona ex parte, viatoribus, nisi navigiis utantur, maneat prorsus impervia. unde & opida simul & pagos editiori situ videas, & prævalidis atque admirandis aggeribus communitos; qui opportunis maxime locis jacti, arte, & mira industria adversus undarum injurias defenduntur: & mirabilem sane, & æquoris speciem præbeant terrarum ingentes tractus hiberno tempore fluctibus obruti; extantibus passim tot opidis, atque insignibus pagis, admiranda prorsus incolarum arte defensis. nec absurde quis dixerit, terram altera anni parte arari, altera navigari. Seruntur, ut diximus, paucæ admodũ fruges, quæ undarũ, mature crescentiũ, & tarde cedentiũ vi, in majori saltim ditionis hujus parte suffocarẽtut. unde ex Dania maxime & mediterraneis locis, frumentũ sibi petere coguntur: vinum, cœli & frigoris inclementia, tellus non gignit. quare Germanico illo, item Hispanienſi, & Gallicano, maxime utuntur. Major terræ pars, ob nemorum & silvarum inopiam, fabrili materia destituitur, quam idcirco ab exteris gentibus advehi necessum est. Eandem ob sylvarum penuriam desunt his locis ligna struendo foco: quorum tamen vicem abunde supplevit terræ ipsius ingenium. Quippe tanta copia eruitur humus ustilis, ut non habitantibus modo sufficiat, sed in alias quoque oras exportetur. unde non exiguam sane pecuniæ vim quotannis conficiunt. Quoniam vero cespes iste aut potius terra ustilis, quam collective ipsi ac numero singulari appellant Turf, ita magni in Belgica nostra momenti res est, nec

indigna quam attentius paullo consideres; suo quodammodo jure videtur exigere, ut accuratius paullo de eo differamus. interea & brevitati, quantum fieri poterit, consulam. Ac primo quidam nullam hic mentionem faciemus exilis illius atque aridi cespitis, qui in variis Belgicæ partibus, ex desertis quibusdam & sterilibus ericetis, (Belgæ Heyden appellant) cum circa Diesthemium, tum & alibi passim eruitur, scopis, brya silvestri, aliisque id genus fibris usqueadeo refertus, ut si quatuor aut quinque in altitudinem digitorum glebam illius soli effodias, & effossam ventis ac solis ardori aliquamdiu exponas, ita mox repurgetur & restringatur, ut ignis quidem & flammæ reddatur capax, atque aliquem sui usum tenuioris fortunæ hominibus præbeat, sed nullas interim alicujus pretii prunas producat. quod vel ex ignobili illo cespitis genere, quod haud procul Antverpia, ex ericeto, ut vocant, Hobocano, in agrestium usum effoditur, quivis facile colligat. nolo inquam de hoc genere quidquam ultra differere. sed de probo illo dumtaxat ac genuino cespite, qui in variis Belgicæ tractibus, incredibili pæne copia, colligitur. super quo & sententiæ admodum variant: aliis quidem adfirmantibus esse genus quoddam fodinæ, sive rei metallicæ, prorsus ut Leodicenses illi carbones, de quibus suo infra loco dicturus sum; aliis contra, humum, seu glebam, putribus lignis temperatam: quæ ligna provenire putant ex innumeris arboribus, sub terra & inter ipsosmet cespites solitis inveniri ac vel horridis tempestatibus, vel olim diluviis, adeoque universali illo cataclysmo Noachi tempore prostratis. quod ut nobis persuadeant, suas quisque rationes & argumenta in medium proferunt: sed prorsus infirma, nec fundamento ullo subnixa. aliorum opiniones sunt ita absurdæ, ut non mereantur referri. unde & nonnulli difficultatem & obscuritatem rei reputantes, eam in medio relinquere maluerunt. Ego autem, & materia ipsa, & locis eam gignentibus, intentius examinatis, aliorumque judiciis auditis, primum quidem adfirmo: non posse hunc cespitem esse genus aliquod rei metallicæ. nam quod dicitur de carbonibus terræ Leodicensis; palam est eos, & cætera quæque id genus metallica, radicosas adeoque inter sese distinctas habere sub terra venas: cespites contra, inde ab ipso sui fundamento,

mento, uſque ad ſuperficiem terræ, id eſt ad duodecim, quindecim, viginti, imo vigintiquinque ac triginta denique pedum altitudinem, cohærere, & per magna camporum ſpatia, longe aliter quam fodinas, continuari. Sed nec fieri poteſt, ut ſit humus, putrefactarum arborum materie temperata: quoniam alte nimis & ſpiſſe in terram dimittitur, & nimia ejus eſt copia. præterea inveniuntur adhuc inter ceſpitem illæ ipſæ, quas diximus, arbores, tantumnon, ut videre eſt, integræ, & Vulturnum verſus porrectæ. unde colligas, crebris illis & vehementiſſimis Cauris, ex alto ut plurimum flantibus, quondam fuiſſe dejectas. quæ, etſi inter effodiendum rumpantur, & inſolita hodie craſſitudine arguantur prorſus antiquæ, ſintque in tantum exſuccæ, ut poſtquam ficcaveris, nullum fere in iis remaneat pondus: non propterea tamen ſunt putridæ, neque liquidam ullam edunt materiam. imo ſtatim ſiccantur, & in ignem conjectæ mox ardent, gratam flammam & odorem ſuaviſſimum emittentes. videntur enim revera fuiſſe pinaſtri. Quid multis? in Friſia, ubi maxima proculdubio ceſpitis hujus eſt copia, Pliniano ævo, arbores prorſus nullæ; noſtro, admodum paucæ: imo qua ceſpes eruitur, ſub terra itidem nullæ. quas in Hollandia tamen, & ſpeciatim ad Vltrajectum, ac Rhenam & Amersfordiam verſus, non diffiteor inveniri. Ex arboribus itaque ſubterraneis, quod ridicule tamen quidem adfirmant, ceſpites noſtri non gignuntur. Vnde omnibus rite expenſis, inducor tandem ut credam, & certo mihi perſuadeam, naturalem hanc eſſe paluſtris illius ac pinguis atque decoctæ telluris glebam. conſtat enim, jam Pliniano ævo (ut mox è verbis ipſius videbimus) ceſpitem iſtum in Friſia veram terram fuiſſe, & indigenas, præ lignorum inopia, eo ad ignem tunc uſos. non aliter quam fecere poſtilla, & in hunc uſque diem faciunt poſteri. qui & ipſi tam magnam ejus conſumunt vim, & tam largiter eum aliis ſuggerunt, ut niſi eſſet res naturalis, & à matre tellure procederet, jampridem & venæ omnes forent exhauſtæ, & perpetua foſſione perventum fuiſſet ad fundum. Sunt qui dicant, niſi penitus auferatur ceſpitum fundamentum, & (ut ſic dixerim) mater, eos cum tempore pullulare rurſus atque ſuccreſcere. alii vero adfirmant, ubicumque aſſidue fodiatur, tandem deficere, quod non

rationibus tantum, ſed exemplis etiam probant, varios paſſim monſtrantes campos, ſeu ſtagna verius & paludes, ita prorſus exhauſtas, ut nihil amplius tale videantur producere: ſicuti alios contra oſtendunt locos ab incolis terra aliunde advecta expletos, neque ceſpitem tamen gignentes. ſed hic videndum, quidnam poſt ſæculum unum alterumve futurum ſit. Noſtra quidem ſententia, ſive exhauriatur in totum, ſive non exhauriatur hoc ſolum, cum tempore rediturum eſt ad ingenium, ac vacuefacta illa & paludoſa nunc loca, ſecuturis quondam tempeſtatibus, (quæ neceſſario aliquando his tractibus iterum ingruent) novo iterum limo cœnoque opplebuntur. unde porro & efficacia Solis, & continuo temporis lapſu, exoritura de integro ceſpitis hujus materies. quin & nova illa quam dixi terra, qua expletæ nunc temporis priſcæ illæ & interruptæ ceſpitum venæ, corrupta tandem & putrefacta undarum & ſolis vi, meliore (ut alias factum) ex parte in ceſpitem convertetur. quod ſi minus fit intra annos quinquaginta vel ſexaginta, at fieri poterit intra centum aut plures. utut fit (meo quidem judicio) fiet, & terra ad ingenium ſuum redibit. nam cum benigna illa omnium rerum parens lignorum defectum hoc ſubſidio expleverit, non degenerabit profecto nec partibus ſuis deerit. Fateor quidem in Hollandia, vendendi magis & in quaſcumque terras diſtrahendi cupidine, quam domeſtica incolarum neceſſitate, tantam perpetuo ceſpitis copiam erui, ut vereantur nonnulli, ne in ea terra venæ tandem deficiant. quare & actum jam-olim, & nunc etiam agitur, de cavendo, ne cuiquam in poſterum liceat eum evehere. Sed enim hic culpanda non eſt natura: verum homines potius accuſandi, qui improbe nimis eam fatigant. Cum itaque tam probati auctores teſtentur, ceſpitem ante annos jam præterpropter mille quingentos fuiſſe terram naturalem: non eſt quod credamus, eum umquam iri exhauſtum, ſed magis exiſtimandum, ſingulari Dei beneficio, & ab origine talem fuiſſe, & in poſterum porro talem manſurũ. niſi nimia habendi cupiditate, & inſolitis imo illicitis modis, ipſam matrem noſtram naturam corrumpamus ipſi & obruamus. Age vero, exſcribamus hic ipſa Plinii verba, è capite primo libri decimi ſexti, ubi de Friſia, coram ipſi luſtrata, eſt ſermo, deſumta, atque

que altius paullo, ut, repetita, quid de cespitibus istis, ac tota Provincia sentiat, capiamus. *Sunt vero & in Septemtrione nobis gentes visa Chaucorum, qui majores minoresque vocantur. vasto ibi meatu, perpetuis bis dierum noctiumque singularum intervallis effusus in immensum agitur Oceanus, aternam operiens rerum naturæ controversiam, dubiumque terræ sit, an maris pars. Illic misera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia structa manibus ad experientiam altissimi æstus: casis ita impositis, navigantibus similes, cum integunt aqua circumdatæ naufragiis; cum vero recesserunt, fugientes cum mari pisces circa tuguria venantur. Non pecudes hos habere, non lacte ali, ut finitimos, ne cum feris quidem dimicare contigit, omni procul abacto frutice. Ulva & palustri junco funes nectunt ad prætexenda piscibus retia: captumque manibus lutum ventis magis, quam sole siccantes, terra cibos & rigentia Septemtrione viscera sua urunt. Potus non nisi ex imbre servato scrobibus in vestibulo domus, &c.* Invenitur, ut dixi, hic cespes in variis Belgicæ nostræ regionibus, & primo quidem Brabantia, tractu ejus quem vocant Campaniam: ubi mediocri sane est bonitate. In maritimis Flandriæ, locis opidoquam depressis & paludosis, quæ Teutonicus sermo Moeren seu Moren / incolas vero Moringhen nuncupat, unde, juxta Becanum, Morinorum apud Romanos vocabulum, cespites minus boni, ut qui flammam quidem subnubilam, fumum autē præcrassum & graveolentem reddant. In Zelandia pejus forte effoditur genus, quod indigenæ Dalring appellant. In Geldria magna satis paratur probi cespitis copia. verum & plures longe, & meliores, quam alia quævis terra suppeditat Hollandia, & cum ea nostra Frisia. ubi immensos plane & per continuas aliquot leucas diffusos campos, & in iis udos ac molles hujusmodi cespites passim adspicias, in glebas, tesserarum forma, dissectos. quæ recte porro & decenter composita ventis juxta & sole siccantur, ac sic demum ad perfectionem deductæ, in usum familiarem convertuntur. Atque hoc modo aptatus cespes (talis autem est ille, qui hominibus istis quotidiano in usu est) ignem, statim ut eo contingitur, apprehendit, ac fine alio fomite magis magisque paullatim ardescit, donec prorsus consumatur. reddit autem calorem admodum vehementem, & prunas, illis è ligno, non meliores dumtaxat, sed & longe diuturniores: ita quidem ut maximum sui usum habita-

habitatoribus præbeat, in coquenda præſertim cerviſia, repurgando ſale, aliiſque id genus miniſteriis, validum atque durabilem ignem poſcentibus. etſi dum primum accenditur, fumum ejiciat aliquatenus graveolentem, ac parum ei aſſuetis & prope nimis adſtantibus inſalubrem. quod vitium tamen, pro loci unde eruitur qualitate, vel intendi ſolet, vel minui. Neque vero prætermittendum eſt, probam etiam ceſpitis hujus materiam & inventam jampridem, & inveniri etiamnunc in Galliæ Picardia, & confiniis Ambiani. quam & aliis quoque paluſtribus regni illius locis reperiri adfirmant. ubi tamen non tentant eam eruere, quia pretium non videtur cum plurimæ in propinquo ſint ſilvæ, unde accolæ petant ligna, denique eruitur quoque uſtilis iſte ceſpes in variis Angliæ Scotiæque tractibus, haud uſquequaque ſpernendus. Diſco inſuper ex diario quodam, ſive mavis itinerario Nicolai Pithorii, Domini Chamgobertani, oculati (ut dicitur) teſtis, ſolventem nuper ex Anglia Martinum Forbiſherum, & Floridam, novi illius Orbis, vel, ut proprie magis dicam, Americæ regionem, ad Caurum ſitam, petentem, in inſulas Orchadas, numero ut ſubjungit triginta, ſupra Scotiam, & ſub gradu ſexageſimo ſexto latitudinis poſitas, eſſe delatum. ubi cum deſcendiſſent in terram, inter alia obſervarunt, etiam eas gentes, quippe lignorum copia deſtitutas ceſpitibus iſtis è terra & pecudum excremento confectis vicem lignorum explere. plane ut diximus, ac deinceps porro dicturi ſumus, in Friſia noſtra receptum eſſe. verba ipſius auctoris eccifta: *Ædificia illorum & domicilia valde ruditer, & nullo propemodum ſumtu e ſilice, & ſine ullis fumariis extructa ſunt. ignem in mediis ædibus excitant, in quarum una parte paterfamilias cum tota familia cibum & ſomnum capit, in altera ſub eodem tecto pecus ſtabulatur. Genus eſt hominum ab omni civili cultu alienum. lignis carent: ſed eorum uſum explent ceſpites terreni & boum excrementum.* Hactenus illud diarium. Quæ omnia quo attentius conſidero, eo in ſententia mea magis confirmor: iſtam nempe uſtilis hujus ceſpitis materiam eſſe veram & genuinam terram, ab inſita ſolii ipſius & cœli virtute productam, nec ante interituram,

*Exitio terras quam dabit una dies.*

Explicemus vero deinceps, quanta fieri poterit brevitate,

tate, duos plane mirandos casus, è cespitibus hisce exortos. nulla interim facta mentione infortunii iis adsimilis, quod anno Christi 1541, in Brabantia contigisse refert Becanus. Horum alter evenit in ditione Vltrajectina, inter Rhenam & Amersfurtum opida. ubi cum anno 1567 opilionis cujusdam incuria, vastum glebæ istius campum ignis apprehendisset, brevi temporis spatio eos fecit progressus, ut & maximum dederit damnum & novum prorsus atque horrendum exhibuerit spectaculum: cum, inaudito quodam exemplo, & aqua simul & tellus arderent, ac densissimum adspectuque tetrum fumum evomerent. quod luridum tamen atque fœdum incendium, accurrentibus undique magno numero rusticis, & novas certatim fossas novosque aggeres flammæ objicientibus, aliasque id genus adhibentibus machinas, suffocatum tandem atque extinctum est. Alter vero, & sævior multo & magis quam prior ille horrendus, ante multos, ut perhibent annos, in Frisia & finitimo mari australi tractu evenit. ubi hodieque existit, & ab accolis demonstratur amplissimus quidam lacus (cui ab ovium quadam custode, & ipsa sui vastitate, vulgo nomen, de Ionckermeer/) duas fere in latitudinem, totidemque in longitudinem leucas protensus, & sic satis profundus. hunc lacum asserunt olim fuisse fodinam, seu venam hujusmodi cespitis: factum vero jamdictæ custodis, Ionckeræ videlicet, ignem inibi excitantis culpa, ut terram corripiens flamma ita statim exarserit, ut nulla omnino diligentia, nullo humano conatu, repugnante nimirum & loci ingenio, potuerit umquam restingui, adeo ut, exhausta jam funditus omni illa materie, in cujus locum magno impetu statim successit aqua, novo sane & admirando exemplo, lacus iste formatus sit. qui & piscibus hodie, etsi ob fundi incommodum minus laudatis, admodum copiosus; & navigantibus ultro citroque negotiatoribus perquam oportunus: ita angustus tamen & sinuosus est, ut flante quovis vento adverso, nihilo mitiores excitet fluctus, neque minus periculosus sit, quam vel turgidum aliquod mare. Qui autem scimus an non aliquando & iste lacus, faciente insolita aliqua maris tempestate, novo itecrum luto sit redimplendus, & cum tempore ad antiquum cespitis producendi ingenium rediturus? Atque

hæc

hæc de argumento hoc noſtro tractaſſe ſufficiat. redeamus ad inſtitutum. Vritur in eadem hac Friſia, & præſertim apud agricolas, etiam boum (ea namque eſt hujus pecoris multitudo) ventis magis quam ſole ſiccatum excrementum. Præcipuus vero totius terræ fructus, & opum potiſſima in pecore ſita ſunt, unde multo uberrimus ad indigenas redit quæſtus. Boves in ea prægrandes, & qui cæteros hujus Belgicæ, adeoque fortaſſis Europæ totius, bonitate præcellant. quamvis Anglicani eximii ſint. Emittunt innumera hujus pecoris capita in finitimas quaſque provincias. emittunt & numerum ſatis magnum fœcundiſſimarum vaccarum, quæ geminos ſæpe uno partu edunt fœtus. ſicuti oves quoque non unum modo, ſed & duos crebro, imo ſubinde & quatuor eodem fœtu agnos enituntur. Equos inſuper, non bonitate minus, quam forma, ſpectabiles, & ad belli potiſſimum uſum accommodos Friſia, ut in generali deſcriptione explicui, ſatis multos producit. Quare operæ pretium fuerit conſiderare, quantum in his quidem rebus inter Plinianum atque hoc noſtrum ævum interfit: cum pecudes eo tempore Friſii non habuerint, neque lacte ſe, quod finitimis tamen in uſu, nutriverint: hodie vero, quam pecudes, nihil habeant pretioſius, nec inter domeſtica alimenta lacte quicquam frequentius. nullæ tunc iis urbes, nulli alicujus momenti pagi: nunc & urbes habent concinnas, & pagos luculentiſſimos. diſcrimina quidem, quæ non ab ipſo locorum regionumque genio, ſed ab hominum magis ingenio, ac mutatis in melius moribus, conſtat exiſtere. homines ſiquidem ii ſunt, qui vel induſtria ſua & cura regiones conſtituunt, vel incuria rurſus & ſocordia deſtruunt.

ADDIT. [*Aer Friſia utcunque ſalubris eſt, niſi quantum paludum exhalatione inficitur, quanquam & id labis ventorum beneficio expurgatur. Weſtergoa univerſa & Oſtergoæ pars multo maxima, fruge, armento, gregibus, piſcibus avibus, quibus eulina inſtrui laute poteſt, ſupra quam credi queat, fœlix eſt: ſed illa, humilior eſt, lacubus ac ſtagnis abundans, & pluribus fluentis irrigua, atque ita piſcatu & aucupio melior: Oſtergoa vero, editior, & paſcuis optimis ſatiſque nobilior. Vtramque tamen rivi percurrunt multi navigabiles: ſed excellit* Doccumanus *lati & profundi alvei, Doccumo Leovardiam ducens, ac illic in duo ſe brachia ſcindens; è quibus alterum Franekeram perluens, Harlingam*

*lingam tendit, ibique in mare rursus effunditur; alterum in meridiem se præcipitans, & lacubus ac stagnis se miscens, Snecam, Ilstam, Slotam, Staveram, Worcumum per ambages contingit pluribusque locis in mare effluit. In hunc & alii quoque rivi se insinuant, qui Silvestrium agrum pererrant; quorum maximus Cunerus est, quanquam is proprio ore ad Cuneram vicum cognominem in sinum australem etiam effertur. Atque hinc maxima sane commoda incolis ultro citroque commeantibus proveniunt. Copiosus ubique armentorum proventus; generosorum equorum soboles inexhausta, non solum Germaniæ sed & cæteris Europæ regionibus expetita.*]

Dividitur autem Frisia in tria potissimum membra. quorum (quia nempe Groninga & est reipsa, & haberi etiam gaudet pro ditione singulari, atque à Frisia prorsus distincta) primum est Ostergoa.

ADDIT. [*Initium sumens à Westergoæ fine ad Lavicam fl. & limitem Groninganum, opibus & viris nobilis. præsertim qua boream & occidentem spectat, aut littori vicina est. In hac est Leovardia, Doccumum. Præfecturas habet* XII, *vicos* CXXVII, *cœnobia* XXI, *arces nobilium vetustas quamplurimas.*]

Alterum Wester-goa.

ADDIT. [*A Stavera & majorem universæ longitudinis partem complexa, mari aut æstuariis magna ex parte circumfusa, & multo opulentissima & frequentissima. In hac sunt Franekera, Sneca, Bolswardia, Harlinga, Slota, Stavera; Hindelopa, Worcumum, Ilsta: Territoria porro octo, & in his vici* CXXVII, *cœnobia* XXIV.]

Tertium denique tractus Septemsilvanus, vulgo de Seven-wolden / sic dictus à totidem pæne inter se contiguis silvis.

ADDIT [*Ubi* Silvestres *continentur, cum agris vicinis Stellinwerfico & Scoterlandico. Hæc pars palustris ac sabulosi soli, sylvas quoque habet modicas, quæ nomen ei dederunt, & lacus nonnullos piscosos: oppidis omnino caret, & felicitate cæteris plurimum cedit. Præfecturas continet* VIII, *vicos* LXXVII, *cœnobium unum. Qua parte aratur, frugum satis ferax, pascuis non perinde idonea. Terram palustrem fodit magna copia, & devectum per rivos in usum ignis vicinis divendit. Hujus incolæ, ceu fieri solet, animo & corpore ad bellum laboresque magis quam reliqui, quos copia & delicia enervant, promti sunt.*]

Singulis horum membrorum sua sunt opida, sui etiam pagi,

pagi, & in utrorumque territoria jurisdictio. Vnde in tota Frisia Occidentali, inter ea quæ muris circumdata, quæque aggeribus simul & fossis munita, eodem cum illis jure & privilegiis gaudent, numerantur undecim opida: Leovardia nempe, Doccomium, Franekera, Bolsvardia, Sneca, Ilsta, Slota, Harlinga, Worcomium, Hindelopa, Stavria. numerantur deinde in totum, accenso etiam territorio Groningensi, pagi quadringenti & nonaginta. inter quos non pauci & incolis simul & opibus adeo abundantes, ut amplissimis à Principibus terræ jam-olim donati sint privilegiis. Ordines Frisiæ constant ex Antistitibus, vel si mavis Ecclesiasticæ dignitatis hominibus, item Nobilibus, & his qui hæreditario jure toparchias possident.

ADDIT. [*Regimen provinciæ ante tempora Principum & sub Principibus.*

*Frisiam hanc supra divisam fuisse diximus in tres partes; Ostergoam, Westergoam & Sylvestres. Hæ partes singulæ nonnumquam seorsim sibi consulebant, ac quasi separatam rempublicam colebant; sed ut plurimum veluti membra in communem rempubl. coibant, communia concilia & comitia habebant, conjunctimque rempubl. ordinabant. Quinetiam singulæ in territoria complura tanquam minores præfecturas erant distributæ, quas lingua patria a jure dicundo* Gretanias *dicebant, & præfectos* Grietmannos, *quasi dicas, prætores. Prætoriam enim potestatem tenebant, jus dicebant cum adsessoribus suis, judicata exequebantur, contumaces & factiosos coercebant, multas capiebant, facinorosos carceribus & supplicio afficiebant; quietis publicæ custodes erant; tributa consensu imposita colligebant & in ærarium referebant. Hi suffragiis suorum in territoriis singulis designari solebant, annuumque magistratum gerebant, quemadmodum & assessores illorum. sed hoc ante Saxonum tempora nobilium factiones alibi citius, alibi serius vitiarunt. Temporibus autem Alberti Bavari, qui Frisiis infestus incubuit, inclinare res cœpit. Hic enim cedi sibi judiciorum omnium potestatem popposcit, & clientelæ jure obligare Nobilitatem tota in Frisia conatus fuit. Sed conatus illius in fumum abiit. Et Sigismundus Imp. sanctione sua memorabili*, anno CIↃ CCCC XIX *Leowardiæ publicata, omne jus quod Hollandi aut quisquam alius in Frisios se habere ferebant, solenniter sustulit, Frisiosque soliti impe-*

ti imperio sine principe aut rectore alio subesse, & prisco more prætores ac judices suos habere, ab iisque ex patriis legibus ac constitutis jus dici jussit. Sub Ioanne Bavaro, ad quem Sciringii (nota in Frisia illis temporibus factio) se contulerant, rursus turbatum, sed incassum. Territoria autem in tota provincia XXVIII erant: è quibus XII Ostergoæ erant, VIII Westergoæ, & totidem Sylvestrium. Cum his territoriis & eorum prætoribus civitates XI nihil commune habebant; licet in comitiis, cum de tota republ. agebatur, cum iis se miscebant, in quorum territoriis erant: Leowardia scilicet & Doccumum Ostergois Ordinibus jungebantur, reliquæ Westergois: in eoque hæc ratio servabatur ut singulæ in suffragiis ferendis unius præfecturæ jus haberent. Sed & ordini sacro peramplum jus & ingens authoritas illis temporibus fuit. Atque hic status stante libertate fuit. At ea in principatum versa, multa simul mutata: populus universus vectigali & tributo subjectus, quanquam modico & legibus adstricto: arces arbitrio principis structæ: judiciorum potestas soli principi permissa; ab eo superior curia instituta, penes quam summa esset jurisdictio in causis tam civilibus quam criminalibus, siquidem ipsum principem repræsentaret. Hi primum indigenæ fuere, mox ex peregrinis & indigenis mixti. Primi ab Alberto Saxone dati, numero XI, Frisii omnes, sed præses additus peregrinus, quod & postea servatum. Numerus Senatorum variavit, licet raro minor fuerit illo priore. Sedes primum Franekera, mox Leowardia fuit. Senatui additus Gubernator, genere aut rebus gestis illustris: Eique sub Saxonibus additi VI-viri Rectores, partim indigenæ, partim exteri, cum Proprincipe Reip. consulturi, sed sine juris dicundi potestate. Rectorum munus sub Burgundis desiit, ad Senatum translatum. Ad hæc Grietmanni tota regione ab ipso Principe, aut illo absente à Gubernatore & Senatu electi, in tempus primo incertum, sub Burgundis in triennium, licet fere munus ipsis ad vitam prorogaretur. atque hi raro alii quam indigenæ fuerunt, sive nobiles sive plebeji. Patrium vero jus, maximam partem cum jure Romano à Georgio Saxone Alberti F. (quod ex pacto illi licebat) mutatum anno CIↃ IↃ IV. Qui postquam Dux Gelriæ Groningam occupasset, anno CIↃ IↃ XV, ad eam necessitatem fuit redactus, ut Carolo Hispaniarum R. & Burgundiæ Principi jus suum cedere cogeretur. Hic titulo potestatis, quo Saxones usi fuerant, non contentus, hæreditarius Dominus & Gubernator Frisiæ dici voluit, ac jus imperii Frisici cum jure Comitatus Hollandiæ copulavit. Cæterum haud iniqua populi sub ipso & primis filii annis conditio fuit, cautum enim denuo, ne quis extra patriæ suæ

fines,

fines, judicii causa, evocaretur; neu de quoquam ex nobilitate aut ordine honestiore criminis alicujus reo, nisi præsentibus Ordinum delectis, aut nisi evidens ac notorium facinus esset, judicium fieret, sententiaque adversa ferretur: ultra constitutum modum populus tributum ne poscereturaut vectigalibus oneraretur.

*Regimen provinciæ post resumtam libertatem.*

PRehensis armis ad depellendum impotentem Hispani dominatum, resumtaque pristina libertate, summa potestas reip. penes populum erat. Populus Ordinibus suis censebatur. Ordines cum res poscebat ad comitia vocabantur, Comitiorum locus Leovardia erat. Sed laxa & solutiora primo erant omnia; multi ad comitia accedebant qui Hispano occulte favebant. Quapropter, suadente Auraico, consensu plurium lex in comitiis lata est de collegio novo instituendo, (quod Deputatorum vocant,) quod veluti caput esset Reip. liberæ, & id quod in libertate soluta diffluebat, quasi constringeret: eique collegio poscente re ex comitiorum scito perampla potestas concessa in eum finem, ut in omnibus subitis & arcanis adiri & consuli & cum Gubernatore Remp. gerere & in medium consulere posset. Id actum anno CIↃIↃLXXVI. Sed erat id initio rude, nec ea forma qua postea fuit: de quo collegio novo & comitiis contentio extitit inter agrarios & oppidanos. Nam quemadmodum agrarii Ordines tribus tantum membris, secundum tres provinciæ partes, provinciam censeri volebant, oppida vero illis partibus, in quibus sita erant, accenseri; sic oppidani ab anno CIↃIↃLXXVII post Gandavensem conventionem, Auraici gratia & studio in numerum membrorum provinciæ admissi, ut quaterna jam membra pro ternis putarentur, mox antistitibus è republica disjunctis, semissem suffragiorum & juris regenda reip. ad se trahere nitebantur. Acta est res magna contentione, quæ eum finem non inveniret & periculum provinciæ minaretur, intercessit Princeps Auraicus, eoque abipso res deducta est, ut partes in subeundam judicii aleam consentirent. Placuitque ut causa tota apud Senatores summæ curiæ in patria quam brevissime disceptaretur: dein acta ad ipsum Principem & quatuor Iurisconsultos, ei adjunctos, mitterentur; ab his ex actis sententia ferretur. Hi actis acceptis, tentata denuo, sed frustra, inter partes amica compositione, quum deprehendissent, hujusmodi defectu acta utrimque laborare, ut super iis recte ferri decisiva sententia non posset, nossentque in mora longiore periculum esse, tulerunt sic, Vt, interea dum processus plenius posset instrui, &

controversia

*contraversia definiri*, Ostergoi binos, Westergoi binos, Sylvestres binos ex sui medio intra vertentem mensem ederent, alterum è nobilitate, ex plebe honestiore alterum; his vero oppidani ex ordine suo intra idem tempus adderent ternos, omnes religioni reformatæ addictos, viros idoneos, libertatis & patria amantes; qui IX numero Collegium Deputatorum conficerent, & reip. pariter consulerent: si qua pars in hac re sibi deesset, id est, ante exitum mensis suos non ederet, tum Principi Gubernatori jus esset, ex medio partis istius eosdem designare: Ethæc valerent ad tempus dictum. *Pronuntiatum hoc Delfis in Hollandia, præsentibus partium legatis*, anno CIↃ IↃ LXXXIV, *die* XVI *februarii. Sic potestatis publicæ triens hac in parte oppidanis tribuitur, egregio temperamento, reique publicæ cumprimis salutari, ex ingenio sapientissimi Principis profecto, qui post hanc sententiam latam totum semestre non superfuit: id quod sententiæ robur addidisse, ob sanctissimi latoris memoriam & gratiam, quam post se reliquit, videtur. Nam ab eo tempore nihil in re mutatum,* IX-*viris hisce munus est annuum, sed quod non raro in plures annos ipsis prorogatur: prorogatio hæc aut electio peragitur in publicis comitiis, quæ mense martio, interdum & januar. aut febr. celebrantur. Collegii munus & potestas è lege in comitiis Franekeræ eodem anno lata intelligi potest: quæ ita se habet:*

*Collegæ sive soli, sive cum Aurantio Principe Gubernatore, ejusve vices gerente Guilielmo Ludovico Nassoviæ Comite, operam dent, ut jura provinciæ omnia, privilegia, pacta, statuta, transactiones, libertas, & quicquid hujusmodi, sine vitio conserventur: si qua jam contra commissa, sine mora corrigantur: in qua nec personæ, nec gratiæ rationem ullam habeant, aut cum quoquam conniveant, curæ ipsis sint omnia, quæ ad sartam tectam tenendam promovendamq; salutem ac libertatem publicam pertinere putabunt. in omnibus & de omnibus his pro re nata deliberent, in medium consulant, sententias dicant, concludant; exceptis iis, quæ jurisdictionis sunt; quæ cognitioni & definitioni Curiæ supremæ & Gubernatoris, ejusve locum tenentis, aut tribunalium inferiorum relinquentur, sive civilia sunt, sive criminalia; cujus jurisdictionis cursum morari, aut turbare, aut quoquomodo ei se interponere collegio fas non sit; imo hoc agant collegæ, ut cursum istum promoveant, quo judicata executioni mandentur; deinde toti in eo sint, ut collapsa disciplina militaris statim emendetur & restituatur in integrum ex formula à Principe Aurantio*

tio & Ordinibus generalibus non ita nuper promulgata, ut inidonei ordinum militarium præfecti loco moveantur, idonei ſurrogentur; contumaces, & injuſſu ſuo ad ordines promotos ſtipendiis excludant; curam gerant, ut ſtipendiis autorati re ipſa militent pro Rep. ac in armis ſint quocunque loco ac tempore id facere à Principis legato & collegio jubebuntur; denique cætera agant, curent, quæ cum his ſint connexa. Collegæ mortuo faciant, ut in ejus locum alius eo modo, quo ante eſt dictum, ſurrogeretur. Si qua res ſe offerat, quæ gravior ſit, quam ut audeant ſine conſilio & conſenſu plurium in ea agere, ex ſingulis territoriis aut civitatibus delectos cum poteſtate ſingulos aut binos evocent, nec ante evocatos demittant, quam de cauſa illa eadem certi aliquid erit conſtitutum. De cooptatione Principis aut Domini alicujus, aut de augendis tributis, poſcente re ſi forte agendum, nihil agant niſi indictis & coactis plenis comitiis; & ſi nihil tale acciderit, tamen teneantur quotannis vergente menſe Februar. aut ſurgente Martio comitia hujuſmodi indicere: quod ſi facere neglexerint, pro irrito habeatur, quicquid ab eo tempore egerint, niſi contrarium vis & periculum ab hoſte forſan ſuaſerit. Poteſtatem habeant decernendi, mandatis & pecunia inſtruendi; mittendi, quocunque res tulerit, legatos Ordinum nomine, qui non ſint ex ipſorum numero: Ne quid majoris momenti occipiant aut agant, niſi præſentibus ſaltem collegis ſex: nec pecuniam cuiquam adſignent majorem aureis communibus L, niſi totidem collegis conſentientibus & ſubſcribentibus; curentque in his rebus eadem, quæ rationum magiſtri prius curare ſolent: rationum indices & commentarios conficiant, & expeditos habeant per ſcribas ſuos exhibendos iis, qui rationibus auſcultandis & examinandis delegentur: ſtipendium ex ærario in capita capiant aureos D quotannis, (hoc ſtipendium poſtea eſt auctum, (nec quicquam à quoquam exigant amplius: collegæ in munere manebunt, quoad alii erunt ſurrogati: concuſſis injuria militari, & querentibus, auxilium ferant: res omnes ærarii reip. ac reliquas rerum monaſticarum procurent & adminiſtrent cum fide: per procuratorem generalem in ærarium redigant bona omnia ac reditus hoſtium patriæ, & eorum qui iis adhærent, nec hic cum quoquam conniveant: commendatam ſibi habeant curam aggerum, clauſtrorum, coërcendis aquis, aquæductuum, rivorum, canalium, & quæ ejus generis ſunt: imprimis teneantur religionem reformatam ſecundum formam præſentem ſartam tectam conſervare, tutari, continuare ſine ulla mutatione; inſpectionem habere ordinis politici per totum agrum, & eorum omnium qui remp. gerunt aut ejus miniſtri ſunt; operam dare, ut

in poſte-

in posterum præfecti territoriorum Grietmanni rite & ex more à suis nominati designentur, & per tabulas in possessionem muneris mittantur: neminem in momentaneam administrationem muneris Grietmannici vacantis admittant, aut immittant, sed proximi territorii præfecto locum vacantem ad tempus curandum commendent, quoad præfectus novus rite fuerit constitutus; cui constituendo tempus legitimum circumscriptum diebus XLII: idemque observent de eo, qui præfecto est à secretis. Huic vero rei toti collegæ oppidani se non misceant, sed eam solis agrariis cum legato gubernatoris relinquant. Inprimis vero etiam collegium oculos conjectos habeat in vitia Grietmannorum & reliquorum officiariorum, eaque panis corripiat, atque etiam delinquentes, si res poscat, exautoret, excluso omni gratiæ respectu, aliosque in exautoratorum locum secundum morem & leges sufficiat: cogat Grietmannos territoriorum præfectos, scribas, adsessores, rationes exigere bonorum sacerdotalium, & aliorum piis usibus destinatorum, sine operæ pretio aut mercede: vetet graviter, ne quisquam omnino res raptas aut furtivas in provinciæ finibus emat, vendat, in usum suum vertat, exportet, aut, si quis contra faciat, det operam, ut is graves panas luat: collegæ ipsi assidui sint præsentia sua in collegio; ut gravissimas absentiæ causas afferant; hoc modo absens alium, collegio probatum, sibi substituat: rationes expensarum pecuniarum Ordinibus aut eorum delectis accuratas reddant. In lege posterioribus temporibus quadam addita aut mutata pro temporum ratione. Caput vero de religione conservanda multo prolixius & diligentius sancitum. Iussi enim Deputati collegæ avertere omnem in religione mutationem, & curam salutis ecclesiæ habere, ut constent sibi synodi classes, ordo ministrorum docentium in ecclesia, seniorum, diaconorum, qui pauperibus præsunt, & cæterorum his similium.

Habet collegium à Secretis virum gravem & eruditum, & authoritate non parum valentem, ob munus, quod gerit, perpetuum. Collegio additi sunt Quæstores duo, duobus ærariis præfecti; quorum unus tractat omnem pecuniam provinciæ ex vectigalibus, tributis, censibus provenientem: alter ærario censuum ecclesiasticorum præest. Est & camera rationum, præsunt IV-viri, in annos singulos suffragiis Ordinum delecti. quorum munus est, assignationes, quas quisque à collegio Deputatorum impetravit examinare, & vel probare vel reprobare; & auscultandis rationibus Quæstorum & aliorum, qui publicam pecuniam tractant, præesse. His & Scriba à Secretis est, qui acta conficit.

## *Status preſentis Reipublicæ.*

*Summa rerum totius provinciæ hodie eſt penes delectos trium Ordinum in comitiis congregatos, in quibus populum univerſum ii repræſentant, ejuſque poteſtatem gerunt. Tres Ordines dico, nobilitatem, plebejos in agro prædiorum ruſticorum ſuorum dominos, oppidanos. Functio delectorum & poteſtas annua tantum eſt, niſi quibus eadem ſuffragiis ſuorum prorogatur. Deſignantur quotannis hic* IX-*viri Deputati, qui collegium conficiunt. Qui ad natalem Chriſti ſeneſcente menſe Decembri, velut ſoluto ad tempus collegio, in diverſa fere diſcedunt. Quod priuſquam faciant, per literas denunciant omnibus præfecturis per totum agrum, & omnibus civitatibus, ut in tempore delectos deſignent, qui comitia obeant, & poteſtatem iſtam gerant in annum proximum. Præfecti in agro literis acceptis mox à nonis Ianuarii vicatim hujus rei cauſa conventus indicunt: conveniuntque ſeparatim ſingulæ præfecturarum paræciæ, conventuumque illorum participes ſunt nobiles, ignobiles, fundos ſuos poſſidentes & colentes, aut exercentes colenteſque alienos pecunia conductos, eccleſiarum quoque miniſtri: tantum plebs infima & mercenaria, & opificum turba excluditur. Ita in ſingulis paræciis paræcorum ſuffragiis ex ipſorummet numero eliguntur duo, & fere ii, quos vult præfectus, cujus gratia potens eſt. Atque hi electi poſtridie, aut tempore præfixo, omnes ex omnibus paræciis in vicum totius præfecturæ præcipuum, in quo præfectus ex more priſco jus litigantibus dicit, coëunt, & præſidi præfecto ex omni numero eorum, qui in ea præfectura prædiorum domini ſunt, per ſuffragia duos deſignant ad comitia ituros, quos* Volmachtos *voce patria, id eſt,* πληρεδυνάμους *appellant: appellant vero ſic, quia ſingulæ præfecturæ, & ſingulæ civitates (nam civitatum hic par eſt ratio) plenam poteſtatem faciunt iis, & jus in eos conferunt agendi ſtatuendique in comitiis, quæ communiter illic agi ac ſtatui ſolent. Hos duumviros delectos voco. Et raro accidit, ut non ex his alter ſit ipſe præfectus Grietmannus, ſuffragiorum moderator, atque arbiter, alter etiam gratiæ obnoxius, ac à nutu ejus pene pendens, niſi, qui regnum in rep. tota tenet, ambitus ambitum retundat, ac jugulet. Atqui lex jubet, ne quiſquam Volmachtus eligatur, niſi qui reformatæ religionis in eccleſiis hic publice receptæ ſocium, ac ſimul Hiſpanicæ factionis hoſtem ſe profiteatur, quique in munere non ſit, ob quod ſtipendium capiat à Rep. univerſa. Eademque lex apud opidanos quoque valet: apud quos compen-*

compendiosior est electionis hujus ratio. Nam Senatus in quolibet oppido eodem illo tempore ex se edit unum, & collegium juratum tribunitia potestate præditum adjicit alterum, in quos eadem illa potestas cum eodem nomine à tota civitate confertur. Et sic quidem regulariter ac ut plurimum. Qua ratione viri LXXX, LVIII nimirum ex agrariis, XXII ex opidanis, comitia conficiunt totiusque Reip. jus in manibus suis habent. Verum fit nonnunquam, ut civitas aut præfectura una pluresve delectos designent tres aut quatuor, aut etiam unum tantum. Interdum quoque civitas aliqua ex minorum numero, ut sumtibus parcat, delectis alterius civitatis majoris, aut cujus omnino vult, mandata potestatemque agendi dat pro sese: atque ita numerus ille augetur, minuiturve. Quod cum fit, hoc tamen tenetur perpetuo & sine variatione, ut suffragiorum rationi propterea ne hilum quidem accedat, decedatve. Nam ut unius civitatis in Ordine suo, ita unius præfecturæ in classe sua unum est suffragium, sive à duobus feratur delectis, sive à pluribus, sive ab uno. Sed ut facilior ratio sit, confusioque vitetur, hoc tenetur ut plurimum, quod ante dixi. Comitia etsi lege certam sedem non habeant, tamen ob loci commoditatem raro alibi quam Leovardiæ etiam nunc, uti olim sub Principibus & ante Principes, aguntur. Aguntur autem quoties res aliqua postulat: sed anniversaria ac stata quotannis semel mense Februario aut Martio, & ea plerunque ob negotiorum multitudinem diuturniora. Nam in iis Ordinum Deputati IX-viri, quos collegium proprie vocant, quotannis eliguntur; item IV-viri rationum censores, & qui in collegio Ordinum generalium sedent Hagæ, quique in Ordinum eorumdem senatu, & in rationum camera, quæ Hagæ est omnibus provinciis sociis communis, & in collegiis rerum maritimarum. In his ut plurimum, si quis locus vacet in summa Curia, aut Senatu provinciali, si quis, qui collegio IX-virum, aut Senatui eidem provinciali, aut IV-viris rationum censoribus, aut præfectis rerum maritimarum à secretis fuit, decesserit, si quæstore novo fuerit opus, surrogantur qui in munus locumque succedunt. In iisdem detributis, vectigalibus, portoriis si quid novandum, augendū, minuendum, mutandum, plerumque disceptatur ac decernitur: libelli supplices eorum, qui aliquid à provincia petunt, cujusmodi sunt pene infinita, examinantur, precesq; vel admittuntur, vel rejiciuntur. Et hæc pleraq; aguntur summa contentione, maxime eaquæ ad honores & fructuosa munera mandanda pertinent, in quibus ambitus, supra quam credi potest, dominatur, & varios ludos facit. Comitia coëunt vocante Gubernatore, & collegio IX-virum. Gubernator si adsit, aut solo collegio, si idem ille absit: penes hos

*hos enim id jus eſt, nec penes ullos alios: quæ ſi extraordinaria ſunt, ut hodie uſus habet, vocantes in literis, per quas comitia indicunt, præcipua rerum agendarum capita edunt, ut Volmachti eo rectius poteſtate & mandatis inſtrui neceſſariis poſſint, ubi coiêre, & ſimul ex omni populo admiſſis viris honeſtis cujuſvis ordinis, quibus audiendi ſtudium eſt, præmiſſiſque ad* DEVM *precibus, præeunte verbis eccleſiaſte, tunc nomine gubernatoris collegiique, quæ agenda ſunt, proponuntur; additurque ut plurimum oratio brevis, qua graviter fere monentur omnes, ad quos id pertinet, ut poſt poſitis affectibus comparent animos ſuos ad bene conſulendum Reip.* Tum mandati & poteſtatis literæ expenduntur. *His expeditis, ea quæ viva voce paulo ante in conventu omnium propoſita fuere, ut certius agi poſſit, quaternis exemplis deſcripta delectis traduntur. Simul ipſi quadripartito diviſi in quatuor conclavia ſecedunt deliberandi cauſa, Oſtergoi, Weſtergoi, Sylveſtres, oppidani: deſignantque hi ex ordine ſuo tres, cæteri binos, in collegio* IX-*virum per annum ſeſſuros. Eodemque modo agunt in edendis iis, qui tum in collegio* IIII-*virum examinandis rationibus, tum in altero virorum totidem regundis rebus maritimis, quod Doccumi eſt, ſunt futuri, eduntque hic ſingula conclavia ſingulos. Quod ſi mutandum nihil videatur utroque aut alterutro in collegio, prorogant iis, qui tempus explerunt, munus idem, aut mutatis quibuſdam alios in munere relinquunt. At in cæteris deſignandis, qui in numero* IX-*virorum &* IV-*virorum non ſunt, alia tenetur ratio. Nam plurium competitorum nominibus propoſitis, in ſingulis primum conclavibus certatur ſuffragiis: deinde conclavibus ſingulis ad conſenſionem qualemcunque redactis, ſi diverſa conclavia varient inter ſe, tantiſper contenditur, conclavibus junctis, donec conſenſus ineatur. Nec aliter fit, cum de tributis, de legibus, de aliis Reip. partibus, de pace, de bello, de belli rationibus agitur. Habeturque his id ratum non quod plurium electorum ſuffragiis, ſi electos numero cenſeas, ſed quod conſenſu plurium conclavium probatur. Cujuſlibet vero conclavis hæc ſententia eſſe cenſetur, in quam plures in eo delecti pluresve præfecturæ aut civitates deſcendunt. Nam ut in univerſorum electorum conventu & actione, cum conclavia juncta ſunt, tot tantum ſuffragia numerantur, quod ſunt conclavia, eaque jure & poteſtate inter ſe paria, ita in conclavibus ſeparatis ex numero civitatum aut præfecturarum ſuffragiorum numerus æſtimatur.*

De

## *De ſummo provinciæ judicio.*

EPriore Republica quæ ſub Principibus fuit, reliquus in popularí libertate manſit ſummus Senatus, & juri dicundo præfectus, cum poteſtate ampliſſima & maxima. Primi Senatores ab Alberto Saxone datí fuerunt numero XI, Friſii omnes; & hic additus præſes Phlugius, cancellarius peregrinus. Dein, offenſa enata inter principem & populum ob arma commota, indigenæ & peregrini pari fere numero fuerunt, nonnumquam vero & hi majore quam illi, uti Principi placebat. Tandem à Carolo V hac de re lex ſcripta, ne pauciores utique quam quatuor indigenæ in hoc Senatu eſſent, quanquam pluribus eſſe liceret, quemadmodum & plures ut plurimum fuerunt. Munus eorum fere perpetuum, niſi ſecus videretur Principi; à cujus voluntate totum hoc pendebat. Et primis temporibus ſub Saxone Principe ex lege quater tantum quotannis forum agebant per dies continuos XIV, foroque locus erat conſtitutus Franekera, ubi Princeps ſedem aulæ collocaverat; deinde Leowardiæ, extructa illic curia inprimis magnificа; & cum temporis lapſu fori actio, exceptis feriis, facta perpetua. Reſumta libertate, quum ii, qui beneficio Regis Hiſpaniarum honorem adepti erant, ad regem reſpectarent, ejuſque partes palam vel foverent, quod periculoſiſſimum præſenti ſtatui videtur, omnes ſimul abdicati fuerunt, tam indigenæ, quam exteri, quorum princeps erat Igramus Achlumæus, Senatus præſes. Quod factum anno CIↃ IↃ LXXVIII, menſe Martio. Hus alii ſuffragiis Ordinum in comitiis ſurrogati anno proximo, quibus præſes datus Heſſelus Ayſma, ex indigenis magni nominis juriſconſultus. Sed & horum tres, Sucquetus, Axonius, Grammajus, factionum ſtudio anno CIↃ IↃ LXXX loco cedentes, aliis eum vacuum reliquere. Paulo poſt ſenatui huic contentio nata eſt cum Deputatorum collegio de muneris & poteſtatis finibus. Senatus enim cenſebat, ſuum eſſe cum gubernatore Reip. conſulere, & de omnibus quæ iſtuc pertinerent, cum eodem ſtatuere, reſpiciens ſicet ad tempora ſuperiora ſub Principibus acta: collegii curam fuiſſe, exorbitationes à jure publico, ſive à majoribus accepto, ſive federibus & pactis acquiſito, notare, earum emendationem poſcere: in hoc operam ſuam conſumpſiſſe; cætera ſenatui cum gubernatore eſſe relicta. Contra Deputati; aliam tum rerum faciem, alium ſtatum fuiſſe: nunc orbitam Reip. converſam, aliumque multis ejus partibus ordinem datum. Atque hac contentione in ſtudia diverſa populi ordines rapiebantur: agrariorum major pars cum

collegio Deputatorum, oppidani fere omnes cum Senatu faciebant. Nec ante liti huic finis fuit, quam novus gubernator Guilielmus Ludovicus Comes Nassovius in Frisiam venit. Is potestatis & mandati literis à generalibus Ordinibus, uti mos in fœdere sociorum habet, instructus, quarum argumento fines munerum Senatus & collegii erant descripti, hoc assecutus est autoritate & studio suo, ut Senatus potestate amplissima dicendi juris contentus civilia cætera pleraque cum armorum negotiis collegio Deputatorum curanda relinqueret. exceptum jus constituendi Senatum in oppidis Frisiæ. quot ut à Senatu ad collegium transferri paterentur oppidani, nullo modo persuaderi potuere. Senatui eadem potestas in jure dicundo, quæ fuit sub Principibus. Præsidem habuit perpetuum primis annis Hesselum Aysma usque ad tempora Leicestriana: quibus cum is factioni Leicestrianæ bono publico periculosæ improvido pietatis studioso misceret, honore exutus est. Nec ab eo tempore quisquam locum illum rursum obtinuit, sive quod perpetua potestas hujusmodi libertati gravis videatur, sive quod convenire Ordines suffragiis in unum non possint. Præsidis vero vicem gerit is, qui ex omni numero Senatorum, (sunt autem XII, suffragiis Ordinum in comitiis lecti) in dignitate Senatoria tempore primus est, sive respectu generis aut honoris cujusquam jurisve alterius. Estque hoc in Senatu legitimum, ut quo quis prius aut posterius Senatui sit adscriptus, eo priorem posterioremve locum in itu, concessu, dicenda sententia teneat. Tanta quippe Senatoria hæc dignitas censetur, ut reliquos honorum gradus splendore suo quasi obliteret. Id vero in more etiam positum est, profectum ab instituto temporum Burgundicorum, ut qui Quæstor in comitiis creatur colligendis & in usum Reip. erogandis censibus iis, qui Principis quondam fuere, per quem stipendia solvuntur Senatoribus his, & Senatus ministris, cunctisque adeo qui cum Senatu cohærent, is, inquam, Quæstor, sive in Senatorum numero jam ante sit, sive non sit, jus habeat ingrediundi in Senatum quando vult, aut cum negotia Quæsturæ id permittunt, poscuntve, ac omnino inter Senatores censeatur: quanquam idem nunc raro, cum ferendæ sententiæ sint, præsens in Senatu adsit. sententiam autem ipse dicit nunquam, non in civilibus causis, non in criminalibus. Habet Senatus, ut habere solet, summum scribam cancellarii instar, actorum chartarumque publicarum custodem, doctrinæ titulo insignem: & alterum prioris vices plerumque gerentem, quem Secretarium vulgus vocat: utrumque ab ordinibus populi in comitiis designatum. Et hi opera scribarum aliorum, quorum certus numerus est, & quasi collegium

gium constituunt, ut untur. Et quia Reip. quam maxime interest in sontes criminum reos animadverti, est in Provincia hac Procurator generalis, jam olim sub Principibus institutus, cujus perampla quoque est dignitas, & magna cum Senatu provinciali conjunctio. Nam sæpe in rebus gravibus à Senatu vocatur in curiam, & in consilium adhibetur, nec unquam nisi è prudentissimis ac doctrina præstantissimis eligitur in populi comitiis. Ejus partes præcipue sunt, criminum reos accusare quam acerrime apud Senatum; dare operam, ne quis impune in leges peccet, aut jus publicum violet, majestatemve populi lædat; denique ea omnia curare, qui alibi advocati Fisci curæ sunt commissa. Ne vero reis defendendi sui copia desit, institutum est, ut ex advocatorum omnium turba, qui plurimi istic causarum omnis generis patroni, & procuratores doctrinæ titulo insigniti, VIII, ut quique in albo curiæ huic ordini ante alios adscripti sunt, stipendia a Rep. capiant singuli daleros XXV: liceatque cuilibet criminis reo ex his eligere unum, cui patrocinium suum cum fide sustinendum commendet: nec fas sit, electum id ipsum ei denegare etiam facinorosissimo & egentissimo. Et si reus locuples, aut fortunæ lautioris sit, permittitur ei ut binos aut ternos ex eorumdem numero edat, a quibus defendi velit, sed operæ pretio promisso. Sed habet quoque & carceris publici potestatem idem Procurator generalis, & paratum ad obsequia commentariensem: qui pro ut iste jubet, ita captivos arctius laxiusve in vinculis habet, iisque aut compedes injicit aut demit. Ejusdemque mandatis paret accensus manui lictorum præfectus, qui exequendis Senatus decretis in criminum graviorum reos semper velut in procinctu est; quem accensum vulgo substitutum vocant. Is aut à Senatu, aut a solo Procuratore jussus ex quovis universæ regionis loco per lictores istos criminum majorum reos abripit in carcerem, qui Leovardiæ est, commentariensique tradit. Nec omnino licet Grietmannis aut oppidanis Magistratibus refragari, sive reos ipsi in vinculis jam habeant, sive non habeant: coguntur que ex lege, si forte rei fuga evaserint, eorum nomina cum designatione patrati criminis & testimoniis istuc pertinentibus ad Procuratorem generalem mittere. Quæ ille accepta in album sontium refert, monumentum durantis reatus.]

Sed describamus jam singillatim opida nobis enumerata, & primo quidem mediterranea, inito facto à Leovardia, unde ad maritima porro progrediemur.

# LEOVARDIA.

LEOVARDIA distat Doccomio præterpropter duabus leucis, urbs magna ornata, & arce egregia, eademque Comitatuum Oſtergoa, Weſtergoa, & Septemſylvanæ caput: ubi judicum conſeſſus & Cancellaria Friſiæ totius eſt neque ab illo datur ulterior provocatio. Leovardia natus fuit Georgius Ratallerus, Conſiliarius regius in Senatu Mechlinienſi, Iuriſconſultus & vates egregius. qui ob inſignes virtutes & in rebus agendis præſtantiam poſtea fuit creatus Præſes Vltrajectinus, clariſſimus ſane & utriuſque linguæ doctiſſimus vir. quod abunde teſtantur pulcherrima ejus ſcripta, typis jampridem excuſa.

ADDIT. [*Leovardia civitatum in hac Friſia parte maxima hodie ditiſſima frequentiſſimaque. Putatur civitatis nomen & formam induiſſe anno circiter* 1191, *cujus etymon quidam dicunt à Leovardo celebri olim ad Middelzaam Oſtergoæ & Weſtergoæ divergium, ſtabulario, & hoſpites ea tranſeuntes pretio accipere ſolito. Alii nomen derivant à veteri quadam arce, Friſiis dicta* Leewarden-Stints. *Verum perangusto mœnium ambitu; eo loco, ubi hodie paræcia eſt, cum fano, cui* Nyehove, *id eſt, novi horti aut aulæ, nomen eſt, medio civitatis, ſpatio, uti eajam habet, ab occaſu in ortum ſecundum boreum illius latus porrecto. Situm autem fuit loco editiori, cujuſmodi loca populari lingua* Weerdè *ſolent appellare. Mox duo vici contigui,* Oldehova & Hoca, *uterque cum ſuo fano, acceſſerunt, & mœnibus illius maxima ſui parte ſunt concluſi. Nec ſecus verſus meridiem multa oppido creſcenti ſenſim adjecta; ut jam non minus quam* MDC *paſſuum ambitus ejus intra foſſas contineat; complectens ſpatium frequenti domorum ſplendidarum & continuarum ſerie ſecundum varios vicos obſitum & oppletum, cum pluribus ſacris publiciſque ædibus egregiis, Caſtellum olim à Saxonibus illi impoſitum; ſed populo libertatem repetente, anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo funditus everſum. Duo habet templa in quibus ſacræ conciones habentur. Cæterum hodie urbs eſt ampla, elegans, opulenta, ſplendida, populoſa, ædificiis magnificatum publicis tum privatis; inprimis curia provinciali, domo Gubernatoris, virorum nobilium ædibus, illuſtris; templis egregiis & ſublimibus viſenda, hortis amœna, viis munda, fluentis & rivis varie ſecta; atque hinc navigiis mediocribus, ſcaphis, ac lintribus, omni ſui parte permeabilis*

LEEVW
1 t Raedhuis
2 Iacoppijnster-kēr
3 Gloister-kerck
4 Oudehoofster-kēr
5 nijehoofster-kerck
6 S. Catryne-kerck
7 D' Clarisse-kerck
8 t' landshuis
9 De nijetoorn
10 sta. Colegie
11 singenad hof
12 De munte
13 De Waegh
14 t' Weeshus

AERDEN.



*meabilis; eademque plurimis ponticulis latis & silice plurimum instar viarum stratis juncta: vallo terreo lato & alto, fossa lata & profunda, quæ vallum ambit, circumcincta; quinque insuper terreis propugnaculis, fossa itidem præcinctis, quatuor majoribus, uno minore, munita; quorum duo per collum prominens vallo connexa sunt, reliqua fossa perpetua circumflua, omnia formæ fere trigonæ. Portæ in ambitu tres, objecto totidem propugnaculorum tectæ. Suburbium urbi adhæret unicum, qua ab oriente venitur; ædificiis ac hortis frequens. Ager illius felicissimus ac uberrimus. E fluminibus, quæ urbem ingrediuntur, maximum est quod Doccumum fertur, duobus ingentibus mill. Germ. à Leowardia disjunctum; unde porro post aliud grande mill. in oceanum exit, navigiorum, quæ caravellæ vocantur, ad ipsam urbem patiens.]*

Leucæ plus minus spatio Leovardia distat amplissimus pagus Swinchemium, locus celebris naturalibus magni illius & jam pluries nobis laudati Viglii, cognomento Swichemi, viri equestri dignitate & juris utriusque scientia eximii, adeo ut paucos in Europa pares sibi habeat. Idē reliquarum insuper liberalium artium peritissimus, acri ingenio, & rara in dandis consiliis prudentia, denique omnium virtutum, & qui eas sectantur cultor summus ac fautor est, ut non immerito ad Præsidis dignitatem in utroque Regis consilo, Status nempe & Sanctioris, provectus sit. Postremo ne quid dicam de cæteris viri sacerdotiis, Divi Bavonis apud Gandenses Præpositus.

Doccomium est in ditione Ostergoënsi, & Groninga quidem non nisi quinque, Franekera vero octo majoribus leucis abjungitur.

ADDIT. [*Primum vicus, tandem oppidi formam induit. oppidum hodie elegans, vicis mundis; ædificiis non tam amplis & magnificis, quam nitidis & amœnis. Ambitus illius haud magnus (vix enim mille passus superat;) sed situ felix, quippe in agro divite, ad pascua non minus quam sementem idoneo, qui vicis & villis & magnificis nobilium ædibus obsitus est. Accedit flumen Ea, oppidum secans alveo lato & profundo & ingentium navium patiente; quod Leowardia veniens, & supra infraque oppidum pluribus amnibus ac rivis auctum, in æstuarium Lavicæ primum, dein in oceanum vasto se ore, (quod Sculbalgam vocant) inter insulas Amelandiam & Schiermonachum, ejicit. Vnde urbs commerciis opportuna. Curiam habet perelegantem, flumini proximam; & pontem ingentem eidem flumini impositum,*

*juxta curiam, longum pariter & latum, è lapide ſtructum, & ſilice ſtratum; qui cum proximis platearum partibus, quas flumen dirimit, fori rerum venalium vicem præſtat. Sæpius munita urbs, & rurſus munitionibus fuit nudata: denique bello hoc nupero, quod pro libertate contra Hiſpanos geſtum fuit, majoribus quam umquam operibus ab illuſtr. Ordinibus fœderatis eſt permunitum: vallo ingenti terreo, cum ſex haud parvæ molis propugnaculis, circumdatum, vallumque ipſum & propugnacula lata ac profunda foſſa foris cincta:* anno CIↃ IↃLXXXII. *Templum in oppido unicum, cœmeterio amœno ac ſpacioſo cinctum. Annona copia perpetua & magna, quam rivi, flumen, mare augent. Hoc vero huic oppido præcipuum eſt præ cæteris quod ſedem hic habeat collegium rebus maritimis præfectum, Tranſlavicanis & Ciſlavicanis commune; cujus poteſtas & curatio late patet, uti alibi dicetur: per hoc collegium Doccumum populo negotiis, fortuna indies creſcit.*]

Opidum ſane inſigne, ac vel eo nomine ſatis notum, quod ediderit Gemmam Friſium, Medicum Mathematicumque clariſſimum. qui poſt edita quædam ſcripta, locupletiſſimos ſuæ in utraque arte præſtantiæ teſtes, Lovanii, anno Chriſti 1555, relicto Cornelio filio, ejuſdem profeſſionis, deceſſit. Adſervatur hic magna cum cura manuſcriptus Euangeliorum codex, quo uſus eſt Divus Bonifacius, antea dictus Winfridus. qui poſt Divum Clementem acriter in hac terra promovit Catholicam fidem: martyrio tandem, una cum quinquaginta duobus ſodalibus, uti narrant, affectus, in ea Hollandiæ regione, quam nonnulli vocant Weſtfriſiam. ubi ſupereſſe adhuc memorantur parricidarum poſteri, qui omnes naſcantur caneſcenti in capite cirro inſignes.

## FRANEKERA.

FRANEKERA ſita eſt in ditione Weſtergoënſi, & Leovardia duarum leucarum intervallo abjuncta.

ADDIT. [*In ſolo ad arandum ſimul & paſcendum uberrimo lætiſſimoque, crebris & inſignibus vicis in ambitu urbis obſito, quorum quidam oppidorum ſpeciem referunt. Adſpicit ad ortum Leowardiam, ad occaſum Harlingam, ad meridiem Bolſwerdiam, ad euroauſtrum Snecam, nec procul hinc dextrorſum apparentem Ilſtam. E quibus maxime vicina ei eſt Harlinga.*

Tota

*Tota civitas parœcia una continetur, templumq; habet unũ structura magnifica & ampla, cum turri excelsa, in conum late spectabilem surgente. Nulla urbium Frisiæ amœnitate & elegantia cum hac potest contendere, quanquam magnitudine quadam eam vincant. Aër benignus & salubris. Vici omnes mundissimi tam hyeme quam æstate: rivis ut plurimum diremti longitudinem eorum percurrentibus & navigia ferentibus; qui pontibus strati. Domus civium pleraque nitidæ & pulchræ, nobilium amplæ & splendidæ. Vrbs spacio est oblonga, nec in circulum se sinuans, nec quadrilatera, sed mixtæ formæ; cincta fossa & vallo terreo. portas habet tres: canales magnos, per quos navigia urbem subeunt, quatuor. suburbium quoque haud temnendum, ab circio urbi adjacens, ad utramque fluenti ripam quod Harlingam ducit Academiam publicam accepit ann. 1585. mensam item publicam, juvenibus* LX *alendis; datusque œconomus, qui eam cibo, potu, rebusque cæteris quantum satis esset, instrueret quotidie ter, & à singulis qui ea uterentur, non amplius exigeret in annum quam aureos Carolinos* XLV, *reliquum caperet è publico.]*

Opidum profecto amplum ac lautum, & solennis. Nobilium hujus terræ secessus. privilegiis gaudet amplissimis, eo quod egregie sese tutata est olim, & obsidionem eorum, qui Duci Saxoniæ, Frisiæ per id tempus Dynastæ, rebellaverant, animose sustinuit. Dedit Franekera Ioannem Vlpium, hominem trium linguarum doctissimum, quod abunde testantur scripta pridem in lucem edita.

Bolsvardia distat Sneca unius, Leovardia trium leucarum itinere. opidum quidem mediocre, & unum è confœderatis Hansæ Teutonicæ.

ADDIT. [*Estque ex vetustissimis Frisiæ oppidis, in Westergoa situm, magno miliari German. à maris littore, loco paulum supra planiciem circumjacentem adsurgente; unde illi agnomen. Portum habet non incommodum, verum milliar. German. ab oppido disjunctum: recta in occasum juxta Maccumum viam celebrem & magnum, quem portum canalis Maccumanus in aggere ejus ora defossus & valvis compressus efficit, aquas in Flævum effundens; unde rivus navigabilis ad ipsum oppidum pertinet. Præter hunc portu quoque utitur Worcumano, à quo etiam rivus ad oppidum ducit. Horum portuum opportunitate res maritimas olim usurpavit, & per eas fortunam suam auxit: nunc eas vix attingit, commercio cum vicinis oppidis & agro contenta. Habet in ambitu circiter* II *pass.* M, *quantum*

*quis horæ dimidio inambulans obire poteſt: olim muro cincta, nunc vallo terreo & foſſa. Populoſa eſt, elegans & frequens, rivis perfluа, & inde navigiis minoribus pervia: curia illius vetuſta magis quam venuſta: Templum unum, ſed ſatis magnificum. Ager illius ad paſcua pariter & ſementem faciendam peridoneus & uber.*]

Sneca ſemileuca tantum ab Ilſta, Leovardia vero tribus leucis eſt abſita. opidum luculentum, & patria Ioachimi Hopperi, Iuris utriuſque Doctoris eximii, qui & varia, magna ſua cum laude, jam edidit ſcripta, & non prudentiam tantum, ſed & experientiam cum doctrina conjunxit. unde & Senator eſt in Conſilio Sanctiori, & in Hiſpaniam porro, dum hoc opus abſolverem, evocatus, ubi nunc apud Regiam Majeſtatem eodem habetur loco, quo ante ipſum Præſes Tiſnacus.

ADDIT. [*Hæc civitas antiquitate illuſtris, populo frequens, ædificiis pulchra, probe munita, annona dives, inprimis piſcibus lacuſtribus, quo omnes alias Friſiæ civitates ſuperat; piſcatui multum dedita, nec à mercatura ac opificiis ſellulariis abhorrens: ingenium etiam populi litteris & diſciplinis aptum; inde nec aſpernanda illic litteraria ſchola, Leowardiana, uti creditur, frequentia diſcentium & ſtipendiorum modo proxima. Vrbs ambitu non eſt magna: hodie muro intra foſſam cincta, cui vallum è terra intus additum. Diſtat à Bolſwerdia verſus orientem milliari Germ. uno, in eadem Weſtergoa ſita, in agro humili, aquis obnoxio & uliginoſo, rivis pluribus diviſo, ſed paſcuis læto, nec minus ſementi commodo; quem contra lacuſtrium aquarum illuviem aggeres hinc illinc protegunt. In eo lacus eſt ad orientem ab oppido remotus ſpacio dimidii mil. Germanici, longus circiter mille paſſus, latus quingentos; in ambitu complectens pluſquam duo mill. paſſ. & ultra eum in eandem plagam minores alii, ſtagnorum inſtar. omnes piſcium copia abundantes, qua non ſolum Sneca ſatiatur, ſed alia quoque oppida ubertim fruuntur. Major, Snecanus appellatur; ex quo rivus recta linea urbem influit, navigabilis, eamque perluens; &, ubi mœnia reliquit, Ilſtam vicinum oppidum adiens; eaque ſecta, uno brachio Bolſwerdiam petit, indeque Franekeram & Harlingam; altero in auſtrum decurrens, & plures vicos allapſus, poſt Woldeſendam vicum lacui Slotano infunditur, atque hinc Slotam defertur, atque inde in meridiem progreſſus, per canalem Taconis in ſinum auſtrinum exit. Ex eodem lacu Snecano & alter rivus latus & profundus in ortum æſtivum egreditur: qui bifariam diviſus, parte una Aelſumum magnum*

*magnum pagum ſtringens, in ſeptentr. longo tractu extenditur Leowardiam uſque; parte altera Acrumum attingens in Silveſtres abit, eoſque pererrat. Vnde commeandi commoditas Snecanis atque ipſis etiam Leowardianis in omnes plagas.*]

Iſta diſſidet Slota leucæ unius intervallo, neque muris, ſed foſſa dumtaxat eſt cincta.

ADDIT. [*Sita eſt in mediterraneis Weſtergoæ, Sneca proxima, à qua non toto ſemiſſe mill. Germ. abeſt verſus auſtroafricum; loco tamen ſicciore quam Sneca: porrecta in longitudinem, ſed latitudine pene nulla. Nam vici unius inſtar vaſta procurrit duplici domorum ſerie, quarum frontiſpicia ſibi ex adverſo reſpondent, mediocri intervallo. Id intervallum platea loco eſt ſilice ſtratum, arcuata forma modice ſe curvans; quod amnis amœnus, utroque in margine arboribus proceris ſeptus, Sneca veniens, à principio ad finem permeat, biſariamque diſpeſcit, jucunda ſpecie. Idemque amnis ubi oppidum reliquit, in varios rivos & lacus diffunditur, per quos expedita quaquaverſum navigandi copia eſt. Domus non inelegantes, quædam etiam magnifica; curia modica; templum unum. Oppidani rem ruſticam colunt, aut naupegi ſunt; unde maxima hic navigiorum copia ſtruitur, quanta vix in cæteris hujus provinciæ oppidis.*]

Slota vicina eſt lacui Flevi, & ad latus ejus auſtrale, Stauria ſeſquileucæ intercapedine diſſita.

ADDIT. [*Caput agri Geeſtani, qui ex Weſtergoa, cujus pars eſt, vergit in Silveſtres; opidum bene munitum, vallo, propugnaculis, foſſaque. Perluitur ingenti rivo navigabili, qui e lacu proximo, inter occaſum & ſeptentrionem poſito, & magnum milliar. Germanicum ambiente, (Slotanum vocant,) defluens, poſtquam oppidum reliquit, milliare medium emenſus, per canalem illum magnum Taconis exit in ſinum auſtrinum. Munitionum ambitus haud magnus, ac initium haud vetuſtum. Portas habet duas. Populus multus pro ſpacii modo: ædificia crebra, ſed fere modica; vici mundi; curia non temnenda; templum unum.*]

Sed pergamus deinceps ad urbes maritimas.

Harlinga adſidet littori maris occidui, leuca tantum ab Franekera. Harlinga. arcem habet prævalidam, & in ea præſidiarium militem: & oportunum admodum portum:

ADDIT. [*Nunc civitatum hujus provinciæ poſt Leowardiam maxima & populoſiſſima, ditiſſimaque: quondam viculus obſcurus in extremo littore Weſtergoæ ad occidentem juxta ipſius aggeres: crevit paulatim, & tandem jus civitatis accepit, etiam*

*quum muris cincta non eſſet; quando autem illis cingi cæperit, non ſatis conſtat. Oppidum ipſum ampliatum fuit ob hominum iſtuc confluentium copiam* anno CIↃ IↃ XLIII. *& nova item acceſſione auctum* anno CIↃ IↃ LXXIX, *conſilio & ſtudio Guil. Principis Auraici; ingens vallum terreum cum lata profundaque foſſa circumductum, & Almenum totum, olim vicus oppido vicinus, oppido comprehenſum. Nec hic res ſtetit; ſed creſcente populi frequentia,* anno CIↃ IↃ XCVII, *rurſus mœnia prolata; oppidumque in eam formam redactum, ut jam quarta ſui parte a mari alluatur; qua firmiſſimis operibus contra maris vim eſt munitum. Figuræ fere quadratæ eſt; ambitus Leovardiano paulo minor; vallo propugnacula octo vaſtæ molis ex terræ aggeſtu annexa. Solum circa oppidum humile & inundationi obnoxium, ſi aquarum clauſtra aperiantur: unde obſidio & oppugnatio difficilis. Ager & gramine latus, & frugum fœcundus, & pagis frequens. Portum habet amplum; denique emporium eſt peropportunum, licet naves majores, niſi parte oneris expoſita, ad urbem accedere non poſſint, ob vadoſum maris æſtuarium illi objacens. Vici oppidi elegantes, mundi, recti; plerique rivis navigabilibus interſecti: ædificia pulchra: portæ quinque: forum modicum: uti & curia: templum unum, loco ubi quondam Almenum fuit.*]

Worcomium eſt ad illudipſum occidui maris littus, Bolſvardia leuca circiter diſſitum.

ADDIT. [*Antiquis Woldercum dictum, in ora Harlingam ſequens, pluſquam duobus magnis milliaribus Germ. in meridiem ab ea remotum; ultra Maccumum uno: agro circum ubere ab omni plaga; ſed Flevo ab occaſu infeſto, maxime quum ſpirat vehemens favonius aut corus. Portum habet ad aggerem vicinum, ſed admodum exilem, objectu pulvinaris oræ appoſiti utcunque tectum: ob quem rebus quoque maritimis pro modo fortunæ incumbit. Portum ei efficit rivus è vicino lacu, qui Worcumanus dicitur, in quem plures rivi è vicinis lacubus confluunt; unde commeatus hinc inde facilis, & piſcium incredibilis copia: rivus autem ille ubi oppidum perluit, per canalem in aggere defoſſum in Flævi æſtuarium leniter influit. Oppidum hoc diu* ἄφρακτον *fuit, ac proinde prædonum injuriis expoſitum: interdum caſtellis preſſum aut defenſum, & Hortingiorum potentia, quorum res ibi magnæ olim; & arx circa templum, quod oppido unicum eſt.*]

Hindelopia ad idem eſt mare, & Worcomio ſeſquileuca tantum abjungitur.

ADDIT. [*Atque milliari non integro ſupra Staveram ad ſeptentrionalem locata; cum portu obſcuro, fortunæ tenuis, piſca-*

*tioni*

*tioni & navicularia, rusticaque rei plurimum dedita, à commerciis tamen non aliena: mœnibus carens.*]

Stauria sita est ad mare meridionale, & in faucibus lacus Flevi, adeoque extremo Frisiæ angulo, qui Hollandiam proxime adspicit, semileuca dumtaxat ab Hindelopia. Fuit antiquis temporis civitas admodum potens, populosa, & ampliſſimi territorii domina, cæteras Frisiæ urbes longe exuperans, ac videntur eam inhabitasse tunc temporis populi illi quos Plinius Sturios vocat. atenim crebræ inundationes aliaque maris incommoda gravissime eam non semel afflixerunt, & ad minorem redegerunt fortunam. etsi mediocre tamen hodiéque est opidum, & inter Hansæ Teutonicæ fœderata. ut & cęteræ quoque urbes maritimæ, hactenus nobis descriptæ, sunt plusquam mediocres, & prævalidis arcibus magna ex parte munitæ.

ADDIT. [*Existimatur hoc opidum omnium Frisiæ vetustissimum. quippe quod conditum asserant, anno, mundi quidem 3970 Christi autem, primo. etymon à Stavone derivant, veteri harum gentium Deo. Incolæ rei nauticæ plurimum dediti, omnium primi Zondam, Daniæ fretum, transmiserunt. quo nomine amplis jamolim privilegiis ab Dano donati sunt. Florentissimum fuit emporium usque ad annum Christi 1199, sed ex quo invalescere cœpit luxus, & ex luxu superbia, quæque alia comitari hunc solent peccata,*

*Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri*
*Stauria, & attrita vires, aversa Dei mens.*

*Præter hæc oppida sunt in Frisia pagi sive vici non pauci, opidorum æmuli, sive magnitudinem spectes, sive frequentiam atque commercia. Inter quos* Collumum *eminet, agri & præfecturæ Collumanæ caput in Oostergoa, haud procul à Laviæ æstuario, cum portu commodo; unde negotiationum illic copia non minor, quam in plerisque oppidis; ædificiis & plateis pulchris, sed ita in longitudinem porrectis, ut commode muniri non possit. Dein* Bolcumum, *præfecturæ Meinaldumanæ in Westergoa, pari fere intervallo à Leowardia & Franekera distans; Biltano agro proximum; structura, viarum directione & elegantia oppido similius multo quam vico; commerciis affluens.* Maccumum *in eadem Westergoa, ad oram inter Harlingam & Worcumum, præfecturæ Wonseranæ, Belcumo majus, & portu felix, & mercimoniis frequens.* Iowera, *in Westergoa, præfecturæ Hascheranæ, magnitudine in longum porrecta,*

*porrecta, cæteris vicis præcellens.* Herenvena, *paræcia Scotana, in Silvestrium regione, solo paluſtri, nuper adeonata è proventu bituminoſæ glebæ, quam in Hollandiam & varias partes exportant.* Wirdumum, *in Oſtergoa, Leowardiæ vicinum verſus meridiem, multis Nobilium arcibus inſigne, cum fano egregio duabus turribus conſpicuo.* Hallumum, *domiciliis prædiiſque nobilium frequens. Cæteros vicos referre longum eſſet.*

*Friſiæ huic objacent inſulæ duæ; Amelandia, tribus habitata vicis; & Sciermonicoga, Weſtergoæ & Oſtergoæ littora tegentes, nec* M D *aut* D C *paſſibus longius à littoribus remotæ quarum Amalandia Flevolandiæ magnitudine par, ſoli bonitate ſuperior: altera multo minor & ſemiſſem vix implens.*

## *De regimine oppidorum Friſiæ ſingulatim & primo Leowardiæ.*

*LEowardia olim libertatis tempore Senatum habuit virorum* XII *; quorum quatuor Conſules, duo Senatores, reliqui Scabini, dicebantur; quibus decimus tertius additus erat Oldermannus, Senatus princeps. horum media pars quotannis circa cal. Ian. munere abibat, & alii in locum ſurrogabantur. Præter hunc Senatum erat & collegium* XIII*-virorum, tribunicia pene poteſtatis; qui à Senatu allegebantur. horum munus erat in negociis gravioribus cum Senatu reipub. conſulere, interdum & actionibus illorum intercedere; plebem tributis, Remp. ære alieno prohibere; in eligendo Senatu operam ſuam civitati præſtare. Saxo autem, tantam libertatem periculoſam ratus, hoc more abrogato, juſſit Senatum exeunte anno totidem alios, quot erant ipſi, è civium numero, qui muneri gerendo pares eſſent, eligere, & horum nomina cum ſuis nominibus Proprincipi & Senatui, provinciali, ſi ipſe non adeſſet, offerre, qui ex omnibus iſtis* XII *electuri ſint, Conſules* IV, *Senatores* II, *& Scabinos* VI. *Oldermannum perpetuum ipſe addidit quem volebat. Sed hunc Carolus Burgundus denuo ſuſtulit. Sub hoc ergo & ſequentibus principibus è domo Burgundica & Auſtriaca ad Albani uſque tempora lex viguit, ut, ſi Senatus cal. Ian. in numero illo* XII, *è quibus in annum ſurgentem electio Senatus conſtituendi facienda, homines inidoneos, ederet, fas eſſet pro Proprincipi & ſummæ Curiæ iis rejectis alios ſubſtituere, ne qua fraus fieret pravis conſiliis Reipublicæ. Alterum quoque inſtitutum viguit, ut* XIII*-viri jurati tribunicia poteſtatis mox à cal. Ian. totidem ſibi aſciſcerent ex honeſtiorum civium ordine, maximeque ex iis qui Senatu tum deceſſerant, ut ex iſtis & ipſis aſciſcentibus*

ascisscentibus (numero XXVI) Senatui novo copia esset deligendi XIII qui tribunicia potestate eo anno Remp. curarent.

Excusso Hispaniarum regis jugo, & restituta pristina libertate, potestas constituendi quotannis senatus, penes Gubernatorem & Curiam summam mansit per aliquot annos, tam hic quam in aliis civitatibus. Sed cum libertate crescente ambitione, quum collegium IX-virorum jus suprema curia ad se trahere niteretur, curiaque jure suo decedere nollet, curiamque sequerentur civitates omnes, vehemens exarsit contentio. decem tamen civitates in annum CIↃ IↃ LXXXV. Gubernatori rem permiserunt, donec concordia iniretur. Sola Leowardia propositi pertinax, frovente curia, iis qui tum in Senatu erant, munus in annum prorogavit. Interim adjuncta sibi Franekera pervicit, ut pristinis moribus, quibus usa erat ante Saxonum imperium, vivere permitteretur; & in hanc rem diploma ab Ordinibus generalibus impetravit anno CIↃ IↃ LXXXVI. Moduſque præscriptus ejusmodi. Sunt in Senatu, uti ante quoque fuerant, Consules quatuor, Scabini sex, Senatores, quos ædiles etiam nuncupant, duo. Hi annum in munere versati, prid. calend. Ian. in curia oppidana congregati, nominant totidem alios è toto corpore civitatis. singuli singules, quos Senatorio loco dignos judicant, potissimum vero eos, qui prius eo munere functi fuerunt. Sed iidem mox singulorum judicium, judicio universorum subjiciunt; nec quemquam in nominatis habent, qui non suffragiis plurimorum fuerit probatus. Itaque si qui alios nominarunt, quos collegium respuit, ii ad nominandos alios transire coguntur, donec eos ediderint, quos collegium probet. Postquam consensere, mox totidem alios profunda nocte designant ex ordine meliorum civium, eosque sine mora in curia adesse jubent. Qui ubi venerunt, similiter exemplo alios ex eodem civium ordine sibi ascisscunt pari ratione; ut sint jam omnes numero XVIII. Ii porro per sortem ex sui medio, digresso jam Senatu, IX educunt; quibus conclavi inclusis potestas permittitur, ex iis quorum jam annus exit, & totidem paulo ante per eosdem nominatis, Consules IV, Scabinos VI, & Senatores II eligendi; nec ante è conclavi egredi conceditur quam res confecta fuerit. Et ut cuncta religiosius fiant, coguntur singuli jurejurando promittere. Nihil se gratia, nihil odio daturos, non munera accepturos, non cum aliis consilia communicaturos, sed secuturos dictamen conscientiæ suæ, & ad solam rempubl. respecturos, ac non nisi optimos & maxime idoneos suffragiis suis designaturos: Electi quoque jurant, se integre & cum fide ac diligentia munere suo defuncturos.

Verum

*Verum* anno CIↃ IↃCX *surgente, ipsis kalend. Ianuarii, quum non ita pridem simultas & factio contra Senatum in civitate esset orta, viliſsimi quique è plebe à factionis ducibus commoti, in curiam per vim evadentes, diffugiente Senatu, posthabito supradicto more, constitutionem novi Senatus sui arbitrii fecerunt: vehementiſsimis autem factionis illius flabellis in Senatum ascitis, urbs tota in partes abiit. & quanquam proxime secutis Ian. calendis atque aliquot deinceps annis, redintegratus in speciem sit legitimus mos; tamen ea arte actum, ut haud facile cuiquam, niſi qui earumdem partium esset, aditus ad curiam patuerit. Praterquam autem quod novi hi Senatores eadem & pejora facerent, quam ea ob quæ priores fuerant criminati, & asperius atque insolentius potestate sua abuterentur; plurimorum etiam animos penitus à se factione illa abalienarunt. Denique quum jam majora pericula instare viderentur, Gubernator aliique viri graves interceſſere, sed fruſtra. Postremo ne tota Reſpubl. detrimentum pateretur, in provincialibus comitiis anni* CIↃ IↃ C XV *decreto omnium Ordinum, Gubernatori, collegio* IX-*virorum & summæ curiæ mandatum, darent operam, ut partes ad concordiam reducerent, aut, si id minus succederet, quoquo modo diſsidium finirent, ne quid Reſpubl. ex eo detrimenti caperet. Hi, amica compoſitione per aliquot menses fruſtra tentata, tandem* V *Iulii decretum interpoſuerunt, ut, quiin Senatu, quique in concilio juratojam esſent, in eo manerent usque in kalend. Ianuar. proximas: tum decreti auctores Conſules, Scabinos, ædiles facerent, quos vellent, qui per annum* CIↃ IↃ C XVI *civitati præesſent; similique ratione nominarent in concilio jurato futuros: dein secuturis kal. Ianuar. & in omne tempus posterum talis ratio teneretur: Ne quis in Senatum aut in concilium juratum posthac cooptetur, aut etiam inter eos nominetur, ex quibus illi eligendi erunt, niſi qui cum Eccleſiæ doctrina in hac regione publice in templis sonante consentiat, atque hunc consensum suum aut sacræ Synaxeos usu aut juramento confirmet, quique poſſeſsiones immobiles in civitate aut civitatis territorio habeat, hoſtiſque sit Hiſpanorum aut factionis Hiſpanicæ, vitæ fideique integræ, & conſervandi ſtatus præſentis ſtudioſus. Vt Senatus, exacto anno muneris sui, prid. calend. Ian. ex melioribus civibus nominet* XII; *deinde ipſis calendis edat alios quatuor, qui non sint in concilio juratorum, nec in numero vicenorum arma in civitate curantium centurionum & vexilliferorum: moxque in curiam vocet ipsum concilium juratum* XIII-*virorum, ac vicenos armorum curatores, jubeatque tum hos tum illos ex ordine suo quaternos edere per sortem qui non*

*sint*

sint in numero XII eorum quos Senatus primum designavit: & si accidat forte in eos sortem cadere, ut denuo sors tentetur, aliique extra eum numerum designentur: hoc autem modo tum suffragiis Senatus, tum reliquorum sorte editi, ex civium honestiorum ordine asciscant sibi alios sex, ut fiant omnes XVIII; qui sortiti inter se rejectis novem, totidem reliquos designent constituendi Senatus potestatem habituros. Vt è Senatu quotannis decedant tres, consul nimirum unus, & ex cæteris duo: sed ne uterque sit ædilis: ut his decedentibus electore IV ex numero illo XII, quos Senatus initio hujus actionis nominavit, totidem sufficiat: ut decedentes è Senatu cooptentur in concilium XIII-virum, Senatusque reliqua ad id consilium pertinentia peragat ex more priore & pro conditione rerum præsentium. Electo nemo fiat, qui in munere aut fide speciali provinciæ, aut in quæstura civitatis aliave functione similis sit: ne, qui præcedente anno electo fuit, sequenti rursus electo designetur. Vt Senatus in eam formam juret quotannis qua fit in civitatibus reliquis: finiendis litibus eo modo sententias pronunciet, qui conformis sit ordini usitato in summa curia & aliis hujus provinciæ tribunalibus. Vt ἀμνησία cum initio novi Senatus promulgetur: contra quæ omnia si quis nitatur, aut se opponat, reus fiat turbatæ quietis publicæ. Triduo ante calend. Ian. anni CIↃ IↃC XVI, mutata nonnihil prima decreti parte, sic convenit, ut non omnes, qui in Senatu, quique in concilio jurato tum erant, muneribus cederent, sed ex semisse tantum, quos sors esset designatura: utque in eorum locum pro arbitrio suo decreti auctores darent alios. Idque calend. factum. Et quoniam Consules duo intra semestre fato concesserant, & superstitum alter sortito honorem relinquebat, præter Scabinos tres & ædilem unum, Consules etiam novi tres, qui olim honorem illum gesserant, ab iisdem decreti authoribus sunt suffecti. In reliquo decreto nihil mutatum; & pacata in civitate omnia.

Porro Senatus universus civitati præest: & singuli, quum decernendum aliquid, suffragiis sunt pares. Verum Consules dignitate & authoritate eminent, & per vices in singulos anni quadrantes toti collegio præsident; præsesque qui est, sigilli claviumque civitatis custos est; litteras publicas signat; portas omnesque in urbem aditus per præfectum vigilum claudi atque recludi curat; per eandem tesseram nocturnis vigilibus mittit: potestatem citandi, vocandi in jus, sontes prehendendi & in vincula dandi habet; ea quæ Senatus decernit, mandatve, per apparitores exequitur. Seabini quondã in subsellis versari potissimũ, & litigantibus operam dare solebant: quod tamẽ nunc aliter habet. Senatores qui & ædiles audiunt,

audiunt, ærarium curant, opera publica cura ſua complectuntur, quæſtorumque ἔφοροι ſunt. Senatus hodie tres Syndicos habet, I.V. Doctores: per quos Senatus lites civium graviores cognoſcit, dijudicat, ſententias format, ſed ſuo tamen nomine pronunciat. Ex horum numero unus plerumque eidem Senatui à ſecretis eſt & chartarum publicarum cuſtos, qui collegam habet honore & commodis minorem, & plures amanuenſes. Quæſtores civitas habet IV. Horum primus ærarii civilis curator & præfectus, cenſus civitatis omnes colligit, curat, conſervat, & ex voluntate Senatus & præcipue duorum ædilium erogat: & his atque conſulibus quotannis reddit rationem. creatur à Senatu, munuſque illius ſingulis annis deſinit, licet, ſi bene munere fungatur, in plurimos annos continuetur. Alter ab eodem Senatu editus, cenſus ſacros tractat, & miniſtris Eccleſiæ ſcholæque Rectori & magiſtris, &c. ſtipendia ex iis perſolvit. Tertius curam habet colligendi cenſus ex agris ſuburbanis Senatus juriſdictioni ſubjectis. Quarto publicani, conſumtionum urbanarum redemtores, numerant quod civitati debetur. Quam quæſturam qui adminiſtrat, ex more jam recepto ſummam pauperum curam commendatam habet, quam archidiaconiam dicunt, ex commodis nihil percipit.

Eſt & in civitate aliud collegium curæ armorum ac vigiliarum præpoſitum, in quo ſunt cohortium (quot ſunt in hac civitate) præfecti ſive centuriones & totidem vexilliferi: cujus collegii munus eſt, operam dare ne quis armorum aut vigiliarum ſit defectus, cæterum totum pendet ab authoritate Senatus. Hi centuriones & vexilliferi, quotannis poſt cal. Majas à Senatu è triplici numero à cohortibus edito deſignantur.

Franekeræ res ſe habet in hunc modum: Prid. cal. Ian. ſex Conſules conſulatu deceſſuri, ſex alios ex univerſo corpore civitatis nominant ſibique jungunt; dein totidem edunt præter hos, iiſque in curiam vocatis priorum illorum nomina aperiunt, atque ita è curia decedunt. Editi vero per ſuffragia continuo tres ſibi adjungunt, qui non ſint è numero XII illorum. Hi IX quatuor per ſortem rejiciunt: reliqui V conclavi incluſi, antequam liceat diſcedere, ſex Conſules eligunt. Conſules electi ſolitotum Senatum hic conficiunt, & remp. oppidanam adminiſtrant; jus dicunt civibus; in cauſis difficilioribus Iuriſconſulti, qui Syndici locum tenet, conſilio utuntur. De maleficiis gravioribus non judicant. Scribam à Secretis habent perpetuum. Semel in Conſulum numerum allecti ſæpius reficiuntur, & conſulatus multiplicant plerumque. Præter Conſules ſunt VIII-viri jurati, plebis patroni, quos Conſules ipſi cal. Ian. quotannis eligunt.

Harlinga

Harlinga *regitur à Senatu annuo* VIII-*virorum, quos omnes Consules vocant. Hi exeunte anno totidem legunt è civium numero, maximeque è delectorum consilio, quod juratum vocant, & horum nomina cum suis mittunt ad summam Curiam. Tum Curia suo & Gubernatoris nomine per Senatorem unum Harlingam missum inquirit in singulos. & eo Leowardiam reverso & audito, adhibito in consilium Gubernatore, ex* XVI *illis deligit* VIII, *qui anno proximo urbi præsint, sive eosdem qui decedunt, sive alios. Quo facto idem ille Harlingam remittitur, instructus litteris mandati ad Senatum veterem; & anno futuro præfatulitteris mandati ad Senatum veterem; & anno futuro præfatulitteris mandati ad Senatum veterem; & anno futuro præfatulit

*tes nequid indecore à plebe perpetretur. Sed illis decedentibus populus dividit ſe in quatuor partes, ſecundum regiones & cohortes civicas: tum qualibet pars ex ſe edit viros tres: qui* XII *eodem die ſub veſperam vocantur in curiam, & monentur ut quique è ternis edant ſingulos; eiſque* IV *addant duos alios per ſuffragia lectos, ut fiant ſex. Horum nomina, cum nominibus eorum qui munere perfuncti ſunt, ad Gubernatorem & Curiam mittunt; à quibus cætera peraguntur.*

Stavera *Conſules habet* VIII. *nuper & concilium juratum accepit, petente populo.*

Hindelopa *Conſules habet* V, *quibus nuper additi* VI. *viri concilii jurati nomine.*

Ilſtæ *item Conſules* V: *concilium juratum nullum.*

Slotæ *Conſules* IV, *Senatores* III, *delecti à plebe aut jurati nulli.*]

Iam vero, ut omittamus alias Friſiæ inſulas, de Schellingia tamen pauca dicenda ſunt. Sita eſt verſus ſeptemtrionem, ſub grad. latitudinis 54, ac ſupra Friſiam & Hollandiam media, occupatur aliquot pagis: Scilicet Weſteynde, Middelland, Formaren, Hoorn & Ooſtereynd: quorum duo, Middelland & Hoorn templa habent, in quibus unus concionator ſacris operatur reliquum prata habent & paſcua, in quibus magno numero paſſim oberrant pecudes, ita ut in tota inſula numerentur circiter octingenta armenta, & trecenta aut quadringenta jumenta & magni pecorum greges. Viget inſuper hic piſcatio, & cum innumeri aliorum generum piſces, tum plurimi præſertim capiuntur phocæ, ſive canes marini hi & inter ciborum genera habentur in deliciis, maxime ſi incruſtes: & adipem habent oleo excoquendo aptiſſimum. Ridiculus vero etſi notabilis modus, quo utuntur hi homines in hujuſmodi belluis capiendis. Induuntur eorum nonnulli veſtibus ita indecenter compoſitis, ut & ipſi agnoſci poſſint pro belluis. hi ſic larvati accedunt ad mare, & ſtatis horis, quibus norunt hoc genus exiturum in littus, ad fruendum aëris & terræ commoditatibus, ei occurrunt, ſaltantes ac tripudiantes prorſus ut hiſtriones. ad quod ſpectaculum miro ſtudio & voluptate accurrunt hi canes: hominibus inde retrocedentibus, & ſpectatores ſuos hoc ludicri genere aliquamlonge ab littore terram verſus paullatim vocantibus. Parte alia ſunt qui locis ad hoc oportunis piſcibus iſtis

istis à tergo disponunt retia : ac mox , cum videtur idoneum, histriones illi personam detrahunt, & in canes nostros se vertunt. qui dum pavefacti conantur retrogredi, ac recipere sese ad mare, in retia statim incurrunt. unde ingens eorum numerus capitur, cum non pœnitendo piscatorum, seu venatores magis dicendi sunt, quæstu. Sed describamus hinc ditionem & territorium Groningense, tamquam Frisiæ nostræ vicinum, imo cum ea conjunctum.

# GRONINGA

## DOMINIVM.

TERRITORIVM Groningense, etsi cum Frisia ita arcte conjunctum sit, ut à multis dicatur habeaturque pro ejus provinciæ membro, distincta tamen & singularis est diretio, ac sejunctam ab ea jurisdictionem exercet. plane ut status Vltrajectinus, quem paullo post describturus sum, ab Hollandia solet discerni.

### ADDIT. [*Regionis situs & limites.*

*Post Lavica æstuarium* (*inquit* Emmius) *& Gerricomis cœnobium ad alveum ejus pene emortuum situm, qui limes est agri Frisii Transflavicani, sequitur ager Groninganus, longoque littoris tractu, non minus quinis milliaribus, secundum latus boreale ac vadosa æstuaria* (*vulgo* de Watten) *recta in ortum porrigitur. inde in meridiem se referens, Amasi flu. ostio ac sinu illo, quem* Dullartum *à fluctuum rabie vocant, ortivo latere, claudi-tur, sinuosis admodum littoribus. Nam primum à septentrionibus per aliquot passuum millia descendit, ad portum fere Delfsilanum; inde rursus in ortum convertitur, Amaso flu. oram radente: mox ad Dullarti initium, in terras sese insinuantis, velut linguam aut cuneum efformans,* (*in cujus extremitate Reida vicus situs est,*) *inter meridiem & occasum aliquo usque, deinde quasi incitantibus se in terram fluctibus, ulterius etiam in occidentem longo spatio littus retrahit, iterumque brevi flexu in ortum redit, & eodem pene, quo in occidentem erat, spatio rursum procurrit; postremo aliis etiam minoribus sinibus receptis ad terminum austri-*

*num*

num contendit; & ab eo termino per paluſtria & arenoſa loca ad Oſtergoa limitem recurrit; quod latus ejus eſt omnium maximum, & haud brevius XXVI mill. paſſuum. Limites itaque hujus provinciæ ſunt ad occidentem Friſia; ad ſeptentriones vadoſa æſtuaria & mare; ad orientem Amaſus, & ex oppoſito Friſia orientalis; itemque Dullartus ſinus; ad meridiem Tranſiſalania. Hanc regionem (inquit idem) minoris Friſiæ interdum nomine avorum memoria reperio; jam uſus obtinuit Gronnganam appellari ab urbe; ſed ex decreto in actis publicis non niſi Omlandiam. Regio univerſa ab exitu Lavicæ, qua æſtuarium ſe curvat, qua Huneſus egreditur, (qui jam hoc nomine ignotus ſupra urbem Schutendiep, infra autem Reirdiep appellatur,) qua vadum à ſeptentrionibus obtegit, qua Amaſus qua Dullartus ſe ſinuat, in ora aggeribus perpetuis, opere difficillimo, ſepitur, & contra aquarum illuviem defenditur: idem ſecundum Huneſi lapſum fit, non ab urbe ſolum, ſed & ſupra illam.

## Soli qualitates.

AGer hic dimidio minor eſt quam Friſia occidentalis: argilloſo ut plurimum & ubere ad paſcua juxta ac frumenta ſolo. Paluſtris tamen & nemoroſus, qua Dullarto adjacet atque Oſtergois ad meridiem cohæret: Sabuloſus qua Drentiæ conjungitur. Sed de ſoli qualitatibus mox particularius dicetur.

## Diviſio hujus provinciæ.

DIviſa fuit hæc provincia jam olim in plures minores provinciolas & populos legibus & regimine inter ſe diſtinctos, quos tamen commune fœdus & reſpub. quædam major in unum corpus veluti re colligebat, cujus rei veſtigia ne nunc quidē interierunt. Eos porro populos, Huneſi fluentum veluti in duas claſſes diſtinguit, ſed impares. Ad occidentem & meridiem illius colunt Langowoldii Oſtergois finitimi, vicos fanis inſignes complexi XIII; Fredowoldii in eadem plaga, Sylveſtribus & Drentiæ propinqui, X vicis comprehenſi; tenui in ſolo utrique: Hummertzii in latere æſtuarii Lavicani, eluvionibus ad trestantum vicos redacti, in agro felici; ubi rivus ex Drentia deſcendens & transhuneſanam omnem regionem pererrans, canali novo ad caſtellum militare compreſſus in Lavicanum æſtuarium exit, & alluvio nunc reſtituit quod diluvia quondam abſtulerunt: Medachii, ad ejuſdem flu. ripam magis introrſum pertinentes, in ſolo perubero

perubero & lato, in IX vicos sparsi: qui olim octopagici vocati, & Hunesgoniis attributi. Ad orientem & septentrionem ejusdem flu. Hunesgonii reliqui, secundum boreum provinciæ hujus littus longo tractu extensi, atque hinc versus interiora Hummertziis & Medachiis pariter adversa in ripa secundum amnis lapsum oppositi; donec in proxima urbis Groninganæ, & in rivum Dammonensem meridiano latere incurrant: latis simul & omni ex parte tum natura tum hominum opere bene cultis finibus; quippe quibus non minus LV vici cum singulis fanis contineantur: distincti in quinque minores præfecturas; Marnensem, ad ostium Lavicæ sitam: Vbbinganam, Groninganæ ad corum vicinam: Mediam: quartam ab aggere interiore cognominatam, quæ in aquilonem ab urbe vergit, rivoque Dammonensi ad cæciam ab urbe defluenti contigua est: postremam denique prioribus majorem, per quina passuum millia juxta exterius littus porrectam, parique fere spatio intus patescentem. Fivelgonii, Hunesgonios ad ortum sequentes, ad Amasi oram, in duas partes divisi: quarum prior XXXI insignes vicos complexa, nulli superiorum felicitate cedit, tum ob terræ bonitatem, tum ob commoditatem vicini fluminis: altera, quæ IX tantum vicos numerat, illam ad austrum sequitur, & Dwerswoldia proprie dicitur; humili, palustri & uliginoso solo. Atque hi sunt populi quos nunc Omlandos vocant. Omnes hi populi in tres partes dividuntur. quarum prima, quæ trans Hunesum est usque ad Lavicam & Ostergoos, occidentalis vulgo nuncupatur: altera Hunesgonios cis Hunesum; tertia Fivelgonios complectitur. A Fivelgoniis sequitur Præfectura vetus, (vulgo Oldambt;) ab Amaso flu. initium sumens, & ad Dullartum sinum pertingens, à quo quondam maximam jacturam fuit passa, agris & vicis fluctu obrutis; ut è magno eorum numero hodie vix XVII ac plerique semilaceri & mutili supersint. hujus pars borea, Amaso vicina, pinguis & argillosi soli est; reliqua minus læti, partim palustris arenosaque, partim nemorosa. Tota vero hæc ab Amaso ad austrinum limitem ab annis CC & supra civitati Groningæ bonis conditionibus paret. Ejus austrino limiti ad Dullarti finem Westerwoldii connectuntur, vicis quinque, solo haud felice & fere paludoso. Postremo territorium suburbanum est, (dat Gho vnd Woldrecht,) totius regionis fines ad austrum longo tractu contra Drentiam tuens, vicos ambitu suo continens XII cum fanis VI. Hanc quoque partem, ambigui inter provinciam hanc & Drentiam juris, & quæ plures dominos quondam habuit, Burgundi principes Senatui populoque Groningano attribuerunt, nihil imminuto veteri vicanorum jure ac libertate.

*Mores incolarum à caterorum Frisiorum moribus parum differunt: oppidanus populus moribus comis, blandus, solers, industrius, litterarum amans, iisque bene excultus, in amictu & victu splendidus: uterque autem, tam agrarius, quam oppidanus, pertinacissimus in tuendo jure suo & publica libertate, & cuncta potius patitur quam servitutem. quibus ipsorum moribus factum, ut superioribus seculis extrema quaque pro patriæ libertate tuenda pertulerint; hodieque nulla confœderatarum provinciarum tributa & onera patientius ferat, largius conferat, & animosius in commune consulat; adeoque omnium confessione præstantiores viros ad publica collegia mittat.*]

Metropolis ejus Groninga, à qua & toti provinciæ nomen est, ipsa (ut diximus) illud sumente ab Grunio illo Trojano, quem Munsterus contendit natione Francum, id est Gallum, fuisse. nos utrumque putamus posse admitti: quoniam Galli primam sui originem ad Trojanos communiter referunt. Sita est autem Groninga ad grad. 28 minut. 24 longitudinis, latitudinis vero grad. 53 minut. 16, Leovardia sex leucarum intervallo diremta. interfluunt urbem variæ aquæ tam vivæ quàm mortuæ, alveis partim manu & industria hominum factis, partim nativis. ipsa & ampla sane & pulchra, & egregiis ædificiis plena.

ADDIT. [*Situs illius ita se habet: Decurrunt ex Drentia per præfecturam subùrbanam superiorem duo amnes, Hunesus & Aha, pariter ab euronoto in circium euntes, non longo inter se spatio disjuncti,* VIII, VI, *nonnullibi &* IV *tantum stadiis, per humiles & uliginosos campos; à quibus dorsum utrimque paulatim se erigit, declive lenter utrimque, à sublimibus & spatiosis Drentiæ campis veniens, & sensim se linguæ instar sub finem coarctans. In illius dorsi parte pene ultima, qua Aha illud propius accedit, posita est Groninga, arctior olim & in ipsissimo dorso tantum ædificata, deinde ampliata paulatim, & devexa, ac humiliora utrimque largius complexa; loco perquam felice, curribusque ac navigiis ad importandum pariter commodo, segetibus ac pascuis inprimis fortunato. Dorsum autem illud modice ad bina circiter stadia ultra urbem versus boream procurrit, ibique in æquam planiciem desinit, media ferme inter urbem & cœnobium Selwerdicum via. Aha autem, in angulo urbis, qui inter meridiem & occidentem prominet, mœnibus se insinuat per amplos fornices sub vallo structos, intraque mœnia occiduo in latere urbem stringens longo tractu, & ponte lateritio junctus,*

tandem

tandem in angulo altero occasum æstivum spectante per similes fornices exit, alveo profundo & multarum navium capace, inque ipso egressu, Huneso ad urbem derivato, & à duobus lateribus, ortivo & boreo, mœnia foris complexo, miscetur. Hunesus enim urbi allapsus, in ipso orientis angulo, atque ibi muro transverso rejectus, ortivo latere vallum radens, & suburbium insigne ab urbe secludens, à septentrione sensim in occidentem se flectit, & dicto loco Aha confunditur. Ambitus mœnium jam anno CIↃ IↃ CV in exteriore fossæ labro bis M & DC XVIII pass. patebat. Postea forma mœnium in latere meridiano multum mutata, & amplior meliorque facta, cui similem vix alibi reperias, sive fossam spectes raræ latitudinis & profunditatis, sive vallum duplex, exterius minusque, surgens ex ipso fossæ labro, & interius, quod longe majus & sublimius, utraque pedum XXVIII intersticio disjuncta. Et anno 1615 eadem forma in opposito urbis latere mœnia ampliata, novaque urbis area, veteri urbi magnitudine pene par, adjecta: fossa hac parte mœnia ambiente profunda, &, qua aquæ superficies est, non minus quam CCLXX pedes lata. Addita propugnacula è terra magnæ molis; quorum tria intra fossam vallum ambientem vallo ipsi connexa, duo ad boream portas tegentia, tertium in australina parte: quartum item, sed extra fossam, nec vallo contiguum, portæ orientali objectum, adhæc alia duo ejusdem generis vallo conjuncta, sed minora; & præter ea ex lateribus structa VII, quædam turriculis fastigiata, quædam sine fastigiis; omnia muniendæ urbi contra vim hostilem institu-ta. Quid multa? universam urbem, tam veterem quam novam, hodie ambiunt propugnacula XVII, ita ut ab opere & industria urbs hodie longe munitissima sit. Hispani hic quondam arcem molitifuerant, quæ post transactionem Gandavensem à civibus fuit eversa.

Fana sunt in ea in universum XII; ex quibus tria sunt parochialia, quinque monastica, quatuor xenodocheis conjuncta.]

Primarium ejus templum, quod in primis magnificum, sacrum est Divo Martino, & Monasterienſi Episcopo subditum. pulchrum in eo est organum, ipsa Rodolphi Agricolæ (mox dicendi) manu elaboratum.

ADDIT. [Walburgicum in eadem cum præcedenti area, formæ pene rotundæ; cui cohæret sublimis fastigii turris. Vtrumque hoc situm est in parte urbis inter ortum & boream, proxime ad vetera mœnia; Martinianum etiam ad angulum fori majoris. Tertium in parte urbis occidentali, Mariæ virgini sacrum, foro alteri imminens, cum turri item alte fastigiata; in qua notæ com-

*plures horis ſingulis præcinunt, eaſdemque in ſemiſſes dividunt. Secundum hæc tria templa, urbs diviſa fuit quondam in tres parochias; nunc in duas, Walburgica Martinianæ addita. E monaſticis ampliſſimum Franciſcanum, cum cœnobio ſpacioſo, in urbis fere medio; quod cœnobium jam publicæ literariæ ſcholæ ſedes eſt. alterum, Iacobæum, cum cœnobio Dominicanorum, in boreo urbis latere, ad ipſa pene mœnia. Tertium modicum, monachorum quondam quos fratres vocant, cum cœnobio, ad angulum areæ Walburgicæ boreum: id cœnobium ſuperiori ſeculo in aulam Epiſcopi verſum; nunc Gubernatoris provinciæ domicilium eſt factum. Quartum, monialium S. Claræ. Quintum, virginum nobilium non initiatarum. Fora in urbe duo inſignia & ſpatioſa. unum, à latitudine* (dat brede market) *dictum, raræ magnitudinis, incipiens ab area Martiniana, &* CLXXIX *paſſuum ſpacio inde in occidentem hybernum procurrens; latitudine paulo minore: intra cujus ambitum curia modica, cum œnopolio, curia haud paulo majore cum turricula, in vertice, contiguis parietibus. à quo trames per brevis in alterum, ſuperiore etiam longius,* Piſcarium *nuncupatum; in cujus fine area ac templum virgini Mariæ ſacrum: id patet in longitudinem, ſi aream templi addas, paſſ.* CC XLI, *ſine area* CXLIII. *Ad hæc duo fora, capita non minus* XVII *platearum, fere ampliſſimarum, pertinent: è quibus ſex à totidem urbis portis recta linea veniunt. Plateæ majores dudum fuerunt* XXVI; *quibus ſuperioribus annis acceſſit nova, ædificiis elegans, à fori angulo per medium hortum cœnobii Franciſcani ducta. Minores item aliquot portæ in vallo octo; ad quarum unam, quam Dominicam vocant, Hiſpani ſub initiis belli hujus Belgici validam & amplam excitaverant arcem quinquangularem; quæ antequam perfecta eſſet, pacificatione Gandavenſi publicata, à civibus fuit everſa. Suburbium magnum & ædificiis frequens* (*vulgo* Schutendiep) *jam quoque urbi connexum; quum ante vallo terreo & foſſa profunda fuiſſet incinctum.*]

Civitas frequens & potens. imperium ejus intus foriſque luculentum. Ab ortu atque occaſu ager eſt longe lateque porrectus, tum fertilis quoque & non parvo pagorum numero inſeſſus. A ſeptemtrione confœderatio urbi & ſocietas cum toto eo tractu, qui longis latiſque ſpatiis uſque ad ipſum mare procurrit, bonis etiam ipſe pagis & vicis denſus, ac fertiliſſimis paſcuis mirum in modum luxurians. is tractus vulgo audit de Ommelanden / & Antiſtites etiam ſuos ac nobiles habet, tum & eos quos Adhærentes appellant. hi inter ſeſe conſtituunt

tuunt alterum membrum Ordinum Groningenſium: quorum prius eſt ipſamet civitas una cum Magiſtratu urbano. Vivitur in hac urbe civiliter admodum & compoſite, ac non aliter quam in libera quadam republica. gaudet enim ampliſſimis privilegiis & immunitatibus ſibi à Principe ſuo conceſſis. ita quidem ut de civilibus ſimul & capitalibus cauſſis, juxta leges & conſuetudines ſuas municipales, cognoſcat, eaſque decretoriis ſtatim ſententiis, ac ſine ulteriore omni provocatione, decidat: neque regium ullum miniſtrum intra muros ſuos agnoſcat, præter unicum in civilibus cauſſis præfectum: in capitalibus uſqueadeo libera prorſus & ſui juris, ut, quod ſupremi tantum Principes ſolent, veniales etiam delinquentibus codicillos expediat. Neque tamen pro omnibus hiſce prærogativis Principi aliud pendit quam ſena millia florenorum Carolæorum in ſingula quæque ſemeſtria. Groningenſis fuit clariſſimus ille Rodolphus Agricola. cui viro Eraſmus Roterodamus, inter alios multos auctores, immenſas profecto attribuit laudes, cum diſerte alibi ſcribit: *Nihil umquam hoc viro* (Rodolphum intellegit) *ciſalpinus orbis produxit omnibus litterariis dotibus abſolutius. nulla erat honeſta diſciplina in qua vir ille non poterat cum ſummis artificibus contendere. inter Græcos græciſſimus, inter Latinos latiniſſimus. in carmine Maronem alterum dixiſſes. inter oratione Politianum quendam lepore referebat. eloquentiæ tam abſolutæ parem adjunxerat eruditionem. philoſophiæ myſteria omnia penetraverat. nulla pars muſices quam non exactiſſime calleret.* hucuſque Eraſmus, qui & extare ait paucula quædam illius monumenta, & plures commemorat raras atque felices viri dotes. Verum quia dubitare hic forte aliquis poſſet, ne ob nationis vicinitatem Eraſmus affectui ſuo plus æquo indulſerit, ac modeſtiæ terminos ſit tranſgreſſus: proferemus pleniſſimum illud & ſplendidiſſimum teſtimonium, quod reddit huic viro magnus ille Hermolaus Barbarus Venetus, verus virtutum fons, idque elegantiſſimo epitaphio, ſcripto in immaturam ejus mortem, anno ætatis ſuæ quadrageſimo, Chriſti vero 1485, Heidelbergæ in Palatinatu extincti. qua tranſiens nuper Viglius Swichemus, teſtando ſuo in popularem amori, tumulo ejus imponendum curavit pulcherrimum lapidem, & incidendum epitaphium illud quod dixi. id autem tale:

*Invida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum*
*Agricolam, Friſii ſpemque decuſque ſoli.*
*Scilicet hoc vivo meruit Germania laudis*
*Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.*

Groningenſis etiam fuit, adeoque Agricolæ coætaneus (ita dona ſua divina clementia certis hominibus atque locis impertit) Weſelius, cognomento Baſilius, illuſtris philoſophus, ac tantæ (ut ex innumeris viri operibus jam in lucem editis conſtat) in omni honeſta diſciplina & literatura peritiæ, ut ab omnibus vulgo audiret lux mundi. Eram ſane in eo ut dicerem, duos iſtos viros fuiſſe totidem Groningenſium ſtellas, & utramque Germaniam radiis ſuis illuſtraſſe: ſed expenſo mecum & epitaphio illo, & hoc tam magnifico titulo, ne alterutri forte præjudicem, malui prorſus ſilere, & hanc Paginam iis ſervare intactam, qui & patriam utriuſque & nomen ſublimiori quam ipſe præconio poſſint efferre. Obiit magnus Weſelius anno Chriſti 1489. Subjungam vero & nomen alterius magni viri, civis itidem Groningenſis, nimirum Regneri Prædinii, variorum librorum doctis ubique decantatorum ſcriptoris. exactior autem operum horum trium virorum fit mentio in bibliotheca jam pluries nobis laudata, operum inquam lectu & cognitu longe digniſſimorum. Hodie inter claros & doctos hujus opidi cives ſupereſſe comperior Ioannem Wifferingium, reipublicæ patriæ conſulem.

ADDIT. [*Groningam, opidum per antiquum, perſuaſum habent nonnulli eſſe Ptolemæi Philæum. Grunium vero, cujus meminit Guicciardinus, hiſtoriographi Friſii patrem habuiſſe narrant Gailonem, cui proavus fuerit Friſo, is à quo tota Provincia quondam acceperit nomen.*

*Civitas hæc jam ante aliquot ætates* Anſeatico fœderi *adſcripta eſt. Eadem ornata & privilegio à majoribus accepto, & Cæſarum diplomate confirmato, & ſine vitio ad hæc tempora continuato, ne cuiquam omnino vel regi vel principi vel ordini liceat quenquam, qui civis aut incola civitatis ſit, aut quoquo modo civitati ſubjectus, judicii cauſa è civitate evocare aut ad ullum tribunal exterum citare. Denique hoc etiam civitati egregium, quod argenteæ æreæque pecuniæ ſignandæ ab annis non minus* CCCC, *aureæ vero ab anno Chriſti* CIↃ CCCC LXXXIV *jus habuerit, habeatque.*

*Academia*

*Academia in hac urbe ab Ordinibus provincia instituta* anno CIↃ IↃC XIV, *& solenni ritu die* XXIII *aug. introducta; qui dies inaugurando Rectori dicatus manet. Collata in hunc finem ingens summa, sumenda quotannis è censibus monasticis. Locus datus juxta fanum Franciscanum in latere ejus boreo, regione commoda & à vulgi strepitu semota. Sublevandis studiosorum sumtibus mensa communis instructa in capita* XL; *qua qui utuntur, in annum œconomo pendunt aureos tantum Carolinos* XLV; *reliquum resp. solvit, egregio tenuiorum levamine.*]

Groninga duarum leucarum itinere dissidet Damma, urbecula olim satis lauta, verum anno 1536. cum, tuentibus eam Geldris, expugnata fuisset à Cæsarianis, muris & mœnibus spoliata. pacto insuper, ne in posterum posset instaurari, vel quomodocumque muniri. unde in tenuem sane ac miserandam conditionem redacta est.

ADDIT. [*Verum hodie post Groningam est nobilissima & maxima oppidi instar, si ambitum, ædificiorum numerum, viarum habitum, magnitudinem & incolarum frequentiam spectes, sed honore mœnium & jure civilis imperii, magistratuumque carens: amœna; in circulum fere se colligens, fossaque ut plurimum cincta. Templum habet cum turre late spectabili. Sita est ad Ficvelam binis infra Groningam milliarib. versus cœciam; eodemque amne navigabili divisa, &* V *pontibus juncta: unde ad exitum amnis, ubi Delfsileus portus & castellum, milliare est dimidium. Prætorium, imperium & jurisdictionem pene omnem soli Ripperdæi & Houverdæi, aut qui his succesſere, dudum nunc tenent, & quem volunt, Consulem, id est, Redgerum, oppidanis dant. Iudices illorum vix umbram rei, cujus nomen gerunt, tenent.*]

Leuca supra hanc Dammam ad ipsum littus situs est perinsignis pagus Delffila, pari trium leucarum spatio ab Groninga simul & Emda semotus. ubi & propugnaculum, sæpius olim instauratum ac dirutum. fœdere quidem inter Imperatorem & Groningenses eorumque finitimos inito, inter alia quidem diserte cautum est, ut propugnaculum istud dirueretur, neque sine mutuo utriusque partis consensu in posterum umquam instauraretur. ac demolitio quidem effectum sortita est. verum & occasiones quædam & tempora rursus fuerunt in causſa, ut (quemadmodum diximus) pluries structum fuerit atque destructum. sic ut in hunc usque diem superstit.

ADDIT. [*Reliqua per omnem agrum vici tenent; & in his fanis insignes* CLX; *quorum non pauci ea magnitudine & cultu, ut oppidula videri queant: Cujusmodi sunt* Visuleta *ad Lavicam, &* Northorma *in Longowoldiis:* Winsumum *ad Hunesi flexum, uno infra urbem milliari:* Bedumum, Vthusa, Middelsthemum, Warsumum *in Hunesgoniis;* Lopershemum, Berumum, Farmsumum, *Winscota; & quondam florens, nunc fere Dullarti fluctibus detrita,* Midwolda, *cum fano quatuor turribus longe conspicuo, in præfectura veteri.*

*Egregia adhæc ædificiis & opulentia monachorum & virginum cœnobia in agro fere* XXV: *ante catera vero* Adoardia *in Medachiis, quinque vicis imperans, opibus inclyta, superbo inprimis fano visenda; ædificiis frequens, munitionibus & oppidis instar oppidi clausa.*

*Castella militaria in agri ora; Soltcampæum ad Hunesi ostium; Delfsilaum jam dictum; Reidamum ad Amasi & Dullarti angulum communem; Bellingwoldium ad intimum Dullarti recessum; Burtangæum in Palustribus inter Westerwoldios & Monasterienses mediis: integra hæc omnia & præsidiis insessa, ad servandos aditus contra hostes.*

## *Oppidi regimen politicum & civile, & privilegia.*

*Forma reipublicæ in urbe aristocratica est, modice in democratiam declinans. Consules* IV *summum dignitatis locum in ea tenent. His additi etiamnunc* XII *Senatores, qui omnes Senatum conficiunt, totius reip. caput. Penes hunc est jurisdictio urbana, potestasque in rebus urbanis edicendi, vocandi, prehendendi, in custodiam dandi, supplicia extrema irrogandi, gratiæ faciendæ, pecuniam publicam tractandi, plerosque alios magistratus creandi, inprimis Hovetmannos; præfectos territoriorum extra urbem designandi, legationes mittendi; denique hujus est toti reip. consulere. Consulare & Senatorium munus bienne est ita comparatum, ut quotannis dimidia senatus pars, cui duo anni in munere expleti sunt, collegio decedat, aliique pari numero in locum succedant. Consules dignitate in Senatu præcedunt, licet ceteri parem suffragii habeant potestatem. Per vices ternis mensibus, eo ordine, quem sors dat Senatui, præsident. Præses sigillum publicum custodit, apparitoribus atque accensis stipatur; vocationem, prehensionem habet; pleraque refert ad Senatum, rogat suffragia, & quod majori parti placet pro totius Senatus sententia pronunciat. Idem cum tribus Senatoribus, quos vel sors vel comparatio*

paratio cum collegis ei junxit, certo tempore in prætorio jus civibus inter se litigantibus dicit, aut iis quibus contra cives actio est; idque fere ob minores res, & non nisi à meridie, dimisso jam Senatu: in quo tribunali jurisdictio ejusmodi est, ut celerrime litigantes absolvantur. Ab eo ad Senatum provocatur; à quo nulla provocatio est. Est & collegium aliud XXIV virorum ex honestissimo civium ordine; quod concilium juratum vocant, propterea quod quotannis, non minus quam Senatus, se solenni jurejurando reip. obstringit, & in collegio illo Triumviri velut collegii præsides & rectores; qui ex eo, quod reliquorum nomine verba faciunt in Senatu aut ubi res poscit, Talemanni dicuntur. Horum qui in hoc collegio sunt munus item bienne, XII quotannis decedentibus. Iurant autem apud consulem in Senatu quotannis, vocatos in curiam se venturos, reip. cum Senatu consulturos, Senatuique auxilio futuros, coitiones seorsim non facturos, nec factiones instituturos. Vsus autem recepit, ut rerum graviorum, quæ ad totam remp. pertinent, nihil agat Senatus, aut de iis constituat, nisi ex assensu concilii hujus: cujusmodi sunt; bella suscipere & finire, fœdera inire, leges ferre aut abrogare, munitiones novas aut alia opera publica magni momenti instituere, in re monetaria aliquid mutare, alieno ære civitatem gravare. De quibus quum agitur, solet Senatus eos, una cum iis qui Senatu proxime decesserunt, quos Senatum veterem vocant, in curiam accersere, & rebus diligenter deliberatis & excussis ex eorum assensu aut dissensu constituere. Hoc ad robur decretorum & retinendam civitatis concordiam non parum prodesse majoribus visum. quare interdum etiam alios ex honestiorum civium ordine Senatus convocat, ut hujusmodi deliberationibus intersint, & maxime ædiles duos tribunicia potestatis, qui societatum, in quas opificum plebs est divisa, magistri & patroni sunt, easque in omnem partem possunt movere. Ad munus porro concilii hujus jurati pertinet, Consules & Senatores quotannis legere. Designatio fit hoc modo: Concilium ad sextum idus februarii ex voluntate Senatus coactum in curia, coram Senatu per sortem designabat olim ex suo numero viros novem; proximo autem seculo non nisi quinque; quos nunc Gubernator adhuc ex pacto designat. Hi præsente Senatu, Consule verbis præeunte, jusjurandum præstant, nihil gratiæ, odio, invidiæ cupidini se daturos, soliusque reipublicæ rationem habituros. Mox digresso Senatu reliquisque è concilio, in conclavi concluſi non ante inde discedunt, quam in viros VIII liberis suffragiis lectos consenserint. Legunt autem, non tam quod certa lex jubeat, quam quod more ita sit receptum, plerumque duos; qui ex colle-

gio Hovetmannorum eodem forte tempore discedunt : deinde eos, qui in Senatu prius fuerunt, nisi quid obstet : denique optimum quemque ex honestissimo civium ordine, maximeque ex concilio aut collegio suo, velut è seminario Senatus. Eo facto, electos sine mora Senatui in curia congregato edunt, domumque discedunt. Senatus editos per viatorem confestim in curiam vocat. Qui si electioni assentiantur, quod fere accidit, eodem momento ad prætorium deducti, ibi aperto sub cœlo circumfusi corona populi, qui excitus signo nolæ majoris, & moris hujus gnarus, frequens concurrit, solenni juramento, præeunte verbis præside, consule è fenestra prætorii prospectante. stantes Reipublicæ se obligant, una cum cæteris in Senatu mansuris in annum proximum. postridieque cum eisdem collegis congregati, cumque iis in occulta suffragia missi, consules è suo collegarumque numero designant aut duos, si totidem loca vacant, id quod accidit ut plurimum, duobus fere quotannis consulatu abeuntibus ; aut tres ; aut etiam nonnumquam quatuor ; nonnumquam quoque unum tantum. Designant autem ante alios plerumque eos, si eorum copia sit, qui consulatu ante sunt functi, judicesque inter agrarios fuerunt. Sic demum die ab eo XIIII qui Apostolo Petro sacer est, decedentibus veteribus totidem, munus suum capessunt. Quod si contingat ut ex electis his unus pluresve delatum honorem recusent, eos reipublicæ multam dare aureos scutatos vicenos olim oportuit ; nunc autem lata non multos ante annos lege, aut capessere munus aut civitate discedere oportet. Idque quum accidit, (accidit autem raro) itemque si quæ alioqui Senatorum consulumve loca seu morte seu alia quacunque ratione vacent, non jam V-virorum aut concilii jurati est, verum ipsius Senatus, alios sufficere & collegas cooptare. Octiduo dein postquam hæc Senatus electio facta est, coacto rursus collegio jurato, simili ratione quinque ex illis alii eodem in loco sorte ducuntur. Per hos XII designantur ex honestissimo civium ordine, qui totidem è collegio decedentibus succedant, & cum reliquis collegis reipublicæ consulant. Tum totum collegium tres è sui medio capit, qui collegium regant, quos Talemannos vocari dixi.

Est præterea aliudin civitate collegium, partem reipublicæ curans, negotiantium scilicet disciplinæ ac juri nautico tuendo & dirimendis inde natis controversiis olim præfectum ; cujus tribunal dat Gildricht dicitur. Octoviris hodie constat ; quorum etiam, ut Senatorum, & eorum qui sunt in concilio jurato, munus bienne est ; quaternis similiter quotannis collegio decedentibus ac totidem succedentibus. Id fit hoc modo: Senatus ea pars, quæ magistratu

gistratu abit, quatuor viros eligit, singulos è singulis civitatis regionibus, (hæ quatuor omnino sunt,) honestissimos & gravissimos quosque ex omni populo, nulla alia tum potestate præditos. Hi quatuor electi totidem aliis, quibus expletum biennium est, suffecti, cæteris, qui annum tantum in munere fuerunt, adduntur. Cuncti hi statim ad VIII calend. mart. ex sui medio seniorem designant, quem vocant Oldermannum; & duos fisci magistros, Busheeren dictos; omnes in his officiis annuos: præter quos reliqui quinque, societatis judices, die Gildrichters, nuncupantur. Senior in collegio actor præcipuus, velut advocatus reipublicæ in tuendo stapulæ jure, de quo dicetur post, ejusque custos ac vindex, si quem contra id delinquere deprehendit, cum multam poscit: tergiversantem apud duum-viros fiscales postulat, aut ad totum collegium rem defert: sententiam pronuntiatam exequitur, nisi reus ad superius tribunal Senatus aut Hovetmannorum provocet. Duumviri fiscales fisci curam habent cum Oldermanno, atque albi mercatorum: oportetque eos, qui mercatui operam dare volunt, apud hos prius nomina sua profiteri, sine quo nemini id facere licet. Et sunt iidem rationibus quotannis apud Consulem reddendis obnoxii. Quibus expeditis, successoribus fiscellum tradiunt, pecuniæ reliquum ærario reip. inferunt. Sed est collegii hujus curæ antiquitus commissa præcipue custodia tota juris nautici, in codice reip. diligenter descripti, jurisdictioque universa ad res navales & maritimas pertinens.

Præter hos alii quoque sunt VIII-viri, regionum urbis magistri, bini ex singulis regionibus delecti, honore & authoritate haud postremi. bis quotannis censum agunt omnium civium; & quid quisque eorum gerat, qua negotia tractet, quibus se suosque tueatur, inquirunt; desides aut noxios reipub. cedere cogunt: ne quis ædificans publice privatimque noceat, aut bono officiat, ne quid vitii canalibus ad deducendas aquas ac sordes per urbem accidat, quæque alia ad mundiciem urbis pertinent, provident.

Quinetiam sclopetariorum præfecti quatuor diu in civitate fuere, à Senatu quoque designati, perpetui. Hi curam armorum habebant, juventutemque maxime exercebant in tractandis sclopetis. foro venalis annonæ, quæ ad urbem defertur quotidie, præerant, à pistoribus & iis qui cerevisiam coquunt, ne quid fraudis committeretur, ut justa esset ponderum & mensurarum ratio in officinis, cœnum ut publicis locis amoveretur, procurabant. Quæ omnia nunc ad centuriones octo oppidanos, qui iis successerunt, sunt translata.

Denique Ædiles duo in repub. sunt, tribunitiæ potestatis, quam

non lege datam, ſed paulatim nitendo longius, turbulentis actionibus quæſitam proximis ſeculis, uſurparunt, non magno ſane reipub. bono. Hi quoniam cum plebe opificum & inſtitorum connexi ſunt & ab iis dependent, de plebis ordine & diſtinctione pauca dicenda. Dividitur plebs ipſa ſecundum artificiorum aut rerum quas tractant diverſa genera in XVIII ſocietates: Exceptis iis qui cerevisiam coquunt aut majora negotia in emendo vendendoque exercent. Hæ ſocietates ſingulæ binos ſibi præfectos ſuffragiis deſignatos creant quotannis mox a paſchatos: & in his primum quemque Seniorem vel Oldermannum, velut totius ſocietatis præſidem, reliquos binos capita ſocietatis dicunt: omnes in univerſum LIV. Et hi viciſſim circiter idem tempus mox ab electione ſui in cœnobio Iacobæo congregati, ædiles, quos dixi, edunt, non aliunde quam ex his ſocietatibus. Ædiles patronos ſe plebis profeſſi, haud diſſimiles veteribus in repub. Romana Tribunis, ab humili initio eo tandem progreſſi ſunt, dum & curam patrociniumque egenæ & circumventæ plebis prætexunt, multitudine freti, ut in morem abierit, nulla recipere de majore re decreta quibus aſſenſum hi Ædiles non adhibuiſſent. Quod ſæpe turbis locum fecit. A Senatu tamen, ut cæteri omnes, qui aliquid publici muneris aut poteſtatis habent, ſic hi quoque ædiles ſuum jus & olim acceperunt, & hodie accipiunt, quum ſacramentum apud illum dicant quotannis: Suntque ea quæ exorbitarunt in hac parte, ſalubriter jam correcta & ad metam revocata. Non enim licet ſocietatibus inconſulto Senatu aut refragante ſtatuta ulla condere: & quæ condiderunt, coguntur jurati exhibere; & ſimilia. Habent tamen ſocietatum Præfecti in ſua quique ſocietate poteſtatem cognoſcendi controverſias quaſdam, eaſque definiendi, ac multas exigendi. Ab his tamen ad ædiles, & ab ædilibus ad Senatum provocatur. Poſtremo præfecti hi rationes accepti & expenſi ædilibus reddunt; ædiles pecuniam impendunt ædificiis & ſtructuris publicis, & rationem reddunt vel præfectis his, vel conſulibus, ſi id requirant.

Eſt & perhonesta in civitate procuratio Ædituorum; qui delecti fere ex patritia nobilitate bini aut terni in ſingulis parochiis, ſacras ædes & quæ iſtuc pertinent tuentur, bonaque in eum uſum à majoribus collata adminiſtrant. His pares ſunt Proviſores ptochodochiorum, quorum poſſeſſiones ac reditus perampli. quæ cura quoque ut plurimum Senatorii ordinis viris mandatur.

Habet & quæſtorem reſpub. qui pecuniæ ac omnium redituum ejus conquiſitor & cuſtos, accepti ac expenſi indices ſervat, & inde rationem Senatui reddit.

Denique

Denique Iurisconsultum, quem Syndicum vocant, liberali reipublicæ stipendio ornatum, summaque dignitate.

De Hovetmannorum collegio postea dicam.

Imperium quoque in agro civitas habet, quod duas præfecturas majores complectitur, veterem & suburbanam: Quarum illa vicos egregios XVII; hæc XII minores; & in his cœnobia quinque. Vtrique à Senatu præfectus datur, mutaturque pro arbitrio: priori quidem fere consularis vir & genere nobili natus, posteriori senatorius. Atque ille quidem cum Iudice ex indigenis plerumque addito, jus dicit, cæteraque imperii peragit Senatus nomine. sed secundum leges & morem patrium. Ex hoc more præfectura distinguitur in quinque territoria, Muntense, Midwoldicum, Finserwoldicum, Brocæum, Wynschotanum. Quorum quodlibet suum habet tribunal. in quo præfectus vicissim certis temporibus jus dicit de criminibus, rebus soli, ædificiis ac similibus momenti majoris. Nec licet, quum de his agitur, quenquam extra territorium suum evocare; in cæteris, ut crediti debitique negotiis, licet. Nec fas est, nisi in territorio suo, in quo vel sedem habet, vel in maleficio prehensus est, supplicio afficere aut custodiæ mandare. Et usus recepit, ut præfecto jus dicenti assideant aliquot, qui in plebe territorii eminent, honoris causa: utque Wedmannus (judicii minister) in unoquoque territorio sit, isque & minora quædam, quæ judicum solent esse, pro judice agat, custodiæ præsit, prehendendique habeat potestatem. Præfectura autem suburbana habet VIII-viros, optimos quosque è plebe; quorum IV singulis biennii munere decedunt, & totidem alii ab iis qui manent asciscuntur. quadriennium in munere continuant, jurantque secundum morem & patrias leges, incorrupte se judicaturos. Adhæc sorte è suo numero octo-viri ducunt duos, qui minoribus causis expediundis, omnibus diebus veneris & saturni Groningæ (hæc tribunalis ejus sedes) præfecto assideant in trimestre, & cum eo jus dicant, idque vicissim donec circumactus sit totus annus. reliqui cum assessoribus his & cum præfecto, ter stato tempore singulis annis, aut quoties res poscit, graviores causas cognoscunt & judicant; simulque si qua de re minori ad ipsos provocatum sit à præfecti & duumvirorum sententia. Ab his provocatio est ad Senatum urbanum.

Vrbem autem hanc emporium fuisse antiquitus, & negotiationes in vicinas juxta ac remotas regiones exercuisse, extra controversiam est: itemque, jus mercatus solemnis & nundinationum in toto agro vicino, Lavica & Amaso concluso, solam hanc si non lege aut pacto (quod tamen verum reor) attamen more & tacito

*tacito conſenſu jamdiu habuiſſe: Itemque ſtapulam rerum quæ in agro naſcuntur; & cereviſiæ ſolius Groninganæ uſum ibidem obtinuiſſe. Refragati quidem ſunt agrarii, & longam & moleſtam litem oppido moverunt; ſed quæ tandem ab arbitris ab Illuſtr. General. Ordinibus datis ita fuit definita:* I, anno CIↃ IↃ XCV: *Civitas in poſſeſſione juris ſtapulæ pariter in rebus in agro natis & peregrinis maneto: propolæ & propolia in agro non ſunto: de cereviſiæ uſu res maneto in eo ſtatu in quo ſolet ex fœdere eſſe: &c.* II, anno CIↃ IↃ XCVII: *Omnes merces aut res importatæ in agrum, etiamſi in agro jam ſint, non ſint obnoxiæ ſtapulæ juri, eaſque emere, vendere, permutare inter ſe agrariis liceat: exceptis hinnulis, bubus, vaccis, trimeſtre longiuſve ſpatium in agro paſtis, qui in agro natis accenſeri & forioppidani juri ſubjecti eſſe debent. In agro nata & ſtapulæ ſubjecta non alia cenſeri debent niſi hæc; butyrum, caſeus, equi, pulli, boves, vaccæ, triticum, ſecale, hordeum, avena, far: atque hæc omnino, ni ante promercalia Groningæ fuerint, diſtrahere in agro licitum non ſit.*

## *Iudicia in agris politica & civilia.*

IVriſdictio per omnem agrum (excepta præfectura veteri & ſuburbana, de qua diximus) cum prædiis antiquitus liberis ac immunibus connexa eſt, ut, qui prædia illa ut ſua tenet, juriſdictionem cum imperio quoque teneat. Iuris dicundi autem cauſa agri totius partes, quas ante expoſuimus, in territoria quædam minora ſunt ſubdiviſa: & horum alia vicos ſingulos, alia binos, ternos, quaternoſve complectuntur: quædam & vicos ſingulos disjungunt. Eſtque in ſingulis territoriis certus tribunalis locus. Ac quoniam in territoriis ſingulis prædia hujuſmodi complura ſunt, accidit fere ut per vices & ſucceſſiones annuas prædiorum domini juriſdictionem cum imperio habeant, idque ſecundum modum aut numerum prædiorum quæ poſident. Porro prædiorum domini aut ipſi jus dicunt aut alius hominibus idoneis id delegant, prout cuique commodum aut gratum eſt. Ius dicens, ſive jure ſuo, ſive delegato, patria lingua Redger, nonnuſquam etiam in locis ad occidentem more tranſlavicano dicitur Grietmannus: quæ voces judicem denotant. Is unum aliquem, uti nunc lege cautum eſt, è territorio virum honeſtum dari ſibi ab iis, qui territorio comprehenduntur, curat, cui Wedmanno nomen eſt; qui non ſolum aſſidet jus dicenti, ſed judicii quoque miniſter eſt, & quædam minoris momenti per ſe expedit. Qui in

juris

juris dicundi munere est, merum & mixtum imperium habet, mandandi, prehendendi, mulctandi, coercendi, capite puniendi potestate præditus: mulctas aut cætera judicii commoda percipit ipse aut cum Wedmanno pro rato communicat. Ab his tribunalibus omnibus appellatio est ad conventus juridicos, aut Cameram Hovetmannorum Groningensium: de quibus postea.

Est & aliud in agro tribunal, ad crimina graviora, controversiasque de jurisdictionibus cognoscendas & judicandas pertinens: vocant communiter dat Over-recht: quod vicos complures ejusdem vicinia colligit; è quibus ii, qui co jure præditi sunt, (id similiter prædiis quibusdam cohæret,) vertente anno coeunt certo loco, ubi antiquitus hoc tribunal locatum fuit; & in leges ac incorruptam justitiæ administrationem sese juramento obstringunt ii ad quos vices annuæ redierunt; iidemque, quoties res poscit, vocati conveniunt eodem, causasque cognoscunt, & sententias ferunt. Et sunt tribunalia ejusmodi cis Hunesum per Hunesgonios & Fivelgonios complura: qui alibi quoque die Langh-rechte vocantur.

Præter hæc curationes quoque sunt in hac regione binæ, honestissimæ conditionis; quarum una ad aquarum claustra & quæ cum his cohærent, (vulgo Syl-recht,) altera ad aggeres pertinet: utraque cum quadam imperii specie; præsertim prior. In ea qui sunt, non solum claustris ipsis, quorum maximus usus, maxima impendia, præsunt, sed aquarum quoque ductus, ac derivationes, & pontes amnibus & rivis impositos curant: divisi in classes aut collegia plura; & classes singulæ in gradus distinctæ. In his inferiores die Seyl-rechters, superiores die Scheppers; summi die upperste Scheppers appellantur. Et inferiores quidem in singulis classibus, quas Sylvesten vocant, complures sunt pro numero pagorum, qui qualibet classe comprehenduntur. Quilibet enim vicus ex sui medio edit unum duosve viros idoneos, qui jurati in leges ad hoc pertinentes ex se edunt duos aut plures superiores, eosque nunc fere è nobilitate. Potestas omnibus mandandi, vocandi, cognoscendi, mulctandi secundum leges. Conveniunt quotannis ter in classibus suis statotempore & loco. Aggerum præfecti & ipsi secundum regiones & loca inter se distinguuntur, potestatemque amplam habent, parem pene cum prioribus; sed decreta omnium, præter præfecturam veterem, Hovetmannis subjecta sunt. Operam dant ut aggeres, fluctuum violentiæ objecti, sartitecti serventur.

*Iudicium ſummum oppidi & provinciæ.*

IN *oppido ſuprema litium dirimendarum poteſtas penes Senatum eſt; a cujus ſententia aut decreto, nulla alterius judicis tanquam ſuperioris appellatio eſt, nec in civilibus nec in criminalibus cauſis; quo nihil ſublimius alicui civitati poſſet obtingere; nec aliquid tali in ulla civitate præterquã in Helvetia reperitur. Nec hoc poſtremum; quod legum & ſtatutorum ſuorum ipſa domina eſt; ipſa ferendi abrogandique liberrimam habet poteſtatem; nec neceſſe habet ad cujuſquam voluntatem aut conſenſum reſpicere, atque ita ſciſcit & antiquat prout uſus & temporum ratio poſtulat.*

*Præter Senatum eſt in urbe aliud collegium, juris dicundi cauſa olim inſtitutum; perampla præditum poteſtate:* Hovetmannorum Cameram *vulgo indigitant. Id non in cives, ſed in eos, qui vicinum agrum, fœdere civitati quondam junctum, incolunt, juriſdictionem directam habet; licet in urbe ſemper ſedem habuit, & ibidem jus dicit, & præter cives opibus & dignitate præcipuos, & fere conſulares, collegas non admittit: nec ulli præter Senatum edendorum collegarum poteſtatem habent. Initia hujus collegii obſcura; & prima eorum mentio in publicis monumentis poſt ann.* 1400. *Videntur autem, quum concors cum Ordinibus agri vicini civitas ageret, ac fœdera in certos annos percuſſa identidem prorogaret, prope ut una utrorumque reſp. videretur, ex conſenſu ſociorum profluxiſſe, rectius atque æquabilius expediendi juris & ſervandæ publicæ concordiæ cauſa. Tum autem electi, ex optimis quibuſque in civitate, etiam ex nobilitate quæ in urbem commigrarat & jus civitatis acquiſiverat, quini & quini fuerunt, per annos amplius* LX, *& diverſa ratione aut abdicati aut prorogati. In fœdere*, anno M CCCC LXXIII *inter civitatem & Fivelgonios, Huneſgonios, Medachios, Langewoldios, Fredewoldios, Humerzioſque mito, perſcriptum: Conventus juridici ſuperiores Groningæ agerentur quater quotannis aut ſæpius, quibus Hovetmanni oppidani præſiderent; ad quos provocatio eſſet ab omnibus tribunalibus in agro. Conventus hos Hovetmanni cum aliis judicibus indicerent. Poſtilla ſæpius aliquid in hiſce mutatum pro varia urbis fortuna ſub variis principibus. Demum reſtituta libertate* M D XCVII *per arbitros inter civitatem & agrarios ab Ordinibus generalibus datos ſcitum fuit: Camera juſtitiæ, (ut vocant) id eſt, Hovetmannorum tribunal, & ejus præſes, (Legatum dicunt) & officiarii cæteri*

*iſtuc*

istuc pertinentes, exceptis ipsis Hovetmannis, quos sola civitas edet, constituuntor, committuntor, juramentò obligantor conjunctim ab Ordinibus provinciæ, ut nomine Reipub. aut potestatis superioris jus dicant ex legibus provincialibus & consuetudine antiquitus recepta, in causis ab anno 1521 ad ann. 1560 in hoc tribunali cognosci solitis. Ab hujus cameræ judicio nulla appellatio est, neque plebejo neque Nobili. Sed anno demum 1615 revisio, ut vocant, fuit concessa; verum quum magni impendii sit, rari videntur eam usurpaturi.

## Leges quædam & statuta tam oppidi quam agri.

POpulus agrarius in legibus suis ista habet memoratu digna: Pacta dotalia rite inita, ut mos aut jus regionis poscit, rata sunto. Testamenta nisi de bonis acquisitis non sunto. Res soli ex hæreditatibus profectæ, ædificia, & quicquid in bonis immobilibus, à defuncto relicta, ad proximos sanguine devolvuntor; nisi aliter pactis dotalibus sit cautum. Mobilia omnia, quæ conjuges matrimoniorum ineuntes possident, & in usum matrimonii conferunt, quæve stante matrimonio ex hæreditatibus accrescunt, omnia item industria conjugum acquisita, etiam sine pactis dotalibus, conjugum sunto pari jure: alteroque defuncto semissis hæredum ejus esto; reliquum superstiti maneto, &c. Cades quas prius pecunia luebant, nunc ex lege capitis pœnam habent.

In oppido hæc observanda: Olim, si qui solvendo non erant, mos fuit, ut nomina eorum certo tempore, exeunte nimirum anni quadrante, si poscerent creditores, ex sublimi curia fenestra, concurrente frequenti civium turba, recitarentur: eoque facto, illi non solum infames fierent, sed & legum patrocinio exuerentur; non contra contumeliam, non contra vim aut ferrum tuti essent. Nunc cætera manent; postremum tantum est sublatum.

Leges de successionibus hodie ita se habent: Liberi parentum suorum hæredes sunto sine discrimine sexus, in mobilibus pariter & immobilibus: verum filius duplum semper capito; soror simplum: Fratres & sorores præferuntor parentibus in bonis defuncti fratris aut sororis, servata eadem proportione. Si moriens liberos relinquat superstites, & simul præmortuorum liberorum liberos; hi locum parentum in adeunda hæreditate tenento; & succedunto in stirpes, non in capita. At si moriens relinquat in vivis avum, aviam, fratres, sorores ex altero tantummodo parente; germanorum, fratrum, & sororum liberos; patruum quoque, avunculum, amitam, materterā: omnes pariter ad successionem vocantur.

Marito

*Marito potestas non est vendendi, permutandi, are alieno gravandi quicquam rerum conjugis suæ, quæ immobiles sunt, sine expresso & liberrimo ejus assensu: idem & in uxore valet.*

*Sacro lavacro non initiati ritu Ecclesiæ recepto, capaces hæreditatum non sunt.*

*Hæreditatum ad exteros, qui ultra Lavicam & Amasum ultraque Covordiam habitant, devolutarum, pars quarta ærario urbis debetur.*]

Inter alios suos titulos Principes Belgicæ nominatim quoque inscribunt titulum ditionis Groningensis quæ ditio, ut jam omittamus ea quæ ab ævo nostro remotiora, tamquam nimis confusa, & apertæ inter scriptores antilogiæ convicta, multo tempore paruit Antistitibus Vltrajectinis. qui, quod in ea tuenda & ab hostibus vindicanda negligentes potius essent, quam potentes, subditis ansam præbuerunt ad alios Principes deflectendi. Itaque anno primum 1515, & aperte magis triennio post, iterumque anno 1521, submiserunt se Duci Geldriæ, adferentes inter alia in sui excusationem, quod non solum non tueretur subditos suos, prout tamen debebat, Episcopus, sed quo magis eos deprimeret imbecillioresque efficeret, cum hostibus sæpe iniret fœdera. Cum vero non invenirent in Geldro expectatum illum & desideratum favorem, neque validum satis experirentur ejus subsidium, convenere tandem anno 1536, cum Carolo Quinto Imperatore, submittentes se in perpetuum & ipsius & posterorum potestati. pacti tamen provide & in antecessum & sibi & territorio circumvicino ita luculentas & amplas conditiones & privilegia, prout constat ex publico instrumento pactionis die 15 Iunii inter partes contractæ, ut feliciter hodie perseverent eo quem diximus, statu ac loco, reverentibus eos vicinis Principibus, & observantibus fœderatis.

## ADDIT. [*Regimen provinciæ totius, prout nunc se habet.*

*Conventus provincialis, quem comitia dicunt, summam in provincia potestatem obtinet, omnibusque dat leges; mutat in iis & statuit pro arbitrio, si consentiat, modo ne quid contra leges fœderis communes & conditiones quæ in deditione urbis & conjunctione*

conjunctione cum reliquis fœderatis conscriptæ sunt. Conventus hujus sedes antiquissimo more Groninga est: convocaturque quoties res postulat. Constat duobus membris, uti tota provincia; quam civitas, agrique ordines, constituunt. Civitatis locum in conventu solus Senatus tenet. Agri ordines quondam antistitibus cœnobiorum, nobilitate agraria, & plebe rustica censebantur: antistitesque & præcipua nobilitas nominatim vocabantur; plebs reliqua vicatim plerumque suos cum potestate & mandatis ad conventum mittebat. Nunc antistites ejecti sunt, resque ad solam nobilitatem & delectos plebis mandatis suorum instructos rediit. Conventui in urbe ædificium peramplum & spatiosum destinatum est, in usum Scholæ quondam exstructum, distinctumque diversis conclavibus. In eorum maximo conveniunt omnes. Et, si præsens Gubernator est, in capite conclavis loco summo considet ad mensam, juxtaque eum qui in collegio sunt provinciali. Deinde ad dexteram Gubernatoris atque in latere conclavis dextro consules & reliquus Senatus sedem tenent: alterum latus cum sedilibus reliquis agri Ordines occupant. Proponit in consessu Gubernator quæ agenda, aut collegii præses. Eo facto interdum manet collegium loco suo; interdum, si causa requirit, discedit. Re deliberata Senatus priore loco sententiam dicit per Syndicum suum si adest, aut per Consulem; sequuntur agrarii. Quibus si inter se convenire nequit, secedentes deliberant, & suffragiis inter se certant; nonnumquam & tripartito dividunt sese; atque ita, si duæ partes in unam sententiam eant, tertiam quoque trahunt. Tum, quod sentiunt, per suum Syndicum Senatui exponunt. Vbi consensere Senatus agrariique, decretum confitetur, & in publicum librum refertur. Id totam obligat provinciam, ac pro lege habetur. Si consensum inire haud possint, rejicitur res in comitia proxima, aut omittitur. Convocatio horum comitiorum penes Gubernatorem & collegium VI. virum Deputatorum est, qui scripto eam expediunt, & conveniendi causas præcipuas eodem scripto strictim comprehendunt. Stata vero & ordinaria comitia habentur mense februario: in quibus ii, qui in collegiis omnibus sessuri sunt, eliguntur; oppidani a Senatu, agrarii a suis. Quæstores provinciales, collegiorum duorum scribæ & secretis, quum loca vacant, designantur suffragiis utriusque partis communibus. idque fit non solum his statis comitiis, sed & aliis, si res poscat. Comitia in leges ac instituta ac jura civitatis potestatem nullam habent, nec in ea quæ propria sunt agri. Tantum subjecta sibi habent illa quæ toti provinciæ sunt communia. Designantur ergo ab his, qui mittuntur ad collegium Ordinum Generalium,

ralium, & ad concilium Status, quorum collegiorum ſedes eſt Haga; denique ad collegia rebus maritimis præfecta, de quibus alias dicetur.

Præter conventum provincialem hunc ſive comitia, habet provincia præcipuum collegium quod vocant Deputatorum; de quo inter civitatem & agrarios Ordines controverſia fuit, ſumma animorum contentione agitata, non modo quum cum cæteris provinciis in fœdere urbs perſtaret, ſed etiam poſtquam Hiſpanus eam obtineret. Eademque, quum civitas anno CIↃ IↃ XCIV libertati priſtinæ eſſet reſtituta, recruduit; ita ut judicium de controverſia D. Ordinibus Generalibus permitteretur. Ab his primum tres interceſſores ſive arbitratores dati, omnes in Senatu & conciliis Ordinum Generalium diu verſati, qui, ſi poſſent, una cum Illuſtr. Gubernatore D. Guilielmo Ludovico Naſſavio Com. amice controverſiam inter partes componerent: ſi non poſſent, ſtatuerent pro tempore quod quieti & regimini expedire videretur, tantiſper, donec pleniore judicio cognita cauſa omnia definirentur. Sed quum fruſtra in componendo laboraſſet, & decretum interpoſuiſſent, quo agrarii minime contenti erant: novi Iudices numero IX ab Ordinibus eiſdem dati: qui tandem ſententiam ediderunt definitivam, quoad hoc caput, in hunc modum: Civitas & ager una provincia, una ditio ſunto, & conjunctim ab Ordinibus ſuis reguntor. Omnia jura & reditus, qui quondam Principis fuerunt, omnes item ex tributis recentibus omnis generis provenientes pecuniæ, exercentor & impenduntor quo debent, ex conſenſu communi partis utriuſque: monaſteria & bona monaſtica, & quæ ejus generis in urbe & agro, item in præfectura vetere & ſuburbana, conjunctis ſententiis conferuntor ad pios uſus: ad adminiſtrationem pecuniæ publicæ & cenſuum, ac ad ea, quæ ab Ordinibus decernentur, exequenda & efficienda, diliguntor viri idonei pari numero ab utraque parte, itſque mandata & muneris limites præſcribuntor, cujuſmodi è re eſſe Ordines provinciæ putabunt: interea collegium ante biennium inſtitutum (id erat VIII-virorum ex urbe & agro pari numero) ea forma maneto qua inſtitutum eſt: &c. Anno vero MDC, quum jam controverſiæ compoſitæ viderentur, in comitiis provinciæ, leges latæ ſunt ab Ordinibus, quibus munus & poteſtas collegii Deputatorum fuerunt definita: hoc modo: Deputati in collegio ſunt VI, pari numero utrimque lecti, patriæ amantes ac fidi, viri integri bonique nominis, religioni reformatæ addicti; qui cum Gubernatore collegium conficiant. Hi jurent, provinciæ fideles in omnibus ſe futuros, operamque daturos, ut tranſactio cum civitate inita ab

Ordinibus

Ordinibus Generalibus anno 1594, quum civitas societati fœderis communis redderetur, item sententia inter dissidentes partes an. 1597 & 99 lata, sine vitio serventur: jurent quoque, sine partium harum aut illarum studiis, affectibusque in suos abdicatis, animis puris atque integris, communes provinciæ res se diligenter ac fideliter curaturos, administraturosque, uti maxime ex usu & utilitate totius provinciæ esse existimabunt: munera & ministeria alia, si quæ teneant, interea seposituros; decreta comitiorum præterita & futura quam exactissime executuros: nullius jura in hac provincia, in exercenda jurisdictione, in conferendis beneficiis, in convocandis rite ecclesiarum ministris, & similibus rebus, impediant: simul videant, ne quisquam bona hujusmodi piis aut publicis usibus dicata in usus proprios vertat, neu, qui jus vocandi & conferendi habet, eam rem ultra tempus receptum VI hebdomad. differat: per collegas duos & quæstorem generalem tributa & vectigalia jam usitata singulis semestribus tempestive locent, quanti omnino queant, & à conductoribus publicanis sponsiones idoneas dari curent; nec permittant, ut Quæstor aut quisquam alius, munus à provincia acceptum gerens, aut pecuniam provinciæ tractans, vectigalia tributaque hujusmodi conducat, aut in societate cum quoquam conductorum sit, aut sponsorem se præstet: denique, ut in eo sint, ne quid in fraudem provinciæ tota hac in re à quoquam committatur: ne publicanis fraus ulla fiat, nec provinciales præter legem affligantur; ut lites inde ortæ brevissime expediantur; ut potestatem habeant cum Gubernatore præfecturas militares superiores & inferiores vacantes conferendi, modo ii quibus conferuntur non displiceant Ordinibus provinciæ, quod cognoscendum proxime futuris comitiis: à reliquis vero curationibus aut muneribus quæstorum, secretariorum armamentarii magistrorum similiumque tribuendis abstineant, eamque curam comitiis relinquant: quum militares præfecturas conferent, intraneos, modo idonei sint, extraneis præferant: tributa ab omnibus provincialibus exigant severe & nusquam connivent: eaque in nullum alium finem, quam in quem destinata sunt: impendant; tributorum onerumve aliorum sine consensu & mandato populum nihil poscant. hoc vero agant sedulo, ut, qui reipubl. tributi aliquid residui debent, ii quam maturrime ad id solvendum compellantur. Porro quum quid cuiquam solvendum decernent, consignent hoc manibus suis, si non omnes, saltem bini ex oppidanis, & totidem ex agrariis; & subsignet scriba à secretis; isque decretum hoc statim in volumen actorum referat: secus si quid hujus generis fiat, id in reddendis rationibus locũ non habeat, &c.

Oppidanos

*Oppidanos Senatus edit, & fere ex his qui in Consulatu aut Senatu fuere; eosque pro arbitrio suo aut mutat anno exacto, aut in munere manere patitur. Nec alius agrariorum mos, qui reliquos designant. Collegæ in urbem & per vices præsident, alternatimque oppidanus & agrarius; vices septimana finiuntur. Quæstor collegii, cui ampliſsima pecunia tractanda committitur, item Scriba a Secretis, conjunctim ab Ordinibus in comitiis eliguntur; munusque habent perpetuum, si cum fide in eo versentur. Minora ministeria in collegii sunt potestate, dein* IV-*viri sunt in comitiis electi pari utrimque numero; quos rationum magistros appellant: & his Scriba adjunctus, chartarum custos. Horum officium est, indices censuum ac redituum omnium provinciæ in promtu habere, & ad unguem nosse: largitiones, quæ ex publico fiunt a sex-viris, aliasque item pecuniæ assignationes, censuræ suæ subjicere; easque vel ratas habere, vel suspendere, &* VI-*viros de ea re monere, & ad conventum Ordinum referre; rationes quoque, quoties libet, quæstores poscere: denique curare ne pecuniaria res provinciæ detrimentum patiatur. Accessit proximis annis totidem virorum collegium, cui cura demandata est bonorum monasticorum totius provinciæ. sedent in eo duo à Senatu oppidano dati è civium numero, & totidem ex agrariis. Designantur in comitiis curatio annua, nisi prorogetur; ut sæpe fit. Duo ex his, alter ex oppidanis, alter ex agrariis, actorum & rationum indices aut libros tenentur conficere: capiuntque stipendium è publico Carolinos aureos* CCC; *cæteri* CC *tantum.*]

Quia vero Philippo Regi, veluti supra meminimus, præter occiduam istam Frisiam, in Orientalem quoque aliquod jus & dominium competit, postulare videtur hic locus, ut quale demum id sit quam pauciſsimis explicemus. Dicimus ergo hunc Regem esse dominum Lingæ, opidi quarta tantum vel circiter leucæ parte trans Amasiam positi, & Meppa Rhenaque opidis ad eumdem fluvium pari quatuor grandiorum leucarum intervallo abjuncti. opidi quidem per se exigui, sed quod magnam nimis ac momentosam habeat arcem, nec pœnitendam omnino ditionem & territorium. Habet insuper idem Rex jurisdictionem & potestatem supremam in aliquot feuda inter Amasiam & Visurgim, qualia nominatim ditio Ieverensis, Essenienſis & Witmondana. Item præeminentiam aliquam & superioritatem in Comitatum ipsum Emdanum, sic dictum ab Emda, non incelebri ad Oceanum opido, portu inter Europæ primos,

mos, ac lata in agros & pagos finitimos ditione conſpicuo. Eſt denique, quatenus Princeps Belgarum, perpetuus Sacri Imperii per univerſam quam late diffunditur Friſiam, uſque Dithmarſiam in confiniis Danici regni, Vicarius. quam dignitatem ſibi & poſteris acquiſivit à patre Friderico tertio Imperatore Cæſar Maximilianus, auctore jamdicto Nicolao Nicolaio Grudio.

ADDIT. [*Extra controverſiam eſt, Friſiam orientalem quam vocant, non à Friſiis olim, ſed Chaucis fuiſſe inſeſſam. cujus rei, præter Strabonem, Dionem, Suetonium, alios, locupletiſſimus teſtis eſt Ptolemæus, qui Chaucos in majores minoreſque partitur. quorum illos inter Viſurgim Albimque; hos inter Amaſiam & Viſurgim, id eſt eo ipſo tractu quem hodie colunt orientales noſtri Friſii, collocat. Sed remotioribus hiſce omiſſis, ſciendum, hanc ditionem in varias olim præfecturas fuiſſe diviſam, quarum ſingulis fere ſui tunc principes. atque ita res habuit uſque ad Fridericum tertium Imperatorem. is anno Chriſti 1465 toti regioni præfecit Vlricum quemdam, eumque titulo Comitis exornavit. atque hinc reliqui poſtea Oſtfriſiæ Principes. Cujus Provinciæ ſolum omnium rerum humanis uſibus neceſſariarum uſqueadeo ferax, ut nullo prorſus indigere feratur finitimorum populorum ſubſidio. duo tantum in ea ſunt opida muris clauſa: pagorum vero tam ingens numerus, ut alter alteri pene cohæreat, ac velut perpetua quædam habitationum catena ſit.*]

Omnis Friſia incolis admodum denſa; ii vero inde ab antiquo inſigniter bellicoſi, ſeveri, elati. unde legimus apud C. Tacitum, miſſos Romam ævo Neronis à Friſiis duos legatos, Verritum & Malorigem, cum intraſſent Pompeii theatrum, & adverterent quoſdam cultu externo in ſedibus Senatorum, rogitaſſe quinam forent: poſtquam audiverant earum gentium legatis id honoris datum, qui virtute & amicitia Romana præcellerent; digreſſos inter Patres conſediſſe, & exclamaſſe, nullos mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe. qua tam inſigni animi magnitudine motus Nero civitate Romana ambos donavit. Hodie tamen Friſii in mercatura fere & re nautica toti ſunt dediti, qua fini & plurima ſtruunt omne genus navigia. piſcatui item invigilant, unde & uberem ſatis percipiunt quæſtum.

ADDIT. [*Erga hoſpites ſemper habiti officioſi & liberales. Lingua uſi ſunt omnes una & eadem, quæ ut Germanicam originem ſatis arguit, vereque, imo Germanica vetus eſt, ſic tamen à vici-*

*à vicinorum ſermone tantum omnino diſcrepat, pene ut ſui cujuſdam generis videri poſſit. Nec enim intelligi poteſt ab exteris ullis: nec olim Friſius in patria educatus exteros etiam vicinos commode intelligebat. Sed & ipſa pro regionibus Friſiæ in ſe varium ac multiplex diſcrimen habet; accidit que ut inter pauca paſſuum millia ter quaterve idioma varietur. In univerſum tamen cum Anglico ſermone tantum cognationis & ſimilitudinis habet, ut ad nullum omnino aliarum gentium, ne finitimarum quidem, propius accedat. Habet concurſum frequentem vocalium, & multam varietatem diphthongorum, ut difficilis ejus ſit interdum pronuntiatio, difficilior etiam ſcriptio: unde tam rara in hac lingua monumenta. Nomina quoque gentis diverſa prorſus à gentibus cæteris, uſque eo, ut horum argumento genuinum Friſium ab aſſcriptitio, inſititiove, ſolerent quondam diſcernere. Quis in alia gente Germanica audiit Hayones, Boyones, Vbbones, Vdones, Foccones, Occones, &c.? quis Ettas, Teddas, Tiacas, Dodas, &c.? nec habitus cum reliquis Germaniæ populis olim ſatis congruus fuit; quem jam conſuetudo cum aliis populis multum mutavit. Ingenia genti, ſi cui alteri in Germania, lata, acria, amœna: quæ ſi doctrinæ ſtudio ſe dedant, facile ad ſummam eruditionem perveniunt, & in ſuo genere excellunt.*]

Abhorrent hæ gentes ac deteſtantur adulterium omne & ſtuprum. ideoque Eccleſiaſtici ordinis viris, quod non exiſtimarent eos continere ſe poſſe, neque uxores ſuas vellent ab iis contingi, permiſerunt uſum & jus matrimonii. quem morem uſque ad tempora ſua duraſſe teſtatur Pius ſecundus Pontifex Maximus. hodie tamen hac in re nobiſcum conveniunt. Libertatis præ cæteris gentibus amantiſſimi, ut ſervent eam intactam, etiam vitam paciſci non dubitant. unde quoties vel à novis Dynaſtis ſubacti, vel à ſuiſmet popularibus male tractati fuerunt, toties rebellarunt, & armis belli adſervarunt ereptum jus. Primus eos Romano imperio ſubdidit Druſus Germanicus, qui poſt domitos hoſtes ipſe in partibus illis occubuit. quare Friſii mox excuſſerunt jugum, ac non niſi poſt multos annos, neque ſine ingenti & ſanguinis ſimul & opum Romanarum diſpendio, in ordinem rurſus redacti ſunt. Declinante imperio, venerunt in poteſtatem Francorum. ſed vindicarunt ſe brevi in libertatem. Tandem Principes ſibi delegerunt è ſuomet cœtu, eoſque modo Regis, modo Ducis inſignierunt vocabulo. Cœpere hinc pervenire ad qualemcumque

cumque notitiam fidei Iesu Christi, idque ductu præsertim & concionibus Divi Clementis, Willebrordi antea dicti, ævo jam tum Caroli Martelli. quo tempore inopinatus quidam casus religionem in animis hujus populi mirum in modum accendit. Carolus, superato, non sine magna difficultate, nec minore virorum, quam opum impendio, Frisiorum Regi Rabodo, clementissime tamen ignovit: idque partim, ut narrant, quod Rabodi ipsius filia paullo ante nupsisset Caroli fratri germano: partim quod ipse Rabodus, miram quandam præ se ferens religionis speciem, Christo se nomen daturum promitteret. cum ergo ventum esset ad actum baptismi, jamque alterum pedem haberet in sacro fonte, quæsivit ex Willifranco Episcopo, sacramentum administraturo, utro tandem in loco plures essent è suis majoribus, infernone an paradiso? & Antistite parum provide respondente, plures eorum apud inferos agere, quia nempe destituti fuissent baptismo: Princeps, retracto pede, subridens reposuit, malle se ergo ea loca invisere, ubi plures habiturus esset amicos, nec induci potuit ulla ratione ut baptizaretur. verum culpam hanc debita mox excepit pœna. cum enim triduo post profectus esset venatum, tam gravi casu ex equo lapsus est, ut non sine diris animi corporisque cruciatibus paullopost expiraverit. Vnde factum, ut illæ gentes, dum miraculum istud Deo, indignum Principis facinus vindicanti, attribuunt, alacri studio ac mira quadam religione ad baptisma omnes accurrerint. sed quia propositi parum tenaces essent, sententiam facile rursus mutarunt. ita ut lapsa sint aliquot sæcula, priusquam induci potuerint Deo debitum cultum præstare, & Gallorum imperio penitus subjici, tumultuantes subinde, debitoque sese subtrahentes obsequio, donec domarentur tandem in totum à Carolo Magno. Tum vero jam pluries fracti ac mutilati religioni pariter atque imperii jugo submisere cervices. Cui Principi postea tam laudabilem sæpe tamque utilem in variis bellis navarunt operam, ut ipse vere, quod dicebatur, Magnus, & benefactoribus gratus, talibus eos tantisque donaverit privilegiis, ut ceu liberi prorsus atque ab omni jugo immunes haberentur. Et quia ipsummet dicti Imperatoris diploma, approbatum sollenniter ab Leone tertio Pontifice Maximo,

ximo, neque valde prolixum, ipſi autem Friſicæ genti in primis honeſtum, nuper mihi venit in manus, viſum eſt hic, in eorum quæ dicta ſunt, quæque dici præterea poſſent, fidem, exemplar ejus de verbo ad verbum inſerere.

# PRIVILEGIVM

## ANNI VIIIC. ET II. QVOD IMPERATOR CAROLVS MAGNVS DEDIT FRISIIS:

*cujus Autographum ſcriptum in membranu, & ſigillatim eſt Arnemii in Geldria: quo tranſlatum fuit per Carolum Ducem Geldriæ cum ei pareret Friſia.*

CAROLVS divina favente clementia Romanorum Imperator, Francorum Rex, ſemper Auguſtus. Omnibus tam præſentibus quam futuris ſalutem & pacem in Domino. Ne ea quæ aguntur in tempore, ſimul cum tempore labantur, ſolet judicii teſtimonium ſcripturæ memoria perennari: ea propter quæ à nobis facta ſunt (ad oblivionis confuſionem evitandam) univerſorum notitiæ cupimus præſentium fide declarari; Quod cum Lugderus Dux Saxoniæ Ducatum ſuum jure feudali teneret ab Imperio, nec hoc recognoſcere curaret, tributumque ex ſuo Ducatu à Cæſare Auguſto ſtatutum (quod & à præceſſoribus ſuis ſingulis annis præceſſoribus noſtris ſolutum fuerat) nobis exhibere contemneret, modiſque omnibus ſe ſacroſancto Imperio Romano, & nobis per ſuam ſuperbiam opponeret, & ſe in præjudicium & gravamen Imperii pro Rege gereret, ſeque Regem Saxoniæ vocare præciperet: Nos tandem hujuſmodi ſuam ſuperbiam, & injuriam dicto Imperio, & nobis ſæpius illatam, diutius diſſimulare aut ſuſtinere nolentes, invocato Friſionum Orientalium & Occidentalium auxilio, quos viros ſtrenuos, agiles & miræ audaciæ, multorum affirmantium teſtimonio intelleximus, quibus etiam idem Dux multa inferebat gravamina, eo quod eoſdem ſuæ volebat ſubjicere poteſtati, tum cum viriliter ii ſeſe defendendo eidem efficaciter reſiſterent, maxime gaviſi ſunt quod eorum auxilium invocare dignabamur, nobiſque per nuntios ſuos ſpoponderunt, certos & ſecuros reddiderunt, quod parati eſſe velint, &

debeant

debeant in noſtrum venire ſubſidium, & auxilium, & quod ad obtinendum Imperii honorem, & noſtrum, vitam ſuam vellent, & eſſent parati exponere. Sicque dicti Friſiones ſine mora & diſpendio ſe ad ineundum prælium contra Lugderum Ducem, & exercitus ſuos præparaverunt, & termino ſtatuto, ad invadendum ipſum, & terram ſuam cum maxima multitudine Friſionum, & Ducatum Saxoniæ in manu forti intrantes, viriliter & crudeliter cum prædicto Duce, & exercitibus ſuis dimicantes, ipſum Ducem, & exercitus ſuos jam dictos evicerunt, ipſum Lugderum Ducem una cum dignioribus ſatrapis ſui Ducatus Saxoniæ captivarunt, quos funibus connexos nobis tradiderunt. Qui de hujuſmodi victoria laudabili (nobis & ſacro Imperio obtenta) maxime exultantes, ad propria cum gaudio remearunt. Item cum advenæ Romani, mandatis noſtris obedire contemnerent, & quædam jura in Imperii præjudicium & gravamen noſtrum ſibi uſurparent, & nos auxilium fidelium Imperii ad reſiſtendum eorum injuriis invocaſſemus, id quam primum dicti Friſones intellexiſſent, non vocati à nobis, ſed ſuo libero arbitrio, & voluntate ſpontanea, cum multitudine copioſa in ſubſidium noſtrum venerunt, & ab exercitu noſtro ſe ſeparantes in Romanos (qui per ſuam ſuperbiam ultra pontem Melinenſ. noſtro exercitui occurrerunt) potenti virtute irruentes (quam plurimis ex utraque parte interfectis) eoſdem evicerunt, & per nobiles Romanos, quod tunc poſt tempus conflictus ceperant, nobis Romam ſubjugarunt.

Nos itaque conſiderata horum Friſionum fidelitate, dexteritate & audacia, attendentes etiam fidele obſequium eorum quod Imperio & nobis, in diverſis eorum argumentis, quam creberrime exhibuerunt, de conſueta Regiæ Majeſtatis benignitate, ipſis Friſionibus & imperio fidelibus, gratiam volentes facere ſpecialem, de conſilio fidelium noſtrorum, accedente etiam ad id Principum Imperii conſenſu, tributum à Cæſare Auguſto ſtatutum (videlicet viginti libras auri, quas nobis & præceſſoribus noſtris ſingulis annis pendere, & exhibere conſueverunt) remiſimus. Ita quod neque nos, neque ſucceſſores noſtri, id ab ipſis vel eorum hæredibus de cætero requiremus, vel aliquas exactiones in ipſos faciemus. Præterea auctoritate Regia indulſimus eiſdem, ut

cum omni ſua prole nata vel naſcitura in perpetuum liberi permaneant, & à ſervitute proprietaria penitus ſint abſoluti. Statuimus etiam, ne quis eis dominetur, niſi ſit ex eorum voluntate, & conſenſu, & ne judicibus & jure videantur carere, ſtatuimus, ut ex ſuis eligant Conſules, quotquot viderint ſibi expedire qui in cauſis ſecularibus, de quibus ipſis quæſtio mota fuerit, judices exiſtant. Statuimus etiam ut eoſdem Conſules ſingulis annis ſecundum conſuetudinem Romanam eligant, perſonas idoneas & diſcretas, ſub quarum regimine, dominio & gubernatione, Friſia ſit conſtituta, & ſubjecta, in omnibus & per omnia, tanquam ſuo vero Domino, (juxta terminum ſibi ab ipſis) teneantur obedire: quæ Perſonæ poteſtas Friſiæ ab omnibus debet appellari. Inſuper ſtatuimus, ut ſi qui ex ipſis ſuſtentationem habuerint, vel militare voluerint, data poteſtas eis gladium circumcingat, & dato eiſdem ſicut conſuetudinis eſt manu colapho ſic milites faciat, eiſdemque firmiter injungendo præcipiat, ut deinceps more militum ſacri Imperii, aut Regni Franciæ armati incedant, eo quod conſideramus, ſi prædicti Friſiones (ſecundum ſtaturam corporis & formam eis à Deo & natura datam) ſic militaverint, cunctos in orbe terrarum milites, ſua fortitudine, ingenio & audacia, dummodo, ut prædictum eſt, ſint armati, facile præcellent & prævalebunt. Qui Friſiones ſignum ſuæ militiæ à dicta poteſtate recipere debent, in quo corona Imperialis in ſignum ſuæ libertatis à nobis conceſſæ debeat eſſe depicta. Item ſtatuimus ut Friſiones volentes militare, & in ſubſtantia habentes, ſint uſque ad ſummitatem aurium circumtonſi, auro in eorum paludamentis undecumque ſplendente, ut per hoc ſuam valeant oſtendere libertatem, ipſis (ut præmittitur) à nobis eſſe collatam. Et ſi quis hanc eorum libertatem aliquo auſu temerario infringere voluerit, vel violare præſumpſerit, ſecundum ſententiam quam annuentibus Imperii Principibus tulimus, tam ipſi quam eorum coadjutores ſint proſcripti, & à conſortio fidelium excluſi; præcipimuſque auctoritate noſtra Regia, eoſdem tamquam proſcriptos & adverſarios Imperii ab omnibus evitari debere: & ſi quiſquam eiſdem ad præliandum contra dictos Friſiones aſtiterit, vel adjutorium præſtiterit, eandem pœnam & offenſam Imperii, & noſtram ſe noverit incur-

incurſurum. Auctoritate etiam præmiſſa ſtatuimus, quod ſi iiſdem aliquo caſu contingenti in ipſorum vita vel bonis aliquod damnum à dictis Friſionibus vel ab aliquo fuerit illatum, nec ſucceſſores noſtri, neque alii judices ſeculares ad alicujus inſtantiam, quin potius tamquam proſcripti Imperii ſint ſeverius puniendi, quam favoribus quibuſvis, vel à nobis vel ab Imperio proſequendi. Hanc autem ſententiam noſtram in favorem Friſionum ſic à nobis dictam eſſe & collatam auctoritate ſtatuimus in perpetuum firmam, ratam ſtabilemque haberi & obſervari: & nos etiam tenore præſentium proteſtamur, à ſanctiſſimo Domino patre noſtro Papa Leone impetraſſe & obtinuiſſe; quod ſi prædicti Friſiones de hujuſmodi gravaminibus ipſis à præfatis malefactoribus illatis querimoniam fecerint, tam ipſe Dominus Papa jam dictus, quam ſui ſucceſſores oſtenſo ipſis ſuæ libertatis privilegio præſenti, eoſdem excommunicabunt, & denunciari facient excommunicatos ubique terrarum, ſpecialiter autem qui ſeculares habuerunt dignitates, quos ſub interdicto ponent: quæ ſententia interdicti aut excommunicationis, nullatenus relaxari poterit, niſi per ſpeciale ſummi Pontificis mandatum.

Et ut hoc laudabile factum noſtrum, robur obtineat æternæ firmitatis, nec à nobis nec à noſtris ſucceſſoribus, ſeu à quocumque alio aliquatenus infringi poſſet, vel etiam in dubium revocari valeat; & etiam ut dicti Friſiones nobis fideles, & dilecti, jam memorati, tali in perpetuum gaudere poſſint privilegio, præſentem paginam exinde conſcribi, & Bullæ aureæ munimine in teſtimonium omnium horum roborari fecimus. Hujus igitur facti laudabiles teſtes ſunt, Wencelaus Rex Bohemiæ, Wernandus Dux Bavariæ, Lipoldus Dux Moranenſis, Henricus Dux Auſtriæ, Otto Dux Sueviæ, Conrardus Margravius Meiſſenenſis, Harboldus Lantgravius Turingiæ, aliique Principes & viri honeſti complures. Actum & datum Romæ in Lateranenſi Palatio, anno Dominicæ incarnationis octingenteſimo ſecundo, indictione ſexta, regni noſtri ſecundo, ſedente Leone tertio Papa, & imperante Carolo Magno.

Hæc de literis Sereniſſimi Regis Caroli ad verbum tranſcripſimus, ut fideli teſtimonio pernoſcamus libertatem quam victorioſus Rex, (poſt impoſitum Danis ju-

gum ſervitutis) Friſiis dedit, ut liber eſſet populus à jugo tributorum & omni exactione.

Factum poſtea, ut Carolus Calvus Imperator idemque Rex Galliæ, inſtituto Hollandiæ Comiti Diderico, Regii ſanguinis Principi, etiam hujus (ut poſtea dicam) Provinciæ partem attribuerit: ſic ut inde ab illo jam tempore Friſii ſubditi fuerint Hollandis, etſi crebro interim rebellarint, adeoque Guilielmum Regem Romanorum eumdemque Hollandiæ Comitem, Dominum ſuum, anno 1255 in prœlio interemerint. Tandem autem hæc ipſa Provincia una cum Comitatu Hollandiæ, anno Chriſti 1435 ceſſit genti Burgundicæ, & Duci Philippo Bonoquam etſi poſtea Albertus atque Georgius Duces Saxoniæ, regnante Philippo Hiſpaniæ Rege eodemque Burgundiæ Duce, fiduciario jure aliquamdiu poſſederint, idem tamen Georgius, tam crebrarum rebellionum pertæſus, legitimo Domino ſuo Carolo Quinto Imperatori, ut jam dixi, reſtituit. Sed non deſtiterunt propterea Friſii, à Geldris adjuti, idemtidem rebellare: donec non ita pridem, anno ſcilicet 1523, pacarentur in totum ab Ioanne Waſſenario, Equite aurei velleris, & Imperatoris Archiſtratego. Rurſus cum Geldri, paucis menſibus ante obitum Caroli ultimi ſui Ducis, Principem elegiſſent Guilielmum, Ducem Iuliaci, etiam Friſii noſtri ſpectare cœperunt res novas: ſed Cæſar, miſſo iterum novo in eos exercitu, ductu Georgii Schenckii, itidem Equitis, & archiſtrategi fortiſſimi, eos tandem perdomuit. ex illo autem omnia apud ipſos quieta: & hodie, nomine Regis Catholici, gubernantur, per modum proviſionis, ab jamdicto Franciſco Verdugo, etiam Tranſ-iſalanæ, ob virtutes ſuas, præfecto. Nos vero deſcripta jam Friſia, & ſervata quam inſtituimus methodo, in Hollandiam transfretabimus.

FINIS.